SCOTUS ACADEMICUS

SEU

THEOLOGIA SCOTI

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS THEOLOGICA DOGMATA

QUÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM

ACADEMIÆ PARISIENSIS DOCENDI METHODUM CONCINNAVIT

R. P. CLAUDIUS FRASSEN

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIÆ FRANCIÆ

S. FACULTATIS PARISIENSIS DOCTOR.

Editio nova

Juxta correctiones annotationesque ipsius Auctoris in Nationali Bibliotheca Parisiensi asservatas

---

Tomus septimus

De Divini Verbi Incarnatione.

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA SALLUSTIANA

(MATER AMABILIS)

Via S. Nicola da Tolentino, 4

1901.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

SEP 22 1931

97

IN TERTIUM LIBRUM SENTENTIARUM

PRÆFATIO.

Grande *sane, si aliquod unquam, impræsentiarum molimur opus; utpote qui Deum intra* Divinitatis, *et* Naturæ *lineam existentem et operantem hactenus suspeximus, eum itidem intra* Gratiæ *ordinem subsistentem, et mirabiles effectus edentem auspicamur investigare;* scire etiam investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi a sæculis. *Ecquis enim, quantumvis oculatus, non acie palpitet, vertiginemque incurrat, dum immensas divinæ Gratiæ opes in abditis Dei Thesauris consignatas, suspicere nedum, sed effodere, ac effundere tentat? Quod quam arduum sit, quamque paucis concessum, diserte aperuit ipsius divinæ Gratiæ verus Aquilex Sanctus Augustinus, dum quæstionem de Gratia Dei* difficillimam, et paucis intelligibilem *appellat. Sed quis vel a longe speculari audeat* Incarnati divini Verbi *mysterium, possetque* comprehendere, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, *et pretiosissima,* Fidei, Spei, ac Charitatis *dona speculari? Abyssus quidem sunt hæc, in qua non merguntur, qui fundum humilitatis tenent: quam irretorta mentis vcie penetrant, sed agrestes non raro Opiliones sub vilibus dumetis morum legentes, quos non* inflat scientia, *sed* charitas ædificat; *cujus tandem recessus omnes securo pede perradunt; at non multarum Bibliothecarum urinatores, e pulpitis ac subselliis phaleras verborum eructantes; sed sub ramnis humilibus sentibusque horridis purissimo, ardentissimoque Dei amore liquescentes; atque præ animi sui demissione in favillas, et cineres humilitatis evanescentes. Illi sunt dubio procul, quibus sæpe* datum est nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in Parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. *Nam, inquit Apostolus,* non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, etc. — *Nihil tamen æquius, nihil gratius, nihil sublimius commendatione et investigatione divinæ ipsius in nos Charitatis, Redemptionis, et gratiæ beneficio.* Primum *namque filios admonet pietatis erga benignissimum Parentem, quod est debiti nostri:* Alterum *Liberatoris memoriam refricat, quod est animi grati;* Postremum, *reptantem in sordibus Naturam emaculat, et ad Deum usque, ac Mediatorem sublevat, quod est fastigium et apex Christianismi. ut* Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Non arctius certe inter se Charitas, quam hæc tria Dei in nos beneficia, simul cohærent et implicantur. Nam ex pia Patris benignitate Incarnatio Filii; ex utraque conjunctim, et ad utram-*

que Gratia religatur. Recta igitur justaque methodo tres Tractatus, de divino Incarnationis, Gratiæ Cælestis *ac* Theologicarum virtutum Fidei, Spei et Charitatis *beneficio, suscipimus explanandos. — Ne autem in erulgando, ac reserando divinæ Gratiæ fonte, et effluvio, quidpiam ipsi Gratiæ minus gratum proferamus, juvat audire Lugdunensem Ecclesiam ita monentem:* Habemus magnum depositum Fidei et doctrinæ veritatis, ex divinis Scripturis, et Sanctorum Patrum dictis, velut pretiosum et multiplicem Thesaurum divinitus nobis ad custodiam commendatum, quem sine intermissione, Domino auxiliante, debemus inspicere, extergere, polire, atque excutere, ac diligentissime servare; ne per incuriam et ignaviam nostram, aut pulvere sordescat, aut ærugine, vel tineis demoliatur, aut malignorum spirituum insidiis, velut a nocturnis et occultis furibus, effodiatur ac diripiatur. Unde ipsa Charitate provocati et commoniti, per quam in uno Christi corpore omnes unum esse debemus, ut sicut Apostolus dicit, *invicem pro se sollicita sint membra, et sive gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra*, hac, inquam, Charitatis affectione, visum est nobis atque complacuit, ut hæc qualiacumque sunt, ad commonitionem nostram, et ad eorum, qui legere voluerint ædificationem, et confirmationem compendioso et lucido, prout Dominus aspirare dignatur, sermone, scriberemus; quidquid in eo dicendum putavimus, non nostro sensu aut præsumptione, sed manifestissimis Scripturarum testimoniis, et prætatorum Sanctorum Patrum venerabili auctoritate firmantes: a quorum vestigiis, et unitate absit ut vel nos, vel illi quorum Charitate compulsi hæc dicimus, recedamus; ne ab ipsis divisi, etiam ab ipso Domino dividamur, qui illis specialiter dicit: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. — Igitur quod in cæteris Christianæ religionis Mysteriis investigandis, sanctissimi Ecclesiæ Patres præscribunt, ut præpositarum rerum fides humanæ rationis conatus antecedat, illud maxime amplecti debet omnis, qui ad investigandum divinæ Gratiæ principium, naturam, et fœcunditatem sese accingit, ut aurem præbeat S. Augustino sic præclare monenti:* De credendis nulla infidelitate debitemus: De intelligendis nulla temeritate affirmemus: in illis Auctoritas tenenda est: in his Veritas. *Hoc enim constans et antiquum fuit penes Ecclesiam, quæ, ut docet S. Gregorius*, in omne, quod veraciter sapit, sensum suum humiliter deprimit, ne in requisitione occultorum tumeat; et perscrutari aliqua, quæ ultra vires sunt illius, præsumat. *Divinarum equidem rerum notitia summo studio indaganda est, ait Justinus in Expositione Fidei:* cum autem eam præ imbecillitate minus assequi poterimus, revereri eam nos oportet, ut comprehensione majorem, ne evacuetur Fides nostra. — *His itaque præclaris monitis illustrati, tertium hunc Sententiarum librum tribus Tractatibus, ut jam præliberimus, suscipimus explanandum: Quorum* Primus *ipsius divinæ Gratiæ fontem reserabit.* Incarnationem *nempe Christi Domini, de cujus plenitudine omnes nos accepimus.* Secundus, *ipsius Gratiæ naturam, necessitatem, species ac fœcunditatem aperiet.* Tertius *tandem, illustres ipsius Gratiæ fœtus ac præclara germina, nempe divinas ac Theologicas virtutes,* Fidei, Spei, *et* Charitatis, *explicabit.*

TRACTATUS PRIMUS.

DE INCARNATIONE VERBI DIVINI.

Tam altum tamque abditum ac ineffabile est Incarnati Verbi divini mysterium, ut merito dixerit Apostolus, illud esse *absconditum a sæculis, et a generationibus:* nam, ait sanctus Cyrillus Alexandrinus, *Est revera sapientia, nec humana quidem ullo modo, sed divina potius atque in reconditis quibusdam difficultatibus posita, illud Christi mysterium: igitur beatus David in Psalmo cecinit:* Et posuit tenebras latibulum suum, *etc.* ex quo ibidem colligit: *Non sublimibus inquisitionibus, aut ejusmodi curiosa indagatione, quæ ingenii humani captum superet, opus esse illi Christi mysterio, sed fide potius, quæ simplici, nec ullo fuco adulterata traditione constet.* Quæ verba postrema non sic accipienda sunt, quasi vir ille summus in aperiendo divinæ Incarnationis mysterio, nihil præter nudam, ac simplicem fidei professionem adhiberi velit: verum contendit tantum ut in illo scrutando mysterio potiores partes sibi fides christiana vindicet, ejusque ductu ac prævio lumine humana ratio gubernetur; quippe ait S. Fulgentius: *Magnum bonum infert inquisitio veritatis, quæ tamen tunc desiderato non frustratur effectu, si rectis ad veri cognitionem lineis animus innitatur.* — Hinc est quod celebres Ecclesiæ Patres ac Doctores quotquot ineffabile hoc mysterium propugnandum aut explicandum susceperunt, illud ita commendarunt, ut obscuritatis et periculi simul moneant, nisi rationem in his mysteriis cæcam fides ducat. Ea namque ratione S. Dionysius, *ineffabilem Jesu in carne apparitionem* appellat; Cyrillus Alexandrinus, *ænigma sacratissimum, quod summa potius veneratione suscipiendum est, quam humani judicii trutinæ subjiciendum:* Damascenus, *novum novorum, et solum sub sole novum:* Augustinus, *mirabilem mixturam:* Gregorius, *cardinem et verticem omnium miraculorum:* denique S. Bernardus, *mixturam singulariter mirabilem, et mirabiliter singularem:* nam, ut subdit, *Tria opera, et tres mixturas fecit omnipotens illa Majestas in assumptione carnis nostræ, ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram; conjuncta quippe fuerunt invicem Deus et homo, Mater et Virgo, fides et cor humanum: admirabiles istæ mixturæ, et omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tamque divisa ab invicem, invicem potuerunt conjungi?* Hinc recte monebat S. Leo: *Cum ad intelligendum sacramentum Nativitatis Christi, qua de Matre Virgine est ortus, accedimus, abigatur procul terrenarum caligo rationum et ab illuminatæ fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat.* — Cæterum ut prælucente methodo, prævia que justa materiæ tam amplissimæ ac obscurissimæ distributione,

BQ
6836
.F8
v.2

aliquid lucis affulgeat, præsentem Tractatum, juxta servatum a nobis ordinem, tres in Disputationes totidem Articulis et Sectionibus divisas, distribuemus: quarum *Prima* referet existentiam, naturam, et causas Incarnationis; *Secunda* Christi Domini entitatem divinam et humanam, ejusque præcellentias, et operationes aperiet: *Tertia* denique supremam illius dignitatem, et debitum tam illi, quam Deiparæ Virgini, aliisque Sanctis cultum et honorem edocebit. — Verum *quoniam certum est*, inquit Sanct. Fulgentius, *pene omnes hæreticæ pravitatis errores hinc multipliciter subrepsisse, cum magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria, nonnulli aut non sicut est credunt, aut omnino non credunt:* nullum enim fuit totius Religionis mysterium, quod Diabolus variis hæreticorum erroribus acrius vel infuscare, vel penitus extinguere tentaverit: ideo non ingratum fore arbitror studioso nostro Lectori, si in hujus operis limine, Incarnati Verbi mysterio inimica dogmata, et in ipsum pugnantia hæresum varia monstra sigillatim exponam: nam, ut belle annotat S. Augustinus, *Multa ad Fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius prædicantur, et ab adversario mota quæstio discendi existit occasio.* Vel ut eleganter addit S. Gregorius, *cum graviora hostium prodiere certamina, tunc sunt profecto subtiliora sensuum spicula requisita, tunc argumentorum obstacula, tunc perplexior indago verborum.*

QUÆSTIO PROŒMIALIS.

QUOT, ET QUÆ FUERINT HÆRETICORUM ERRONEA DOGMATA CIRCA INCARNATI VERBI MYSTERIUM.

Cum Incarnati Verbi mysterium inter cætera divina opera maxime humanam rationem transcendat, nihil enim mirabilius cogitari potest, quam quod, ut Ecclesia profitetur in Symbolo sancti Athanasii, *Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est: Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, et homo ex substantia Matris in sæculo natus: perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens; æqualis Patri secundum divinitatem: minor Patre secundum humanitatem;* quare nihil mirum si circa tam ineffabile, tamque humanæ menti impervium mysterium, pluribus longe modis erratum fuerit, quam circa quemlibet alterum ex nostræ fidei Articulis. Nam, ut missos faciam Gentiles, qui impossibile judicarunt Deum hominem fieri, necnon et perfidos Judæos, qui Christum merum esse hominem crediderunt; imo etiam, ut hominem infimum ac deterrimum, ignominiosa nece sustulerunt, vix numerari ac recenseri possunt varia hæreticorum impia dogmata circa Incarnati Verbi assertionem. Nihilominus, ut eos errores ad certum ordinem perstringamus, triplicem in classem distribuemus: quarum *Prima* aperiet principes Hæresiarchas qui Christi Domini divinitatem impugnarunt: *Secunda* referet eos omnes, qui circa ejus humanitatem erraverunt. *Tertia* denique varios ac multiplices referet errores eorum omnium

qui utriusque, divinitatis et humanitatis unionem negaverunt, vel adulterare, et obscurare tentaverunt. *Quidam* enim, ut scribit sanctus Leo Papa Sermone decimo *De Nativitate,* cap. 2. ex *documentis Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quæ eum verum hominis filium demonstrabant, nihil ipsum amplius, quam hominis filium crediderunt, non putantes illi adscribendam esse divinitatem, quem, et primordia infantiæ, et incrementa corporea, et passionum usque ad crucem, mortemque conditio, non dissimilem cæteris mortalibus approbassent.* — Cæterum hac in texenda Hæresum ac Hæresiarcharum in Incarnationem divini Verbi militantium serie, ne quid ex proprio cerebro confictum proferre videar, Lectorem monitum volui, omnia quæ narraturus sum, ex SS. Patribus illorum errorum expugnatoribus, et antiquioribus Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus esse deprompta, ac testimonio roborata: quamquam, ut cuique meritas ac debitas grates et laudes rependam, non denegem me plurima debere Baronio, Petavio, aliisque modernis Annalistis, et Theologiæ Professoribus, qui suis doctissimis studiis et scriptis, nobis in hac texenda Hæresum Enciclopædia, imo et in difficillimo hoc Tractatu elucubrando in suppetias venere.

Prima Classis Hæreticorum — *Qui Christi Domini Divinitatem impugnaverunt.* — Tredecim circiter apud Antiquos celebrantur nefandi illius erroris Assertores et Artifices: quorum impium agmen duxit *Carpocrates*, qui ipsis Apostolorum temporibus, ut recenset Irenæus lib. 1. cap. 1. præcipuus fuit Gnosticorum auctor, perinde, ac Simon ille Samarites magus et fornicarius, qui affirmabat, inter cætera, *Jesum ex Josephi et Mariæ conjugio cæterorum more progenitum esse, in quem post Baptismum Christus illapsus est; ac talem animam accepisse dicebat, quæ sciret ea, quæ superna essent, atque nuntiaret:* ut docent Tertullianus lib. *De Anima* cap. 25. *Epiphanius,* lib. 1. *De Hæresibus* cap. 5. et Augustinus ibidem cap. 7.

Cerinthus Carpocratis discipulus, nihil ab impio præceptore dissentiebat; cum eo siquidem affirmabat descendisse Christum, hoc est Spiritum sanctum, in Jesum ad Jordanem in columbæ specie, ac postquam passus est Jesus, Christum revolasse sursum, Jesum autem resurrexisse. Ita referunt Irenæus, lib. 2. cap. 3. *Epiphanius,* hær. 28. At Augustinus, lib. *De Hær.* cap. 8. ait Cerinthum asseverasse non resurrexisse Jesum, sed resurrecturum esse. Porro iidem auctores testantur ipsum Cerinthum unum fuisse ex illis, qui commoverunt multitudinem credentium adversus Petrum, eo quod ad baptizandum Cornelium ingressus esset ad viros præputium habentes: hunc que præterea esse, qui sub Apostolis quæstionem illam movit de Circumcisione ac cæteris Judæorum adhibendis cæremoniis; ad quam disceptandam primum Hierosolymis Concilium habitum est, ut legimus *Act.* 15. Quæ si vera sint, oportet ipsum antiquiorem esse Carpocrate, quem sub Adriano collocat Theodoretus, qui in Ægypto Cerinthum diu versatum esse refert, ibique Philosophiæ operam dedisse, atque in Asiam transisse postea; unde illud memorabile narrat Irenæus lib. 3. cap. quod cum sanctus Joannes Evangelista ad balneum venisset, animadvertens ibi accessisse Cerinthum statim inde exiit; *ne balneum,* inquit, *subito cadens nos cum Cerintho opprimat.*

Ebion, a quo *Ebionitæ*, Cerinthi discipulus, cum secta Samaritanus esset, Judæus haberi maluit, idcirco Legem Mosayeam, ac ritus Judaicos cum Christiana professione conjunxit, et Evangeliis cæteris abjectis, solum illud suscipiunt Ebionitæ, quod est secundum Matthæum: Apostolum vero Paulum recusant, apostatam eum legis dicentes, ut referunt Irenæus cap. 26. et Epiphanius hær. 30. qui pariter probant Ebionem putasse Christum de Josephi ac Mariæ consortio esse genitum: quamquam Origenes lib. 2. *Contra Celsum*, cap. 3. dicat duo esse Ebionitarum genera; quorum aliqui Christum ex Virgine natum fatentur; alii vero ipsum communi cum cæteris statu procreatum. Hoc autem pessimum dogma sancto Joanne Evangelista adhuc vivo emersisse, testis est S. Hieronymus, lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 19. ubi scribit de S. Joanne: *Novissimus omnium scripsit Evangelium adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse.* Quod antea dixerat Tertullianus lib. *De Carne Christi* cap. 14. *Poterit*, inquit, *hæc opinio Ebioni convenire, qui nudum hominem, et tantum ex semine David natum, non item Dei filium constituit Jesum.* Hinc apprime notat Eusebius lib. 3. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 21. ejus sectatores merito dictos *Ebioneos*, hoc est *mentis et intelligentiæ impotes;* Ebion enim lingua Hebraica pauperem et egentem significat; quippe qui de Christo, ejusque doctrina tenuiter et abjecte statuerent ac opinarentur.

Elxai, Judæus quidam impostor et Pseudo-propheta, sectam mediam Judæos inter, et Christianos instituit ad annum 249. Scripsit autem librum, quem tamquam propheticum mire sectatores ejus venerati sunt; quem e cœlo delapsum esse finxerunt: quo in libro Christum magnum esse regem prædicabat, sed eum nihilominus esse puram creaturam dicebat; ab initio quidem creatam, sed quæ ut diversis temporibus varie appareret, varias induerat formas. Erat enim virtus quædam cælestis, cujus soror est Spiritus sanctus, qui cum ipso Christo illapsus est in Jesum ex Maria et Joseph genitum. Ita Epiphanius hær. 19. — His affinis fuit *Helxesæorum* hæresis; cujus parentem agnoscit Theodoretus lib. 2. cap. 4. Alcibiadem Apamœensem. Narrat autem cap. 4. hanc hæresim ab origine statim repressam et extinctam, restauratam fuisse per Artemonem, sive Artemam, qui Jesum Christum merum esse hominem asseruit, ex Virgine procreatum, et Prophetis excellentiorem; idque Apostolos docuisse quidem, sed eorum successores, eumdem pro Deo veneratos esse.

Circa finem secundi sæculi erupit impium *Theodotianorum* dogma, auctore *Theodoto*, patria Bisantino, arte coriario, litteris apprime erudito, qui in persecutione comprehensus cum fidem ejurasset, pudore affectus Romam se contulit, ubi cum nec latere potuisset, nec ferre ignominiam et reprehensionem suæ perfidiæ, quo eam elevaret, prædicare instituit Christum non esse Deum, sed nudum hominem, ac cæterorum more genitum. Ita Tertullianus lib. *De præscr.* et August. hær. 33. ubi cum Theodotionem appellat, forte ut perfectius eum distinguat a Theodoto argentario, vel trapezita, qui et ipse, inquit Tertullianus hæresi 55. introduxit alteram Sectam, et ipsum hominem Christum tantummodo dicit, ex Spiritu sancto, et Virgine Maria

conceptum pariter, et natum, sed hunc inferiorem esse, quam Melchisedech.

Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus ad *Annum* 265. Judæorum, et Ebionitarum hæresim instauravit; qui cum unicam in Deo personam esse diceret, duplexque Verbum distingueret: aliud æternum, quod eadem esset cum Patre persona; et aliud prolativum, quod quasi aërem quemdam asseverabat; hinc docebat Christum hominem justum, non Deum verum esse, quem nihilominus Deum appellabat. Sic enim de eo scribit S. Athanasius in libro *De salutari adventu*, *Paulus*, inquit, *Deum ex Virgine confitetur, Deum Nazarethi in lucem editum, et inde existendi primordium, Regnique consecutum. Verbum tamen efficax e cælo, et sapientiam in eodem agnoscit, ac prædestinatione quidem ante sæcula fuisse putat, sed Nazarethi primum extare cœpisse, ut unus, inquit, sit Deus Pater.* Non tamen existimabat Christum fuisse Deum simul atque est editus, sed ex profectu virtutis Deum esse factum, ut idem refert Athanasius, Oratione quarta contra Arianos. Adversus illius impium dogma celebratæ sunt duæ Synodi Antiochiæ. Prima quidem circa annum 265. cui interfuit Firmilianus Episcopus Cæsareæ, Gregorius Neocæsareæ, et plures alii sanctissimi Patres: non potuit autem adesse Dionysius Alexandrinus ætatem et valetudinem excusans, at vice sua Epistolam misit, qua fidem suam de Christi divinitate exposuit. Idem antea Paulum ipsum alia epistola redarguerat; cui vicissim hæreticus iste rescripsit, ac decem pro nefaria opinione sua capita proposuit adversus Christi divinitatem; quibus Dionysius exiguo libello respondit, qui extat Tomo secundo *Bibliothecæ Patrum*. Interim coram Episcopis Antiochiæ congregatis comparere coactus Paulus, eorum sedulitatem frustratus est, pollicendo se priorem sententiam revocaturum, ac subdole Catholicum dogma præ se ferens, lusit Patrum existimationem, qui eum revera conversum existimantes Antiochia discesserunt. Sed cum postea hæresis patrocinium majore fiducia resumpsisset, iterum Antiochiam conveniunt Episcopi n. 70. ut affirmat S. Athanasius in libro *De Synodis;* vel 180. ut refertur in libello supplici, quem Basilius Diaconus in Concilio Ephesino contra Nestorium obtulit: a quibus ipse Paulus citatus, et hæresis convictus industria Malchionis Presbyteri, viri eruditi, et acerrimi disputatoris, de sede sua dejectus est. Sed cum cedere nollet, interpellatus a Christianis Præsulibus Imperator Aurelianus, vi illum expelli jussit.

Eodem ferme tempore erupit impium *Sabellianorum* dogma auctore *Sabellio;* qui cum unicam in Deitate personam agnosceret, etiam negabat Verbum divinum incarnatum fuisse, sed volebat unicam in Deo personam homini fuisse intime conjunctam; seu, ut narrat Ferrandus Diaconus in Epistola ad Severum, quæ extat Tomo 3. Bibliothecæ Patrum dicens: *Illos veritas confutavit hæreticos, qui sic unum Deum Trinitatem dicere voluerunt, ut quem Patrem fatebantur, ipsum sibi Filium, ipsum fingerent Spiritum sanctum, Deum scilicet, qui manens in cœlestibus, creaturæ totius Pater fuit, ut protensus in Virginem etiam nascendo inter homines Filius fieret; rursusque dispensationis humanæ consummato mysterio, super Apostolos in linguis igneis veniens Spiritus sanctus vocaretur. Hoc errore compulsi non solum Vi-*

lium Dei Patris, sed Patrem credere Crucifixum. Unde etiam *Patripassianos* appellari vetustas ostendit. Hinc Epiphanius hæresi 62. refert illos hæreticos hac similitudine suum impium dogma declarasse, dicendo Deum esse velut solem, cujus una est hypostasis, in qua tria discernuntur: illuminandi vis, nec non calefaciendi, et orbis, seu globus: sic in una, et singulari persona Dei dicebant Patrem appellari formam totius hypostasis; Filium vero vim esse quamdam illuminandi, Spiritum vero sanctum velut ardorem, et fovendi ac calefaciendi insitam facultatem: unde de Christo pronuntiarunt, ipsum esse emissum Filium; hoc est radium divinitatis, qui omnia illa perfecit, quæ ad illustrandas hominum mentes lumine, ac veritate Evangelica spectabant.

Sabelli fautor, imitatorque fuit *Marcellus Ancyranus:* qui dum Arianos vehementius insectatur, et unitatem divinæ substantiæ adversus eos acerrime propugnat, in contrarium est lapsus errorem, et eamdem unitatem, ad hypostases ipsas, personasque transtulit. Hinc, ut refert Eusebius Cæsariensis, qui quinque libris eum impugnavit, dicebat Verbum esse expers propriæ subsistentiæ, ac nonnisi imperantem Sermonem in carnem subiisse, in eaque operatum esse: tunc que Christum extitisse, ac Jesum, et Regem, et imaginem Dei. Quod confirmat Theodoretus lib. 2. cap. 10. dicens, *excogitatam esse extensionem quamdam ab illo Paternæ Deitatis, talemque Sermonem esse, qui in Christum illapsus est: quique peracta omni functione ad Deum reductus et contractus est, a quo extensus fuerat.* Addebatque post occasum mundi, ac Judicium Sermonem a carne discessurum, et ad Patrem rediturum esse: ita ut sola Verbo destituta caro relinquatur.

Marcelli discipulus fuit *Photinus* Sirmii Episcopus, qui disertus, ac disputandi facultate peritus, circa annum 337. Pauli Samosateni, ut Marcellus, dogma instauravit; ita ut Paulianistæ demum appellati fuerint Photiniani. In Concilio Sardicensi damnatus fuit, sed latæ sententiæ non acquiescens, Constantium Imperatorem adiit, petiitque Judices, a quibus denuo audiretur: cui cum annuisset Imperator, delegavit ipsi Episcopos Semiarianos, qui Sirmii convenientes ipsum denuo damnaverunt, et sede sua dejecerunt: ut ea ratione Judices illi Catholici apparerent, quatenus damnarent hominem, qui negabat Filium Dei ante Mariam extitisse. At illorum dolum brevi detexit Lucifer Calaritanus lib. *De non parcendo delinquentibus in Deum*, ubi Constantium Semiarianum Photini Judicem et damnatorem sic interpellat: *Ecce Photinus hominem tantum profitetur Dei Filium: dicit illum non fuisse ante beatissimam Mariam: tua quoque hæc est professio, quod nimirum ante omnia quidem, hoc est ante cœlum, terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, Filius Dei: sed quod extiterit ex nihilo, sed quod sit creatura, quid interesse arbitraris inter te, et Paulum Samosatenum, vel eum tuum ejus discipulum tuum Comphotinum, nisi quia tu ante omnia dicis, ille vero post omnia? Cæterum una vobis credulitatis, et incredulitatis mens est, ut dicatis non habere Deum verum Filium.*

Secunda Classis Hæreticorum — *Eorum scilicet, qui circa Christi Domini humanitatem erravernnt.* — Cum in homine duo sint, quibus constat et ex integro constituitur; corpus videlicet humanum et anima

rationalis, quæ invicem communi quodam vinculo sociantur, ex quorum unione sequitur hominem varias habere facultates, tum ex anima, tum ex corpore promanantes, inde circa humanitatem Christi Domini varie erratum est ab hæreticis; quorum errores, ut clarius et distinctius appareant, proferemus primum eos, qui nefaria quædam dogmata circa Christi Domini corpus venditarunt.

Errores circa Corpus Christi Domini. — Hic non refero eos omnes errores, qui ludicram, et fictam, ac specie tenus adumbratam fuisse Incarnationem defendebant. Inter quos præcipuus, et omnium antesignanus videtur Simon Magus: qui, ut refert S. Irenæus lib. 7. cap. 20. a multis quasi Deus glorificatus, docuit semetipsum esse, qui inter Judæos quidem quasi Filius apparuerit; in Samaria autem quasi Pater descenderit; in reliquis vero Gentibus quasi Spiritus sanctus adventaverit. Unde consequens erat, ut Incarnationem negaret, et carnem non revera, sed sola specie a Deo susceptam assereret. Sed his prætermissis, eorum dumtaxat mentionem facio, qui veram Christi carnem negabant; quorum primus prodit

Saturnilus, vel ut volunt aliqui, *Saturninus*, ejusdem Simonis discipulus, qui Simonis propagavit hæresim, atque inter cætera docuit Christum revera natum non fuisse, sed putative tantum hominem, ut ait Irenæus lib. 1. cap. 22. vel *in phantasmate tantum venisse*, ut docet Tertull. *De præscriptionibus*, cap. 46. cujus condiscipulus *Basilides* ei in omnibus adhæsit, docens Christum fuisse phantasma, ac revera neutiquam passum, sed pro eo Simonem illum Cyræneum, cui cum Judæi Christi crucem imposuissent, hunc Jesus in suam commutavit figuram, et ejus vicissim propriam induit, atque ita Judæorum lusit, irrisitque conatum. Hinc negabat pro Christo martyrium subeundum esse, eo quod non ille mortem perpessus esset, ut referunt, præter Irenæum, Clemens Alexandrinus lib. 4. *Stromatum*, et alii plurimi.

Sub idem tempus idem nefarium dogma docuit *Valentinus:* qui, ut observat Eusebius lib. 4. *Historiæ*, cap. 10. viguit sub Pio, hoc est anno Christi 158. et permansit usque ad Anicetum, nempe ad annum 167; qui inter cætera deliria docuit, Christum a Patre ad totius mundi salutem demissum, habuisse corpus, non terrenum, sed cæleste, ac per Mariam Virginem velut aquam per canalem transiisse, nec ex ejus utero quicquam sumpsisse, ut scribit Epiphanius hæresi 31. Addit quoque Tertullianus contra Valentinianos c. 15. ipsum Christo spirituale dedisse corpus, idque veluti aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem.

Valentino annumerandi sunt plures alii, qui non minus insane, quam inepte de Christi Domini vero corpore senserunt. Præ cæteris vero eminent *Cerdoniani* a Cerdone, qui primus duos dixisse Deos fertur; unum bonum, alterum malum. *Hic*, inquit Tertull. lib. *De Præscriptionibus*, cap. 51. *introducit initia duo, idest duos Deos; unum bonum, alterum sævum: bonum superiorem, sævum hunc mundi Creatorem. Hic Prophetias, et Legem repudiat, Deo creatori renunciat, superioris Filium Christum venisse tractat: hunc in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronunciat, nec omnino passum, sed quasi passum; nec ex Virgine natum, sed omnino nec natum.*

Cerdonis discipulus, et pessimi dogmatis imitator ac disseminator

fuit *Marcion*, qui, inquit Tertull. lib. *De Carne Christi, Christi negavit nativitatem, et ut nativitatem negaret, negavit et carnem.* Et ut addit lib. *contra Marcionem*, cap. 5. *duos Christos constituit: alterum qui Tiberianis temporibus a Deo quodam ignoto revelatus sit in salutem omnium Gentium: alterum qui Deo Creatore (hoc est malo) in restitutionem Judaici status sit destinatus quandoque venturus. Inter hos diversitatem, et magnam differentiam scindit, quantum inter justum et bonum; quantum inter legem et Evangelium, quantum inter Judaismum et Christianismum.*

Sequitur omnium pessimus ac pestilentissimus *Manes*, sive Manichæus; Magister falsitatis diabolicæ, et conditor superstitionis obscenæ, inquit sanctus Leo serm. 2. *De Pentecoste:* cujus discipuli, ait S. Aug. *De hæresibus*, c. 46. *Christum affirmabant fuisse, quem dicit nostra Scriptura serpentem, a quo illuminatos primos Parentes asserant, ut cognitionis oculos aperirent, et bonum malumque dignoscerent, eumque Christum novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora, liberandas; nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse: ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur.* Huic, ut ait Tertull. *De Præscriptionibus*, cap. 51. adscribendus est *Appelles* ejus discipulus, qui Christum neque in phantasmate dicit fuisse sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet: sed in eo, quod e superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem, et aeream contexuisse: hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse: et sic dispersis quibusque corporis sui partibus in cælo spiritum tantum constituisse. Non refero omnes alios hæreticos; puta *Priscillianistas*, et alios similes, qui, inquit S. Leo epist. 93. *Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quamdam illusionem ostentata videri volunt, quæ vera non fuerint; sequentes dogma Cerdonis, atque Marcionis, et cognatis suis Manichæis per omnia concordantes.* Nec Phanaticos illos Arianos, qui Patripassionorum dogma renovantes, inquit sanctus Fulgentius lib. *contra Sermonem Fastidiosi*, cap. 11. *Eos sua perversitas consequens ad hanc absurditatem præcipitat, ut nativitatem quidem divinam nullatenus credant: naturam vero secundum carnem, nihilominus passionem et mortem, resurrectionem quoque ab inferis, et Ascensionem in cælum, et omnia illa, quæ in Sacramento Incarnationis ad personam unius Filii pertinent, Patri consequenter adsignent.* Nec denique *Gajanitas*, qui, ut scribit Leontius Scholasticus actione 10. lib. *De Sectis*, confitentur Deum Verbum e Virgine naturam humanam sumpsisse perfecte et vere, sed post unionem esse corpus incorruptibile dicunt.

Errores circa Animam Christi. — Prodeunt imprimis *Ariani:* Arius namque, ut observat Manuel Caleca, assumptam cum carne animam a Christo, ante Incarnationem existere, atque e cælo venisse credidit: siquidem animarum et ipse corporibus anteriorem extantiam ponebat: vel ut observat S. August. de quibusdam Arianis, Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur: quod verum esse Epiphanius non tacuit. *Et ego,* inquit, *ex eorum quibusdam scriptis, et collocutionibus certissime comperi.*

Quibus in errore successerunt *Apollinaristæ*, affirmantes Deum Christum carnem sine anima suscepisse; docente ac dicente Apollinari hæresiarca, qui vir erat insignis doctrinæ, et antequam in hæresim laberetur, pietate ac virtute illustris, ipsique Epiphanio et Athanasio ac Catholicis omnibus longe charissimus: *Non enim*, inquit de eo Epiphanius hæresi 77. *mediocrem litterarum scientiam fuerat vir ille consecutus: cum et humanioribus, Græcisque disciplinis esset exultus, et Dialecticam ac Sophisticam omnem imprimis calleret: esset idem porro præcipua gravitate præditus: et cum fidei Catholicæ propugnatoribus summa charitate conjunctus, antequam in illud dogma laberetur: quin etiam exilium perpessus est idem, quod cum Arianis convenire nollet.* Tanta erat ejus eruditio, ut de eo scribat S. Hier. lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 14. *Innumerabilia scripsit volumina, et ejus adversus Porphyrium triginta Libri inter cætera ejus Opera maxime probantur.*

Erroris illius, hæresisque capita varia ac multiplicia afferuntur; sed quantum spectat ad Incarnationis mysterium tripliciter aberravit. *Primo* namque censuit naturam hominis in Christo esse semi-plenam, hoc est anima carentem, cujus vicem supplebat corpori Verbum ipsum caro factum. Nam, inquit Socrates, lib. 2. cap. ultimo, *Apollinares ambo animam a Deo Verbo in dispensatione Incarnationis non assumptam: deinde quasi pœnitentia ducti, corrigentes semetipsos adjecerunt, animam quidem assumptam, quæ tamen non haberet mentem, sed Deum Verbum esse pro mente in hominem assumptum.* Quæ sententia fuit *secundus* illius error; ita quod sentiret animam quidem a Verbo assumptam esse ea parte, qua vegetamur ac sentimus et communia cæteris animantibus officia præstamus; non autem ea parte, qua rationalis est. Unde Augustinus Tractatu 47. in Joannem sic in eos declamat: *Videte absurditatem, et insaniam non ferendam. Animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt: dederunt ei animam pecoris, substraxerunt animam hominis. Tertius* denique error ejus fuit, quod carnem Christi dissimilem, nec de Beatæ Virginis carne sumptam arbitratus est; sed partem ipsius substantiæ Dei in carnem esse conversam, e cæloque delapsam. Hinc Athanasius in Epistola ad Epictetum sic adversus nefarium illud dogma exclamat: *Undenam*, inquit, *ista prodierunt? quinam porro inferi illud eructarunt, consubstantiale Deitati corpus esse, quod ex Maria genitum est, aut Verbum ipsum in carnem, ossa, capillos, totamque adeo corpus esse conversum, et suapte natura mutatum?* etc. Magis vero ad stuporem insanum fuit, quod, ut refert Nazianzenus, Oratione 46. affirmavit Apollinaris, neutiquam adventitiam esse carnem, quam ad instaurandam naturam nostram unigenitus Filius secundum dispensationem assumpsit: verum jam tum a principio carnalem illam naturam esse in Filio. Quod quidem impium commentum probabat ex illo Joann. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis.*

Ex illis nefandis erroribus alius ex consequenti ab eis hæreticis asserebatur; nempe Divinitatem Christi passam fuisse et mortuam, ut tacito Apollinistarum nomine refert S. Ambrosius in lib. *De Incarnatione Christi*, cap. 6. *Sunt qui in tantum impietatis prodierint*, inquit, *ut putent, quia Divinitas Domini circumcisa est, et imperfecta de per-*

fecta facta est, et in ligno non caro, sed illa operatrix omnium substantia divina in carnis specie coagulata pendebat. Quis autem non horrescat? quis audiat, quia non ex Maria Virgine, sed ex divina substantia passibilem sibi carnem fecerit Verbum? Quod asserendo eo prolabuntur, ut non ex tempore corpus Domini esse susceptum, sed cœternum Dei Verbo semper fuisse contendant. Horum omnium auctores sunt, qui Divinitatem, et carnem Domini unius naturæ fuisse dixerunt.

Errores circa facultates Animæ Christi. — Certum est Apollinaristas, de quibus mox dictum est, errasse circa intellectum humanum Christi Domini; utpote qui affirmarent Animam in Christo propria caruisse mente ac intelligendi virtute; cujus vicem supplebat Divinitas Verbi, quæ mens longe est potior, quam humanus intèllectus. Quam utique opinionem expresserat Apollinaris ex Platonica Philosophia, ut testis est Nemesius, initio libri, quem de Natura hominis inscripsit. *Quidam enim,* ait, *e quibus est Plotinus, aliud esse animam, et aliud mentem statuentes, ex tribus constare volunt hominem, e corpore, anima, et mente. Hos secutus est Apollinaris Laodiceæ Episcopus: hoc enim jacto fundamento sententiæ suæ, reliqua dogmati suo consentanea superstruxit.*

Errarunt etiam Agnoitæ circa annum Christi 535. sic dicti ab ignoratione, eo quod ignorantiam Christi Domini intellectui attribuerint. De quibus Leontius Scholasticus lib. *De Sectis*, Actione 5. hæc refert: *Cum privatus Bizantii Theodosius degeret, Agnoitarum, sic ab ignoratione dictorum, dogma motum fuit. Nam quia Dominus ait neminem horam Judicii scire, ne Filium quidem, extra solum Patrem, quæsitum est, an Christus eam ignoraret, ut homo: Theodosius Christum ignorare negabat, et adversus Agnoitas scripsit. Alii vero horam Christum ignorare tradebant, quemadmodum ipsum sensisse dolorem diximus. Inde dirulsi sunt a Theodosio, qui Agnoitæ vocantur, cumque sibi peculiarem fecissent Ecclesiam, seorsum communicabant:* et rursus: *Ajunt per omnia nobis Christum assimilari: quod si nos ignoremus, et ipsum ignorasse.* Eorum etiam meminit sanctus Joannes Damascenus lib. *De hæresibus*, qui observat eos etiam dictos fuisse Themistianos a Themistio, qui ex secta Theodosianorum fuerat. Quem pridem sepultum errorem denuo excitavit Lutherus: multa namque ignorasse Christum ut hominem, docuit in Concione de Natali Domini, explicans illum locum Marci 13. *De die autem illa*, etc. Et Homil. 1. Dominicæ post Epiph. ad hæc verba, *Proficiebat sapientia, et ætate.*

Errores circa Voluntatem Christi. — Missos facio Apollinaristas, qui eo ipso quod in Christo Domino negabant animam rationalem, etiam voluntatem humanam ei adimebant; necnon et Arianos eodem principio nixos; ac Eutychianos, de quibus infra. Nam ex eo quod unicam in Christo Domino naturam stabilirent, in quam volebant humanam esse conversam, consequenter unicam voluntatem in ipso agnoscebant. Profero tantum eos, qui bene sentientes de duplici natura, divina scilicet et humana Christi Domini, in hypostasi Verbi divini conjunctis: unicam tamen voluntatem divinam in illo esse, humanam autem nullam sustinuerunt.

Prodeunt imprimis *Monothelitæ:* cujus hæresis hac occasione ini-

tium datum esse circa annum Christi 633. Theophanes, Cedrenus, aliique passim Annales Græci perhibent; ut narrant Baronius et Petavius. Nam cum Heraclius Imperator, confecto bello Persico, Orientem peragrans, Hierapolim venisset, eum adiit Athanasius quidam Patriarcha Jacobitarum, qui Secta erant Eutychiani; cui cum Imperator dixisset illum instituturum Patriarcham Antiochenum, si Concilium Chalcedonense approbaret, duasque in Christo naturas confitens, Eutychianum dogma ejuraret, hac spe illectus Athanasius duas in Christo naturas profiteri cœpit: tum quæstionem non ita pridem a Theodoro Pharanita agitatam vicissim Imperatori proposuit de voluntate et actione Christi duplicemne credere oporteret, an unicam. Ad quam interrogationem hæsitans Imperator, Sergium Patriarcham Constantinopolitanum per litteras consuluit, qui cum et ipse Syrus, ac Jacobitis ortus parentibus, atque ejusdem clanculum defensor hæresis, quæ unam in Christo naturam, adeoque voluntatem et actionem unam agnoscebat, consentaneum errori suo responsum dedit: quod cum accepisset Imperator, easque Cyro Phasidis Episcopo, et paulo post Patriarcha Alexandrino communicasset, cum Cyrus ipse simili labe ac hæresi esset infectus, ex tunc communicatis consiliis duo illi Patriarchæ, nempe Sergius Constantinopolitanus, et Cyrus Alexandrinus, una cum Machario Patriarcha Antiocheno, robur et vires dederunt huic hæresi; maxime vero Cyrus, qui initio suæ ad Patriarchatum Alexandrinum promotionis, prætextu reducendorum ad Ecclesiam Theodosianorum hæreticorum, et Acephalorum, quorum ingens erat in illa urbe numerus, Synodum congregavit; in qua novem Capita cum anathematismis palam exposuit: quorum septimum erat, unam in Christo Theandricam, seu Deivirilem esse operationem. Extant autem illa Capita in actione 13. sextæ Synodi.

Florebat tunc Alexandriæ Sophronius Monachus, vir singularis pietatis ac doctrinæ, qui cum probe cognosceret dolos ac fallacias pacis involucro tectas, apud Cyrum vehementer institit, ut septimum illud Capitulum rescinderet, quod utique obtinere non potuit. Quapropter Constantinopolim ad Sergium Patriarcham profectus est, ut illius opem adversus suborientem hæresim imploraret; verum cum eadem labe infectus esset Sergius, nec tamen, ut erat vir astutus, adhuc suum errorem propalare vellet, cum ipso Sophronio convenit, supprimendam esse mentionem unius, aut duarum voluntatum, ut videre est in Epistola ipsius Sergii ad Honorium Summum Pontificem: ubi inter cætera hæc habet: *Ad ultimum stetit, et placuit, quatenus prædictus Sophronius venerabilis, nullum sermonem de cætero, de una sive duabus operationibus movere debeat, sed ei sufficiat præfata, cautaque, ac trita sanctorum Patrum traditio, atque doctrina*, etc. — Verum cum ipse Sophronius paulo post Hierosolymorum factus esset Episcopus, celebrata Synodo, duas in Christo operationes ac voluntates admittendas esse decrevit, ut constat ex illa Epistola, quam scripsit ad Sergium, quæ lecta est et approbata in sexta Synodo Œcumenica; quin etiam Romam ad Honorium Summum Pontificem litteras misit per Stephanum Dorensem Episcopum, quibus de nova Monothelitarum hæresi eum certiorem facit, et paulo post obiit. — Scripsit ad eumdem Honorium Sergius eodem anno, de controversia inter Cyrum, et So-

phronium, non sine maligna interpretatione mentis eorum, et sententiæ, qui duas operationes asserebant; tamquam inde consequens esset, duas esse voluntates contrarias et confligentes invicem: quare consultius videri sibi, ut nec una, nec duæ operationes in Christo nominarentur, sed unus dumtaxat operans. Ad quæ respondens Honorius, illud Sergii consilium probavit, retinendæ concordiæ gratia, alioqui non duas esse voluntates professus in Christo contrarias inter se, sed unam tantummodo, ut pugnam illam ac discordiam voluntatum intercluderet. — Moritur post hæc Honorius Papa, cui successit Severinus, cujus ordinatio dilata est, quod nondum ab Imperatore, uti mos erat, rata esset habita illius electio; sicque Romana sedes diu vacavit. Interim cum Monothelitarum factio in dies vires acciperet, ac suum virus effunderet, Heraclius Imperator, auctore Sergio, fidei *Ecthesim*, sive expositionem promulgavit; qua unicam in Christo voluntatem asseveravit quidem, sed quasi aliud agendo; cum diserte ac palam constitueret, ne quis tam unam, quam duas operationes et voluntates in Christo nominaret. Quam utique Ecthesim habita Synodo Constantinopoli probavit Sergius, ac publice proposuit, eodemque anno mortuus est, inque illius locum subrogatus est Pyrrhus, ejusdem cum Sergio particeps hæresis; apud quem Joannes Quartus, qui Severino Pontifici mortuo successerat, institit, ut Ecthesis illa publicis in locis affixa detraheretur ac damnaretur; quod cum obtinere non potuisset, coacto Romæ Concilio, Monothelitas damnavit. Hoc cum rescisset Imperator Heraclius, Epistola ad Joannem Pontificem professus est non se auctorem fuisse illius Ecthesis, sed Sergium, qui illam composuerat, rogaveratque, ut illi subscriberet, suoque nomine promulgari juberet. — Biennio post promulgatam Ecthesim obiit Heraclius, cui successit Constantinus ejus Filius Princeps Catholicus: at ipso post menses quatuor mortuo, non sine veneni suspicione ab noverca Martina dati, cujus consilii particeps Pyrrhus ferebatur, imperavit alter Heraclius, sive Heracleonas cum Martina matre, sed illis exilio damnatis, et naribus Heracleonæ, Martinæ lingua Senatus decreto resectis, eorum in locum suffectus est Imperator Heraclius alter Constantini filius, qui idcirco Constantinus, ac Constans a populo nominatus est, et potius avum, quam Patrem, æmulatus, Monothelitarum hæresim acerrime propugnavit. Interim Pyrrhus seditione populari ob Constantini necem exagitatus, Constantinopoli profugit, et in Africam sese recepit, ubi celebrem collationem habuit cum sancto Maximo Abbate viro religiosissimo et doctissimo in conventu Episcoporum, ac virorum nobilium; eoque res deducta est, ut Pyrrhus convictus erroris, veritati Catholicæ manus daret: quapropter Romam profectus, Theodoro Papæ, qui Joanni Quarto successerat, libellum obtulit, quo damnata hæresi sua Catholicæ fidei subscripsit, atque ita in communionem receptus est. Verum postea Constantis Imperatoris jussu Olympius Exarchus Ravennam excitum Pyrrhum ad resumendam professionem suam hæreticam adduxit; qua de causa Theodorus Pontifex, Pyrrhum deposuit et anathemate damnavit, eamdemque sententiam tulit in Paulum, qui suffectus fuerat in locum Pyrrhi. Suadente autem ipso Paulo, Constans Imperator Edictum promulgavit, quem *Typum* vocant, in quo ad sanciendam concordiam prohibuit, ne quis tam unam,

quam duas in Christo voluntates usurparet. — Post obitum Theodori, Martinus primus ejus successor Romæ Lateranensem coegit Synodum Episcoporum 105. in qua Heraclii sive Sergii *Ecthesis*, et *Typus* Constantis, ac propterea Monothelitarum fautores, et dogmata damnantur. Quibus commotus Imperator Constans Martinum varie exagitavit, ut damnationem revocaret: at perseverans mittitur in exilium, ubi varias ærumnas passus martyrii coronam promeretur. Demum Constante Imperatore Syracusis in Sicilia per insidias occiso, Constantinus ejus filius cognomento *Pogonatus*, idest Barbarus, in Imperialem dignitatem successit, qui cum esset pius et Catholicus princeps, egit primum cum Dumno, deinde cum ejus successore Agathone de pace Ecclesiæ componenda, quapropter Concilium Generale celebratum est Constantinopoli; cui prætuerunt Legati sedis Apostolicæ, præsens adfuit Imperator, in quo auditis denuo Monothelitis, quorum signifer erat Macarius Antiochenus, decretum est duas in Christo voluntates, totidemque naturales actiones inesse. Inchoatum autem fuit Concilium anno 680, sequenti vero perfectum. — Controvertitur autem, an revera Monothelitæ asserent unicam esse in Christo voluntatem; an vero dumtaxat negaverint voluntatis humanæ operationem; ita quod duplex esset quidem in Christo voluntas; sola tamen divina suam operationem exerceret: tamen probabilius est illos unicam dumtaxat voluntatem, seu volitivam facultatem admisisse: nam imprimis supradicta Ecthesis, licet prima fronte expresse, nec unius dumtaxat, nec duarum voluntatum et operationum videatur meminisse, sed dumtaxat constituisset ne pacis imperturbandæ causa quis tam unam, quam duas operationes et voluntates nominaret in Christo; tamen exclusa operatione duplici, unicam voluntatem asserendam esse pronuntiat; quod ut appareat quædam ex ea profero. Nam post longam, et Catholicam explanationem Trinitatis et Incarnationis, *Nullo modo concedit alicui ex omnibus unam, vel duas dicere sive docere operationes in divina Domini Incarnatione: sed magis sicut sanctæ et universales tradiderunt Synodi, unum, eumdemque Filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum confiteri, operari divina et humana.* Addit subinde rationem, ob quam nec unam, nec duas patiatur operationes; *Eo quod*, inquit, *unius quidem operationis vox, licet ab aliquibus Patribus dicta est, tamen turbat, et extraneat quorumdam aures, arbitrantium in interitum eamdem prolatam esse duarum naturarum, quæ in una subsistentia unitæ sunt in Christo Deo nostro. Similiter autem, et duarum operationum vocem multos scandalizare, utpote a nemine dictam Sanctorum ac præcipuorum Patrum: sed et sequi in eo, ut duas confiteamur voluntates contrarie ad invicem venientes: Deo quidem Verbo volente saluberrimam Passionem explere, Incarnationem autem in eo factam obviam euntem ipsius voluntati, et oppugnantem, et exinde duo contraria volentes introduci: quod impium est, et extraneum Christianici dogmatis.* Postquam autem de operatione sic statuit, ut neutri parti præjudicare, sed utraque suppressa paci et concordiæ cavere videretur, mox de voluntate manifeste virus hæreticum exprimit, unam in Christo confitens; *Unde sanctos Patres*, inquit, *in omnibus, et in hoc sequentes, unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei confitemur.* Igitur Ecthesis hoc habet proprium, ut operationem

dici unam, duasve prohibeat: voluntatem vero unam aperte confiteatur. — *Probatur* insuper ex illa celebri disputatione sancti Maximi cum Pyrrho; in qua præsertim immoratur sanctissimus ille vir, ut probet quod, quia duæ naturæ sunt in Christo, convenienter unicuique apta est ut velit et operetur: item quod Christus habet voluntatem humanam, quia habet naturam humanam perfectam, naturæ autem sine suis proprietatibus perfectæ dici non possunt. Item quod Christus habuit voluntatem, quia habuit vim insitam ad tuendam suam humanitatem, unde subinfert: *Quid igitur absoni fecit Ecclesia Dei, si cum humanitate ejus, et natura creata, ea etiam quæ ab ipso in creatione eidem animæ indita sunt, sine quibus natura esse non potest, plane confitetur?* Denique idipsum testatur Martinus primus in allocutione, quam habuit ad Patres Synodi Lateranensis his verbis: *Et Cyrus quidem ante hos decem et octo annos unam operationem in Christo in eadem Alexandriæ urbe definiens, divinitatis ejus, et humanitatis ad similitudinem Acephalorum hæreticorum ordinando, capitula numero novem in ambone prædicans, cum anathemate, qui sic non saperet, impie promulgavit. Sergius autem per Epistolam propriam ad denominatum Cyrum scriptam, eamdem similiter unam operationem suscipiens, cum eo irrationabili præsumptione ausus est confirmare. Et non solum hoc, sed etiam post aliquot annos ejusdem Cyri novam adinventionem, hoc est per nuper duodecimam indictionem delapsam, hæreticam et ipse conscribens Ecthesim fidei, sub nomine tunc imperantis Heraclii, unam in eadem Salvatoris nostri, secundum impium Apollinarem, voluntatem et operationem instituit, ex hoc quod dicit imprudenter, sequi operationem voluntatem.*

Tertia Classis Hæreticorum. — *Circa unionem naturæ Divinæ cum humana in Christo.* — Inter omnes hæreticos, qui Divinæ naturæ cum humana in unitate personæ unionem impugnarunt, omnium nequissimi fuerunt Nestoriani, et Eutychiani; at diversa, et omnino opposita ratione; siquidem Eutychiani humanam naturam per Incarnationem in divinam traductam, et veluti transubstantiatam esse contendebant: Nestoriani vero e contra duas naturas simul, et personas in Christo distinctas asseverabant: hæc autem hæresis cum alteram tempore præcesserit, idcirco ab ea auspicandum esse duximus.

Nestoriani, dicti sunt a *Nestorio,* impio illo ac nefando architecto illius erroris, quem Suidas nepotem ac filium, hoc est, discipulum Pauli Samosateni, idest, illius damnati erroris instauratorem profert. Natus est Germaniciæ in Syria: at variis peragratis provinciis, ut scribit Theodoretus lib. 4. *De hæreticis,* c. 12. Antiochiæ tandem resedit ubi Sacerdotum numero adscriptus, liberalibus artibus mediocriter eruditus, exercendæ voci, quæ natura suavis et sonora illi inerat, primum maxime operam dabat: deinde quod cum sermone promptus ac disertus esset, docendique populi munus injunctum ei fuisset, non ingenuum, inquit Theodoretus Epistola ad Coradium, et fructuosum dicendi characterem imitatus est, qui hominum animos pascere possit, sed ad popularem auram declinando, et vanum populi applausum, ut quivis alius aucupando, instabile et abjectum vulgus ad sui desiderium concitavit. Accedebat affectata quædam sanctitatis species, quam et pulla vestis ostentabat, et vultus ad tristitiam, gra-

vitatemque compositus, et index inediæ ac mortificationis pallor : insuper populi frequentiam devitans domo se continebat, ubi inter libros nihil rerum mundialium curare visus, tranquillam quietamque vitam degebat ; quibus artibus, plerosque in sui admirationem et affectum concitabat : in eoque vivendi instituto, cum maximam vitæ partem insumpsisset, summamque sibi hac vivendi ratione apud omnes venerationem conciliasset, tandem contigit circa annum Christi 428. quod mortuo Sisinnio Constantinopolitano Episcopo in ejus locum selectus fuerit ; cum enim visum fuisset Imperatori externum potius, quam indigenam ad illam dignitatem promovere, judicavit ab ea urbe præsulem esse petendum, quæ tam felici successu Joannem antea dederat cognomento Chrysostomum. Venit ergo Constantinopolim an. 428. ordinatusque est Episcopus Aprilis die 10. summa omnium Catholicorum gratulatione, quod eum fidei defensorem acerrimum existimarent. Hinc S. Cyrillus statim atque renuntiatum illum Episcopum audivit, officii plenas ad eum litteras rescripsit, ut colligitur ex Epistola illius ad Theodosium Imperatorem. Quam de se existimationem, ut foveret Nestorius, vehemens in Catholicam religionem studium suum, et in hæreticos odium præ se tulit : quod utique maxime demonstravit in prima concione, quam habuit coram Imperatore Theodosio, in qua memorabilem hanc vocem, ut narrat Socrates, edidit: *Da mihi Imperator puram ab hæreticis terram, et ego tibi cœlum vicissim dabo, everte mecum hæreticos, et ego tecum Persas evertam.* Hujus itaque persuasione Theodosius Imperator sanctionem adversus hæreticos edidit : sed dum præclarum videbatur Catholicum facinus moliri, non solum clam favebat Pelagianis suis amicis ; nulla siquidem in ea sanctione fit Pelagianorum mentio ; sed etiam eo progressus fuit postmodum audaciæ, ut ipse novæ hæresis artifex appareret, Filium Dei negans revera incarnatum hominem factum, sive ex Maria Virgine secundum carnem genitum ; quapropter Virginem sacram non Θεοτόκον, hoc est *Deiparam* appellandam esse impurus homo negabat : proque nomine isto Χριστοτόκον hoc est, *Christiparam* usurpare volebat : ac propterea totus illius furor in eradendam voculam istam *Deiparam* exarsit, ut refert Theodoretus. Statuebat igitur Nestorius aliam esse Personam Filii Dei, et aliam filii Virginis Mariæ, atque ex eo negabat genuisse Deum et esse Matrem Dei, sed affirmabat genuisse purum hominem, qui Filius Dei progressu temporis dictus fuerat propter unionem aliquam accidentalem cum Verbo : quam quidem unionem primo explicabat ratione *inhabitationis*, quia Verbum Divinum in persona filii Mariæ tamquam in templo suo habitabat, juxta illud Joan. 2. *Solvite templum, etc.* et illud 1. ad Colossenses, *in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter ;* quam quidem expositionem sic impugnat S. Cyrillus in defensione primi anathematismi: « Christum, inquit, « tamquam unum Sanctorum inhabitantem habuisse Deum prædicare « conantur, et hoc sentiendum suadent, non considerantes, quod et in « nobis est per Spiritum sicut in sanctis Templis omnium Deus ; scri- « ptum est enim : nescitis quia Templum Dei estis, et Spiritus Dei « habitat in vobis ? Si quis ergo templum Dei corruperit, corrumpet « illum Deus : templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Sed « licet nominemur templa Dei, cum Deum habeamus inhabitantem

« per Spiritum : attamen alterum novimus modum Sacramenti secun-« dum Christum. » *Docebat insuper* ex hac unione inhabitationis secutam esse ulterius aliquam aliam unionem *affectus* inter Filium Dei, et filium Mariæ Virginis. Juxta illud Joan. 8. *Qui misit me mecum est, et non reliquit me solum : quia quæ placita sunt ei facio semper:* ut sic intelligatur talis unio hominis ad Deum, qualis est illa, de qua loquitur Apostolus primæ Corinth. 6. *Qui adhæret Deo unus Spiritus est. Tertio* ex hac unione affectus deducebat esse aliquam aliam unionem, quæ est *operationis*, per quam videlicet Verbum Dei utitur filio Mariæ tamquam instrumento quodam ad opera miraculosa patranda. Hinc in suo nono anathematismo damnabat eos, qui secus sentirent. *Quarto* ex hac triplici unione inhabitationis, affectus, et operationis, alteram affirmabat oriri unionem, quam *participationis et communicationis ejusdem excellentiæ ac dignitatis* appellabat; sicut enim ex unione affectus inter duos homines contingit interdum, ut nomina, quæ proprie Deo conveniunt, ad homines transferantur, unde dicuntur dii, Filii Dei, sancti, et Christi; ita etiam nomina divina propter eminentem sanctitatem filio Virginis singulari quodam privilegio deferuntur. Ita sensit Nestorius anathematismo 8. *Quinto* denique docebat, quod etsi Filius Dei, et Filius Mariæ sint duæ personæ, aliquando tamen duo illæ personæ dici possunt una persona, sicut dicitur de viro et muliere, quod jam non sunt duo, sed una caro, idque ratione unionis istius per affectum et consensum voluntatis, quapropter Theodorus Mopsuestenus, ut refertur in 5. Synodo Collatione 8. Canone 12. dicebat talem factam esse unitionem Dei Verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro, et muliere, *Erunt duo in carne una. Porro* his in erroneis assertionibus consentiebat hæresi Pauli Samosateni, Marcelli, et Photini, de quibus supra; ut probarunt Clerici Constantinopolitani adversus eumdem Nestorium, comparatis inter se præcipuis utriusque Dogmatum capitibus, sicut videre est actione prima Concilii Ephesini : maxime quod sicut Paulus Samosatenus Mariam negabat peperisse Verbum, ita Nestorius Divinitatem ; ille hominem nostri similem ex Maria natum esse dixit : idem hoc iste docuit: Paulus Christum asseruit gratiam omnem ex Spiritu sancto assecutum esse, ex qua adoptionis dumtaxat dignitatem obtinuit : Nestorius vero docuit Christum qualemcumque divinitatis communionem habuisse, quando post Baptismum Spiritus sanctus columbæ specie in eum delapsus est. Ambo denique non aliter in Christo sapientiam, vel Deum habitasse, quam in Prophetis, arbitrati sunt, nisi quod uberior in illum, quam in istos cælestis gratiæ copia effusa est. Hujus autem hæresis promulgatæ primordium hoc refert Socrates lib. 7. cap. 32. Nestorius duxerat secum Antiochia Constantinopolim Anastasium quemdam presbyterum arcanorum omnium, consiliorumque socium ac participem : hic cum aliquando concionem ad populum haberet præsente Nestorio, audacter hanc sceleratam vocem protulit, *Deiparam Mariam nullus nominet: nam Maria homo erat, impossibile est autem, ut homo Deum pariat :* quæ cum magnos tumultus apud Clerum et populum excitasset, tantum abest ut Nestorius hunc sceleratum hominem emendaverit, quinimo ejus sacrilegum dictum probavit. Quod et præstitit quidam Episcopus nomine Dorotheus, spe sordidi questus, adulationi impense

deditus, qui cum Nestorio assentari vellet, in Ecclesiæ synaxi præsente ipso Nestorio verba faciens ad populum, inclamare ausus est: *Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit:* quod impium facinus probavit Nestorius, nam illum Dorotheum statim ad communionem admisit, ut constat ex Epistola sexta S. Cyrilli. Hinc factum est, ut narrat idem Cyrillus Epistol. 9. ad Cælestinum Summum Pontificem, quod Constantinopolitanus populus universus præter paucos, leves, ac vanos homines, et Nestorii assentatores, a communione ejus abstinuerint, necnon Monasteria omnia, et eorum Archimandritæ: quin etiam, ut refert Socrates cap. 28. Proclus Cysici Episcopus illo tempore Constantinopoli degens, cum Dominica quadam die concionem haberet ad populum, eam dixit Homiliam de laudibus Virginis, quæ initio Concilii Ephesini præfixa legitur, in qua Mariam *Deiparam* appellat. Refert etiam S. Cyrillus lib. 1. *Contra Nestorium,* quod cum ipse Nestorius sermonem ad populum habens quædam execranda contra Christi divinitatem efferret, Laicus quidam e media turba, exclamavit, quanta potuit vocis contentione, *Verbum divinum ante sæcula genitum a Patre, alteram subiisse generationem secundum Carnem, et ex muliere;* quod audiens Nestorius acri bile percitus, plurima in ipsum monitorem convitia evomuit, gravesque minas intentavit, quibus auditis, varium in concione murmur exortum est, plurimis in Nestorium frementibus clamantibusque: *Regulum habemus, Episcopum non habemus.* — *Interea* Nestorius varias pro tuendo suo errore dixit, et scripsit Homilias, quæ per Orientem vulgatæ sunt. Quo audito Cyrillus Alexandriæ præsul Epistolam scripsit ad Ægyptios Monachos, qua illos contra pestilentem hæresim præmunire conatus est, nulla tamen auctoris facta mentione. Cujus Epistolæ exemplar Constantinopolim delatum, cum accepisset et legisset Nestorius, adversus Cyrillum frendens, primum blanditiis cum eo egit, ut Virginem Deiparam non esse assereret: at cum Cyrillus ad ipsum rescripsisset varias litteras, quibus illius hæresim impugnabat et damnabat, Nestorius per se suosque inaudita contra Cyrillum crimina, calumniasque confingens illius apud fideles, et Catholicos auctoritatem elevare nisus est, ac disseminatis ubique libellis eum refellere, suoque erroneo dogmati robur addere non desiit. Quin etiam ad Cælestinum Papam prior ipse scripsit, et expositionum suarum libellos ad eum direxit; quo audito scripsit, et ipse Cyrillus ad Cælestinum, qui utrique respondens mandat Nestorio, ut hæresim ejuret, et Cyrillo suas vices committit, ac præcipit, ut nisi intra decem dies postquam fuerit admonitus, Nestorius Catholicam fidem profiteatur, renunciet, ipsum a Romanæ Sedis et omnium Episcoporum communione esse rejectum. Cyrillus Cælestini Papæ auctoritate fretus, cum videret Nestorium in hæresi firmatum, congregata Synodo scripsit ad Nestorium Epistolam cum duodecim capitulis, quæ totidem anathematismis illius feriebant hæresim, denuncians ei, nisi damnato errore capitulis istis subscriberet, latam in ipsum ab Cælestino ratam fore sententiam. Dedit et ad Constantinopolitanos litteras, Clerum videlicet, ac populum, necnon ad Monachos, quibus eadem significavit: at Nestorius in furorem actus, duodecim, et ipse capitula, sive anathematismos Cyrilli totidem opposuit; quibus contra Catholicum dogma hæresim suam affirmavit. Nec verbis solum adversus

fideles insanire, sed etiam eos insectari aggressus est: nam Constantinopolitanos, qui pene omnes ab ejus communione discesserant, variis modis exagitavit. Præfectorum abusus potentia, præsertim adversus Monachos, quos intensissimos sui erroris oppugnatores agnoscebat. Imperatorem quoque Theodosium adversus Cyrillum, calumniis suis commotiorem reddidit, quasi in Ecclesia turbas excitaret: verum precibus Juvenalis, Hierosolymitani Episcopi, et Archimandritarum, Monachorumque, ad id sollicitatorum a Cyrillo, scripsit ipsemet Imperator Cyrillo, aliisque Episcopis, se permittere, ut Synodus congregaretur Ephesi post Pascha anni sequentis Christi 431. ipso die sacro Pentecostes. Misit et qui interesset Candidianum domesticorum comitem, ut constat ex sacra, quæ habetur cap. 35. sed ea lege et conditione, ut cum quæstionibus et controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quisquam commune habeat: *Nefas esse,* subjunxit, *qui sanctissimorum Episcoporum Catalogo ascriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere:* verum tum ut modis omnibus ab illa civitate amoveret Monachos, Laicos, cæterosque qui Synodi videndæ causa eo confluentes, tumultu suo obstaculum Patribus afferrent: tum ad impediendas graviores contentiones, quæ ex mutuo repugnandi studio in ipsa Synodo possent suboriri: tum ut curaret omnia proponi, quæ ad fidem spectarent, omnibus responderi: tum ne quis e Synodo discederet etiam ad Imperatorem reditum affectans ante causam finitam: tum ne ullum negotium Ecclesiasticum ullave controversia ante moveretur, quam quæstio a Nestorio inchoata, conclusa fuisset: tum denique ut nulla omnino ibidem pecuniaria, vel criminalis causa adversus aliquem agitaretur. Cogitur itaque Concilium statuto tempore Ephesi, adfuit in urbe longe antea, hoc est paulo post Pascha Nestorius. Interfuit ad diem datum Juvenalis Hierosolymitanus cum Episcopis Palæstinæ: abfuit Capreolus Carthaginensis, et cum eo abfuerunt quoque Africani Præsules: rationem absentiæ suæ dederunt Concilio per litteras quod nimirum sibi ob Wandalorum feritatem libera non essent itinera. Augustinum addiderunt vita functum fuisse ante ipsas Litteras Imperatoris acceptas, quibus Litteris in Concilium specialiter venire jubebatur. Expectabatur Joannes Antiochenus, qui post elapsas duas hebdomadas significavit non esse, quod ipsum diutius expectarent Patres. Mora hæc erat, ut morem gereret Nestorio. Ita esse asserunt Ephesini Patres Epistola ad Cælestinum aliquando post medium *Actione tertia.* Inchoatur Concilium præside Cyrillo Alexandrino, qui Cælestini locum obtinebat, elapsis sexdecim diebus, ut testatus est Memnon Episcopus Ephesinus ab adventu Patrum, qui erant numero ducenti. Ante omnia lectæ sunt Imperiales Litteræ, quibus Concilium indicebatur. Habentur 1. part. c. 32. quibus lectis retulit Hermogenes Rhinoculorum Episcopus, et cum eo tres alii se ex ordinatione Patrum convenisse Nestorium, quem monuerunt ne vellet a Synodo ipsa abesse die præsenti dicta: qui respondit, *Se deliberaturum, et si necessarium judicaverit adfuturum.* Addideruntque diem quoque se sex vel septem aliis Episcopis, qui erant in comitatu Nestorii significavisse, quorum haud absimilis fuit responsio. Jubet Concilium, ut denuo per Episcopos aliquot adesse moneatur. Illi in ejusdem domum veniunt, reperiunt multitudinem militum cum fustibus, qui impediunt ne eorum

adventus Nestorio significetur, jussosque se dicunt ne quempiam intromitterent conveniendi illius causa. Eadem quorumdam Clericorum, quos allocuti sunt Antistites isti, responsio. Tandem ad eos accedit Tribunus quidam, qui cum expectare jussisset, responsum allaturus, rediens post aliquod tempus cum clerico quodam, dixit sibi non licuisse videre Nestorium, qui tamen per alios ipsi significavit, cum omnes Episcopi simul convenerint, tum se quoque adfuturum. Quo relato ad Synodum, decernitur, ut per nonnullos Episcopos tertia citatione accersatur. Parent : intra vestibulum armatos milites reperiunt, qui ajunt se in mandatis habere ne ullum omnino, qui a Synodo missus esset, ad ipsum ingredi permitterent. Sed tanta est eorum insolentia, ut ne quidem venerandos Præsules sub umbra consistere permittant, neque illos huc, illucve propellentes tantillum loci concedant, ubi pedem figere possint. Redeunt cum multas horas expectassent absque alio responso. Post trinam citationem Doctrina Nestorii expenditur. Legitur Symbolum Nicænum. Legitur Epistola Cyrilli ad Nestorium, quæ extat 1. part. cap. 8. et definitur, quod sit Nicæno Symbolo consona : legitur Epistola Nestorii ad Cyrillum, quæ extat ibidem cap. 9. et judicatur contraria Symbolo Nicæno : quare omnes anathema, ea audita, dixerunt Nestorio. Postea lecta est Epistola Cælestini ad Nestorium, quæ habetur cap. 18. et judicata est consona Epistolæ Cyrilli. Lecta Epistola Synodi Alexandrinæ ad Nestorium, quæ extat cap. 26. audiuntur Episcopi per quos Litteræ istæ datæ fuerunt isti Nestorio, qui referunt quod nec responsum illis fecit, nec per eas mutatus est in melius, sed e contra multo pejora doceret ad hunc usque diem. Auditi sunt et Præsules, qui etiamnum in errore suo persistere Nestorium testificati sunt. Lectæ sunt postea sanctorum Patrum, Episcoporum, et Martyrum ea de re sententiæ, quibus constare posset de traditione. Lecti sunt, et istius Nestorii Commentarii, in quibus aperte affirmabat, *Neminem ex Doctoribus, qui ante se exstiterant, ea populis locutum, quæ ipse locutus est.* Lecta denique est Capreoli Carthaginensis Epistola, de qua supra, ubi expresse sentit, *Se antiquis fidei dogmatibus stare,* quæ etiam fuit vox omnium Episcoporum ; tandem processum est ad condemnationem Nestorii ab Episcopis, lacrimis subinde profusis, qua propter blasphemas in Christum Dominum voces Episcopali dignitate privatus est, et ab universo Sacerdotum consortio et cœtu alienus esse definitum est. Habes ista *Actione* 1. Quod ut auditum est a populo universo civitatis, qui a primo mane usque ad vesperam judicium Synodi expectaverat, Deum cœpit glorificare, et Synodum laudare, quoniam fidei hostis concidisset, quin, et faustis acclamationibus discedentes Episcopos, ac cum tædis, et facibus ad diversorium usque prosecutus est. Quos et Matronæ thuribula gestantes antecedebant. Tum per totam urbem appensa lumina, in lætitiæ signum. Postridie depositionis sententia missa est ad Nestorium ab Synodo, quæ et Constantinopolitanum Clerum certiorem de ea fecit. Interim Candidianus comes Nestorio addictus, antequam Synodalia acta conficerentur, et ad Imperatorem mitterentur, relationem ad eum scripsit mendaciis, et in Synodum calumniis plenam ; idem et Nestorius cum decem Episcopis fecit, de vi, et injuria ab Memnone Ephesino sibi illata conquerens : maxime quod Joannis, et

Orientalium adventum expectare noluissent. Definitionem hanc Concilii approbaverunt Legati Cælestini, qui ea facta in Synodum venerunt, postquam Epistolam Cælestini, quam detulerunt juxta Ecclesiæ veterem consuetudinem primo Latino sermone, deinde Græco legi curassent, quæ unanimiter a Synodo recepta est, ut constat ex *Actione* 2. Sed Joannes Antiochenus, qui post factam condemnationem, et ante Legatorum adventum accesserat ad Synodum, favens Nestorio et Candidiano, indigneque ferens damnatum, se absente atque inconsulto, Nestorium, coegit Conciliabulum ex triginta Episcopis fautoribus Nestorii, vel discipulis Pelagii, vel rei alicujus criminis, in quo refutare jussum est Theodoreto anathematismos Cyrilli, Episcopalis honor, et nomen ablata Cyrillo et Memnoni, quasi idem cum Appolinari sentirent, et quicunique Concilio interfuerant, excommunicati. Huic pseudo-Concilio nomen dant Concilii Ephesini. Scribunt ad Imperatorem dejectos Cyrillum et Memnonem, qui falsa schismaticorum relatione delusus, ad Ephesinam Synodum per Palladium Magistrianum scripsit, jubens irrita esse, quæ hactenus facta fuerant, ac de integro legitimum judicium institui. Interim Orientales schismatici cum Nestorianis, nihil non machinabantur ad opprimendam Catholicam Synodum, et acta ejus obliteranda. Quippe fictis adversus illam calumniis ac mendaciis, aures Imperatorum ac Principum impleverunt: strenuam ad hoc operam navantibus Candidiano et Irenæo Comitibus, qui vias omnes ac portus, et navigia in potestate habentes, sedulo id egerunt, ne quid litterarum ab Œcumenica Synodo ad Imperatorem perveniret, quo rem, ut gesta erat, certo cognosceret; cum interim soli Orientalium commentarii, et Epistolæ Constantinopolim perferrentur. Patres Concilii accepta Imperatoris Epistola ad ipsum per eumdem Palladium rescribunt, rei gestæ ordinem ex veritate narrantes, ac de comitibus Candidiano et Irenæo, a quibus multa et indigna patiebantur, querimoniam formant. Verum Palladius acceptam Synodi Epistolam Imperatori non dedit; quocirca Patres Concilii alias litteras commiserunt mendico homini ad Episcopos, et Monachos scriptas, quibus veritatem rei exponebant. Iis acceptis litteris Monachi strenue operam suam dederunt, ac præ cæteris Dalmatius Archimandrita, vir sanctissimus, qui annos totos quadraginta et octo pedem Monasterio non extulerat, quamvis de eo sæpe rogatus ab Imperatore fuisset. Verum ut tunc exiret missa de cælo voce compulsus est, et cum aliis Archimandritis, ac plurimis Monachis Imperatorem adiens rem omnem, ut erat, aperuit. Imperator ab utraque parte legatos mitti ad se postulat. Mittitur pro Orientalibus Irenæus comes, qui Constantinopolim profectus Catholicæ Synodi legatos ibi reperit, ac fraudibus et mendaciis, adeo profecit, ut Imperator circumventus iterum, quod valde mirum sit, eo duci se pateretur, uti ratam juberet trium esse depositionem, Nestorii, Cyrilli, et Memnonis, quos ab legitima Synodo damnatos omnes arbitrabatur, de quo sacram, ut appellare mos erat, scripsit ad Ephesinos Patres per Joannem Comitem sacrarum largitionum: qui cum Ephesim pervenisset, tres illos in privatam custodiam dedit, ac litteras Imperatoris illis, quibus Patribus abeundi potestas fiebat. Tandem ab utraque parte delecti septem Episcopi ad Imperatorem mittuntur, qui veritate comperta Cyrillum et Memnonem liberos suis Ecclesiis resti-

tuit, Nestorium damnat eumque exulare jubet, et alium in sede Constantinopolitana ejus loco sufficit. Nestorius Antiochiam reversus, in Monasterio sancti Eupreprii ubi aliquando versatus fuerat, quatuor annis habitavit; sed cum ibi plures suis colloquiis ac litteris corrumperet, Joannis Antiocheni monitu, Theodosius illum in Oazim relegari jussit; ubi multis calamitatibus agitatus lingua eadem qua sacrilegas in Dei Matrem voces emiserat, a vermibus depasta cum adhuc viveret, paulo post, vel ad terram elisus, quod vult Evagrius lib. 1. cap. 7. ex amentia ac furore; vel ut habet Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum, absortus terræ delitescentis voragine miserrime obiit. At eo licet tam inteliciter extincto, non omnino sepulta jacuit illius hæresis: cum enim illius libri Ecclesiastica et Imperiali constitutione fuissent prohibiti, illius defensores tres libros emiserunt, quorum primus erat Theodori Mopsuesteni Nestorii Magistri, quem in varia idiomata transtulerunt; secundus Theodoreti; tertius fuit ille liber, seu Epistola Ideæ Edessenæ civitatis Episcopi ad Marim Persam; de quibus tribus libris, seu capitulis in quinta Synodo actum est.

Eutychiani. — *Hæresis Eutychiana* cœpit circa annum Christi 448. auctore *Eutyche*, qui erat Constantinopoli Presbyter, *et Monachorum in celeberrimo Monasterio*, ut ait Liberatus, *præsidens, et archimandrita*. Pietate eximia clarus, sed longe clarior ob navatam strenue operam in hæresi Nestoriana, tam crescente, quam repullulante post condemnationem revincenda, qui cum intensissime in Nestorianos duas in Christo personas admittentes inveheretur, in alium non minus exitiosum errorem extreme declinavit, affirmans duas quidem in Christo fuisse naturas ante unitionem, sed in unitione humanam a divina absorptam esse, et subinde unicam subsistere. Cujus quidem erroris initium dedit ignorantia magis, quam affectata malitia, ut testatur Leo Magnus in Epistola 13. quam scripsit ad Pulcheriam Augustam: *Ut errore*, ait, *qui, ut arbitror, de imperitia magis, quam de versutia natus est, auferatur, priusquam ullas sibi vires de consensu imprudentium pertinacia pravitatis acquirat: quia etiam ignorantia in graves nonnumquam incidit lapsus, et plerumque in diaboli ruit foveas incauta simplicitas, per quam in supradicto subrepsisse intelligo Spiritum falsitatis.* — *Triplex* autem fuit Eutychianæ hæresis capitale dogma. *Primum* quidem, quod carnem Christi ex Virgine negabat esse sumptam. Sic testatur Vigilius initio lib. 3. *Contra Eutychem*; *Eutychiana*, inquit, *hæresis in tunc impietatis prolapsa est errorem, ut non solum Verbi, et carnis unam credat esse naturam: verum etiam hanc eamdem carnem non de sacro Mariæ Virginis corpore assumptam, sed de cœlo dicat, juxta infandum Valentini et Marcionis errorem, fuisse deductam, ita pertinaciter Verbum asserens factum, ut per Virginem, ac si aqua per fistulam transiisse videatur, non tamen, ut de Virgine aliquid, quod nostri sit generis, assumpsisse videatur.* Hoc idem ipsemet Eutyches contestatus fuerat in Concilio Constantinopolitano, ut refert Flavianus in Epist. ad Leonem, quæ est in actis Chalcedonensis Concilii. Theodoretus similiter affirmat lib. 4. *Hæreticarum fabularum*, cap. 13. Eutychem negasse assumptum esse corpus a Deo, *Nihil enim*, inquit, *hominis proprium e Virgine accepisse Deum Verbum, sed ipsum sine ulla mutatione conversum, et carnem tantum, transisse tantum-*

modo per Virginem. — *Secundum* Eutychiani erroris caput fuit quod ante unitionem naturæ extitissent duæ; ut indicat Leo Pontifex Epist. 10. ad Flavianum: ubi miratur, quod *tam absurda, tamque perversa ejus professio nulla judicantium increpatione reprehensa fuerit: et quod sermo nimis insipiens, nimisque blasphemus, ita omissus, quasi nihil, quo offenderet esset auditum.* Subditque in Epist. ad Julianum Coacensem *se suspicari talia proloquentem hoc habere persuasum, quod anima, quam Salvator assumpsit, prius in cœlis sit commorata, quam de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularit.* Quibus constat Eutychen sensisse prioritatem illam, qua Christi humanitatem affirmabat extitisse antequam assumeretur a Verbo, non esse duntaxat prioritatem naturæ, sed temporis; cum enim, et Deum hominem esse factum ex communi Christianorum professione didicisset, et unam nihilominus naturam in Christo assereret; non aliter conciliare ista, et extricare se potuit, quam ut ex duabus unam factam esse naturam diceret: adeoque duas antequam inter se sociarentur naturas extitisse. — *Tertium* denique, et quidem præcipuum Eutychianæ hæresis caput fuit, quod unam tantum agnosceret in Christo naturam post unionem: quod ipsemet professus est coram Flaviano et Patribus Synodi Constantinopolitanæ, de qua mox dicemus: rogatus enim utrum consubstantialem, et ex naturis duabus constantem post incarnationem esse sentiret Dominum nostrum, qui ex Virgine natus est, mentem suam sic aperuit: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unionem: post unionem vero unam naturam profiteor.* Idem testatur Flavianus Epistol. ad Leonem, ubi Eutychetis dogma referens, ait: *Ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri Jesu Christi duas naturas esse, divinitatis, et humanitatis: post unitionem vero unam naturam factam.* Quod utique erroneum dogma varie explicabant illius Assertores, sicut et ipsemet Eutyches, (ut hæreticorum moris est) nusquam sibi constans, nam nunc asserebat supermanentem illam naturam esse humanam in quam conversa, et velut absorpta videretur Divinitas, unde Theodoretus refert, quod Eutyches assereret *Deum sine conversione conversum, et carnem esse factum:* unde docebat *clavis suffixam, et cruci affixam fuisse incircumscriptam, indeterminatam, et incomprehensam Unigeniti Divinitatem*, utpote quæ in humanam naturam desierat. At ipsemet Theodoretus dialogo secundo Eranitem, seu Patronum Eutychiani erroris, qui cum Orthodoxo disputat, ita pronuntiantem introducit, ut Divinitate sola manente humanam dicat absorptam esse naturam: nam Catholico sciscitanti quomodo post unitionem unicam naturam agnosceret, utrum ex ambabus unam esse conflatam; an altera manente, extinctam putaret alteram: respondet Eranites, *Ego Divinitatem ajo mansisse; ab hac vero absorptam esse humanitatem.* In quo potissimum dogmate Eutyches, maxime Apollinari ac Valentino consentiebat, qui unam dicebat Christi esse naturam. Hic Eutychianus error hac ratione in publicum traductus est, et damnatus anno 448. Cum esset Constantinopoli collecta Synodus Episcoporum 40. ad disceptandam controversiam inter Florentium Sardium Episcopum, Lydiæ Metropolitanum, et duos ejusdem Provinciæ Episcopos Joannem, et Cossinium. Hac lite decisa, cum inter Judices sederet Eusebius Dorylei Episcopus Eutychi familiaris et amicissimus,

qui ipsum privatis colloquiis erroris arguerat, et ne talia loqueretur sæpius monuerat, libellum supplicem detulit Synodo, quo continebatur Eutychianus error postulans accersiri Eutychen ad causam dicendam; at ille tertio vocatus cum semel et iterum respondisset delegatis a Synodo, *Sibi fas non esse e septis Monasterii egredi, in quo tamquam in sepulcro vivus jacebat,* tandem tertio citatus, valetudinem excusans tempus sibi prorogari petiit ad septimum usque diem: quo impetrato, tandem venit, non tamquam ad Concilium, sed tamquam ad bellum; stipatus videlicet, non solum ingenti Monachorum, sed etiam numerosa militum corona, sibi commodata a Florentino Patricio favore Chrysaphii Eunuchi, quem e baptismo susceperat. Ibi ab Episcopis, et ab ipso Florentio interrogatus, hæreticum suum dogma coram omnibus professus, nec adduci potuit, ut illud ejuraret: itaque de Concilii sententia damnatur, ac Sacerdotali dignitate, et omni præfectura Monasterii spoliatur, ab omni communione Ecclesiastica submovetur. ut videre est actione prima Concilii Chalcedonensis. Verum ejusdem Chrysaphii auxilio fretus, nil non molitur adversus Flavianum illius Synodi principem, conqueritur maxime de eo, ac de cæteris Synodi Patribus apud Leonem summum Pontificem; ad eum pariter scripsit Flavianus, et acta Synodalia transmisit; quibus acceptis Eutychis damnationem ratam habuit Leo, et inter alias celeberrimam illam Epistolam scripsit ad Flavianum, qua Incarnationis dominicæ dogma Catholicum uberrime, eruditissimeque declaravit. Interim Chrysaphius nihil non in Eutychis gratiam, et ad Flavianum opprimendum moliebatur apud Theodosium, fictis criminationibus et calumniis in suspicionem Flavianum vocare nitens; quo illum ab Episcopali sede dejiceret, quocirca Imperator jubet congregari Synodum generalem Ephesi anno 449. cui jubet præesse Dioscorum Alexandrinum, et adesse Juvenalem Hierosolymitanum, Domnum Antiochenum, Flavianum Constantinopolitanum, rogans pariter Leonem Pontificem Romanum, ut Synodo adesse dignaretur, quod cum præstare non posset. Legatos misit Julianum, Velgibum Episcopum Puteolanum, Renatum Presbyterum, et Hilarium Diaconum cum litteris ipsius Leonis: altera ad Savianum, altera ad Synodum, continentibus rectam ac Catholicam fidem. Barsumam quoque Syrum Archimandritam, at verius dicam immanem sicarium, Concilio adesse voluit Imperator, qui ageret pro Eutyche contra Episcopos, qui illum damnaverant, quos pariter adesse voluit Concilio non ut judices, sed ut actores. Cogitur itaque Concilium, petuntque Legati Romani Pontificis, ut illius Epistolæ juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem primum legantur. Obstat Dioscorus procurante Eutyche, qui ante omnia examinari faciunt acta Constantinopolitana, quocirca Legati recedunt a Concilio tum ob litteras non lectas, tum etiam ob non delatum ipsis primum locum. Deinde Dioscorus lectis Constantinopolitanæ Synodi actis, mox decretum Ephesinæ Synodi contra Nestorium legi voluit, quo prohibitum erat ne quis præter ea, quæ ibi constituta erant de fide amplius quæreret aut retractaret, alioquin si Episcopus aut Clericus esset. deponeretur; post hæc Dioscorus contra Flavianum, et Eusebium Doriłei Episcopum tamquam Decreti illius violatores, quod novi aliquid de fide constituissent, depositionis sententiam tulit, et Eutychen in

integrum restituit, suæ sententiæ subscribere cogens cæteros Episcopos per vim intentatam a trecentis Monachis, et plurimis militibus, qui armata manu audita Dioscori sententia in Synodum irrumpunt, extorquent judicia Episcoporum adversus Flavianum, illosque adigunt, ut suscribant in albis membranis, in quibus quidquid voluerint postea adjicerent, ut testatum est *actione prima* Concilii Chalcedonensis. Reclamant Legati summi Pontificis, sed et ipsi salutem suam in fuga ponere coguntur, Flavianus Romanum Pontificem appellat; at illico conjicitur in vincula a Dioscoro, calcibus appetitur, ut refert Evagrius lib. 2. cap. 2. plurimis plagis etiam, et injuriis a militibus lacessitur, ait Liberatus; et ut acta Chalcedonensis Synodi referunt, occiditur a Barsuma cum suis Monachis vociferante, *Occide*, *Occide*. Interim gemit Leo Pontifex, qui coacta Romæ Synodo rescindit quidquid Ephesi gestum fuerat. Tandem Theodosius Imperator acceptis a Leone summo Pontifice Epistolis, damnatam ac proscriptam audiens Eutychianam hæresim, et flagitiosa acta Synodi Ephesinæ, quæ postmodum dicta est *Latrocinium Ephesinum*, rei veritate comperta, in eos a quibus circumventus erat animadvertit: Chrysaphium malorum omnium auctorem relegavit, ac paulo post moritur: cui succedens Marcianus Pulcheriam Augustam uxorem duxit; qui Leonis Pontificis hortatu animadvertit primum in Clericos et Monachos, qui relicto vero orthodoxæ Religionis cultu, Apollinaris vel Eutychetis hæresim et dogmata abominanda secuti fuissent. Deinde Synodum generalem cogere decrevit. — Cogitur itaque Concilium generale anno 451. Chalcedonense ex 630. Episcopis; præsunt Legati Leonis, videlicet Paschasinus, et Asculanus Episcopi, necnon Basilius, et Bonifacius Presbyteri. Interest etiam Dioscorus, ac lectis quæ in Constantinopolitana Synodo, et pseudo-Ephesina ab Eutychete et Dioscoro acta fuerant, discedere jubetur; ac postmodum omnibus rite ponderatis, Episcopali honore, omnibusque Sacerdotum functionibus a Synodo privatur. Post hæc plurimi ex Episcopis, qui Ephesi sederant, veniam petunt, crimenque fatentur: leguntur Epistolæ Leonis ad Flavianum, cui in hunc modum acclamarunt Patres: Petrus in Leone locutus est. Eusebius Dorilei Episcopus vere Catholicus pronuntiatur: Flavianus martyr declaratur, qui pro fidei Orthodoxæ defensione occubuit, et actione undecima legitur hæc vox: Flavianus post mortem vivit martyr; pro nobis oret. Interea Chrysaphius *Pulcheriæ* nutu, ut ait Marcellinus, interemptus est, et Eutyches jussu Marciani in exilium mittitur; quid autem deinceps de eo factum sit, quemve in locum deportatus sit, et quem vitæ exitum habuerit, altum silentium est apud auctores: sic felicem exitum habuit celeberrima illa Synodus, in qua Ephesinæ latrocinalis acta recisa sunt, et certa rataque fidei forma conscripta. Verum diabolus, qui semper superseminat zizania, maximis hæreticorum conatibus Synodum Chalcedonensem impugnavit. Scribit enim Eulogius Alexandrinus Patriarcha post Marciani obitum, cum ei successisset Leo, Ægyptios a Synodo reversos per totum orbem maximos excitasse tumultus; ubique disseminantes Cyrillum in illa Synodo damnatum, et Nestorium pro Catholico receptum fuisse. Inde plurimi eruperunt illius Chalcedonensis Synodi detractores, maxime vero Alexandriæ, qui Acephali dicti sunt; quod a Petro Mogo Patriarcha suo, et ipso

Eutychiano secedentes, seorsim, et sine suo capite communicarent : neque enim ille manifeste impugnabat Chalcedonense Concilium, sed tantum latenter ejusdem auctoritatem elevare nitebatur. Severini tamen postea dicti sunt a Severo Eutychiano Monacho, deinde Antiocheno Episcopo constituto. Ac denique in plura alia capita pullulantes, nunc Gajanitæ a Gajano, Theodosiani a Theodosio, Jacobitæ a Jacobo nuncupati sunt. Conquerebantur omnes, quod Concilium Chalcedonense conventus fuit Nestorianorum : sic enim familiare est hæreticis Catholicos hæresis ex adverso veritati Catholicæ oppositæ accusare.

Errores circa filiationem Christi. — Commune est Ecclesiæ Catholicæ dogma, Christum Dominum, etiam ut hominem, Filium Dei esse naturalem. Nihilominus duo Episcopi Felix Urgelitanus, et Elipandus Toletanus, regnante in Galliis Carolo Magno, Romæ vero sedente Adriano I. circa annum Domini 790. Nestorii extinctam et compressam hæresim ex parte restaurantes, Christum Deum hominemque contessi, totidem quot naturæ sunt in eo, filios inesse docuerunt; alterum *naturalem*, qui est Deus, et Verbum : alterum *adoptivum*, qui est homo ; de quibus ita scribit Eginhardus in Annalibus: « Orgellis « (hanc Urgellam alii nominant) est civitas in Pyrenæi montis jugo « sita : cujus Episcopus nomine Felix, natione Hispanus, ab Elipardo « Toleti Episcopo per litteras consultus, quid de humanitate Salvatoris « Dei, et Domini nostri Jesu Christi sentire deberet : utrum secundum « quod homo est, proprius an adoptivus Dei Filius credendus esset, ac « dicendus : valde incaute, atque inconsiderate, et contra antiquam Ca« tholicæ Ecclesiæ doctrinam, adoptivum non solum pronuntiavit, sed « etiam scriptis ad memoratum Episcopum libris pertinacissime pravita« tem opinionis suæ defendere curavit. Hujus rei causa ductus ad Pala« tium Regis, qui tunc apud Reginum (*Ratisbona*) Bajoaliæ civitatem, in « qua, et hiemaverat, residebat ; ubi congregato Episcoporum Concilio « auditus est, et errasse convictus, ad præsentiam Adriani Pontificis Ro« mam missus ; ubi etiam coram ipso hæresim confessus est, atque abdi« cavit ; quo facto ad civitatem suam reversus est. » — Verum biennio post, cum Elipandus eamdem erroris pravitatem jam in plurimis Conciliis damnatam, maxime vero *Foro-Juliensi, et Ratisbonensi*, tueri ac propagare pergeret, ac Felicem ad illius resumendum patrocinium impulisset : quin etiam ad Carolum Regem pro ea scripsisset Epistolam; hic ex omnibus suæ ditionis Provinciis Episcopos, et eruditionis fama celebres viros Francofurtum ad Synodum accivit, qui invicem convenientes lecta Elipandi epistola, necnon Adriani Papæ ad Hispaniarum Episcopos, et libro sacro-syllabo Paulini Aquilejensis contra Felicis, et Elipandi hæresim, unanimi omnium consensu in illo Concilio hæc hæresis damnata fuit ac proscripta. Insuper Carolus Rex luculentam ad Hispanos contra eamdem hæresim epistolam scripsit, quam cum Adriani, et totius Synodi epistolis, ac Paulini libro ad eos dixerit.

Hæc sunt præcipua hæresum capita Christi Domini Incarnationem impugnantia : cætera enim, quæ in Christum pugnant, vel in ejus divinitatem, aut meritum, aut cultum potius, quam in Incarnationis Mysterium militare videntur. Si quæ vero supersint ab illis antiquioribus hæresibus repullulantes, ut revera plures esse non diffiteor, ma-

xime hisce posterioribus temporibus, in quæ non solum sæculorum fines devenisse, sed et errorum fœces effluxisse videntur, in sequentium Disputationum ac Quæstionum enucleatione sparsim commemorabimus. Quocirca ampliori hæresum relatione prætermissa, jam auspicandus est Theologiæ Tractatus.

DISPUTATIO PRIMA.

DE EXISTENTIA, NATURA, ET CAUSIS INCARNATIONIS.

Præclare quidem monuit S. Maximus martyr in disput. contra Pyrrhum, quod *dicere aliquid, nec ejus quod dicitur varias significationes discernere, nihil aliud sit, quam confundere:* cum enim nomina sint rerum latentium indicia, et naturis earum proprietatibusque significandis accommodata; ubi varias significationes præ se ferunt, aut ipsæ res variis nominibus efferuntur, consulto quidem, ac perite auspicantur Tractatores ab earumdem rerum, quas explicandas suscipiunt, nominum declaratione, et delineatione. Merito igitur abditissimi hujusce Mysterii qualemcumque explicationem auspicamur ab illis nominibus, quibus veteres sapientissimique Patres ac Doctores Mysterium hoc explicandum ac celebrandum susceperunt. — Porro varia sunt, tum a Scriptura, tum a sanctis Patribus usurpata vocabula ad istud Mysterium significandum. Dicitur Θεοφανία, idest Dei, vel *divina apparitio;* quippe Deus per Incarnationem nobis se videndum in humanitate exhibuit, ac contubernalem, juxta illud Baruch 30. *Post hoc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Visus, inquam, tum quia per miracula facta mediante humanitate se Deum probavit; tum quia, ait S. Paulus, *in Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter;* tum denique quia per communicationem idiomatum, fundatam in unione hypostatica, vere et proprie Deus dici potest videri, quia videtur homo, qui revera Deus est. — Dicitur etiam interdum *descensus.* Sic Isaiæ 64. *Utinam disrumperes cœlos, et descenderes.* Joan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo:* non quod Divinitas descenderit, quippe cœlum et terram implet, sed quia Deus, qui in cœlo maxime suam gloriam ac majestatem beatissimis mentibus manifestat, per Incarnationem cœpit eam hominibus revelare. — Appellatur etiam *Missio,* quippe ait Apostolus ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere:* hinc Christus Joan. 6. *Sicut misit me vivens Pater.* — Nominatur etiam *adventus.* Sic Aggæi 2. *Et veniet desideratus cunctis Gentibus:* et Malachiæ 3. *Quis poterit cogitare diem adventus ejus?* — Similia habent sancti Patres: nam S. Athanasius Orat. 3. dispensationem Verbi secundum hominem vocat: S. Ambrosius libello de Paschate, cap. 4. humanæ carnis ad Deum attemperationem; S. Damascenus lib. 4. cap. 2. *salutarem œconomiam,* quæ appellatio cæteris Patribus Græcis est usitatissima. Hilarius Prosa in Psalmum, *corporationem,* seu incorporationem nominat. Epiphanius hæresi 30. carnalem *inhumanationem.* Frequentius tamen tum a Patribus, tum a Theologis usurpatum est *Incarnationis* nomen ad significandam illam ineffabilem Divinitatis et humanitatis in una persona unionem. A Patribus, inquam, frequentatum est, nam Irenæus lib. 3. cap. 21. a Theodoreto laudatus in Dialogo primo, illud usurpat: quod et fece-

runt Leo Magnus, Sermone 2. *De Nativitate;* August. lib. 10. *De Civit. Dei,* cap. 29. Hieronymus super primum caput Marci, imo et ab ipso Concilio Nicæno in Symbolo, Filius Dei dicitur *Incarnatus de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Quantum ad Theologos spectat nullus pene eorum est cui hoc vocabulum non sit familiare. Nec quidem incongrue: licet enim humanitas ex carne componatur et spiritu, nature tamen nomine *carnis,* assumptio humanitatis a Verbo declaratur. Fundamentum enim hujus vocis colligitur ex Joan. 1. *Verbum caro factum est,* nam inquit S. Aug. lib. 13. *De Trinit.,* cap. 19. *cum lego* Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, *in* Verbo *intelligo verum Dei Filium, in* Carne *agnosco verum hominis Filium, et utrumque simul in una persona Dei-hominis ineffabilis gratiæ largitate conjunctum.* Nec insolitum est in Scriptura nomine carnis per figuram Synecdochen, totum hominem significari. Sic Genesis 6. *Omnis caro corruperat viam suam,* Psal. 77. *Recordatus est, quia caro sunt,* Luc. 3. *Videbit omnis caro salutare Dei,* et ad Rom. 3. *Non justificabitur omnis caro ex operibus legis:* in quibus et similibus textibus, evidens est totum hominem significari: sic et interdum idem declaratur animæ vocabulo, ut videre est, maxime, Genesis cap. 46. Congruentius autem, ac maturius a *carne,* quam ab *anima,* Mysterium istud nomen accepit, tum ut Incarnationis veritas contra Manichæos, et alios hujusmodi hæreticos negantes Verbum Divinum veram carnem assumpsisse clarius appareret; tum ad significandam nimiam illam divini in nos amoris perfusionem, qua Divina majestas adeo depressa est, ut tam vilem et abjectam carnis naturam, ad salutem nostram operandam suum in consortium assumere non fuerit dedignata: quocirca signanter ait S. Paulus ad Tim. 3. *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne;* tum denique, ut inde luculentius appareret, non solum naturam humanam a Verbo Divino assumptam esse; sed et omnes illius humanitatis infirmitates et appendices, quæ voce *carnis* plerumque designantur; unde Apostolus ad Hebræos 5. de Christo Domino loquens ait: *Qui in diebus carnis suæ preces et supplicationes offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Ut autem præsentem Disputationem ab hujus Mysterii quæstionibus præludiariis ordiamur, ac congruenti methodo distribuamus, eam tres in Articulos, et eorum quemlibet totidem in Sectiones partiemur: quorum *Primus* erit de possibilitate, convenientia, et complemento Incarnationis. *Secundus,* de illius essentia, deque terminis unionis naturæ Divinæ cum humana. *Tertius* denique ejusdem causas, Physicam, Moralem, et Finalem explicabit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE POSSIBILITATE, CONVENIENTIA, ET COMPLEMENTO, SEU PERACTIONE MYSTERII INCARNATIONIS.

Cum ad hoc maxime apparuerit Filius Dei, ut dissolveret opera diaboli, et Princeps mundi ejiceretur foras; inde est, quod dæmones omnem moverint lapidem, ut qui divinæ illius apparitionis non potuerant præpedire complementum, saltem illius fidem, ac notitiam ab hominum cordibus elevarent. Illorum namque instigatione ab hostium

triplici cuneo in hujus Mysterii assertionem depugnatum est; Philosophi enim Gentiles illud ut ridiculam ac inanem fabulam apertis contradictionibus pugnantem, ac subinde, ut commentum factu impossibile censuerunt: Judæi Messiam expectantes, illius adventum adhuc in dies præstolantur: hæretici vero plurimi, ut supra observatum est, sacram hanc ac mirabilem hominis cum Deo conjunctionem, ut Divinæ illius sapientiæ ac majestati minus congruentem respuerunt. Quocirca, ut plena sit et inconcussa tanti Mysterii veritas ac fides, operæ pretium duxi tres illos infestissimos ipsius hostes tribus in sequentibus Sectionibus adoriri, quarum *Prima* aperiet Incarnationis possibilitatem contra Gentiles Philosophos: *Secunda* ejusdem contra Hæreticos egregiam, sapientemque institutionem et œconomiam declarabit: *Tertia* denique ejusdem complementum et peractionem contra Judæos evincet.

SECTIO PRIMA.

DE POSSIBILITATE INCARNATIONIS.

Quoniam Theologia est illa mystica *Turris David, ex qua mille Clypei pendent, omnis armatura fortium,* Cant. 4. debetque vir Theologus comparare se ad omnes prorsus eventus, congressus, et disputationes, prout varia quotidie occurrunt hominum ingenia, idque monente Apostolorum Principe, *Parati,* inquit, *simus satisfacere omni poscenti rationem, de ea, quæ in nobis est spe et fide*; hinc est, quod maturo consilio Theologiæ Principes suas de Divina Verbi Incarnatione disputationes ordiantur ab illius possibilitate et non repugnantia; quatenus dum sese offerret occasio cum Gentilibus Philosophis de Religione Christiana congrediendi, instructi sint et parati, nedum ad refellenda omnia, quæ adversus hoc ineffabile Mysterium humana mens fingere posset et objicere; sed insuper momenta ex proprio promptuario ipsi subjiciant, quibus illud esse possibile, ac Deo congruum, nobisque summe necessarium suadere valeant. In quo certe Subtilis Doctor ordine convenientiori, quam S. Thomas, videtur egisse: hic enim primum de convenientia disputat, ille vero a possibilitate quæstiones auspicatur; prius autem statuendum est rem aliquam esse possibilem, quam convenientem, quippe ex possibilitate rei congruitas, non vicissim ex congruitate possibilitas est judicanda.

Cum autem tria maxime circa præsentem difficultatem occurrere possint dubia. *Primum,* an illa unio divinæ naturæ cum humana in unitate personæ sit possibilis factu. *Secundum,* an illa possibilitas sit cognoscibilis, ac demonstrabilis aliqua naturali ratione. *Tertium,* quænam sint momenta, quæve rationes, quibus illa possibilitas, possit suaderi. Hinc tres illas difficultates totidem Quæstionibus in præsenti Sectione resolvemus.

QUÆSTIO PRIMA.

AN UNIO DIVINÆ NATURÆ CUM HUMANA IN UNITATE PERSONÆ SIT POSSIBILIS.

Notandum 1. Ex Subtili Doctore in 1. dist. 2. qu. 7. n. 10. possibile duplex distingui: logicum scilicet, et physicum. *Possibile lo-*

gicum, inquit, *est modus compositionis formatæ ab intellectu, cujus termini non includunt contradictionem, et ita hoc modo possibilis est hæc propositio, Deum posse produci, et Deum esse Deum*: possibile vero *reale*, seu *physicum* est, *quod accipitur ab aliqua potentia in re, sicut a potentia inhærente alicui, vel terminata ad illud sicut ad terminum*. Hoc est, illud dicitur possibile physicum, quod potest esse terminus realis alicujus potentiæ productivæ, qualiter ante creationem mundus erat possibilis, et innumeræ dicuntur adhuc creaturæ possibiles, quas Deus ex infinita sua potentia producere posset, nec tamen pro suo sapienti consilio producet unquam. De utraque possibilitate hic futurus est sermo: quippe determinandum suscipimus, an propositio illa, *Deus est homo*, contradictionem aliquam implicet, anve unio Divinitatis cum humanitate supremam Dei potentiam non excedat, nec fugiat.

Notandum 2. Certum esse quod non detur medium inter hæc duo, *esse possibile*, et *esse impossibile*; non enim datur aliquod medium inter implicare contradictionem, quod est impossibile, et non implicare contradictionem, quod est possibile; medium tamen admittitur inter hæc duo: *demonstrare, quod aliquid sit possibile*, et *demonstrare quod aliquid sit impossibile*; multa namque sunt possibilia, de quibus tamen nullum datur medium positivum naturale per quod demonstretur possibilitas illorum; hæc autem, quia possibilia sunt, non possunt demonstrative probari esse impossibilia, nam verum vero non opponitur, sed soli falso: quare si verum sit, quod aliquid sit possibile, falsum est, quod sit impossibile: argumentatio autem, quæ falsum concludit, nullatenus potest esse demonstrativa.

Notandum 3. Deum incarnari, non esse Deum in carnem transmutari, sed Deum manentem Deum, fieri hominem in unitate suppositi; ita ut persona Divina non solum terminet, ac supponitet naturam Divinam, sed etiam humanam; quare sicut Petrus dicitur homo, quia ejus persona sustentat et personat naturam humanam; sic Deus dicitur homo, quia Divina persona Verbi sustentat ac terminat naturam humanam. Ex ea autem terminatione sequitur in Deo denominatio intrinseca, qua dicitur intrinsece unitus homini: ad hanc enim denominationem sufficit, quod natura humana substantialiter, et intime uniatur Divinæ personæ. Non tamem ea ratione est denominatio intrinseca, quasi natura humana informet Deum, qui dicitur homo: hinc illa denominatio, *Deus est homo*, accedit aliquo modo ad denominationem extrinsecam, et ab ea etiam recedit. Accedit quidem, quia natura humana non informat Deum, qui dicitur homo, cum tamen aliæ denominationes intrinsecæ desumantur a forma informante. Recedit vero, quia aliæ denominationes extrinsecæ, sunt vel a formis accidentaliter unitis, vel a terminis extra subjectum denominatum existentibus: hæc vero denominatio sumitur a natura humana personaliter, et substantialiter unita Verbo, quod ejus personalem dependentiam terminat.

His ita præmissis, duo maxime hac in Quæstione sunt determinanda: *Primum* quidem an illa unio personalis divinæ naturæ cum humana sit possibilis. *Secundum*, an solvi possint omnes rationes, quæ illam possibilitatem videntur impugnare.

Conclusio prima. — Possibile fuit Naturam humanam uniri Verbo divino in unitate suppositi.

Probatur primo: Ab actu ad posse legitima est consecutio: sed illa unio de facto est peracta; igitur est factu possibilis. *Major* constat, quod enim revera est, non habet repugnantiam ad existendum. *Minor* est de fide, constatque illis omnibus momentis, quibus Sectione tertia sequenti probabimus adversus Judæos Messiam venisse, ac peractum esse Incarnationis Mysterium.

Probat secundo Doctor in 3. dist. 1. q. 1. n. 4: Illud est possibile, quod nullam repugnantiam præsefert: sed nullatenus repugnat naturam uniri Verbo in unitate suppositi: ergo potest id fieri. *Probat Minorem:* si quæ esset repugnantia, peteretur vel ex parte Verbi assumentis, vel ex parte naturæ assumptæ: sed ex neutro capite repugnantia deduci potest. *Non quidem ex parte Verbi assumentis:* id enim repugnaret, vel quia persona divina est, vel quia peculiaris est persona Verbi. Non primum, quia, inquit Doctor, terminare dependentiam naturæ humanæ, non infert aliquid repugnans personæ divinæ; quippe cum non importet compositionem, ad quam requiritur actus et potentia; siquidem persona divina non est actus informans, sed dumtaxat terminus humanæ naturæ dependentiam terminans. Nec pariter infert potentialitatem aliquam, aut limitationem, aut dependentiam, quia ad illam terminationem seu unionem non requiritur aliud per se, quam quod terminans sit independens ab eo quod terminat: Verbum autem independens est a natura humana, quam terminat, sicut Deus licet terminet dependentiam creaturarum ab ipso, non censetur ab eis ullatenus pendere. *Non etiam repugnat, quia peculiaris est persona Verbi*, quia si ex hoc capite aliqua repugnantia exurgeret, maxime quia non posset dari unio ad unam personam, quin necessario daretur ad reliquas, alia namque ratio assignari non potest: sed ita non est, licet enim quod convenit naturæ divinæ, etiam singulis tribus personis indivisim commune sit; non tamen, quod convenit uni personalitati, omnibus debet esse commune: nam paternitati convenit constituere Patrem; idipsum autem con convenit filiationi, neque spirationi passivæ: potest igitur uni ex divinis personis convenire ratio terminandi hypostatice naturam humanam, absque eo quod aliis idipsum conveniat. Ratio autem, inquit Doctor, quare quælibet persona divina potest terminare dependentiam naturæ alienæ est, quia quælibet personalitas divina est in se et ex se formaliter independens: quodlibet autem independens in aliquo genere potest terminare aliud, quod in tali genere dependentiam habet: igitur persona divina in se, et ex se independens, potest sufficienter terminare talem dependentiam naturæ creatæ. — *Denique* non repugnat illa unio hypostatica *ex parte naturæ assumptæ:* si enim repugnaret, maxime quia singularitas personæ alicujus non posset ab ejusdem personalitate separari, ac subinde cum non possit ulla natura assumi nisi existens, et consequenter, nisi singularis, quia existentia singularium est, idcirco nec assumi posset, nisi personata, quod cum repugnet, etiam repugnaret naturam singularem assumi: sed hæc ratio nulla est, sufficienter enim probatum est in Metaphysica, personalitatem a singularitate realiter esse distinctam et separabilem, nec repugnare, ut substantia aliqua sit singu-

laris, et tamen ulterius communicabilis ; igitur Deus poterit sibi naturam singularem unire seclusa ejus personalitate, et consequenter ex nullo capite repugnat illa divinitatis cum humanitate unio in unitate personæ.

Conclusio secunda. — Nulla ratione naturali demonstrari potest divinæ Incarnationis impossibilitas.

Probatur: Verum vero non potest esse contrarium : sed verum est Incarnationem esse possibilem, ut liquet ex præcedenti Conclusione : ergo nulla ratio naturalis, quæ veritatem aliquam præseferat, potest illius impossibilitatem suadere. *Deinde*, si quæ ratio hanc impossibilitatem evincere posset, peteretur vel ex parte Dei non valentis naturam humanam assumere in unitate personæ, vel ex parte ipsiusmet naturæ, quæ taliter non esset assumptibilis : sed ex neutro capite repugnat, ut supra probatum est, et constabit amplius ex solutione omnium rationum mox objiciendarum : igitur, etc.

Objicies 1. Actus purus non est unibilis cum ullo alio : sed quælibet persona divina est actus purus : ergo non est unibilis cum natura extranea. *Minor* constat. *Major* pariter; si enim actus uniretur, jam non esset actus purus, quia diceret potentialitatem ad aliud cum quo uniretur : ergo, etc. — **Distinguit majorem Doctor** n. 16. Actus purus non est unibilis cum altero per modum partis componentis, ita ut cum alio, cui unitur, faciat unum per se, quod constet partibus se habentibus ut materia et forma, concedit : non est unibilis per modum termini infiniti supplentis vices alicujus termini creati, negat; et concessa *minore*, negat *consequentiam*.

Instabis : Persona divina non potest uniri humanitati, nisi cum ipsa constituat aliquod unum per se : sed unum per se non constituitur ex pluribus, nisi unum eorum habeat rationem actus, aliud vero rationem potentiæ : igitur si Verbum divinum uniatur humanitati, necessum est, quod habeat rationem partis componentis. — **Distinguo minorem** : unum per se, quod fit per compositionem et informationem, fieri nequit, nisi ex partibus, quarum una sit actus, alia potentia, concedo : quod fit per terminationem dependentiæ unius ad alterum, nego. Verbum autem divinum unitur humanitati, ut constituat unum per se Christum, non quidem per modum compositionis formalis, sed dumtaxat per modum personæ divinæ terminantis, ac supplentis vices personæ creatæ.

Urgebis : Illa unio, quæ fieret per modum termini, suppleret vices personalitatis humanæ, ergo veram et realem compositionem efficeret. *Probatur consequentia :* Quidquid supplet vicem personalitatis, idem præstare debet, quod ipsa personalitas : sed personalitas humana veram efficit compositionem cum natura individuali ; est enim actus informans et perficiens ipsam naturam : ergo si persona divina suppleat vicem personalitatis humanæ, debet efficere compositionem cum ipsa natura assumpta. — **Nego consequentiam** ; et ad ejus probationem *respondeo primo*, distinguendo *majorem :* id quod supplet vicem personalitatis debet idem præstare, quod ipsa personalitas, quatenus est terminus ultimus efficiens, ne natura ulteriorem habeat communicationem, concedo : quatenus est actus ipsam naturam afficiens et perficiens per

modum formæ, nego. Primum est de ratione formali et speciali personalitatis, quatenus præcise personalitas est; non ita secundum, quia ratio afficiendi et perficiendi communis est personalitati cum cæteris modis et formis tam accidentalibus quam substantialibus, si, ut volunt aliqui, personalitas ipsa creata sit modus, vel forma positiva. — *Respondeo secundo* negando *minorem;* nam, ut fuse probavimus in nostra Metaphysica, probabilius est ex mente Doctoris Subtilis, quod ratio formalis personæ non sit aliquid positivum, sed tantum connotet, supra rationem individui, negationem ulterioris communicationis ipsius naturæ individuæ alteri tamquam supposito, cum quo censeretur facere unum ens per se.

Objicies 2. Inter ea quæ inter se invicem unibilia sunt, debet intercedere quædam proportio: sed inter personam divinam et naturam creatam nulla intervenit proportio; quippe persona divina infinita est, natura vero creata finita; finiti autem ad infinitum nulla est proportio: ergo non sunt invicem unibilia. — **Distinguit majorem Doctor** *ibidem:* debet esse proportio entitatis ad entitatem, negat: habitudinis, qualis est inter causam et effectum, objectum et potentiam, terminans et terminatum, concedit. Inter Deum equidem, et creaturam non est proportio entitatis, sed terminationis, tum ex parte Dei, tum ex parte ipsius creaturæ: nam creatura in ratione effectus, terminat fœcunditatem et causalitatem divinam, per quam producitur, et Deus vicissim in ratione objecti terminat activitatem intellectus et voluntatis creatæ, a quibus percipitur: ergo quamvis non sit proportio entitativa inter Verbum et ipsam humanitatem, quia Verbum illam infinities excedit in perfectione et dignitate; tamen est proportio terminativa personalis sufficiens ad unionem, de qua loquimur: quippe cum Verbum sit persona infinita, virtutem habet terminandi omnem communicationem naturæ personabilis, quæ ab ipso tamquam a causa dependet.

Subsumes: Infinitum et finitum non possunt etiam esse simul in ratione terminantis et terminati: ergo nulla solutio. *Probatur subsumptum:* contraria nequeunt simul existere, propter eorum repugnantiam: sed finitum et infinitum magis invicem pugnant, quam contraria, quia sunt magis diversa, quippe cum in aliquo genere invicem non conveniant, sicut conveniunt contraria in genere qualitatis et accidentis: igitur nequeunt simul subsistere. — **Negat subsumptum Doctor**, et ejus probationis negat *minorem*. Non enim idcirco contraria sunt invicem incompossibilia, quia habent diversitatem: quia quantitas, et albedo sunt magis diversæ, quam albedo, et nigredo, quandoquidem quantitas, et albedo spectant ad diversa prædicamenta; albedo vero, et nigredo sunt ejusdem prædicamenti; unde quæ sunt diversi generis possunt invicem subsistere, ut quantitas, et albedo, licet ea quæ sunt ejusdem prædicamenti simul esse nequeant, propter nativam suam oppositionem: et consequenter incompossibilitas contrariorum provenit dumtaxat ex eorum repugnantia naturali. Natura autem divina et humana non habent ex natura sua particulari repugnantiam aliquam respectu ejusdem suppositi, et subinde quamvis sint magis diversæ quam contraria, possunt facilius invicem subsistere in eodem supposito, quam contraria.

Objicies 3. Si Verbum divinum posset incarnari, etiam posset pati:

sed pati nequit: ergo nec incarnari. *Major* constat, quia sicut *Incarnare* est agere, ita *Incarnari* est pati; nam actioni omni correspondet passio. — **Negat majorem Doctor**, ad cujus *probationem* dicit, quod quamvis actioni omni transeunti correspondeat passio, et consequenter, quamvis incarnationi activæ correspondeat aliqua passio, sicut calefactioni activæ correspondet passio calefactionis passivæ: tamen illa passio correspondens actioni incarnativæ non significatur hoc verbo *Incarnari*, sed designatur per verbum *assumi*, vel *uniri*; ex eo quod *Incarnare* significet effective unire carnem, seu naturam humanam supposito Verbi, efficiendo, ut sit assumpta a Verbo per dependentiam illam specialem, quam habet ab ipso, ratione unionis hypostaticæ. Igitur verbum passivum proprie correspondens verbo activo *Incarnare* non est Verbum *Incarnari*, sed verbum *uniri*, vel *assumi*. Ex quo sequitur, quod illa passio correspondens incarnationi activæ sit tantum in natura humana, quæ assumitur, et non in Verbo, quod assumit. Quamvis ergo grammaticaliter loquendo, inquit Doctor, incarnari sit verbum passivum, quod videtur correspondere verbo activo incarnare, tamen realiter et significative non est verbum passivum ipsi correspondens.

Objicies 4. Implicat Deum mutari: sed si incarnaretur, revera mutaretur, acquireret enim novam naturam, eamque terminaret, quam prius non habebat, nec terminabat: ergo, etc. — **Nego minorem**: non enim posita possibilitate Mysterii Incarnationis, propterea sequitur Deum mutari, tota enim illa mutatio Verbo Divino extrinseca est, cum nullam formam in se recipiat, per quam intrinsece afficiatur de novo; sed tota illa mutatio in naturam humanam refunditur, quæ recipit personam Verbi, cui substantialiter unitur, et per quam terminatur omnimoda illius communicatio. ✻ " Id innuit Apostolus ad Philipp. 2. cum ait: *Habitu inventus ut homo*, quæ verba præclare explicat S. Augustinus. lib. 83. 99. quæst. 73. ubi præmissa multiplici *habitus* notione, hæc habet: *Habitus ergo in ea re dicitur, quæ nobis ut habeatur accidit. Rerum tamen hoc interest, quod quædam eorum, quæ accidunt nobis ut habitum faciant, non mutantur a nobis, sed ipsa nos mutant, in seipsis integra manentia, sicuti sapientia cum accidit homini, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit. Quædam vero sic accidunt, ut et mutent et mutentur, sicuti cibus ipse amittit speciem suam atque in corpus nostrum vertitur: at nos refecti cibo ab exilitate atque languore in robur atque valentiam commutamur. Tertium vero genus est, cum ipsa quæ accidunt mutantur, et quodammodo formantur ab eis, quibus habitum faciunt, sicuti est vestis: nam cum reposita vel projecta est, non habet eam formam quam sumit cum induitur, atque inducitur membris; ipsa autem membra et cum induuntur et cum exuuntur in suo statu manent. Potest esse et quartum genus, cum ea quæ accidunt ad faciendum habitum, nec ea mutant quibus accidunt, nec ab iisdem ipsa mutantur; sicut annulus in digito . . . . Iste autem habitus* (quo nempe Filius Dei dicitur inventus ut homo) *non est ex primo genere; non enim manens in se natura hominis divinam commutavit. Neque ex secundo; non enim immutavit homo Deum, et mutatus est ab illo. Neque ex quarto; neque enim sic assumptus est homo, ut neque illum mutaret Deus, neque ab ipso mutaretur. Sed potius ex tertio; sic enim assumptus est*

homo ut commutaretur in melius, et ab eo formaretur ineffabiliter excellentius atque conjunctius, quam vestis, cum ab homine induitur. Hoc ergo nomine habitus satis significavit Apostolus, quemadmodum dixerit in similitudinem hominum factus, quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est. — Id rursus appositissimo exemplo idem exponit sanctus Augustinus, Serm. 27. *De tempore. Neque enim,* inquit, *quia dictum est: Deus erat Verbum, et Verbum caro factum est; sic Verbum caro factum est ut esse desineret Deus. Sicut enim Verbum, quod corde gestamus, fit vox cum id ore proferimus, non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro, ista in qua procedat assumitur: ut et intus maneat quod intelligatur, et foris sonet quod audiatur. Hoc idem tamen profertur in sono, quod ante sonuerat in silentio: atque ita verbum, cum sit vox, non mutatur in voce: sed manens in mentis luce, et assumpta carnis voce procedit ad audientem, et non deserit cogitantem.* — *Ad rationem* autem allatam pro confirmatione *minoris* dico quod ¨ ✳ id quod acquirit novam naturam, mutatur quidem si acquirat illam tamquam recipiens; non vero sit tamquam se tribuens et communicans illi: at quando Deus in Mysterio Incarnationis acquirit humanam naturam, non illam in se recipit, sed seipsum illi communicat, subindeque non mutatur: sic quando aliqua creatura de novo producitur, habet relationem realem ad Deum creatorem, ratione cujus Deus, qui se illi creaturæ communicat, acquirit rationem termini respectu illius, nec tamen propterea mutatur.

Instabis: Qua ratione natura humana dicitur mutari per Incarnationem, eadem Verbum Divinum diceretur mutatum: ergo, etc. *Probatur antecedens:* idcirco natura humana dicitur mutari, quia recipit in se naturam divinam, quam non habebat in se, seu cui non erat unita personaliter: atqui etiam Verbum Divinum per Incarnationem habet sibi copulatam personaliter naturam humanam, cui antea non erat unitum: ergo pari ratione per Incarnationem dicitur mutari. — **Nego antecedens**: et ratio disparitatis est, quod Verbum Divinum sibi copulat naturam humanam per modum terminantis illius dependentiam in ratione personæ; natura vero humana in se recipit personam Verbi tamquam sui complementum intrinsecum; quippe, cum Verbum gerat vices personalitatis creatæ, quæ spectat ad complementum substantiale ipsius naturæ, quo fit, ut ipsa natura dicatur perfici per illam unionem personalem Verbi, quia Verbi personalitas gerens vices personæ creatæ, confert ipsi naturæ complementum, sine quo illa natura censeretur incompleta. Secus autem est de Verbo Divino, quia Verbum Divinum nihil perfectionis, nec complementi per illam terminationem acquirit: non enim minus esset infinite perfectum, etsi ipsius personalitatis creatæ vices non gereret.

Urgebis: Quamquam Verbum Divinum habeat rationem terminantis respectu naturæ assumptæ, non minus revera diceretur mutari: igitur prætata solutio nulla. *Probatur antecedens:* ita se habet, proportione servata, personalitas divina in ratione terminantis, ad naturam, sicut se habet intellectus divinus ad objectum intelligibile: sed intellectus divinus revera diceretur mutari, si terminaretur de novo ad aliquod objectum intelligibile, ad quod antea non terminabatur, quippe

Deus censeretur aliquid cognoscere de novo, quod prius non cognoscebat: ergo, etc. — **Nego antecedens.** et ad illius probationem, nego paritatem. Ratio disparitatis est, quod intellectus divinus habeat pro objecto omne ens intelligibile, quacumque ratione intelligibile sit; unde si de novo terminaretur ad aliquod objectum, quod prius non attingebat, revera mutaretur; quia consequens esset, quod non sese extenderet ad id omne, quod est intelligibile, nec consequenter adæquaret latitudinem sui objecti, ad quod ex infinita sua virtute naturaliter tendit; secus autem est de personalitate divina, quæ ex innata sua virtute non postulat terminare personaliter omnem omnino naturam tam increatam, quam creatam, sed præcise, et ex se fertur dumtaxat ad terminandam naturam divinam: quapropter non minus completa est ejus virtus, ubi naturam divinam terminat dumtaxat, quam si quaslibet naturas creatas terminaret.

Subsumes: Ideirco intellectus divinus sese extendit ad id omne quod est intelligibile, et mutaretur si illud non attingeret ab æterno, quia vim infinitam habet intelligendi: sed etiam personalitas divina vim habet infinitam terminandi communicationem naturæ: ergo qua ratione intellectus divinus censeretur mutari, si de novo perciperet aliquod objectum intelligibile, pari ratione divina personalitas censeretur mutari, si alicujus naturæ communicationem de novo terminaret. — **Nego paritatem**: quia objectum cognoscibile, qua cognoscibile est, per se spectat ad adæquatum objectum intellectus divini, quod est omne ens intelligibile: natura autem omnis terminabilis hypostatice non per se spectat ad personalitatem divinam, quia quælibet natura ex ratione sua formali et naturali postulat terminari per propriam personalitatem: unde non est eadem ratio de objecto cognoscibili ab intellectu divino, ac de natura terminabili a personalitate divina. His adde quod objectum cognoscibile conferat ad perfectionem potentiæ cognoscentis: quo enim objectum præstantius cognoscitur, eo præstantior est intellectus notitia: terminabilis autem natura non per se confert ad perfectionem personalitatis terminantis; imo ipsa personalitas ex se confert ad ipsius naturæ personatæ et terminatæ dignitatem ac præstantiam, quanto enim dignius est suppositum, tanto dignior est natura personata.

Urgebis insuper: Quod transit de potentia ad actum, revera mutatur: sed natura divina per Incarnationem transiret de potentia ad actum, quia de unibili fieret unita: ergo mutaretur. — **Distinguo majorem**: quod transit de potentia ad actum passive vel subjective, hoc est per modum inhærentis vel informantis, mutatur, quia novam recipit formam quam non habebat, concedo: active, et per communicationem, nego. Et similiter distincta *minore*, nego *consequentiam*: natura enim divina unitur humanæ per modum potentiæ activæ; quia illa unio nihil aliud est, quam communicatio personalitatis divinæ, qua Verbum Divinum assumit naturam humanam in unitatem personæ.

Dices 5: Ex duobus entibus in actu non potest fieri unum per se: sed natura divina, et humana sunt entia in actu; utraque enim habet id omne, quod requiritur ad sui perfectionem: igitur vel non potest fieri utriusque unio, vel unitum non erit ens per se. — **Respondeo,**

naturam humanam in Christo esse quidem perfectam in ratione naturæ, imperfectam tamen et incompletam in ratione personæ: quia propria personalitate caret, et ita potest subsistere per personalitatem divinam, et cum illa efficere unum per se, nempe Christum.

Objicies 6. Duo contradictoria de eodem verificari nequeunt: sed si divina natura cum humana posset sociari in eadem persona, sequeretur illam esse simul finitam et infinitam, creatorem et creaturam, mortalem et immortalem, quæ sunt contradictoria: igitur hæc fieri nequeunt. — **Distinguo majorem**: contradictoria nequeunt esse vera de eodem secundum idem, concedo: secundum diversa, nego; nam homo simul est mortalis et immortalis; mortalis quidem ratione corporis, immortalis autem ratione ipsius animæ. Christus autem dicitur mortalis ratione humanitatis assumptæ, immortalis autem ratione naturæ divinæ.

Objicies ultimo: Deus supplere nequit effectum causæ formalis: ergo nec supplere potest effectum subsistentiæ creatæ, et humanæ. — **Distinguo antecedens**: omnem effectum, concedo; aliquem nego. Subsistentia autem humana duo habet: primum ut afficiat per modum formæ, si sit aliquis modus substantialis ipsam naturam individualem afficiens, ut volunt aliqui, et hunc effectum non potest Deus supplere. Alterum ut terminet naturam ultimate, et sic terminando denominet illam subsistentem; et hoc Deus supplere potest æquivalenter per suam subsistentiam, non quidem connaturalem subsistentiam largiendo, sed aliam æquivalentem et longe digniorem, puta propriam subsistentiam, quæ terminat ulteriorem communicationem naturæ creatæ; sed longe digniori modo ac præstantiori, quam a propria personalitate terminaretur.

Instabis: Non potest personalitas Verbi gerere vices personæ creatæ nisi contineat illam eminenter et virtualiter: sed ita non est, quippe, inquit Doctor, cum personalitates divinæ non sint formaliter perfectæ nec infinitæ, non possunt virtute continere perfectionem creatæ personalitatis. Adde quod etiamsi taliter eam contineret, non propterea posset illius vices supplere; siquidem natura divina, quæ continet virtualiter personalitates creatæ, sicut et quamlibet creaturam, quia est formaliter infinita, nequit tamen supplere vices personalitatis creatæ: ergo neque id poterit exequi personalitas Verbi. — **Negat majorem Doctor**. ibid. n. 4. Non enim idcirco persona Verbi supplere potest vices personalitatis creatæ, quia est infinita vel perfecta, sed quia est omnimode independens in ratione personæ, idcirco supplere potest vices cujuslibet personæ dependentis: et hac ratione licet essentia divina virtualiter et eminenter contineat personalitates creatas, nequit tamen earum vices gerere, quia ipsa non est formaliter independens in ratione personæ. Ideo, inquit Doctor, non ex perfectione entis personalis colligitur quod personalitas Verbi possit supplere personalitatem creatam, *sed ex hoc quod illa entitas personalis est independens: et independens in quantum tale, potest terminare dependentiam alterius ad ipsum, quod natum est habere terminum talem: ista autem dependentia nata est habere personam pro termino, et non naturam: igitur persona divina independens potest sufficienter terminare talem dependentiam naturæ creatæ ad ipsam.*

QUÆSTIO SECUNDA.

AN, ET QUO LUMINE COGNOSCI POSSIT ET SUADERI INCARNATIONIS MYSTERIUM.

Notandum 1. Triplex solito nobis affulgere lumen, quo res divinæ ac supernaturales possunt innotescere; *Primum* est lumen fidei infusæ, quo percipiuntur per speculum et in ænigmate. *Secundum* est demonstrationis, vel scientiæ divinitus inditæ, aut ex principiis revelatis, et ratiocinationis adminiculo comparatæ. *Tertium* denique est suasionis, quæ petitur ex conjecturis et rationibus, ac similitudinibus nititur et firmatur. Fides informat ac illustrat fidelem per auctoritatem revelantis, cui credit: scientia Philosophum confirmat et convincit per evidentiam demonstrationis et illationis unius veritatis minus notæ, ex principiis naturaliter evidentibus: suasio denique rudes et ignaros instruit, ac ad suscipiendam veritatem disponit per notitiam eorum quæ in prospectu habent. An autem triplici hoc lumine probetur Incarnationis Mysterium, quæritur apud Theologos. Conveniunt autem omnes illud quidem innotescere lumine fidei; quippe Scripturæ sacræ nihil frequentius efferunt quam adorandum hoc Mysterium: quocirca recte Christus monebat Judæos Joan. 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Difficultas ergo est dumtaxat de lumine scientiæ ac suasionis; an videlicet per demonstrationem, aut per conjecturam aliquam evidenter detegi possit hoc Mysterium, tum a Philosophis, tum a rudioribus et ignaris.

Notandum 2. Res supernaturales esse in duplici differentia: quædam enim supernaturales dicuntur quantum ad substantiam, aliæ vero dumtaxat quantum ad modum. Prioris generis et ordinis sunt illa omnia quæ naturam ita excedunt, ut nullo prorsus cujusvis intellectus conamine, nativa ac propria virtute deprehendi possint et cognosci: puta personarum Trinitas in unitate essentiæ, decretum prædestinationis hujus aut illius hominis, *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis*, inquit S. Paulus 1. ad Corinth. 2, *nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita quæ sunt Dei nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Posterioris vero generis sunt res illæ ordinis quidem naturalis quantum ad entitatem, licet non ita sint quantum ad modum existendi. Sic v. g. visus restitutus cœco nato naturalis est secundum entitatem, quippe facultas illa visiva ejusdem ordinis est et rationis cum ea quæ per generationem habetur: sed est supernaturalis quantum ad modum; quia excedit vires naturæ, et modum ac ordinem quem Deus ex ordinaria sua providentia servare solet in agendo. Controvertitur autem inter Theologos an seclusa omni fide ac revelatione divina, Incarnatio Verbi ita sit supernaturalis secundum entitatem, ut naturaliter percipi non possit. Censent aliqui quod cum illa nonnisi extraordinaria Dei virtute patrata fuerit, inde constare eam evidenti ratione non posse probari. Verum nonnulli Theologi, quibus præivisse dicitur Raymundus Lullius, contendunt Incarnationem adversus obnitentes Philosophos evidenter posse probari.

Notandum 3. Incarnationem spectari posse vel ut possibilem, vel

ut futuram, vel ut peractam, de quo triplici statu potest esse difficultas; qualiter ab homine viatore necnon et ab Angelis, tum beatis, tum damnatis possit cognosci.

Conclusio prima. — NULLUS INTELLECTUS ANGELICUS AUT HUMANUS POTEST NATURÆ VIRIBUS INCARNATIONIS POSSIBILITATEM, AUT FUTURITIONEM DETEGERE: NEC EXISTENTIAM EVIDENTER, ET CERTO COGNOSCERE.

Probatur prima pars: Entia supernaturalia secundum substantiam non possunt naturæ viribus attingi: sed Incarnatio supernaturalis est secundum entitatem: ergo nullo intellectus naturalis conamine percipi potest. *Major* constat, eo enim entia supernaturalis ordinis secundum entitatem talia dicuntur, quod omnimodum naturæ captum transcendant. *Minor* etiam patet, siquidem omnino supernaturale est, quod Deus hypostatice sit unitus homini, quod natura creata suo spolietur connaturali subsistendi modo, quod naturalis subsistentiæ vices a personalitate divina suppleantur, etc. — *Deinde*, ut intellectus comprehendere posset Incarnationis Mysterium, deberet evidenter cognoscere potentiam obedientialem naturæ rationalis secundum id omne ad quod illa potentia sese extendere potest; deberet pariter cognoscere virtutem Omnipotentiæ divinæ penes supremum effectum, quem ipsa potest edere; siquidem Incarnatio est maximum et præstantissimum opus divinæ Omnipotentiæ: sed hoc utrumque capere non potest evidenter intellectus creatus propriis viribus: igitur nec Mysterium Incarnationis certo et evidenter detegere. — *Denique*, ut illa possibilitas posset conjici, et alicui venire in mentem, oporteret esse aliquod medium in rebus creatis ex quo creatus intellectus illam possibilitatem posset deprehendere: sed nullum est tale medium: tum quia mysterium illud opus est summæ Dei liberalitatis ac libertatis; et subinde nulla illius est cum naturalibus causis et effectibus connexio: tum quia cum natura quæque creata infinite distet a Deo, ex se nihil prorsus habet, quo possibilem sui cum Deo intimam unionem ostendat: igitur nullo medio, nullaque virtute creatus intellectus, seclusa fide et revelatione, potest hujus mysterii possibilitatem detegere.

Secunda, et tertia pars simul probantur: *Primo* quidem ex Scriptura, quæ mysterium hoc creaturis absconditum pronunciat. Sic Paulus ad Ephesios 3. loquens de Mysterio Incarnationis illud appellat *Investigabiles divitias Christi, et Sacramentum absconditum a sæculis in Deo:* et 1. ad Corinth. 2. vocat *Sapientiam in mysterio quæ abscondita est.* Quapropter Christus Isaiæ 8. dicitur *Deus absconditus*, propter videlicet hominis assumpti Sacramentum. Quod eximie probat sanctus Ambrosius in secundum caput posterioris ad Corinthios, ubi ita concludit: *Absondita est ergo Dei sapientia dum non in verbis, sed in virtute est: non humana ratione possibilis, sed Spiritus efficacia credibilis.* Quibus pariter quadrat illud Isaiæ 35. *Generationem ejus quis enarrabit?* Unde S. Ambrosius lib. 1. *De fide*, cap. 3. *Mihi quidem impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et Angelorum.* Et post pauca: *Non sola admirabilis ex Patre generatio Christi: admirabilis etiam ejus generatio ex Virgine.* — Idipsum testantur cæteri sancti Patres: imprimis Dionysius lib.

De divinis Nominibus, cap. 2. *Jesu*, inquit, *in carne apparitio, et ineffabilis est sermone, et omni ignota intelligentiæ: ipsi quoque antiquissimo Angelorum primati non satis perspecta.* Cui concinit sanctus Cyrillus Alexand. lib. *De Incarnatione Unigeniti*, cap. 7. dicens adunationem Verbi cum carne, omni humana cognitione esse superiorem. Quod aperte demonstrat sanctus Augustinus Epist. 3. ad Volusianum, ubi de hoc mysterio loquens ait: *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

Dices 1: Ratio naturalis non judicat evidenter incarnationem esse impossibilem: ergo judicare potest illam esse possibilem. *Consequentia* patet, quia inter contradictoria, qualia sunt possibile et impossibile, non datur medium. — **Nego consequentiam**: licet enim a parte rei inter mysterium esse possibile et impossibile non detur medium; tamen datur inter judicare illud mysterium esse possibile, et judicare esse impossibile: etenim inter utrumque hoc judicium datur suspensio et negatio actus. Unde si aliquis Philosophus requireretur an judicaret unionem Dei cum homine esse possibilem aut impossibilem; vel suspenderet actum nihil affirmando aut negando; vel si aliquid proferret, illud certe excederet captum ipsius intellectus, mitteretque falcem in messem alienam: cum enim Incarnatio sit ordinis supernaturalis, excedit sphæram naturalem intellectus creati, nullamque habet connexionem cum principiis naturalibus, ex quibus dumtaxat Philosophus suam mutuari potest certam notitiam.

Dices 2: Angelus evidenter cognoscit Deum posse efficere quidquid non implicat contradictionem: sed etiam ipsi est evidens nullam esse contradictionem, quod Deus fiat homo; siquidem naturaliter novit quod Deus sit subsistens et independens in ratione personæ, novit pariter subsistentiam naturæ humanæ ab illa esse separabilem: igitur colligere potest, quod divina persona ratione suæ independentiæ possit supplere vices personalitatis creatæ. — **Nego minorem**: quamquam enim Angelus cognoscere possit subsistentiam divinam esse communicabilem, et subsistentiam creatam esse distinctam naturaliter a natura humana, tamen nesciret quo pacto Verbum uniri posset humanæ naturæ; quippe ipsi non esset notum, an subsistentia illa humana realiter esset a sua natura separata, et utrum ipsa natura subsisteret subsistentia Verbi, siquidem modus ille subsistendi est supernaturalis ordinis.

Instabis: Subsistentia creata est ordinis naturalis, et intra latitudinem objecti naturalis Angeli: ergo potest nosse Angelus illam abesse a natura individuali Christi; et proinde nosse potest naturam illam subsistere subsistentia Verbi. — **Nego hanc ultimam consequentiam**; quamquam enim Angelus agnoscere possit naturam humanam Christi non habere propriam subsistentiam, tamen inferre non potest exinde, illam subsistere subsistentia Verbi; quippe judicare posset Deum conservare illam naturam individualem absque omni subsistentia, sicut de facto conservat species Eucharisticas absque omni subjecto.

Dices 3: Angelus cognoscere potest resurrectionem hominis esse possibilem; ergo etiam judicare potest incarnationem esse possibilem.—

Nego antecedens: quamquam enim hominis resurrectio non sit supernaturalis quoad substantiam sicut Incarnatio, tamen cum sit ordinis supernaturalis quoad modum, pendeatque ex libera Dei voluntate, et nulla sit causa naturalis per quam possit fieri, hinc est quod Angelus certo non potest cognoscere naturali lumine resurrectionem esse possibilem.

Dices 4: Philosophus aliquis peritissimus solvere poterit evidenter omnia argumenta suadentia impossibilitatem Incarnationis : igitur inferre poterit illam esse possibilem. — **Distinguo antecedens:** solvere poterit negative, hoc est negando principia ex quibus inferuntur, et ostendendo illationes ex illis principiis non convincere, nec omnimode persuadere, concedo : solvere poterit positive, evidenter ostendendo, quod principia ex quibus procedunt, falsa sunt, et subinde quod eorum contradictoria sunt vera, nego: non enim consequens est, quod qui probat evidenter aliquibus rationibus, aliquid non esse impossibile, iisdem rationibus suadeat et evincat illud esse possibile ; quia possibilitas alicujus rei non pendet a rationibus, quæ illam suadent, sed a suis intrinsecis principiis ex quibus fit quod res illa sit possibilis. — His adde, quod etiamsi Philosophus solveret omnes sibi propositas rationes contra possibilitatem Incarnationis, tamen certo judicare non posset nullam esse rationem, quæ illam impossibilitatem astrueret; imo posset suspicari longe urgentiores proponi posse rationes, quæ illam impossibilitatem evincerent.

Dices 5: Ratio naturalis suadet Mysterium Incarnationis esse evidenter credibile : ergo pariter suadet esse evidenter possibile. — **Nego consequentiam** ; nam aliunde petitur credibilitas, et aliunde possibilitas rei : possibilitas namque provenit ex principiis internis illius rei, a quibus habet, quod non repugnet, nec sit contradictio illam esse ; credibilitas autem sumitur ex auctoritate dicentis fide digni, unde quo quis magis judicatur verax in dicendo, eo etiam facilius et firmius ei datur fides.

Dices 6: Revera dæmones noverunt Incarnationis Mysterium, et Christum esse Deum-hominem : sed illud non cognoverunt per revelationem, utpote cum omnis divini beneficii sint incapaces : igitur oportet noverint per nativam intelligendi virtutem. *Major* constat : primo quidem ex illo Matthæi 8. ubi dicitur, quod cum Christus Dominus venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam, et exclamaverunt dicentes : Quid nobis, et tibi, Jesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos?* Et Lucæ 4. *Exibant autem dæmonia a multis clamantia, et dicentia : Quia tu es Filius Dei : et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. Secundo,* idem constat ex omnibus oraculis ab ipso dæmone in idolis editis : constat enim, ut referunt Svetonius in Octavio cap. 94. Nicephorus libro primo c. 17. et plures alii sacri Annalistæ, quod cum Augustus Imperator Apollinem Delphicum consuluisset, nec occlusus dæmon solita responsa daret, quænam esset causa tanti silentii obmutescentis Apollinis cum requireret Imperator, hæc tandem ab eo responsa elicuit:

Nos puer Hebræus divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum :
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Quapropter addunt iidem Scriptores Augustum Romam reversum, aram in Capitolio erexisse, hac inscriptione notatam : *Ara Primogeniti Dei.* — **Respondeo distinguendo minorem**: id non acceperunt per revelationem sibi immediate factam, concedo : per revelationem factam, tum per Prophetas, tum per Angelos, et exaratam in divinis Scripturis, ac miraculis declaratam, nego. Certum enim est, quod dæmones, inquit Tertullianus in *Apologetico*, cap. 22. *Quid ubique geratur tam facile sciunt, quam enunciant ; velocitas, divinitas creditur, quia substantia ignoratur ; dispositiones etiam Dei, et nunc Præpositis concionantibus exerpunt, et nunc lectionibus resonantibus carpunt, ita et hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur divinitatem dum furantur divinationem.* Potuerunt ergo nosse dæmones ex vaticiniis Prophetarum, Christum esse illum Messiam tot votis expetitum, totque promissum oraculis; etenim si Judæi ex promissionibus factis, et exaratis in divina Scriptura nosse poterant Christum esse Messiam, multo facilius id cognoscere potuerunt dæmones ; non quidem certo et evidenter, sed conjecturaliter, tum propter illa vaticinia ; tum propter miranda opera, quæ Christus ipse patrarat ; *Si* enim *eum revera cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent,* idest crucifigi suggessissent, ut dixit glossa primæ ad Corint. 2. Hinc nixi sunt etiam dæmones Christi Domini mortem præpedire, ut colligitur ex somnio uxoris Pilati, quæ sicut legimus Matth. 27. marito suo dixit: *Nihil tibi, et Justo illi : multa enim passa sum hodie per visum propter illum :* tunc enim diabolus valde subdubitans Christum esse Messiam, dissuadere conabatur ejus mortem : unde licet plurima divinæ virtutis signa in Christo dæmones agnoscerent, tamen quia etiam in eo conspiciebant humanæ infirmitatis exempla, non habebant pro certo eum esse revera Filium Dei, unde ad eum accessit tentator dicens : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Nec obest, quod Evangelista dixerit, *Non sinebat ea loqui quia sciebant ipsum esse Christum :* nam particula *quia* non sumitur ibi causaliter, sed historialiter, et recitative : hoc est, Christus non sinebat dæmones asserere, quod sciebant illum esse Filium Dei, tum quia mentiebantur illi, cum significare intenderent se illud certo cognoscere, cum illud dumtaxat conjecturaliter novissent : tum quia id maxime dicebant ad explorandum, an revera ita esset.

Urgebis: Doctor Subtilis in 4. dist. 10. quæst. 8. num. 12. docet, quod quicumque Angelus, etiam malus, si absolute permittatur uti sua potentia cognoscitiva naturali, possit intelligere mysteria gratiæ jam existentia : quod etiam videtur asserere de Mysterio Incarnationis, et expresse probat per illam totam Quæstionem de Existentia Corporis Christi. Ait enim respondens ad *tertium : De malis Angelis dico, quod absolute permittatur quicumque Angelus malus uti sua potentia cognitiva naturali, potest intelligere quodcumque intelligibile causatum ; et per consequens posset intelligere cogitationes cordium, et Mysteria Gratiæ.* Unde infert, quod si dæmon non cognoverit Mysterium Incarnationis, illud idcirco contigisse, quia, inquit, *Non fuit permissum propter certas causas, ne impediretur redemptio nostra ; si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent, idest, numquam me redimi ejus morte procurassent*, igitur Doctor Subtilis nobis adversatur,

et nos illi. — **Nego consequentiam**; loquitur enim Doctor, non de cognitione evidenti et certa, sed arguitiva et conjecturali. *Vel* si contendas eum de priori cognitione intelligendum, *respondeo* cum Fabro in 4. Disputatione 43. capite ultimo, quod loquitur Doctor de Mysteriis gratiæ supernaturalibus, quæ non involvunt ordinem ad aliquid increatum, quale est Mysterium Incarnationis, quod involvit ordinem ad Verbum, qui utique supernaturalis ordo, ita cujusvis intellectus naturalis vires transcendit, ut absque revelatione non possit cognitione clara et evidenti, sive mediata, sive immediata, illud percipere, sed dumtaxat arguitiva et conjecturali.

Dices ultimo: Plurimi infideles aliquam habuerunt notitiam Incarnationis Verbi, ut colligitur ex Theodoreto libro *De Græcanicis affectionibus*, Eugubio lib. 1. *De perenni Philosophia* cap. 3. Sixto Senensi lib. 2. *Bibliothecæ sanctæ, verbo Sybilla*, et S. Augustino lib. 18. *De Civitate*, cap. 23. ubi profert, et expendit vaticinia Sybillarum, maxime vero Sybillæ Cumanæ, de Incarnatione Verbi; idque ita distincte et expresse, ut etiam *Christi Jesu* Achrostice nomen expresserit; quo etiam testimonio usi sunt SS. PP. quotquot adversus Gentiles causam Christianæ Religionis propugnandam susceperunt. Imo earum Sybillarum testimonium usurpare non est dedignatus S. Paulus, ut refert Clemens Alexandrinus lib. 6. *Stromatum* his verbis: *Quomodo Deus Judæos salvos esse voluit, dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ exercitatos, prout capere poterant Dei beneficentiam a vulgo se credi, præter Petri prædicationem, declaravit Paulus dicens: Libros quoque sumite, agnoscite Sybillam, quomodo unum Deum significat, et ea quæ sunt futura. Hydaspem sumite, et legite, et invenietis Dei Filium multo clarius, et apertius esse scriptum, et quemadmodum adversus Christum multi Reges instruerent aciem, qui eum habent odio, et qui nomen ejus gestant, et ejus fideles, et adventum, ac tolerantiam.* Quod utique Clemens recitat non ex Epistolis Pauli, sed ex concionibus ad populos habitis, quarum nonnulla verba in audientium aures sic esse illapsa putandum est, ut numquam ea deleverit oblivio, sed felici ac succedanea traditione ad ipsius sancti Clementis tempora propagata fuerint. Quidni enim S. Paulus Sybillinum testimonium usurpasse credendus sit, cum et Græcos Poëtas citare consueverit, ut legimus Actorum 17. Hinc frequentes erant primitus Christiani in legendis libris Sybillinis, ut exinde adversus Gentiles pro Christiana Religione testimonium usurparent: quapropter, ut auctor est Origenes lib. 5. *Contra Celsum*, Gentiles ipsi Christianos, *Sybillistas*, nominare consueverant. Unde refert Justinus Martyr in Orat. ad Antoninum Pium, opera, et instinctu malorum dæmonum, mortis supplicium adversus librorum Hydaspis, Sybillæ, aut Prophetarum labores constitutum fuisse, ut per timorem homines ab illis (quominus scripta legentes, rerum bonarum notitiam percipiant, sed in servitute eorum retineantur) absterrerentur: quod quidem efficere, et ad finem suum perducere nequiverunt. Inde factum est, ut refert Lactantius lib. 4. cap. 15. quod his testimoniis Gentiles victi, eo confugere solebant, ut dicerent, illa quidem esse Carmina Sybillina, sed a nostris ficta, atque composita: *Quod profecto non putarit*, inquit idem Lactantius, *qui Ciceronem, Varronemque legerit, aliosque*

veteres, qui Erythræam Sybillam, cæterasque commemorant, ex quarum libris ista exempla proferimus: qui auctores obierunt, antequam Christus secundum carnem nasceretur. Nec etiam ista ignoravit Virgilius, quippe ex iisdem Sybillinis Carminibus Egloga 4. quæ de Christo ex Virgine nascituro prædicta erant, tribuit magna adulatione Salonio Pollionis filio. Canit enim:

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetuo solvent formidine terras,
Ille Deum vitam accipiet, etc.
Clara Deum soboles, magnum Jovis incrementum, etc.

Sed ista de Verbi Incarnatione esse intelligenda Constantinus Imperator Oratione ad sanctum cœtum egregie adversus Gentes disputavit. Inde constans apud Gentiles etiam percrebuerat persuasio, ut refert Suetonius in Vespasiano cap. 14. *Esse in fatis, ut eo tempore Judæa potiti rerum potirentur*, quod utique rerum ignarus Suetonius Vespasiano Augusto tribuendum esse putavit. His adde id quod refert S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. *Invenitur*, inquit, *in historiis Romanorum, quod Constantinopoli tempore Constantini, et Helenæ matris ejus, inventum fuit quoddam sepulcrum, in quo jacebat homo laminam auream gerens in pectore, in qua exaratum erat hoc vaticinium: Christus nascitur ex Virgine, et ego credo in eum! O sol, sub Helenæ et Constantini temporibus iterum me videbis.* Igitur ex his, et similibus testimoniis constat Gentiles habuisse notitiam Incarnationis Verbi, ac proinde illud Mysterium naturalem hominis captum non transcendit.— **Nego consequentiam**: quamquam enim hæc omnia in objectione narrata vera esse non dubitem; inde tamen non liquet, hanc notitiam a Gentilibus fuisse comparatam solo naturæ ductu ac lumine; aliunde enim hæc accersiri potuit. *Primo* quidem traditione, quæ ab Adamo per Patriarchas ad Noë posteros potuit invalescere: nam Protoparenti nostro factam fuisse repromissionem incarnandi Verbi Divini reparatoris ac salvatoris hominum, nemini dubium est, quæ utique felici traditione ad ejus posteros invaluit. *Secundo*, ex dono Prophetiæ plurimis Gentilibus a Deo liberaliter concesso: qualiter S. Hieronymus, libro 7. *Contra Jovinianum*, existimat Sybillas dono Prophetiæ fuisse illustres: *Quarum*, inquit, *insignis fuit Virginitas, et Virginitatis præmium divinatio:* unde concors est Christianorum sententia, ut refert Lactantius lib. 1. cap. 6. Sybillas divino instinctu plura vaticinatas esse de Mysteriis Christianæ Religionis, maxime vero de Incarnatione Filii Dei, ejusque præsertim passione. *Tertio*, ex oraculis ipsorum dæmonum, quibus hoc Mysterium ante eorum lapsum revelatum fuerat. Nam censet S. Bernardus dæmones ideirco corruisse, et in Deum extitisse perduelles, quod ipsis propositus Deus homo futurus, ut omnium caput et princeps, quibus omnes creaturæ, ut superiori parere deberent, noluerint sese subjicere. Imo etiam post eorum lapsum hoc Mysterium dæmoni fuisse intimatum colligunt sacri Interpretes ex illis Genesis verbis, cap. 3. ubi Deus, diabolum Protoparentum exploratorem et expugnatorem sub larvata serpentis effigie sic affatur: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Adde quod,

ut supra diximus, dæmones utpote summa intelligendi virtute præditi potuerint omnia SS. Prophetarum de Christo venturo in Scripturis exarata vaticinia cognoscere, et suis sectatoribus intimare. *Denique*, eam notitiam mutuare potuerunt Gentiles ex communicatione cum Hebræis; qui plurimis captivitatibus apud varias nationes dispersi, potuerunt eis denuntiare, quæ in sacris suis, ac vaticiniis habebant: cum enim tota Hebræorum spes in Christo venturo, qui eorum omnes miserias solveret, totiusque mundi imperium teneret maxime esset reposita, idque suis in angustiis solatii potissimum haberent, mirum non est si hanc eximiam suam spem Gentilibus intimarint.

Conclusio secunda. — Supposita fide, ac revelatione divina, potest naturalis ratio illo divino lumine illustrata, conjecturis, et exemplis Mysterium Incarnationis suadere.

Patet hujus Conclusionis veritas ex SS. Patribus, qui variis exemplis, et similitudinibus Mysterium hoc infidelibus ac rudioribus, enixi sunt intimare. Idque maxime exemplo unionis animæ rationalis cum corpore, quo utique eleganter utitur S. Augustinus Epistola 3. quæ est ad Volusianum, ubi de hoc Mysterio loquens, « Sic autem, inquit, « quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permi- « xtus sit, ut una fieret persona Christi, cum hoc semel fieri oportue- « rit, quasi rationem ipsi reddant de re, quæ quotidie fit, quomodo « misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis. Nam sicut in « unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit, ita in unitate « personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona « mixtura est animæ et corporis, in hac persona mixtura est Dei et « hominis; si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua « solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem « suam, quamquam et in ipsis corporibus aëri lux incorrupta misceа- « tur: ergo persona hominis mixtura est animæ et corporis: persona « autem Christi mixtura est Dei et hominis. Cum enim Verbum Dei « permixtum est animæ habenti corpus, simul et animam suscepit et « corpus. Illud quotidie fit ad procreandos homines: hoc semel factum « est ad liberandos homines. Verumtamen duarum rerum incorporea- « rum commixtio facilius credi debuit, quam unius incorporeæ, et alte- « rius corporeæ. Nam si anima in sua natura non tallitur, incorpoream « se esse comprehendit, multo magis incorporeum est Verbum Dei, « ac per hoc Verbi Dei, et animæ credibilior debuit esse permixtio, « quam animæ et corporis. Sed hoc in nobis ipsis experimur, illud « in Christo credere jubemur. Si autem utrumque nobis pariter inex- « pertum credendum præciperetur, quid horum citius crederemus? « quomodo non fateremur duo incorporea, quam unum corporeum, « alterumque incorporeum facilius potuisse misceri, si tamen non in- « digne ad ista mixtionis, vel mixturæ nomen admittitur, propter con- « suetudinem corporalium rerum, longe se habentium, aliterque no- « tarum? Verbum igitur Dei, idemque Dei Filius, Patri coæternus, « eademque virtus, et Sapientia Dei a superno fine creaturæ rationalis « usque ad infimum finem creaturæ corporalis attingens fortiter, et « disponens omnia suaviter, præsens, et latens, nusquam conclusa, « nusquam discissa, nusquam tumida: sed sine mole ubique tota,

« longe alio modo quodam, quam eo quo creaturis cæteris adest, su-
« scepit hominem, seque et illum fecit unum Jesum Christum, me-
« diatorem Dei et hominum, æqualem Patri secundum divinitatem,
« minorem Patre secundum carnem, hoc est secundum hominem, in-
« commutabiliter immortalem æqualem Patri secundum divinitatem,
« eumdemque mutabilem atque mortalem secundum cognitam nobis
« infirmitatem, in qua Christus eo tempore, quod opportunissimum
« ipse noverat, et ante sæcula disposuerat, venit hominibus magiste-
« rium et adjutorium, ad capessendam sempiternam salutem. »

Congrue etiam unio ista mirabilis explicatur per unionem accidentis cum subjecto, qua usus est Doctor in 3. dist. 1. quæst. 1. Ut autem hæc similitudo appareat, primo venit distinguenda duplex relatio accidentis ad subjectum. Prima est informationis ad informatum, seu perfectivi ad perfectibile: et hæc, inquit Poncius *ibidem*, dicit imperfectionem in subjecto, quia potentialitas et perfectibilitas in Deo non convenit nostro proposito. Secunda est relatio substentati naturaliter posterioris ad prius substentans, a quo dependet tamquam a termino puro: et hæc posterior nullam notat imperfectionem in subjecto; quia dicit tantum proprietates naturales in illo, et substentationem accidentis, quod est nota perfectionis. Itaque sublatis imperfectionibus ab hac unione, simillima erit unioni hypostaticæ, et per consequens eam maxime intelligibilem reddet, propter multiplicem illius convenientiam. Prima est, sicut subjectum substentat accidens, et accidens a subjecto dependet, ita Verbum Divinum substentat naturam humanam, et hæc dependet ab ipso speciali motivo. Secunda: sicut accidens et subjectum simul unita, unum quoddam suppositum efficiunt, ita in hac unione, licet duæ sint naturæ, unicum tamen suppositum habent. Sed tertia est: sicut accidens advenit subjecto jam existenti, sic humanitas Verbo. Quarta: sicut accidens non est de essentia subjecti, sic nec humanitas de essentia Verbi. Quinta: sicut natura subjecti non confunditur nec permiscetur cum natura accidentis, nec e converso; sed utrumque manet integrum et impermixtum, ita de natura divina et humana dicitur. Sexta tandem: sicut proprietates accidentis, et accidens ipsum in concreto communicantur subjecto, et de eo enuntiantur, et e converso; ita proprietates humanæ naturæ, et ipsa natura, communicantur Verbo Divino, et de eo enuntiantur, et e converso; ut videbitur ubi de communicatione idiomatum agemus.

Suadet etiam idipsum ratio. Constat namque ipso naturali lumine, Deum, utpote bonorum omnium maximum, sui esse summe communicativum: ac subinde conveniens esse, ut communicet se penes id omne, quod infinita sua entitate continet; videlicet, secundum entitatem, perfectionem, et hypostasim; igitur sicut suam entitatem communicaverat in ordine naturæ omnibus creaturis, quæ illius sunt infinitæ entitatis participationes ac defluxiones quædam; maxime vero homini, qui est ejus divinæ entitatis spirans ac verax imago: sicut suas divinas præcellentias in sublimi sanctitate sua velut adunatas et expressas, hominibus justis indiderat in statu gratiæ, ut eos constitueret suos filios adoptivos: denique, sicut beatissimis mentibus felicitatem ac beatitudinem suam indiderat in ordine gloriæ: ita pariter

conveniens erat ejus summæ bonitati, ut sese alicui humanæ naturæ individuo communicaret hypostatice, ac personaliter, quatenus homo ad divinitatis ordinem posset sublimari.

Dices: Si fide supposita possit intellectus humanus sua naturali virtute Mysterium hoc probabilibus rationibus suadere; igitur etiam absque ullo lumine fidei, idem intellectus poterit illis conjecturis, et rationibus Mysterium hoc possibile, aut futurum judicare. — **Nego consequentiam**; plura namque potest intellectus fidei lumine illustratus investigare ad veritatem aliquam confirmandam, quam posset illis subsidiis destitutus, facilius enim probantur inventa et cognita, quam inveniantur ignota. *Adde*, quod hæ rationes ac conjecturæ, quibus nunc fide illustratus intellectus utitur, ea fide seclusa non sufficerent ad vincendam difficultatem et repugnantiam, quam lumen naturale patitur circa hoc mysterium; et ideo seclusa fide non forent illæ rationes ac conjecturæ sufficientes ad ferendum judicium etiam probabile, quod tale mysterium possibile sit, aut futurum.

SECTIO SECUNDA.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS VERBI.

Quamquam nobiscum haud difficulter conveniant infideles, unionem hypostaticam Dei cum homine nullis implicari contradictionibus; nec subinde impossibilem judicari: inde tamen non eis liquet hanc unionem convenientem fuisse: plurima namque possibilia sunt, quæ cum minus expediant, etiam nusquam futura sunt, et a Deo producenda: quapropter stabilita, ac sufficienter probata possibilitate hujus Mysterii, jam aperiendæ sunt rationes, quibus illud congruum, ac decens æstimari potest. Quod utique præstabimus, tribus in sequentibus Quæstionibus, quarum 1. aperiet qualiter decens fuerit, summeque congruum, ut Deus per assumptionem humanitatis hominem ex integro restitueret. 2. Quod convenientius fuerit humanam naturam, quam Angelicam reparari. 3. denique, quod convenientius fuerit Filium quam Patrem, vel Spiritum sanctum, hoc reparationis munus assumere.

QUÆSTIO PRIMA.

AN CONVENIENS FUERIT DEUM INCARNARI.

Notandum 1. Duplicem distingui posse convenientiam. Unam quidem rei *intrinsecam*, secundum quam aliquid dicitur esse conveniens, quatenus a Deo ordinatur. Nam, inquit Apostolus ad Rom. 13. *Quæ sunt a Deo, ordinatæ sunt*. Alteram vero *extrinsecam*, quæ consistit in quadam relatione, seu habitudine ipsius rei ad illa quibus congruit. Cum autem Incarnatio spectari possit per respectum vel ad Deum auctorem, vel ad naturam humanam ipsius terminum, vel ad universum orbem terrarum, totamque terrarum enciclopediam; ideirco de convenientia illius per respectum ad illa tria agendum est: an videlicet Incarnatio conveniens fuerit, tum respectu Dei, tum respectu hominis, tum respectu cæterarum creaturarum.

Notandum 2. Quod cum bonum quodlibet sui diffusivum sit ac communicativum; cumque Deus bonorum omnium præstantissimum

sit; etiam ipsi maxime convenit sui ipsius diffusio, et communicatio. *Duplex* autem est Dei communicatio: una quidem *ad intra*, vel per fœcunditatem luminis et cognitionis, qua Pater æternus sese communicat Filio. *Qui Deus est de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero*, vel per fœcunditatem amoris, qua Pater et Filius divino erga seipsos amore æstuantes, producunt Spiritum sanctum, qui Patris et Filii mutui amoris fructus est ac terminus. Altera vero communicatio est *ad extra*, qua tres illæ adorandæ personæ sese creaturis communicant in ordine naturæ, gratiæ, gloriæ, et divinitatis. In ordine quidem naturæ, largiendo videlicet ipsis omnia bona naturalia eis connaturaliter debita ad earum integritatem et perfectionem. In ordine vero gratiæ, conferendo creaturæ rationali dona illa gratuita, quibus ad ordinem et finem supernaturalem promoveri potest. In ordine gloriæ omnes suæ divinitatis præcellentias ac delicias exhibendo purissimis ac beatissimis mentibus conspiciendas ac fruendas. Denique in ordine divinitatis, per unionem hypostaticam; per quam una ex illis adorandis personis se substantialiter communicat humanæ naturæ per propriam suam subsistentiam, qua fit, ut Deus fiat homo, et vicissim homo Deus: assumendo quippe corpus et animam in unitate personæ, fit ut in homine inhabitet tota plenitudo divinitatis corporaliter.

Notandum 3. Hanc postremam communicationem omnium esse præstantissimam ac maximam. Communicatio enim aliqua censeri potest altera major duobus modis: nimirum, vel *intensive*, vel *extensive*. Dicitur equidem major priori modo, quando aliquid nobilius et perfectius communicatur: secundo vero, quando ad plura subjecta vel supposita sese extendit: qua ratione communicatio bonorum naturalium est major extensive; communicatio vero bonorum supernaturalium major est intensive: quippe supernaturalia bona naturalibus præcellunt. Communicatio autem, quæ fit per Incarnationem, haud dubie omnium communicationum est maxima, non solum intensive, quia ipsa substantia increata Verbi, quæ est infinitæ dignitatis et perfectionis, ac subinde omnia bona ordinis naturæ, gratiæ, et gloriæ superat, sese communicat humanitati: sed etiam extensive; cum non solum ad hominum et Angelorum, sed etiam ad cæterarum creaturarum decus et ornamentum conferat, ut patebit in sequentibus Conclusionibus.

Conclusio prima. — Incarnatio Verbi maxime fuit conveniens Deo.

Probatur: Illud maxime Deo congruit, quod confert ad manifestandas ejus divinas præcellentias: at per Incarnationem maxime elucent Dei perfectiones, ac præcellentiæ: igitur illa Deo fuit convenientissima. *Major* constat; conveniens est enim Deo, ut per visibiles effectus invisibiles suas perfectiones demonstret. Ad hoc quippe universum condidit, ut invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspicerentur; sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas, inquit sanctus Paulus ad Romanos 1. *Minor* vero probatur: quamquam innumeræ sint divinæ præcellentiæ, et divinæ dotes; maxime tamen per respectum ad Deum, et creaturas, præ cæteris fulgent Bonitas,

Omnipotentia, Sapientia, Justitia, et Misericordia. Bonitas, inquam, qua vult seipsum eis communicare, et sui esse participationem largiri: Potentia, qua idipsum præstat, et exequitur: Sapientia, qua creaturas debito ac decenti ordine librat, ordinat, et statuit, ac convenientem in finem dirigit: Justitia, qua cuique, quod perfectioni congruit, distribuit: Misericordia denique, qua rationalis creaturæ defectus supplet, et reficit: atqui omnes illæ quinque divinæ perfectiones maxime relucent in Mysterio Incarnationis.

Primo quidem **divina Bonitas** in illo mysterio summe refulget: Verbum quippe divinum suam personam largiendo humanitati, largitur pariter ipsam divinitatem, et omnes suas divinas præcellentias velut in hominem effundit. Hinc divina illa communicatio dicitur divini erga homines amoris meta: unde Christus ipse ex hoc ineffabili Mysterio, Dei bonitatem et charitatem erga homines maxime commendat, dicens Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret:* eumque amorem ita summum et excellentem censet Apostolus, ut superexcellentem ac nimium appellare non erubuerit ad Ephes. 2. dicens: *Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati) et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu: ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu.* Hinc idem Apostolus ad Rom. 8. divinam illam erga nos bonitatem commendans, ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Quapropter ad Titum 3. ait: *Apparuit benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Quæ sic expendit S. Bernardus, Serm. 1. *De Nativit. Domini: Apparuerat,* inquit, *ante potentia in rerum creatione: apparebat sapientia in earum gubernatione: sed benignitas misericordiæ nunc maxime apparuit in humanitate. Innotuerat Judæis potestas, in signis atque portentis: unde et in Lege sæpius invenies: Ego Dominus, ego Deus; Philosophis quoque abundantibus in sensu suo majestas innotuit, quoniam juxta Apostoli verba, quod notum est Dei manifestum est illis. Verumtamen et Judæi potestate ipsa premebantur, et Philosophi scrutatores majestatis opprimebantur a gloria. Potestas subjectionem, majestas exigit admirationem, neutra imitationem. Appareat, Domine, bonitas, cui possit homo, qui ad imaginem tuam creatus est, conformari: nam majestatem, potestatem, sapientiam, nec imitari possumus, nec expedit æmulari.*

Omnipotentia similiter mirum in modum in Incarnationis Mysterio relucet; unde Propheta Jeremias 31. ut præstantissimum hoc opus commendaret, novum appellat. *Novum,* inquit, *creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.* Quæ verba sic expendit S. Bernardus hom. 2. super Missus est: *Vir,* inquit, *erat Jesus, nedum etiam natus, sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum.* Et paulo ante: *In hoc novo et inaudito prodigio agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plena. Ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas si attendas,*

potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem: ragientem, sed miseros consolantem. Videas si attendas, tristari lætitiam, parere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Quapropter Incarnatio propter sui excellentiam *Opus Dei* dicitur Abacuc 3. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud:* et beatissima Virgo in suo Cantico dicit illud esse opus omnipotentis brachii Dei: *Fecit potentiam in brachio suo.* Quam utique veritatem S. Bernardus Sermone 3. in Vigilia natalis Domini, sic commendat: « Tria, inquit, opera, tres mixturas fecit « omnipotens illa Majestas, in assumptione nostræ carnis; ita singu- « lariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, « nec facienda sint amplius super terram. Conjuncta quippe sunt ad « invicem Deus et homo, Mater et Virgo, fides et cor humanum, » *Primam autem illam commixtionem sic commendat:* « Voluit, *inquit*, « infirmiora nostra abundantiore gloria sublimare, et contraxit se ma- « jestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro con- « jungeret; ut in persona una sibi invicem unirentur Deus et limus, « majestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta; nihil enim « Deo sublimius, nihil vilius limo, et tamen tanta dignatione Deus « descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, « ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur, quidquid li- « mus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili, quam « incomprehensibili sacramento. Et attende quia sicut in illa singu- « laritate Trinitas est in personis, unitas in substantia; sic in ista « speciali commixtione, Trinitas est in substantia, in personis unitas: « et sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Tri- « nitatem; ita et hic persona non confundit substantias, nec substan- « tiæ ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis « exhibuit Trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia, et « super omnia opera sua. Verbum enim, et anima, et caro in unam « convenere personam, et hæc tria unum, et hoc unum tria, non con- « fusione substantiæ, sed unitate personæ; hæc est prima, et superex- « cellens mixtura, et hæc prima inter tres ».

Celebratur pariter divina Sapientia, maxime in modo conciliandæ divinæ Justitiæ cum sua misericordia. Nam inquit S. Augustinus libro, *Cur, quando, et quomodo Deus, etc.* cap. 6. « Deus ab homine juste « exegerat, quatenus qui per peccatum offenderat, per justitiam sati- « faceret. Ad hoc autem diversitas naturarum, et personæ unitas in « Christo valuit, et humano generi necessaria fuit, ut quod non posset « humanitas, divina faceret natura, et si quid minime conveniret na- « naturæ humanæ, exhiberet: et non alius atque alius, sed idem ipse « esset qui ex utroque perfectus existens, per humanam solveret, quod « ipse debebat, et per divinam posset, quod expediebat. Debitum Adæ « tantum erat, ut illud non deberet solvere, nisi homo, sed non posset « nisi Deus: ita opus erat, ut idem esset homo, qui erat Deus. Qua- « propter necesse fuit in personæ unitate, ut Deus hominem assumeret, « quatenus homo, qui in natura debebat solvere, et non poterat, in « persona esset, qui posset, quia satisfactionem pro peccato non po-

« terat solvere, nisi Deus ; sed non debebat, nisi homo : ergo constat, « ut de hominibus fiat illa superna civitatis restauratio (quod fieri « nequiret, nisi fuisset prædicta pro peccatis satisfactio, quam nequibat « facere, nisi Deus, nec debebat, nisi homo) necesse fuisse, ut eam « faceret Deus homo. » Quam utique rationem luculenter expendit S. Leo, Sermone 1. *De Nativit.* inter cætera dicens : *Salva utriusque proprietate substantiæ, et in unam coeunte personam, suscipitur a virtute infirmitas, a majestate humilitas, ab æternitate mortalitas, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei et hominum mediator, et mori ex uno, et resurgere posset ex alio.* — Elucet etiam in eo maxime, quod humani generis adversarium, qui Protoparentes cum universa propagine reos constituerat, per hominem Deus vicerit ac superaverit. Nam, inquit Hugo Victorinus, lib. 1. *De Sacr.* p. 8. cap. 6. *Qui astutia vicerat, justum fuit ut non fortitudine, sed prudentia vinceretur, ut in eodem, quo se victor erexerat, victus sterneretur, juxta illud* Job. 26. *Et prudentia ejus percussit superbum.* Quam utique rationem sic expendit S. Augustinus, lib. *Cur, quando, et quomodo Deus, etc.* c. 6. « Subtiliter subtilem inimicum Deus voluit expugnare, « et quasi sub esca humanitatis hamum celavit deitatis, quatenus ille, « qui omnem carnem subegerat, talem inveniret, qui sibi nihil de- « beret : quam dum illicite contingeret, merito eam, quam quodam- « modo possidebat, amitteret : sic quippe serpens antiquus deludendus « erat, ut qui homines deluserat, per hominem Deum delusus et ipse « fieret. Et sicut incautum hominem sibi callide subjecerat, ita per « hominem divinitus cautum, non callide, sed sapienter subjiceretur. « Hæc summa revera videtur sapientia, quando illud hosti præponitur, « quod prius ab hoste dejicitur : et quasi quod ceciderat vires resu- « meret, et expugnatus ab hoste, iterum adversus hostem pugnare « præsumeret. Provocatur itaque ad pugnam iterum hostis, ut qui « prius se vicisse gaudebat, postmodum victus ex toto succumberet, « et sic homo valde gloriosior a sui resumptione fieret, quam si eum « numquam cadere contigisset. » Ei concinit S. Leo dicens : *Secundum plenitudinem temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam Auctori suo naturam generis assumpsit humani, ut inventor mortis diabolus, per ipsam quam vicerat ipse vinceretur : in quo conflictu pro nobis inito, magno et mirabili æquitatis jure certatum est, dum omnipotens Dominus cum sævissimo hoste non in sua majestate, sed in nostra congreditur humilitate, objicions ei eamdem formam, eamdemque naturam : mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem.* Hinc canit Ecclesia : *Opus nostræ salutis ordo depoposcerat : multiformis proditoris ars, ut artem falleret, et medelam ferret inde hostis unde læserat.* — Denique divina maxime excellit sapientia, eo quod Mysterium hoc maxime conferat ad gloriam Dei stabiliendam ; imo et augendam. Nam, inquit S. Bernardus, Serm. 2. *De Ascensione. Christus cum per naturam divinitatis non haberet, quo cresceret, vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est : per descensum quomodo cresceret invenit : veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum.* Quapropter S. Gregorius Nyssenus Orat. Catech. cap. 14. appellat illum Verbi divini descensum, redundantem copiam potestatis : *Ad id autem,* inquit, *quod objectum descensus, est*

quædam insignis et redundans copia potestatis. Cui quadrat illud Psalmi : *Qui ascendit super occasum Dominus nomen illi.* Unde S. Gregorius, Homil. 17. in Evangelia: *Super occasum Dominus ascendit, quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit: super occasum videlicet ascendit, quia mortem, quam pertulit, resurgendo calcavit.*

Eximie pariter divina Justitia hoc in adorando Mysterio effulget: quippe per Christi Domini passionem et mortem, condignam pro delictis et offensis hominum satisfactionem excepit: utpote cum Deus homo sese æterno Patri non solum victimam, et expiationem in ara crucis obtulerit, sed etiam seipsum velut scopum ad sagittam, et ad severissimam divinæ justitiæ ultionem exposuerit. Hinc S. Paulus ad Rom. 3. præclarissime Christi Domini satisfactionem et redemptionem expendens, ait : *Justificati gratis per gratiam ipsius : per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ : propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei.* Commendatur etiam divina Justitia ex eo maxime quod suam in vindicandis delictis rigidam, et exactam severitatem in Christi Passione et Morte exhibuerit. Si enim tam severe Pater æternus in amantissimum suum Filium, qui se pro hominum peccatis vadem constituerat, quique dumtaxat induerat similitudinem carnis peccati, animadvertit; quid non terroris, et formidinis inesse debet singulis peccatoribus tot ac tantis criminibus obstrictis, dum judicandi ac plectendi divinæ illi justitiæ sistentur ? Nam, inquit ipsemet Salvator Lucæ 23. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Denique divinæ justitiæ acerbitas apparet in illo infinito pretio, quod pro nostra redemptione sibi pendendum voluit. Nam inquit S. Petrus 1. Epist. cap. 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.*

Denique divina Misericordia maxime in hoc Mysterio effulget. Quamquam enim Deo proprium sit misereri semper, et parcere, et universæ viæ Domini sint misericordia, et veritas, qua sustinet in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostendat divitias gloriæ suæ; non tamen ita enituit divina illa misericordia ante, ac post Incarnationem. Siquidem ad completam, perfectamque misericordiam duo maxime desiderantur actus; nempe repellere miseriam alterius, et illius miseriis quasi propriis affici : *misericors* enim dicitur quasi habens *miserum cor*, quia scilicet afficitur miseria alterius, ac si esset propria ipsius miseria. Primus quidem ex illis actibus Deo conveniebat ratione bonitatis, et infinitæ virtutis ; secundus vero ab eo maxime erat alienus; utpote cum sit immutabilis, et infinita ac invariabili felicitate fruatur. Quapropter ut omnibus numeris absoluta foret divina misericordia, oportuit Deum hominem fieri, ut posset compati infirmitatibus nostris, vel ut loquitur Apostolus ad Hebræos 2. « Per omnia « debuit fratribus assimilari, ut misericors fieret. » Hinc cap. 4. ait: « Non « habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, « tentatum per omnia pro similitudine absque peccato ». Effulget etiam ipsa divina misericordia in eo maxime, quod Dei Filius mortale corpus assumpserit, et mortem ipsam passus fuerit, ut nos a morte

liberaret. Hinc Apostolus ad Rom. 5. « Commendat charitatem suam « Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum « tempus Christus pro nobis mortuus est. Commendat, inquam, nam ait S. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo:* « quid misericordius intelligi « valet, quam quod peccatori æternis pœnis deputato, et unde se re- « dimeret non habenti, Deus Pater dicit, accipe unigenitum meum, « et da pro te: ipse Filius, tolle me; et redime te? » Quam utique exuberantem in nos divinam misericordiam eleganter sic expendit S. Bernardus Serm. 3. *De Nativitate Domini.* « Ludebam ego foris in « platea, inquit, et in regali secreto regalis cubiculi super me tere- « batur judicium mortis. Audivit hoc unigenitus ejus, exiit posito diade- « mate, sacro vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens et « ejulans, quod morte damnatus esset servulus ejus... Utique ex « consideratione remedii, periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam, « sanus mihi videbar, et ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei al- « tissimi, et jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis bal- « samo medeatur. Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera, pro « quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc « ad mortem, et mortem sempiternam, numquam pro eorum remedio « Dei Filius moreretur. Pudet itaque, dilectissimi, propriam negli- « genter dissimulare passionem, cui tantam a Majestate tanta exhiberi « video compassionem. »

Dices 1: Quidquid dedecet summam Dei majestatem non potest judicari conveniens, et expediens: sed carnem assumere dedecet summam Dei majestatem: ergo, etc. — **Respondet Seraphicus Doctor**, distinguendo *majorem:* quidquid dedecet Dei majestatem, tam ratione sui, quam ratione sibi uniti, non convenit nec expedit, concedit: ratione dumtaxat uniti, negat. Dedecet quidem Dei majestatem secundum se humiliari, quia cum divinitas sit omnino invariabilis, secundum se nec exaltationis nec humiliationis est capax. Ratione autem sibi uniti, potest humiliari ad majorem manifestationem suæ altitudinis: in hoc enim quod Deus carnem humilem et infirmam assumpsit, fortissimum adversarium confregit, hominem infirmum stabilivit; et ideo etsi Incarnationis opus in se non videatur conducere ad divinæ majestatis honorem, maxime tamen ad id conducit considerando finem et effectum, ad quem ordinatur: quippe summa Deo gloria est, quod infirma mundi elegerit, ut confundat fortia, et humiles exaltet.

Dices 2: Sicut vituperabilis est nimia elatio, ita vituperanda est dejectio nimia: sed quemadmodum elatio fuit nimia, quando creatura appetiit esse Deus: ita dejectio est nimia, quod Deus fiat homo, qui est creatura; ergo sicut ista elatio est vituperanda, sic et vituperanda appareret dejectio, qua Deus fieret homo: at nihil vituperandum judicari potest convenire Deo: igitur, etc. — **Respondet idem Seraphicus Doctor**, non esse paritatem: tum quia divina natura non fuit humiliata aliqua dejectione sui, siquidem Verbum Divinum humana suscipiens divina non amisit; cum autem creatura appetiit esse Deus, inflata fuit aliqua elatione, qua ultra naturalem suam sortem, suumque statum efferri optabat, et ideo ex ista parte, illa nimietas et redundantia elationis vergebat in vitium: tum quia exinanitio, quæ facta fuit in assumptione humanitatis, procedebat ab excessu amoris et cha-

ritatis: elatio vero, qua voluit homo Deo assimilari, fuit ab excessu præsumptionis. Constat autem præsumptionem omnem esse vituperandam, non ita dilectionem et charitatem: et subinde exinanitio Christi non fuit vituperabilis, sed laudabilis, sicut vituperabilis fuit elatio primi parentis.

Dices 3: Deo fit injuria cum existimatur eum habere creatam aliquam effigiem. *Non enim*, inquit S. Paulus Act. 17. *debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, et cogitationis hominis divinum esse simile:* igitur maxima Deo fieret injuria, si humana effigies ipsi tribueretur: hæc autem ei tribuenda esset, si revera esset homo: ergo, etc. — **Respondet idem Seraphicus Doctor**, verum esse *antecedens*, quando quis credit Deum revera secundum suam deitatem habere corpoream aliquam effigiem, sicut existimabant Gentiles idololatræ; secus vero quando existimat Deum non habere quidem in se creatam aliquam effigiem, sed dumtaxat ratione humanitatis assumptæ, ut fit per Mysterium Incarnationis.

Dices 4: Illud magis cedit in Dei gloriam, quod solam ejus misericordiam illustrius commendat. Nam, ut ait S. Jacob 2. *Misericordia superexaltat judicium:* et testatur Ecclesia Dominica 10. post Pentecosten: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, et miserando manifestas:* sed longe major fuisset misericordia gratis relaxando homini debitum, quam satisfactionem exigendo: igitur convenientius fuisset Deo gratis condonare hominum offensam, quam satisfactionem per Filii sui Incarnationem pro illa exigere. — **Nego majorem**: perfectius est enim opus, in quo cum summa misericordia elucet etiam summa justitia, quam in quo sola misericordia maxime commendatur; quia *universæ viæ Domini misericordia, et veritas;* cum ipse sit summe justus, et misericors: « Et ideo, inquit Seraphicus Doctor, in repara-
« tione generis humani, quæ est excellentissima viarum Domini, con-
« gruum est, ut simul currant misericordia, et justitia, et ideo decens
« fuit, ut Deus exigeret satisfactionem pro injuria sibi facta: quam
« si homo non posset impendere, tunc misericordia daret Mediatorem,
« qui debitum solveret: nam si Deus culpam non dimisisset, sed solam
« exercuisset vindictam, non appareret misericordia: si vero non exe-
« gisset satisfactionem, non manifestaretur justitia: igitur congruum
« fuit, ut ex misericordia præberetur Mediator, qui debitum ex justitia
« solveret, sic enim *Misericordia, et veritas obviaverunt sibi, justitia,*
« *et pax osculatæ sunt* ».

Dices 5: Injustum videtur punire innocentem pro noxiis: at id fit in Mysterio Incarnationis: igitur illud divinæ justitiæ non congruit. — **Distinguo majorem**: si illud fiat per modum punitionis et vindictæ, concedo: si fiat per modum satisfactionis et reparationis, nego. Quamvis enim in puniendo peccato oporteat illum plecti, qui peccavit, tamen in satisfaciendo unus ferre potest pœnam pro altero; in vindicta enim attenditur peccantis iniquitas: in satisfactione vero pro alio spectatur satisfacientis charitas.

Dices 6: Quidquid officit divinæ æquitati, Deum dedecet: at pugnat in divinam æquitatem, quod vita Filii Dei, quæ pretiosissima est, exponatur profundenda pro re vilissima, qualis est hominum peccatorum redemptio: igitur, etc. — **Nego minorem**: tum quia Christus

non sese subjecit morti, ut ab illa absorberetur, sed ut devicta morte resurgeret immortalis : tum quia salus hominis est tantum effectus mortis Christi, non autem illius finis : tum quia et Christi et hominum vita ordinatur ad Dei gloriam, quæ excellentior est vita Christi.

Conclusio secunda. — Incarnatio Verbi convenientissima est humanæ naturæ.

Probatur : Illud maxime convenit humanæ naturæ, quod eximie conducit, ut revocetur a malo, et promoveatur ad bonum : at Incarnatio utrique maxime deservit.

Primo quidem, ut homo revocetur a malo, nam omnis mali fons, et origo, vel est a diabolo instigante, vel a carne alliciente, vel a spiritu superbiente : at triplex hic totius prævaricationis fons et radix per Incarnationem adimitur et rescinditur. Siquidem per eam exauthoratus est diabolus : nam *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolveret opera diaboli, et princeps mundi ejiceretur foras*, ait Christus Deus, et ait Apostolus ad Collos. 1. *eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem in remissionem peccatorum :* quippe, ut addit S. Aug. lib. 13. *De Trinit.* c. 15. *In hac redemptione tamquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi : quo accepto diabolus non est ditatus, sed ligatus, ut nos ab ejus nexibus solveremur.* Addit cap. 17. per hoc mysterium fractam fuisse dæmonum superbiam, et erectam hominum abjectionem. *Demonstratum est homini*, inquit, *quem locum haberet in rebus, quas condidit Deus : quandoquidem sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona ; ac per hoc jam ex tribus, scilicet Deo, anima, et carne ; ut superbi illi maligni spiritus, qui se ad decipiendum, quasi ad adjuvandum medios interponunt, non ideo se audeant homini præponere, quia non habent carnem : et maxime quia, et mori in eadem carne dignatus est Filius Dei, ne ideo illi tamquam Deus se coli persuadeant, qui videntur esse immortales.* — Similiter caro sua origine vitiata, per assumptionem et unionem cum Verbo sanata ac consecrata est. Cum enim in Christo inhabitaret tota plenitudo divinitatis corporaliter, ait Apostolus, inde factum est, ut corpora nostra facta fuerint membra Christi, et templa Spiritus sancti : quapropter illa caro, quæ erat incentiva ad peccatum, facta est fomes salutis, et justitiæ : nam, inquit Tertullianus lib. *De Resurrectione carnis*, cap. 8. *Caro salutis cardo : caro enim abluitur, ut anima emaculetur ; caro signatur, ut anima illuminetur : caro manus impositione adumbratur, ut anima consecretur : caro corpore, et sanguine Domini vescitur, ut anima de Deo saginetur.* — Tandem mentis elatio et superbia frangitur, nam, inquit S. Aug. supra, *Superbia hominis, quæ maxime impedimento est, ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui potest, atque sanari : discatque homo, quam longe recesserit a Deo, et quid illi valeat ad medicinalem dolorem, quando per talem Mediatorem redit, qui hominibus ut Deus divinitate subvenit, ut homo infirmitate convenit.* Hinc Sanctus Bernardus Serm. 3. *De Nativit. Christi*, ait : *Quid magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut videns Deum cæli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? In-*

tolerabilis impudentiæ est, ut ubi se exinanivit Majestas, vermiculus infletur, et intumescat.

Secundo, hoc mysterium etiam maxime conducit, ut homo promoveatur ad bonum. Primo namque summe erigitur humana natura; nam, inquit S. August. lib. *de Prædestinatione Sanctorum* cap. 15. *Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Dei et hominis simul: Filius hominis propter susceptum hominem: et Filius Dei propter suscipientem Unigenitum Deum veraciter et proprie diceretur, ne non trinitas, sed quaternitas crederetur. Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta, et tam celsa, et summa subjectio, ut quo attolleretur altius non haberet, sicut pro nobis ipsa divinitas, quo usque se deponeret humilius non habuit, quam suscepta natura hominis cum infirmitate carnis usque ad mortem crucis.* Unde non mirum si Angeli, qui ante divinam illam humanæ naturæ sublimationem, patiebantur se ab hominibus adorari, ut eos adoraverunt Abraham, et Loth, Genes. 18. et 19. talem honorem eis ab homine impendi postmodum renuerint; nam S. Joannes Evangelista cum Angelum, qui sibi loquebatur, adorare voluisset, cum illico dicentem audivit, Apocalypsis 19. *Vide ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium nomen Jesu.* Hinc præclare monet S. Leo sermon. 1. *de Nativit. Agnosce, Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire,* etc.

Tertio, per Incarnationem habuit homo præstantissimum exemplar omnium prorsus virtutum, quo prius carebat. Nam, ut ait S. August. serm. 52. de Diversis: *Homo sequendus non erat qui videri poterat, Deus sequendus erat, qui videri non poterat: ut ergo exhiberetur homini, qui videretur ab homine, et quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Exemplar enim, ut omnibus numeris constet, debet esse simul rectum, et sensibile. Rectus quidem erat Deus ratione sanctitatis: at invisibilis ratione infinitæ majestatis: homo vero, qui visibilis erat, propter multos defectus, quibus inquinabatur, a recta virtutis regula deflectebat: quapropter necessum fuit inter utrumque intercedere unionem, ut inde pertectum virtutis exemplar homini tribueretur. Quapropter Christus etiam monebat Joan. 13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Etenim qui invisibilis erat in majestate divinitatis, visibilem se præbuit in infirmitate humanitatis: ut egregie loquitur Paulus 1. ad Timot. 3. ubi Incarnationem appellat *magnum pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Nam omnes Christi actiones revera Dei-hominis actus erant, seu ut loquitur S. Ambros. *Dominicæ carnis actus, divinitatis exemplum est, et invisibilia nobis ejus per ea, quæ sunt visibilia, demonstrantur.* Hinc seipsum nominat Joann. 14. viam, veritatem, et vitam: *via quidem in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio,* ait S. Bernardus serm. 2. *De Ascens.*

Quarto, convenientissimum fuit Deum incarnari, ut homo perfecte beatus fieret, *Propterea enim Deus homo factus est* (inquit Auctor lib. *De Spiritu et anima*, cap. 9. apud S. Augustinum) *ut totum hominem in se beatificaret, et tota conversio hominis esset ad ipsum, et tota dilatio hominis esset in ipsum, cum ascensu carnis videretur per carnem, et ascensu mentis videretur per divinitatis contemplationem.* Unde Beatorum quisque cum Job dicere potest cap. 19. *In carne mea videbo*

Deum meum: quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt: aut cum regio Vate: *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Denique ad hoc maxime conduxit Verbi divini Incarnatio, ut haberemus quidquid nobis opus est, tum ad corporis, tum ad animæ sanitatem. Nam, ut præclare ait S. Bernardus sermon. 3. *De Circumcisione: Totus mihi datus, totus in meos usus expensus est.* Etenim addit serm. 24. *De Passione: Quid quæris, quod in illo non invenias? si ægrotus es, medicus est: si exules, dux est: si impugnaris, pugil est: si sitis, potus est: si alges, vestimentum est: si tristaris, gaudium est: si obtenebraris, lux est: si orphanus es, Pater est.* Uno verbo, ut ait Ambrosius libr. 3. *De Virginibus: Omnia nobis Christus est, et omnia nobis donavit.* — His adde, quod per Incarnationem, hominis fides maxime illustratur, spes firmatur, charitas accenditur. *Fides*, inquam illustratur; nam, inquit S. Augustinus lib. 11. *De Civit.* c. 2. *Ut mens in fide fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius, homine assumpto, non Deo consumpto eamdem constituit ac fundavit fidem ut ad Deum iter esset homini per hominem-Deum.* Spes etiam erigitur ac firmatur; nam, inquit idem S. Augustinus libr. 13. *De Civitat.* cap. 10. *Quid tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, meritisque mortalium conditione ipsius mortalitatis abjectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quam ut demonstraretur nobis quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret?* Denique *Charitas* mirum in modum accenditur: nam, inquit Sanctus Augustinus libro *De Catechizandis Rudibus*, cap. 4. *Quæ major est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?* Et infra: *Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.*

Dices 1: Inconveniens videtur, quod per tantum pretium, qualis est Christus, tam pauci homines salventur: convenientiusque videtur, quod Deus usurpasset aliud medium, quo omnes homines salvarentur: igitur Incarnatio Verbi non fuit naturæ humanæ maxime conveniens. — **Respondeo 1**, tantam esse cujusque electi salutem, ut illam proprii Filii dispendio operari non indignum judicaverit Deus: unde licet pauci salutem consequantur, non propterea id divinæ sapientiæ incongruum judicari debet. *Addo*, quod si omnes homines fuissent salvati, id minus vergeret in Dei gloriam; siquidem non ita perfecte nobis exhibuisset Justitiam et Misericordiam suam: unde Sanctus Augustinus Epist. 105. *Si utrique liberarentur, lateret quid peccato per justitiam debetur: si nemo, quid gratiæ largiretur?* **Respondeo 2**, defectum salutis reproborum non esse refundendum in ipsam Incarnationem, sed in perversam hominum voluntatem: siquidem Christi Incarnatio fuit medium sufficientissimum ad omnium hominum salutem; quippe Christus Dominus est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: est etiam mediator Dei et hominum, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

Dices 2: Modus ille reparandæ humanæ naturæ est convenientior, ratione cujus ipsa magis Deo obstringitur, et ampliores debet grates: at magis esset obstricta Deo si ei gratis suam offensam condonasset; majores enim debet gratias is, cui Judex gratis condonet, quam ille, a quo satisfactionem exigit: ergo etc. — **Nego Minorem**, et ad pro-

bationem dico, rationem disparitatis esse, quod Deus satisfactionem a nobis exigendo, dederit nobis proprium suum Filium, qui pro nobis satisfaceret, gratiasque uberrimas promereretur et largiretur; quibus etiam nos pro nostro modulo cum illo adorando Redemptore satisfacere possemus. Magis autem honorificum videtur posse proprium debitum solvere, quam illius relaxationem soli clementiæ judicis assignare.

Conclusio Tertia. — Conveniens etiam fuit Incarnatio Verbi toti Universo.

Primo, namque quotquot sunt in universo creaturæ, sublimitatis aliquid sortitæ sunt in ipsa hominis ad divinum consortium promotione: cum enim homo sit microcosmos, totiusque universi nomenclatura, illius dignitas et excellentia in alias creaturas exundat. Hinc Apostolus ad Ephes. 1. ait: *Proposuit* (videlicet Pater æternus) *in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso.*

Deinde, summa totius universi perfectio fuit, quod in eo esset maximus et perfectissimus gradus entis, qui Deum simul et creaturam sociaret; quo enim præstantiores sunt, et plures entis gradus in toto mundo, etiam præstantior ac perfectior censetur: id autem concessum est per mysterium Incarnationis, in quo habemus Deum, et hominem in una persona subsistentem.

Denique, conveniens erat omnes rerum differentias in universo reperiri, ita ut sicut in nobis est unica natura in unica persona, et in Deo unica natura in pluribus personis, ita pariter essent plures naturæ in unica persona: quod utique factum est per Incarnationem, tres namque naturæ, videlicet Divina, Spiritalis, et Corporea, in una Christi persona sociantur.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN CONVENIENTIUS FUERIT NATURAM HUMANAM, QUAM ANGELICAM, AUT ALIAM A VERBO ASSUMI.

Notandum 1. Ex nostro Alensi 3. part. qu. 1. membr. 6. quod longe major, et multiplex videtur similitudo hominis ad Deum, quam sit in Angelo. Siquidem in hominis anima relucet Dei effigies in natura, in persona, in potentia: *In natura* quidem, quia inquit S. Augustinus serm. 27. qui est *De imagine*, sicut Deus ubique totus est, omnia vivificans, movens, et gubernans: ita anima ubique in suo corpore tota viget, movet, et gubernat: quod non convenit Angelo, quia non est substantia ordinata ad vivificandum corpus. *Insuper* in homine est similitudo secundum *rationem personæ*, quia homo procedit ab homine, sicut una persona in divinis procedit ab alia: Angelus autem unus non procedit ab alio. *Denique* est similitudo in potentia, quia in homine est potentia respondens totaliter exemplari: cum enim in divino exemplari sit eminenter ratio entis corporei et spiritualis, utramque hanc rationem anima sortitur, quippe ordinatur ad actiones spirituales et corporeas; quod Angelus habere nequit, cum enim simpliciter spiritualis sit, non ordinatur ex natura sua ad actiones cor-

poreas: ex quibus homo videtur majorem affinitatem habere ad Deum, quam Angelus.

Notandum 2. Revera naturam Angelicam, et humanam, maxime si Angelos perduelles spectes, indignam fuisse, quæ divinitati uniretur: Angeli namque non minus, imo gravius divinam provocaverunt animadversionem et vindictam, quam homines: siquidem tam Angelus prævaricator, quam homo, divinitatem ambiit: ille quidem supremam Dei majestatem, ac potestatem æmulando, juxta illud Isaiæ 15. *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, etc.* Alter vero divinam sapientiam a serpente sibi repromissam consectatus est, Genesis 3. Unde summa fuit Dei misericordia, eaque pura, quod homines potius, quam Angelos redimendos susceperit Deus: quia tamen nihil absque ratione ejus divina sapientia molitur, hinc quærimus quænam sint illæ rationes, quæ veluti tot incentiva divini erga homines amoris extiterunt, ut eos potius, quam Angelos, ab æterna miseria relevaret.

Notandum 3. Deum potuisse hominem fieri variis modis: nimirum vel creando sibi corpus et animam, et utrumque assumendo independenter ab ullo creaturæ commercio, nec ducendo ex Matre originem ac nativitatem: vel si Matrem habere voluisset in terris, sicut et Patrem in cælis, potuit illam formare extra Adami lineam et propagationem: ita quod per solam ejus extraordinariam potentiam formata, nec ab hominibus genita, non esset censenda ex Adami posteris, nec ullatenus ad illius prosapiam spectaret. An autem alteruter ex his modis convenientior fuerit, quam is, quo de facto Verbum Divinum carnem assumpsit, determinandum est in præsenti Quæstione duabus Conclusionibus absolvenda: quarum *Prima* aperiet convenientius fuisse Deo, quod naturam humanam assumeret, et repararet, quam Angelicam. *Secunda*, quod magis expediebat naturam assumere ab Adamo propagatam, quam aliunde formatam.

Conclusio prima. — Convenientius fuit assumere, et reparare humanam naturam, quam Angelicam. Quod equidem satis superque probat ipsa Dei operatio, quippe divina ejus sapientia, quæ omnia librat et operatur in pondere, numero, et mensura. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, inquit S. Paulus ad Hebræos 2.

Ratio autem hujus majoris convenientiæ peti potest, tum ex parte constitutionis ipsius naturæ humanæ, tum ex parte majoris capacitatis illius ad reparationem. *Ex parte quidem illius constitutionis*, idque triplici de causa, quam assignat, et expendit Seraphicus Doctor in 3. dist. 2. qu. 2. quarum prima petitur ex *ratione originis*, et propagationis unius hominis ab alio: cum enim unus homo ab altero ducat originem, quod Angelo non convenit, ideo magis decebat, quod persona Filii, quæ distinguitur a persona Patris secundum originem, eam naturam acciperet, in qua proprietas filiationis resideret. Quod utique factum est in humanæ naturæ assumptione: nam idem ipse, qui ab æterno erat Patris Filius, ex tempore factus est Filius Virginis Matris. *Secunda ratio* est, propter majorem hominis cum Deo similitudinem ratione ipsius animæ rationalis, quæ, ut diximus in primo No-

tabili, Dei immensitatem velut æmulatur, cum tota sit indivisim in toto suo corpore, sicut Deus totus est in singulis mundi partibus. Hinc, inquit Seraphicus Doctor, anima rationalis non tantum repræsentat Deum, prout consideratur in se, sed in quantum unitur corpori, quod regit, et in quo inhabitat, sicut Deus cælum et terram implet. *Tertia denique ratio* majoris congruitatis petitur a multiplici hominis compositione; quia enim homo compositus est ex natura corporali et spirituali, et quodammodo est omnis creatura: habet enim esse cum elementis et rebus inanimatis, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis: hinc est, quod cum humana natura sumitur et deificatur, quodammodo omnis natura in ea sublimatur, dum in parte sibi simili deitati hypostatice unitur: unde assumptio humanæ naturæ longe melius confert ad universi perfectionem, quam conferre potuisset Angelica, si fuisset assumpta.

Patet etiam major illa convenientia *ex parte reparationis*, idque tribus de causis: *Primo* quidem, quia natura humana magis indigebat reparatione: *Secundo*, quia minus ea indigna erat; *Tertio*, quia reparatio magis erat profutura hominibus, quam Angelis prævaricatoribus. Magis quidem *indigebat reparatione* humana natura, quam Angelica, nam ait Alensis qu. 1. memb. 2. in primo homine erat tota natura humana; idcirco, ipso peccante et deperdito, universa pariter ejus propago periit: secus est autem de Angelis perduellibus, quoniam nullus eorum totam naturam Angelicam comprehendebat, sed eorum peccata personalia fuerunt; nec propter perduelles Angelos cadentes tota periit Angelica natura; siquidem plurimi fideles, et Deo obsequentes perstiterunt; adeoque non erat ita opus eis remedio ac reparatione: secus humanitati, quæ per unius hominis delictum universa corrupta fuerat et deperdita; non decebat autem divinam misericordiam, et summam Dei bonitatem, ut naturam rationalem sibi maxime affinem, et similem, æterno interitui, ac perpetuæ damnationi consignaret. *Id enim indignum erat bonitate Dei, si, quæ ab ipso creata essent, in interitum abirent, ob diaboli adversus homines fraudem*, inquit S. Athanasius, libro *De Incarnatione Verbi Dei*.

Secundo, homo minus indignus erat divina misericordia; siquidem non ita grave fuit humanum peccatum, ac Angelicum, sive attendas genus peccati, sive circumstantiam, sive occasionem. Attendendo quidem *genus peccati*, nam licet homo, et Angelus peccaverint per superbiam; longe tamen utriusque dispar est reatus, siquidem, inquit Alensis, homo peccavit appetendo omnem scientiam Dei, Angelus vero illius omnipotentiam: Deus autem nullatenus vult communicare alicui creaturæ pro quolibet statu suam omnipotentiam, eo quod ratione illius est omnium creaturarum principium, quam præcellentiam nulli vult esse communem; scientiam autem vult communicare creaturæ in statu gloriæ, nam seipsum, et omnia, quæ in ipso sunt, demonstrat beatis mentibus, quibus omnimodum scientiæ suæ lumen largitur. Quia ergo summa inordinatio est id appetere, ad quod nulla creatura ordinatur: hinc est quod gravius peccavit Angelus appetendo omnipotentiam, quam homo æmulando scientiam, ad quam ordinabatur. Gravius etiam fuit peccatum Angeli, quam hominis *ratione circumstantiæ*, quippe homo peccavit ratione alicujus nescientiæ: existimabat

enim comminationem divinam sibi factam magis intentari ad probationem, quam ad supplicium : Angelus vero peccavit ex certa scientia, adeoque ex malitia ; et sic peccatum illius erat in Spiritum sanctum, et consequenter irremissibile. Denique minus etiam fuit peccatum hominis, quam Angeli ratione *occasionis*, homo namque non peccavit propria sua proclivie, et determinatione ad malum, sed instigante et sollicitante uxore, quæ a serpente decepta, virum suum in deceptionem adduxit. Justum ergo fuit, ut qui per alium ceciderat, etiam per alium relevaretur, cum per seipsum surgere non posset : secus autem erat de Angelo, qui non alterius astutia, sed propria sua malitia lapsus fuerat. *Denique* minus profutura erat redemptio Angelis perditis, quam hominibus, quippe Angeli, ubi semel lapsi sunt, obfirmatam in malo voluntatem habent, nec amplius agendæ pœnitentiæ sunt capaces. *His adde*, quod Angelorum ruina potuit reparari per homines, eos videlicet promovendo ad perduellium Angelorum sedes, ut egregie demonstrat S. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo*, capite 16. et 17. hominum vero lapsus non poterat convenienter suppleri substituendo aliam naturam loco humanæ : quippe nulla inferior homine apparet creatura divinæ gloriæ capax.

Has omnes rationes luculenter, ac devote perstringit S. Bernardus sermone primo de Adventu, his verbis: *Novit in affectum malitiæ et nequitiæ transisse Angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua, seu infirmitate peccasse, ideoque pariter necesse est penitere nolentes : Patris enim amor, et honor regis judicium diligit. Propter hoc enim, et ipse creavit homines ab initio, qui supplerent locum illum, et ruinas Hierusalem restaurarent. Sciebat enim nullam Angelis patere redeundi viam : nempe novit superbiam Moab, quod superbus est valde, et superbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc, nec veniæ. At vero hominis vice nullam postea condidit creaturam : innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem : quippe quem supplantavit aliena malitia, idcoque prodesse ei potest charitas aliena. Ita, Domine, obsecro, complaceat tibi, ut eruas me, quoniam ego infirmus sum : quoniam de terra mea furtim sublatus sum et hic innocens in lacum missus sum : non penitus quidem innocens, sed quantum ad eum, qui me seduxit, innocens aliquatenus.*

Dices 1: Ea natura magis apparet unibilis Deo, quæ majorem cum ipso habet affinitatem : sed Angelica natura majorem et intimiorem habet affinitatem cum Deo, quam humana : ergo etc. *Major* constat, unibilia namque debent habere quamdam proportionem ad invicem. *Minor* pariter, quia *quanto subtilior est natura*, inquit S. Isidorus in libris *De Trinitate, tanto plenius assistit ad similitudinem divinæ unitatis expressa :* natura autem Angelica subtilior est, quam humana, utpote expers omnis commercii ac societatis cum corpore : igitur magis ad similitudinem divinæ naturæ, quam humana accedit : et consequenter magis est cum ipsa unibilis. — **Distinguo majorem** : quæ majorem habent affinitatem cum natura divina, sub ea ratione, qua est ipsi unibilis, concedo : secus nego : natura autem humana majorem habet similitudinem et proportionem cum natura divina sub ratione, qua ipsi unibilis est, quam Angelica ; quia ratio personæ, per quam Deus unibilis est homini, magis exprimitur per hominem, qui ab altero ori-

ginem ducit, quam per Angelum, qui ita non procedit ab alio Angelo; igitur licet Angelus ratione suæ simplicitatis magis exprimat divinam essentiam sub ratione essentiæ, quia totus spiritualis est; tamen non ita perfecte exprimit personas divinas, et modum processionis, quo una originem ducit ab altera, sicut homines; et subinde non habet majorem, imo minorem affinitatem cum divina natura, sub ea ratione, qua Deus unibilis est cum creatura.

Dices 2: Illa natura dicenda est magis cum Deo unibilis, quæ propter suam excellentiam dignior est et aptior, quæ sublimetur et exaltetur: sed Angelica natura, cum humana sit longe præstantior, etiam dignior et aptior est, quæ per incarnationem sublimetur: igitur convenientius fuit ipsam assumi quam humanam. — **Respondet Seraphicus Doctor** dist. 2. q. 2. ad 2. quod etsi Angelus altior sit natura, quam homo; per gratiam tamen unionis magis decuit hominem, quam Angelum exaltari, et ad confutandam superbiam Luciferi qui Deo voluit æquari, et ad commendandam gratiam Dei, ut appareat, quod sublimatio in gloria non sit ex natura, sed potius ex gratia divina: quapropter adorandus Salvator sibi asseclas magis elegit pauperes et ignobiles, quam divites et potentes, ut frangeret hominum superbiam, et ne gloriaretur omnis creatura in conspectu ejus.

Dices 3: Major apparet misericordia, ubi grandior est miseria: sed longe grandior est miseria Angelorum perditorum, cum gravius fuerit eorum peccatum, quam hominum: ergo magis decebat misericordiam divinam eos redimere, quam homines. — **Nego minorem**: longe namque major erat hominum perditorum miseria, quam Angelorum, utpote cum non omnes lapsi fuerint Angeli, sicut homines, nec tota perierit Angelica natura, sicut humana, idcirco convenientius fuit homines reparari, quam Angelos. *His adde,* quod Angeli perduelles minus erant digni misericordia propter suam superbiam, et obfirmatam malitiam: cum enim obstinati sint universaliter in malitia, inquit Seraphicus Doctor ad 4, non inflammarentur ad humilitatem, nec per exhibitionem tanti beneficii et exempli ad charitatem accenderentur; videmus enim illud hodie in multis peccatoribus, quibus propter suam assuetam perversitatem parum prodest Christi Domini Passio.

Dices 4: Ab eo congrue incipi debuit redemptio, a quo prævaricatio sumpsit exordium: sed hæc originem habet ab Angelo, qui fuit totius prævaricationis auctor: igitur reparatio similiter debuit ab illo inchoari. — **Respondet Seraphicus Doctor**, quod « prævaricatio ge-« neris humani sumpsit exordium a dæmone, et ab homine, sed cum « hoc discrimine, quod ab homine processit tamquam a principali « auctore, a dæmone vero sicut suggestore, et instigatore: cum autem « Christus sit auctor nostræ redemptionis, convenientius fuit, ut ipsam « auspicaretur ab auctore prævaricationis, quatenus perditioni resti-« tutio directe quadret: et quemadmodum in primo Adam facta est « nostræ prævaricationis consummatio, sic per secundum Adam fieret « nostræ redemptionis perfectio ».

Dices denique: Tam mortale fuit peccatum hominis, quam Angeli: sed peccatum mortale est irremediabile: idcirco enim mortale dicitur, quia mortem æternam inducit, ac perpetuæ damnationi reum devovet: igitur tam homo, quam Angelus, indignus et incapax erat

redemptionis; et subinde non fuit convenientius ipsum, quam Angelum reparari. — **Respondet Alensis** q. 1. memb. 2. *Ad primam rationem,* « quod irremediabile dicitur tripliciter, sicut et invisibile : scilicet, nega- « tive, privative, contrarie. *Irremediabile negative* est, quod nullo modo « potest remitti : *irremediabile privative* est, quod non habet aliquid « dignum, per quod debeat remitti : *irremediabile contrarie* est, quod « habet contrariam dispositionem ad remittendum, sine qua nullo « modo potest remitti. *Primo modo* dicitur irremediabile peccatum « Angeli, et peccatum damnatorum : *Secundo modo* dicuntur irremis- « sibilia peccata in Spiritum Sanctum, scilicet, desperatio, præsumptio, « etc. quia sunt sub dispositionibus contrariis ad remissionem. *Tertio* « *modo* dicitur omne peccatum mortale irremissibile, quia nullum « mortale habet aliquid, per quod sit dignum remissione. Hac ultima « ratione peccatum hominis erat irremissibile, non vero duabus primis, « et subinde non est eadem ratio de reparatione hominis, ac Angeli ».

Conclusio secunda. — Convenientius fuit, ut assumeretur natura humana ex Adami propagine, quam aliunde formata. Hæc Conclusio sequitur ex præcedentibus, eamque probat S. Anselmus libro secundo, *Cur Deus homo,* capite octavo, triplici ratione:

Primo, justum est, ut ille, qui satisfacit, sit vel idem, qui peccavit, vel aliquis ex ejus origine; alias qui offendit, satisfactionem non impenderet : sed justum fuit, ut pro culpa hominis satisfieret Deo : ergo pariter justum est, ut homo ille satisfaciens, vel sit Adamus, qui offendit, vel aliquis ex ejus propagine.

Secundo, si Adam non peccasset, totum humanum genus per se stetisset in innocentia, absque ope, et sustentatione alterius creaturæ : ergo si surgere debeat, convenientius est, ut resurgat per opem et auxilium alicujus qui sit ejusdem generis : sed si homo assumptus aliunde, quam ex Adami propagine formaretur, non esset ejusdem status cum genere humano : igitur humanum genus non surgeret per opem alicujus sui generis.

Denique, quando Deus primitus humanam naturam formavit, solum Adamum produxit, et ex eo eduxit fœminam; quo significaret se velle, ut omnes homines ab eo tamquam a suo principio propagarentur : quapropter Adamus omnium hominum caput et princeps extitit ante peccatum : igitur si reparari debeat illa dignitas per Verbi Incarnationem, oportuit quod repararetur, vel per ipsum Adamum assumptum, vel per alium hominem ex ejus propagine formatum : sed non potuit Adamus assumi, quia proprietates hominis assumpti tribuuntur personæ divinæ assumenti : ac proinde sicut est verum dicere de Adamo, quod peccavit, etiam verum esset dicere de persona divina, quod peccasset : hoc autem absolute repugnat divinæ sanctitati : igitur etiam repugnat ut Adamus ipse assumatur a Verbo : oportet ergo, ut alius homo assumatur, qui licet sit ex Adami propagine, tamen nullum habuerit peccatum.

Dices 1: Congruum fuit, ut ille homo, qui pro omnium reatu satisfacere debebat, maxime alienus esset ab omni peccato : sed talis non foret, si esset ex Adami propagine : igitur convenientius fuit, ut homo ille satisfaciens, aliunde quam ex Adami prosapia formaretur. *Probatur*

minor: qui nullam habet similitudinem carnis peccati, nec ullum cum peccatoribus commercium, magis est alienus a peccato, quam qui illis characteribus afficitur: at talis esset homo aliunde, quam ex Adami sanguine formatus; non esset autem talis, qui ab eo propagaretur: igitur magis expediebat hominem creari de novo, ut assumeretur, quam ab Adamo propagari. — **Distinguo minorem**, et ejus probationem: si illa similitudo carnis peccati sit ratione culpæ, concedo: si dumtaxat ratione pœnæ debitæ, nego: in homine autem a Verbo assumpto, hoc est in Christo, non est similitudo carnis peccati ratione culpæ; sed dumtaxat ratione pœnæ, quia Verbum divinum assumpsit corpus mortale, quo debitam nostris peccatis pœnam per acerbissimam suam passionem, et totius laboriosæ vitæ crebras angustias lueret, et solveret.

Dices 2: Convenientius fuit, ut qui debitum contraxit, ille solveret: sed Adamus ipse contraxit debitum peccati: ergo congruum fuit, ut illud ipse solveret, et subinde, ut ejus individuum a Verbo divino assumeretur. — **Distinguo majorem**: si possit per se solum solvere debitum illud, aut illius beneficio et ope, cum quo non habeat absolutam incompossibilitatem, concedo: secus, nego. Adamus autem, nec poterat per se solvere debitum, neque ope alicujus personæ divinæ, cum qua uniretur: quia ipse erat limitatæ entitatis et operationis, ac proinde non poterat exacte satisfacere pro debito, quod summam indignitatem habebat ratione Divinitatis offensæ. Nec etiam sociari poterat cum Deo in unitate personæ, quia cum ipse fuerit peccator, sequeretur etiam, quod divina Persona dici posset peccatrix, quod omnino absurdum est: igitur id fieri nec potuit nec debuit.

Petes: an convenientius fuerit Christum nasci ex Virgine, quam ex viro, et fœmina. — **Affirmo**: tum quia decens erat, ut qui Patrem Virginem habet in cælis, etiam Virginem Matrem in terris haberet: tum quia, inquit S. Anselmus supra: *Quatuor modis potest Deus facere hominem, videlicet, aut de viro, et de fœmina, sicut assiduus usus monstrat; aut nec de viro, nec de fœmina, sicut creavit Adam: aut de viro sine fœmina, sicut fecit Evam, aut de fœmina sine viro,* quod ante Incarnationem non fecerat. *Ut igitur hunc quoque modum probaret suæ subjacere potestati, et ad hoc ipsum opus dilatum esse, nihil convenientius, quam, ut de fœmina sine viro assumat illum hominem, quem quærimus.* Tum denique quia hoc magis commendabat et illustrabat Verbi Incarnati puritatem, et integritatem.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM CONVENIENTIUS FUERIT FILIUM, QUAM PATREM, AUT SPIRITUM SANCTUM INCARNARI.

Notandum 1. Certum esse quemlibet e divinis personis posse humanam naturam assumere, sive ex Adamo propagatam, sive aliunde formatam; siquidem quod alia persona, quam Filius assumeret naturam humanam ex Virgine, inde non sequeretur, secundum rei veritatem, inter divinas personas æqualitatis diminutio, nec personarum confusio: nulla enim est confusio, quod una persona diversas habeat appellationes invicem oppositas; quodque, qui Pater est, sit etiam Fi-

lius; siquidem nunc credimus, quod unus, et idem sit temporalis et æternus, immortalis et mortuus, immensus et circumscriptus. Nulla etiam est inæqualitatis diminutio, quippe Verbum divinum, ubi carnem assumpsit, licet sit minor Patre secundum humanitatem, tamen est æqualis Patri secundum divinitatem, etenim humana suscipiens divina non amisit. Unde non movetur præsens quæstio de possibilitate, sed dumtaxat de convenientia; an videlicet congruentius fuerit Filium, quam Patrem, aut Spiritum Sanctum incarnari.

Notandum 2. Quod etsi Incarnatio, quatenus est effectus ad extra, sit opus totius Trinitatis: attamen certum est uni dumtaxat personæ divinæ peculiariter attribui. Quia, inquit S. Bonav. in 3. dist. 1. q. 2. creatura dupliciter comparari potest ad Creatorem; sicut et Creator ad Creaturam: Creatura namque comparari potest ad Creatorem, *vel* secundum susceptionem alicujus perfectionis, *vel* secundum relationem habitudinis dependentiæ. *Prima comparatio* necessario respicit tres personas indistincte, et indivise; quippe in eis est unica et indivisa essentialis perfectio. *Secunda* vero comparatio potest esse respectu alicujus personæ determinatæ et distinctæ, absque eo quod respiciat alteram, quia personæ divinæ invicem relationibus, et realiter distinguuntur. Similiter Deus potest dupliciter comparari ad creaturam: videlicet in ratione principii causantis, et in ratione suppositi sustentificantis. Secundum primam comparationem invicem conveniunt, et communicant tres personæ, quia in ipsis est unica natura, et unica virtus creaturarum productiva: secundum vero comparationem alteram creatura potest habere respectum distinctum ad unicam dumtaxat personam divinam; quia licet una persona conveniat cum altera in natura et virtute, distinguitur tamen ab illa in supposito et personali proprietate. Quoniam ergo in unione naturarum, sive incarnatione, persona divina sit suppositum, sive hypostasis naturæ humanæ; ita quod unio, sive incarnatio, non dicat tantum habitudinem Dei ad creaturam per modum causæ, sed etiam per modum suppositi; hinc est quod ex comparatione Dei ad creaturas, una persona uniri potest humanæ naturæ, absque eo quod alia similiter uniatur. Ex parte creaturæ idem constat; quippe cum creatura dicat comparationem ad Deum, non solum quantum ad susceptionem complementi, sed etiam quantum ad habitudinem relationis; inde fit, quod Incarnatio possit convenire uni personæ, absque eo quod conveniat alteri.

Notandum 3. Quod etsi divinæ personæ invicem in unitate essentiæ ita indivisim conveniant, ut sint unus Deus; attamen aliqua eis peculiariter conveniunt, vel secundum propria, vel secundum appropriata. *Secundum propria,* paternitas tribuitur primæ personæ, filiatio secundæ, et spiratio passiva tertiæ. *Secundum appropriata* vero, potentia tribuitur Patri, sapientia Filio, bonitas et amor Spiritui Sancto. Qua ratione triplex operatio divinis istis personis etiam peculiariter attribuitur, nempe creatio Patri, recreatio Filio, glorificatio et justificatio Spiritui sancto; quia creatio est opus potentiæ; recreatio, seu restitutio, opus sapientiæ; et justificatio ac glorificatio opus bonitatis divinæ. Constat autem tres divinas illas præcellentias mirum in modum effulsisse in Incarnatione Verbi. Potentiam quidem, nam, inquit S. Damascenus lib. 3. cap. 1. *Deus ens perfectum perfectus homo fit, et perficitur, quod*

est omnium novorum novissimum : quod solum novum sub sole : per quod infinita Dei virtus ostenditur : quid enim majus, quam Deum fieri hominem ? Bonitas similiter mirum in modum elucet in eo quod Deus non despexerit hominem propria culpa miserum et damnatum, sed commota sint ejus divinæ Misericordiæ viscera super ejus languoribus, ut ab eis ipsum solveret. Sapientia denique propter multiplicem illam rationem in 1. Quæst. hujus Sectionis assignatam. Quæritur autem an convenientius fuerit, Incarnationem censeri opus infinitæ sapientiæ, quam bonitatis, aut potentiæ : seu quod idem est, an magis expedierit Incarnationem a Filio potius, quam a Patre, aut Spiritu Sancto fieri.

Conclusio unica. — Revera convenientius fuit Filium incarnari, quam Patrem, aut Spiritum sanctum.

Probat hanc conclusionem Seraphicus Doctor supra laudatus q. 3. hac fere ratione: Incarnatio spectari potest vel secundum se, vel quatenus ordinatur ad humani generis redemptionem : sed secundum hanc utramque considerationem magis congruum fuit personam Filii incarnari, quam alias.

Primo quidem si spectetur Incarnatio *secundum se*, et per respectum ad personam, quæ incarnatur, illud aperte constat ; quia secunda persona considerari potest vel quatenus est Filius, vel quatenus est Imago, vel quatenus est Verbum : hac autem triplici ratione magis expediebat ipsam incarnari. — *Primo* quidem, quatenus est *Imago* : quippe reformanda erat Dei effigies per peccatum in homine detrita : igitur apponenda erat illa naturalis Dei effigies, et imago, ad cujus similitudinem homo formatus reformari, et prima divinæ perfectionis lineamenta æmulari, et referre posset.— *Secundo*, quatenus est *Verbum*, quia ut *Verbum* est Patris, procedit a Patre, ut Pater se manifestet per ipsum ; et ideo sicut ad cogitationis manifestationem, nostrum verbum intellectuale copulatur voci sensibili, sic ad divinitatis revelationem congruum fuit, ut Verbum Patris carnem assumeret : quare S. Paulus ad Hebræos 1. ait: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*— Postremo quia *Filius* est, congruebat eum carnem assumere, ut esset de genere hominum, et ita Filius hominis : nam, inquit S. Anselmus, in lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 9. *Si quælibet alia persona incarnaretur, essent duo Filii in S. Trinitate, scilicet Filius Dei, qui et ante Incarnationem Filius est, et ille qui per Incarnationem esset Filius Virginis, et sic esset in personis, quæ semper æquales esse debent, inæqualitas secundum dignitatem nativitatum : digniorem namque nativitatem habebit natus ex Deo, quam natus ex Virgine.* Quam utique rationem etiam profert S. Augustinus lib. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 2. dicens : « Non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus Sanctus, sed Filius « tantum, ut qui erat in divinitate Dei Filius, fieret in homine hominis « Filius, ne Filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna « filiatione Filius. Dei ergo Filius hominis factus est Filius, natus « secundum divinitatem naturæ ex Deo Dei Filius, et secundum veri- « tatem naturæ, ex homine hominis Filius, et veritas geniti non ado- « ptione, non appellatione, sed in utraque nativitate Filii nomen na- « scendo haberet, ut esset verus Deus, et verus homo, unus Filius. »

Secunda ratio eamdem veritatem insinuans petitur ex ipsa comparatione Incarnationis ad *Redemptionem humani generis*. Ex hac enim parte magis congruum fuit Filium incarnari, quam Patrem, aut Spiritum S. sive consideremus hominis lapsum, sive reparandi modum, sive reparationis fructum. *Primo*, inquam, si consideremus *hominis lapsum* id apparet: quippe lapsus est homo appetendo Dei similitudinem et æqualitatem, quæ maxime Filio tribuitur in divinis: hinc ipse fuit velut occasio lapsus hominis; et ideo homo inde sumere debuit reparationem, unde habuerat lapsus occasionem. Quam utique rationem non minus eleganter, quam pie expendit S. Bernardus, Serm. 1. *De Adventu*, his verbis, quibus Filium introducit ita loquentem: « Ecce occasione mei Pater creaturas suas amittit. Altitu-
« dinem meam primus Angelus affectavit, et populum, qui sibi cre-
« deret, habuit; sed continuo Patris zelus vindicavit in illum, percu-
« tiens illum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione
« crudeli. Scientiam quoque, quæ nihilominus mea est, surripere vo-
« luit homo: et nec illi quidem misertus est neque pepercit oculus
« ejus: duas tantum fecerat nobiles creaturas rationi participes, ca-
« paces beatitudinis: Angelum videlicet, atque hominem: sed ecce
« propter me Angelos perdidit multos, homines universos, ergo ut
« sciant, quia et ego diligo Patrem, per me recipiat, quos quodam-
« modo amisisse videtur: si propter me hæc tempestas orta est, tol-
« lite me, et mittite in mare: omnes invident mihi, ecce venio, et
« talem eis exhibeo memetipsum, ut quisquis gestierit imitari, fiat ei
« æmulatio in bonum ». — *His adde*, quod cum specialiter in Filium homines peccaverint, ejus erat peccatum condonare et remittere, cui facta fuerat offensa. Quam utique rationem profert S. Anselmus loco mox laudato. *Quasi specialius*, inquit, *adversus personam Filii peccaverant, qui vera Patris similitudo creditur: illi itaque cui specialius fit injuria, convenientius attribuitur culpæ vindicta, aut indulgentia. Secundo*, si consideremus *modum reparationis*, ille magis competebat Filio, quam cæteris personis: reparati enim sumus per Mediatoris obedientiam, et supplicationem: ratio autem Mediatoris magis Filio, quam cæteris personis conveniebat; decebat namque ut qui medius est inter divinas personas, etiam medium se sisteret inter Deum et hominem, ut Dei et hominum mediator existeret. Similiter magis conveniebat Filio supplicare Patri, et obedire: *Nam*, inquit S. Anselmus ibidem, *convenientius sonat Filium supplicare Patri, quam aliam personam.* — *Postremo*, si consideremus reparationis *fructum* vel *effectum*, congruentius erat Filium incarnari; quia Incarnatio ad hoc ordinatur, ut simus filii Dei: congruum autem fuit, ut dignitatem filii consequeremur per eum, qui est Filius naturalis. Hinc S. Augustinus lib. 3. *De Trinitate*, cap. 9. *Ut homo ex Deo nasceretur, primo ex ipsis natus est Deus: oportuit enim, ut per eum efficeremur filii adoptivi, qui Filius est naturalis.*

Dices 1: Illius est hominem recreare et reparare, cujus est creare et formare: sed creatio maxime attribuitur et convenit potentiæ Patris: igitur etiam ipsi tribuenda est hominis restitutio et reparatio per Incarnationem. — **Respondeo**, Incarnationem spectari posse vel effective, vel formaliter: primo modo æque convenit tribus adorandis per-

sonis; non item secundo modo. Unde *distinguo majorem:* ei convenit reparare, cui convenit formare, effective, concedo: formaliter, nego. Effective, inquam, Incarnatio maxime tribuitur Patri, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; nec proprio Filio pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: formaliter autem unice tribuitur Filio, quippe sola ipsius personalitas terminat dependentiam naturæ humanæ, et eam formaliter afficiens efficit subsistentem et personatam.

Dices 2: Illius est in filios adoptare, cujus est generare: sed solius Patris est generare: ergo solius est Patris homines per Incarnationem in filios adoptare. — **Distinguo majorem**; auctoritative, et principaliter, concedo: subauctoritative et secundum missionem, nego. Competit itaque Patri auctoritas adoptandi principaliter, quia, inquit Apostolus ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem Filiorum reciperemus.*

Dices 3: Magis decet Patrem habere aliquid, quod non habeat Filius, quam Filium habere, quod non habeat Pater, quia quod habet Filius, habet a Patre: sed per Incarnationem una persona habet aliquid, quod non habet altera: ergo magis expedit Patrem, quam Filium incarnari. — **Distinguo majorem**: magis decet Patrem habere aliquid, quod non habeat Filius, secundum originem æternam, concedo: secundum unionem hypostaticam, nego. Habere debet equidem Pater secundum originem æternam aliquid, quod non habet Filius, quia Pater habet vim generativam Filii, Filius autem vicissim non habet vim generativam Patris. Secus est autem de unione hypostatica, cùm enim per eam una persona subjiciatur alteri, convenientius est, ut id habeat Filius, quo possit Patri subjici, quam quo Pater Filio inferior censeatur; et subinde magis expedit Filium habere naturam humanam, qua minor est Patre, quam quod Pater ratione illius Filio subjiceretur.

Dices 4: Ei maxime congruit Incarnatio, cui competit summam gratiam homini conferre, illa enim est omnium gratiarum summa: sed summæ gratiæ largitio maxime competit Spiritui Sancto: igitur ipsi congruentius etiam tribuenda est Incarnatio. — **Distinguo majorem**: cui summæ gratiæ largitio tribuitur, vel effective, vel formaliter, concedo; effective dumtaxat, nego. Incarnatio quidem effective appropriatur Spiritui Sancto, quia summum Dei in homines amoris, et bonitatis opus, qualis est Incarnatio, maxime appropriatur ei personæ, quæ Dei amor et bonitas appellatur: formaliter autem soli Verbo convenit, utpote cum solum Verbum sua personalitate naturam humanam fecerit subsistentem.

QUÆSTIO QUARTA.

AN CONVENIENTI TEMPORE FACTA FUERIT INCARNATIO.

Notandum 1. Præsentem difficultatem moveri maxime de triplici temporis circumstantia, quo fieri debuit Incarnatio, nempe initio, medio, et fine durationis mundi: cum enim Adamus in mundi exordio lapsus fuerit, videtur fuisse convenientius, ut subveniretur ejus miseriæ paulo post quam a statu suæ felicitatis excidit: salubrior enim,

et opportunior apparet medicina, quæ non post diuturnam ægritudinem, sed ejus initio paratur, ac propinatur. Cum autem divina Sapientia omnes suos actus, et motus justa et æqua lance libret, omniaque suaviter disponat, investigandæ sunt rationes, cur tamdiu tamque sero salubrem ac salutarem illam medicinam humano generi conferendam distulerit.

Notandum 2. Tempus quo peracta est Incarnatio, variis nominibus in Scriptura sacra designari. Primo enim dicitur *novissimus dies*. Sic Isaiæ 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domini*. Secundo *plenitudo temporis:* sic ad Galatas 4. *Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium*. Tertio vocatur *medium annorum*, sic Habacuc 3. *Opus tuum in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies*. Dicitur autem *medium annorum*, non quasi eo nomine significetur medium durationis mundi, alioqui cognoscere possemus, quo tempore futurus sit dies judicii: quod directe militat in illud Christi oraculum: *De die autem illa nemo scit, etc.* sed ut declaretur tempus a Deo præstitutum: est enim familiare in Scriptura id appellare in medio rei alicujus, quod est intra ipsam. Sic Psalm. 100. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam*. Jeremiæ 51. *Fugite de medio Babylonis*. Appellatur autem *plenitudo temporis*, ut significetur tempus, vel quo Deus implere voluit, quod promiserat et definierat, vel quo implendæ erant figuræ, vel maxime quo plenitudo gratiæ conferenda erat et manifestanda. Dicitur denique *novissimus dies:* quippe peractum est hoc ineffabile Mysterium in ultima mundi ætate, per quam lex gratiæ duratura est, nec ulteriorem sibi succedentem est habitura: quod ut plenius, pleniusque declaretur

Notandum 3. Universam mundi durationem per sex ætates solito distribui: juxta notabiles variationes, et celeberrimos eventus, qui in orbe, maxime vero apud populum Judaicum, contigerunt. *Prima* computatur ab Adamo usque ad Noe, seu diluvium; *Secunda* a Noe usque ad Abraham; *Tertia* ab Abrahamo usque ad Davidem; *Quarta* a David usque ad captivitatem Babylonicam; *Quinta* a captivitate usque ad Christum; *Sexta* denique a Christo Domino usque ad finem mundi. Qua ratione Christus Dominus dicitur venisse novissimis diebus, quia venit in ultima ætate, atque ad mundi vesperam. *Prima ætas* duravit mille sexcentis quinquaginta sex annis, ut clare colligitur ex *Genesis* 5. et 7. juxta Hebraicam vetustam et novam editionem. *Secunda* videtur durasse 322. annis, quia licet ex *Genesi*. 11. 292 tantum anni colligantur; tamen cum ibi prætermissa fuerit generatio Caina, quam Septuaginta Interpretes addiderunt, et S. Luc. cap. 5. ideo illi numero ad minus addendi sunt triginta anni quibus Caina vixerit antequam generaret filios. *Tertia* videtur durasse 941. nam ab ortu Abrahæ usque ad promissionem illi factam, fluxerunt 75. anni, *Genesis* 12. ab illa autem promissione usque ad finem captivitatis populi in Ægypto, seu usque ad legem datam, quod contigit post tres menses ab illo exitu, fluxerunt 430. a lege autem data usque ad initium regni David fuerunt 136. ut evidenter sumitur ex lib. 3. Regum cap. 6. qui 4. 6. additi supra quinque et quingentos, efficiunt dictum numerum 941. quibus hæc tertia ætas durasse videtur. *Quarta* autem ætas, qua Judæorum regnum duravit, ab initio regni David usque ad captivitatem

Babylonicam, completa fuit annis 470. ut colligere est ex lib. 3. Reg. cap. 2. 11. 22. et lib. 1. a cap. 8. *Quinta ætas* omnium difficillima, quantum ad sui durationem; Historici enim, et Chronologistæ sacri varias hac de re sæinduntur in sententias. Nam *Genebrardus*, lib. 2. *Chronologiæ*, tribuit huic ætati annos 501. *Beda* vero in lib. *De sex ætatibus*, numerat. 560. *Driedo* lib. 3. *De Dogmatibus*, cap. 5. computat 596. *Eusebius*, *in Chronico* vult esse 585. Nonnulli vero cum Suarez in 3. part. q. 1. disp. 6. sect. 1. sexcentos annos huic ætati assignant; ex quibus colligit Incarnationem factam esse circa quater millesimum annum a creatione mundi: quæ sententia an verior sit, non est hujus loci resolvere, sed duntaxat aperire rationes, quæ suadere possunt illam convenienti tempore fuisse peractam.

Conclusio unica. — Convenientius fuit, ut Christi Domini Incarnatio non fieret ab initio mundi; nec differretur ad ejus finem: sed quasi circa sæculorum medium perageretur. Hæc Conclusio tribus partibus constat: quarum

Primam sic probat **S. Bonaventura** in 3. dist. 1. q. 1. idque quadruplici ratione: *Prima* quidem petenda ex parte divinæ justitiæ. In hoc enim, inquit, manifestatur divinæ ultionis severitas, quæ tot clamores, totque hominum luctus, quibus Salvatorem deprecabantur, tanto tempore sustinuerit, nec citius exaudierit: et ut Adamo ipsi in lymbis exulanti, et omnibus ejus posteris, appareret, quanta fuisset ipsius offensæ gravitas, quamque acerba ultione Deus in ipsum animadvertat. *Secunda* petitur a curatione morbi; oportuit enim hominem prius nosse suam impotentiam ad necessarium sibi remedium præstandum, quam illud divinitus acciperet, ut sic de sua infirmitate convictus, confugeret ad divinam gratiam, et sic confugiens curaretur. *Tertiam* repetit ex ordine universi: quia enim, inquit, hoc erat plenum et maximum beneficium, differri debuit usque ad plenitudinem dierum. *Quarta* ratio fuit propter commendandum Incarnationis beneficium; quod cum pretiosissimum sit inter Dei beneficia, prius debuit esse desideratum et expectatum, quam exhibitum. Conveniens igitur fuit ad commendationem tam excellentis mysterii, ut plurima sæcula præcederent ejus executionem: ut nempe tot sæculorum decursu Christus Salvator postularetur a Patriarchis, prædiceretur a Prophetis, a legis Mosaycæ umbris præfiguraretur, et esset desideratus cunctis gentibus: nam, ut ait S. Aug. tract. 31. in Joannem *Quanto major judex veniebat, tanto præconum series longior præcedere debebat.* — Addit S. Thomas q. 1. art. 5. non fuisse conveniens Verbum incarnari statim post commissum peccatum: *Primo* propter *conditionem peccati*, quod originem ducebat ex superbia; humiliandus enim fuit homo priusquam liberaretur; unde reliquit eum Dominus prius in libertate arbitrii sub lege naturali, et scripta, ut sic suæ naturæ infirmitatem agnosceret; qua cognita clamaret ad medicum, et gratiæ quæreret auxilium. *Secundo*, id decuit propter ordinem *promotionis in bonum*, homo namque a statu animalis ad statum spiritualis promoveri debuit, juxta illud Corinth. 15. *Non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. Tertio*, propter *dignitatem Verbi incarnandi:*

nam, inquit Tertull. lib. 3. *contra Marcionem*, cap. 2. *Tantum opus quod humanæ saluti parabatur, in quantum credi habebat, ut prodesset, in tantum paraturam desiderabat, ut credi posset, substratum fundamentis dispositionis, et prædicationis, quo ordine fides informata, merito et homini indiceretur a Deo, et Deo exhiberetur ab homine.*

Secunda pars etiam constat: *Tum quia* cum Christus venerit ad promerendam nobis gratiam, et gloriam, et gloria debeat conferri maxime in fine mundi, conveniens videtur, ut prius veniat gratiam largiens, quam gloriam: *Tum quia* si Verbum suum in mundum adventum distulisset usque ad finem mundi, cum in dies hominum peccata invalescerent, Dei notitia et reverentia, ac morum honestas prorsus expunctæ fuissent in terris: unde quemadmodum delegavit Abrahamum, ut restitueret Dei cognitionem inter homines, apud quos jam cœperat extingui: sicut postmodum delegavit Moysem, ut cultum, sibique debitam reverentiam, quæ fere expuncta fuerat, per legem scriptam restitueret: sic etiam congruum fuit, ut cum vidit Judæos ac gentes omnem Dei timorem ac legem excussisse, delegaret Filium in terras, ut hominum mores reformaret: *Tum* denique, ut per uberiorem gratiæ largitionem plurimi salvarentur.

Ex his itaque colligitur tertia pars, nempe quod convenienti tempore facta fuerit Incarnatio circa plenitudinem et medietatem temporum; ut sicut Sol in medio planetarum positus superiores et inferiores illuminat: sic Christus verus ille sol justitiæ in medio annorum veniens, ac mundo se manifestans, anteriora sæcula per fidem, et spem sui futuri adventus illuminaret ac illustraret, et sequentia per Evangelicam doctrinam et Sacramenta sanctificaret et consecraret.

Dices 1: Ægro periculose et extreme laboranti quamprimum subveniendum est, et præparanda efficaciora remedia: sed statim ac homo in mortale peccatum lapsus est, morbo periculosissimo laboravit: ergo conveniens fuit, ut ei succurreret Deus per Incarnationem, quæ est remedium, et medium efficacissimum ad tollendam peccati ægritudinem. — **Distinguo majorem:** si ita expediat curandæ ægritudini, concedo: secus, nego. Non expediebat autem sanandæ hominis infirmitati, ut ei statim ac in peccatum lapsus est, per Incarnationem mederetur: ne remedium illud, vel ex superbia contemneret, vel sibi debitum existimaret: debuit ergo prius suam infirmitatem, inopiam, ac imbecillitatem agnoscere, et sic efficacius medici charitatem implorare.

Dices 2: Ex 1. ad Timoth. 5. Christus venit in mundum peccatores salvos facere: sed plures salvati fuissent, si statim ab initio mundi, ejus doctrina, gratia, et exemplis fuissent illustrati: ergo, etc. — **Respondet Seraphicus Doctor,** quod divina sapientia, ac providentiæ præcipuus ordo postulat, ut commune bonum privato præponatur, et totius universi perfectio perfectioni alicujus personæ singularis: et ideo placuit universitatis Conditori servare Incarnationis beneficium ad ultimam ætatem, ut ostenderet in aliis benignitatem misericordiæ, in aliis servaret justitiæ severitatem, in omnes tamen gratiam suam uberius derivaret, ubi enim abundavit delictum, superabundavit et gratia. *Adde quod* singulis mundi ætatibus sufficientia media hominibus præbuerit, quibus, si vellent, salutem suam possent promereri.

Dices 3: Idque contra *secundam partem:* frustra fiunt per plura quæ per pauciora possunt impleri: sed per ultimum Christi Domini adventum potuissent homines salvari: igitur prior adventus ad hominum salutem superfluit. — **Distinguo majorem:** si ita opportune fiant, concedo: secus, nego. Ad *minorem* dico, quod etsi forte potuissent homines salvari per unicum Christi adventum, si Deus ita ordinasset, ut nempe quicumque in ipsum collocassent fidem, spem, et dilectionem, illico fuissent prædestinati, sicut prædestinati fuerunt sancti Angeli propter impensam homini Deo observantiam unico temporis momento, ut vult S. Bernardus; tamen convenientius fuit ut homines, qui temporanei sunt, ac in suis operationibus succedanei, varios Christi haberent adventus, quatenus per illos sese diligentius, et præstantius ad posteriorem promoverent. Hinc idem S. Bernardus Sermone 3. *De Adventu,* ait: *Triplicem Christi adventum novimus: ad homines, in homines, contra homines: ad homines quidem indifferenter, non ita in homines, aut contra homines.* Primus fuit per Incarnationem: secundus fit per gratiæ sanctificantis infusionem: tertius futurus est per ultimam Christi in sua majestate apparitionem. Primus in humilitate carnis: secundus in consecratione mentis: tertius in retributione mercedis. Primus fuit ad bonos, et malos, ut justi fierent: secundus, dumtaxat ad justos, ut in sanctitate perseverarent: tertius, ad electos, et reprobos, ut invariabiliter pœnas luant, aut coronis illustrentur. Convenientius autem fuit duos priores adventus præcedere, ut justa ordinatione tertius succederet.

SECTIO TERTIA.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

Quamquam omne necessarium sit etiam conveniens, quia res quælibet in tantum censetur necessaria in quantum a Deo ita ordinatur tamquam medium conducens ad finem; Deus autem ob infinitam suam æquitatem, et sapientiam nil, nisi quod expedit, ordinat, et præscribit; non tamen id omne, quod conveniens est, necessarium existimatur. Idcirco post declaratam convenientiam Incarnationis, illius necessitas est aperienda in præsenti Sectione, in qua resolvendum erit: *Primo,* an, et qualiter necessaria fuerit Incarnatio. *Secundo,* an purus homo potuerit Deo satisfacere pro peccatis omnium hominum. *Tertio,* an Christus Dominus exactam et perfectam satisfactionem Deo pro nobis impenderit. *Quarto,* an revera peracta jam fuerit Incarnatio, seu an Messias venerit.

QUÆSTIO PRIMA.

AN, ET QUALITER NECESSARIA FUERIT INCARNATIO.

Notandum 1. Certum esse de fide, omnes omnino homines Adami Proparentis peccato reos teneri, et divinæ justitiæ obstrictos, et ut debitores mancipari ad vindictam et ultionem: ita namque post Apostolum statuit Concil. Trid. sess. 5. can. 2. his verbis: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et*

non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, et pœnas corporis tantum in humanum genus transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ, anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: ex quibus patet, nos omnes in massa perditionis constitutos esse: a qua per meritum unius Mediatoris Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit, educimur. An autem, et qualiter ad istam humani generis reparationem, necesse fuerit Verbum Divinum incarnari, hic erit solvendum.

Notandum 2. Omissis variis divisionibus *necessitatis*, quantum ad præsens institutum, duplicem statui; aliam quidem *absolutam*, aliam vero *hypotheticam*. Absoluta est, qua res non potest aliter esse, idque vel *simpliciter*, ita quod contradictio sit, et repugnantia illam aliter esse, sic necesse est Deum existere. Necessitas hypothetica est, qua aliquid dicitur necessarium ex hypothesi, quod ita sit. Sic ex hypothesi, quod homo currat, necesse est ipsum moveri; non autem necesse ipsum currere. Prima necessitas dicitur *inevitabilitatis* a S. Anselmo lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 4. Secunda *immutabilitatis*, quia petitur ex immutabilitate Dei, tum in sua entitate, tum in suis decretis. Vel, ut solito loquuntur Theologi, prima est necessitas *antecedentis*, secunda vero necessitas *consequentis*. Porro hic non est sermo de necessitate absoluta, et simpliciter inevitabili; nullus namque fuit Theologus, qui assereret Incarnationem ita fuisse necessariam, ut contradictionem implicet Deum non incarnari: sed movetur quæstio de necessitate immutabilitatis, et hypothetica; siquidem nonnulli sunt, qui existimant necesse fuisse Deum incarnari ex hypothesi, quod homo lapsus esset. Ita sentire videtur *S. Anselmus*, toto libro primo *Cur Deus homo;* cui subscribunt *Richardus a S. Victore*, lib. *De Incarnatione*, cap. 4. *Raymundus Lullius* in sua brevi introductoria Arte ad omnes scientias, demonstratione octava, qui tamen videntur a sententia S. Anselmi declinare in eo, quod non absolute pronuntient necessariam fuisse Incarnationem supposito hominis lapsu, sed dumtaxat ex hypothesi, quod Deus hominem lapsum promovere vellet ad priorem innocentiam, et ad beatificum statum, ad quem ipsum formaverat. Sanctus autem Anselmus utrumque docere videtur.

Notandum 3. Hanc utramque necessitatem, tam absolutam, quam respectivam et hypotheticam, dupliciter spectari posse per respectum ad finem, nimirum vel *absolute*, vel *secundum quid*. Illud dicitur *absolute necessarium*, sine quo res nequit obtineri: sic navis est necessaria ad trajiciendum mare. *Secundum quid* vero, quod conducit tantum ad finem faciliori ac perfectiori modo consequendum: sic equus dicitur necessarius homini bene valenti ad iter agendum. Certum est autem, Incarnationem esse necessariam secundum quid ad redemptionem hominum, quia præstantiori ac efficaciori modo per eam Deo satisfactum fuit, et nostris miseriis ac calamitatibus abundantius ac salubrius fuit consultum ac provisum. Unde sermo dumtaxat hic futurus est de necessitate absoluta Incarnationis ad salutem hominum.

Duo igitur hic veniunt determinanda: *Primum*, an supposito hominis lapsu, necessum fuerit Deum incarnari, ut illum restitueret.

Secundum, utrum ex hypothesi, quod Deus hominis restitutionem voluerit ordinare, opus habuerit illam per Incarnationem efficere.

Conclusio prima. — Incarnatio, supposito hominis lapsu, non fuit Deo simpliciter necessaria.

Probatur primo ex Script. sacra. Sap. 2. *Quis tibi imputaverit si perierint nationes, quas tu fecisti?* Non verteretur ergo Deo in justitiæ præjudicium, si hominem lapsum in statu suæ miseriæ æternum reliqueret. Et Jeremiæ 12. *Numquid ipse figulus potero vobis facere domus Israel?* Igitur potest Deus citra injustitiam pro sua summa libertate hominem lapsum reparare, vel perditum abjicere, sicut figulus potest vas confractum ad integrum non restituere.

Favet etiam ratio: Deus enim ad extra operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, et in omnibus suis operationibus modulandis liberrimus est, et ab omni coactione et necessitate longe semotus; quippe cum ei nihil perfectionis accedat aut recedat propter salutem aut perditionem creaturæ: igitur nulla necessitate impellitur ad hominem perditum recipiendum et restituendum; ac subinde ad Incarnationem ineundam nulla necessitate ducitur. Patebit evidentius hæc veritas ex sequenti consideratione, sed prius solvendæ sunt rationes, quibus sanctus Anselmus videtur contrarium asserere.

Objicit itaque primo, lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 2. 4. Dei propositum non potest evacuari: sed Deus hominem condendo proposuerat eum promovere ad beatitudinem æternam, quam non potest pertingere quamdiu jacet in lapsu: ergo necessum fuit Deo, ne propositum ejus foret frustraneum, et ne quod de homine proposuerat penitus annihilaretur, ac genus humanum, tam pretiosum ejus opus omnino periret, ut istud a suo lapsu repararet: hoc autem fieri non poterat, nisi per Incarnationem Verbi: igitur illa fuit simpliciter necessaria. — **Respondeo**, ex hoc argumento nihil aliud sequi, quam quod conveniens equidem fuerit Deum hominis lapsum reparare, non autem quod aliqua necessitate ad id fuerit impulsus. Vel si quæ sit illa necessitas, non alia certe, quam *consequentiæ* petita ex immutabilitate ejus propositi, quod certe absolutam necessitatem non infert: non enim sequitur, ait Seraphicus Doctor *ibidem*, si Deus reparat necessitate suæ immutabilitatis, quod propter hoc non reparet libertate suæ benignitatis: hæc enim simul stare possunt. *Adde quod* etsi Deus aliquam decentiam, et necessitatem habuerit reparandi homines, non propterea id necessario debuerit præstare per Incarnationem; quippe varius ac multiplex ei modus suppeditabatur salvandi homines, etiamsi Verbum non fuisset incarnatum, ut constabit infra.

Objicit 2, cap. 24. Non decet summam sapientiam permittere nobilissimam creaturam universaliter fine suo fraudari: sed nisi reparatio hominis lapsi interveniat, omnes homines ad beatitudinem æternam conditi, fine suo fraudarentur, et ita vane omnes filii hominum essent constituti, quippe injustus est omnis, qui non reddit Deo, quod debet: nullus autem injustus, inquit S. Anselmus, admittitur ad beatitudinem, quoniam quemadmodum beatitudo est sufficientia, in qua nulla est indigentia, sic nulli convenit, nisi in quo pura est justitia, ut nulla sit in eo injustitia: ergo necessum fuit Deo ratione suæ sa-

pientiæ divinæ, ut hominem lapsum restitueret, eumque ad debitum suum finem promoveret. — **Respondeo.** prioris argumenti solutionem etiam præsenti facere satis; ex eo enim dumtaxat infertur, congruum quidem fuisse divinæ sapientiæ, ut hominem Deus e suo lapsu relevaret, et ad finem suum promoveret et ordinaret; non vero quod id absolute necessarium fuerit: quippe Deus, ut diximus, liberrimus est in suis operationibus ad extra, et si quid beneficii impendit, maxime peccatoribus id largitur, non ex cogente necessitate, sed ex exuberante misericordia et bonitate.

Objicit 3. cap. 16. et 17. Indecens foret, ac proinde impossibile, numerum Angelorum, utpote præstantissimarum creaturarum, imperfectum perpetuo relinquere: atqui numerum illum non conveniebat restaurare ex iis, qui ceciderant; quippe Angelus semel lapsus per pœnitentiam Deo reconciliari non potest. *Nec etiam* resarciri posset ille numerus per alios Angelos de novo creandos, quoniam illi, qui substituendi essent, tales esse deberent, quales essent illi, qui ceciderunt si non peccassent: at tales esse non possent, quia priores Angeli, qui ceciderunt, meliores essent si perseverassent, quam forent Angeli posteriores, qui post eorum lapsum crearentur: siquidem priores perseverassent nulla visa vindicta peccati, et districta animadversione Dei in perduelles: posteriores autem recenter creati perseverarent dumtaxat post compertam illam vindictam: præstantius autem et perfectius est perseverare in gratia nullo viso exemplo justitiæ divinæ vindicantis peccatum, quam perseverare propter illud exemplum: quia illa perseverantia est ex puro et solo motivo amoris divini, hæc autem habet admixtum timorem; actus autem, qui simpliciter elicitur ex motivo amoris, præstantior est, quam qui elicitur ex motivo timoris: igitur prior perseverandi modus præstantior esset posteriore. Ex quibus infert S. Anselmus, ruinam Angelorum reparandam esse ex alia natura, quam Angelica; nulla autem alia erat ad id apta, quam humana: igitur necessum fuit humanam naturam elevari ad supplendum numerum Angelorum. Sed ubi lapsa est, non potuit ad illam elevationem promoveri, nisi relevaretur, et pristinæ innocentiæ restitueretur: ergo necessum fuit illam salvari, ac proinde Deum habere Salvatorem, quod dumtaxat per Incarnationem obtinuit. — **Respondeo** nullas esse prorsus omnes illas consequentias. *Primo* namque non fuit absolute necesse, sed dumtaxat congruum, Angelorum numerum restaurare, et supplere; nam, ut diximus ex Sap. *Quis ei imputabit si pavierint nationes?* quippe cum Deus nihil ex justitia peccanti debeat præter supplicium. *Secundo*, minus verum apparet, non potuisse restaurare numerum Angelorum ex his, qui ceciderant, aut ex aliis denuo creatis; siquidem probavimus in 2. Tomo, nullam implicare contradictionem, Angelos ad pœnitentiam per divinæ gratiæ subsidium posse revocari, illorum quippe in malo obduratio maxime provenit ex negato sibi gratiæ auxilio. Potuit Deus pariter supplere illum numerum per Angelos denuo creatos: tum quia non erat necesse, ut restitueretur ex Angelis æque bonis cum his, qui ceciderant, quippe Deo liberum fuit aliter constituere et ordinare: tum etiam quia Deus gratia sua efficere potuit, ut Angeli recenter creati meliores etiam forent his, qui corruerant; nam gratia Dei non est minus efficax

ad bonitatem, et justitiam servandam et augendam, quam animadversio Dei, et ejus vindicta ad puniendum. *Denique,* etsi Angelorum numerus esset per homines reparandus, non tamen consequens esset homines illos restituendos esse per Incarnationem Verbi; quippe plurimis aliis modis, etiam seclusa Incarnatione, Deus hominem poterat liberare, et salvum facere, quod perierat, ut judicabit

Conclusio secunda. — Incarnatio non fuit simpliciter necessaria, etiam ex hypothesi, quod Deus hominem lapsum restituere et salvare decreverit. Hæc est communis inter Theologos.

Probatur primo ex Scriptura, quæ Incarnationem commendat tamquam præstantissimum opus, ac beneficium dilectionis, misericordiæ, et liberalitatis divinæ. Sic Joann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ad Titum 3. *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Et 1. Joan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum Unigenitum misit Deus in mundum, ut viramus per ipsum:* at opus charitatis, misericordiæ, ac benignitatis divinæ, non est opus necessitatis, sed summæ libertatis: ergo Incarnatio, per quam Deus restituit homines, non fuit ullatenus ex necessitate.

Reponit S. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo,* cap. 5. duplicem esse distinguendam necessitatem: *alteram,* quæ cogit aliquem invitum ad benefaciendum, quia non potest aliter facere: et hæc, inquit, necessitas benefaciendi, gratiam aufert aut minuit, cum enim aliquis ea necessitate, cui subjacet, invitus benefacit, aut nulla, aut minor illi gratia debetur: *aliam* vero, per quam potius augetur gratia benefacientis, quia huic necessitati sese libere subjecerit: cum enim aliquis sponte necessitati benefaciendi se subdit, nec invitus eam sustinet, tum utique beneficii gratiam meretur majorem; non enim hæc dicenda est necessitas, sed gratia, quia nullo cogente illam suscipit, aut servat, sed gratis. Tale est, cum quis sanctæ conversationis vovet propositum, quamvis namque servari illud ex necessitate post votum debeat, ne apostatæ damnationem incurrat, et licet cogi posset servare si nolit, si tamen non invitus servat, quod vovit, non minus, sed magis gratus est Deo, quam si non vovisset, quoniam non solum communem vitam, sed etiam ejus licentiam sibi propter Deum abnegavit: nec sancte vivere dicendus est necessitate, sed eadem, qua vovit, libertate. Quare multo magis si Deus facit bonum homini, quod incœpit, licet non deceat eum a bono incœpto deficere, totum gratiæ debemus imputare; quia hoc propter nos, non propter se, nullius egens incœpit, non enim illum latuit, quid homo facturus erat, cum illum fecit, et tamen bonitate sua illum creando sponte, se ut perficeret incœptum bonum obligavit. Hæc S. Anselmus; quibus significat, quod quia Deus creavit hominem, quem præsciebat peccaturum, ac proinde necessarium fore, ut una e divinis personis incarnaretur, quæ ipsum redimeret, et nihilominus eum libere produxit, et peccare permisit, idcirco hanc necessitatem ipse sponte subire voluit; ac proinde nihil ex ea suæ liberalitati, gratiæ, amori, et benignitati derogatum est. — **Verum hæc responsio non elevat auctoritates præfatas, nam**

Scriptura aperte insinuat liberam, ac summe misericordem Dei voluntatem post lapsum in reparando homine, et in eo reparationis modo, quem elegit inter eos omnes, quos ad id muneris poterat usurpare, ut mox dicemus.

Probatur 2. ex SS. Patribus. Primo quidem ex S. Athanasio serm. 3. contra Arianos, ubi cum dixisset Deum congrue per Verbi Incarnationem solvisse maledictionem, quam comminatus fuerat dicens: *Terræ es, in terram ibis*, subjicit hanc Arianorum objectionem: *Sed poterat, etiamsi Salvator creatura existeret, vel loqui tantummodo, et ita solvere maledictionem:* quam solvit in hunc modum: *Poterat sine adventu Christi solummodo loqui Deus, et solvere maledictionem: cæterum spectandum est hic, quid hominibus sit utile, non quid situm sit in viribus Dei.* — Idem dicunt plurimi sancti Patres. S. Leo serm. 2. *De Nativit.* cap. 3. *Verax*, inquit, *misericordia Dei cui ad reparandum genus humanum ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ.* Subscribit S. Bernardus Epist. 190. *Quis negat*, inquit, *ad manum Omnipotentis fuisse alios, et alios modos nostræ redemptionis, justificationis, et liberationis?* — Apertius autem hanc veritatem insinuat S. Augustinus, lib. *De Agone Christi*, cap. 11. ubi ait: *Sunt stulti, qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, et nasceretur ex femina, et a peccatoribus omnia illa pateretur.* Et lib. 13. *De Trinitate*, cap. 10. arguens eos, qui dicunt, defuisse Deo alium modum, quo homines a peccato liberaret, ait: *Parum est sic refellere, ut istum modum, quo nos per Mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, Deus liberare dignatur, asseramus bonum, et divinæ congruum bonitati: rerum etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent: sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse.*

Suffragatur etiam ratio Theologica. *Primo* namque cum Deus sit liberrimus in suis operationibus ad extra, cumque læsus ipse sit per hominum peccata, poterat illam offensam gratis condonare et remittere per simplicem ac gratuitam condonationem, nullam exigendo pœnam, aut satisfactionem pro admissa culpa; hoc enim maxime saperet divinam ejus clementiam, benignitatem, et misericordiam, appareretque abundantissima illius in seipso sufficientia; siquidem per id manifestaret se nullatenus bonorum nostrorum indigere, nec honorem a nobis ipsi impensum, aut negatum, ejus perfectioni aut felicitati quidquam addere aut detrahere. *Adde quod* laudabile videtur homini cuique læso, dum irrogatam sibi injuriam gratis condonat: hæc enim gratuita offensæ remissio manifestum est argumentum animi generosi et magnanimi: igitur illa pariter gratuita condonatio maxime vergeret in Dei honorem et gloriam. *Confirmatur*, quia licet Magistratus, aut Judex particularis non possit interdum offensam etiam ab homine læso remissam et gratis condonatam, inultam relinquere, sed juxta legum præscripta teneatur reo debitas pœnas præscribere; tamen princeps, justis de causis, pro sua in communitatem auctoritate, potest promeritas a reo pœnas secundum legum præscripta, gratis relaxare, et eum absque ulla satisfactione liberum dimittere: ergo multo magis

id Deus pro summa sua auctoritate et clementia poterit hominibus debitas pœnas secundum præscripta suæ divinæ justitiæ gratuito condonare, nullamque ab eis satisfactionem exigere; igitur, etiam præsupposito hominum lapsu, non fuit necessaria Incarnatio Verbi. — *Deinde*, etiamsi Deus ex justitia necessario aliquam ab hominibus pro expianda eorum offensa satisfactionem exigeret, potuisset illam ab unoquoque homine reo repetere; ita quod hominum quisque teneretur pro singulari sua persona satisfacere Deo pro peccato originali a se contracto: quemadmodum peccator quilibet tenetur præstare Deo satisfactionem pro omnibus suis peccatis actualibus: cum enim originale peccatum idcirco a quolibet homine contrahatur, quia ejus voluntas interpretative fuit in voluntate Adami, ita quod eo peccante omnes peccaverunt; quidni potuisset Deus etiam cuilibet hominum præscribere satisfactionem aliquam voluntarie ac libere pendendam, pro expiando illo reatu, qui interpretative dumtaxat voluntarius fuit respectu cujuslibet hominis? — *Denique*, poterat Deus (ut dicemus in Quæstione sequenti) tantam homini alicui particulari gratiam conferre, ut opera ejus omnino Deo grata fierent, et accepta ad satisfactionem pro universo humano genere: igitur ad id non fuit absolute necessaria satisfactio a Deo-Homine impensa.

Objicies 1. Sanctos Patres affirmantes Incarnationem fuisse absolute necessariam ex hypothesi, quod Deus hominem liberare decerneret. Sic S. Chrysostomus Hom. 19. in Joan. *Cecidit*, inquit, *natura nostra eo modo, ut restitui nullo pacto posset a quocumque, nisi ab illa omnipotentissima manu: neque enim aliter restitui poterat, nisi qui ex principio eam finxit, manum porrexisset.* Cyrillus lib. 5. Thesauri cap. 7. *Quoniam*, inquit, *imperfectum esse opus Dei non decuit, et non potuit aliter reparari, necessario Deus factus est homo.* Ambrosius ad Hebr. 9. *Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando, nisi omnipotens Filius Dei moreretur pro nobis.* Leo Papa Epist. 81. *Quæ*, inquit, *reconciliatio esse poterat, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causam Mediator Dei, hominumque susciperet?* His adde S. Anselmum toto libro 1. *Cur Deus homo*, etc. — **Respondeo**, eos omnes sanctos Patres ita a nobis posse explicari, quemadmodum noster Alensis et Seraphicus Doctor exponunt S. Anselmum, cum dixit impossibile Deo fuisse non incarnari; et ita necessarium fuisse redimi hominem per Incarnationem, ut aliter fieri nec potuerit, nec debuerit. Dicunt enim illi Doctores, S. Anselmum locutum fuisse de sola *necessitate immutabilitatis*, quæ provenit ex decreto voluntatis Dei, quod semel habitum ipse Deus mutare non potest. Supposita ergo divina ordinatione de redimendo homine per Incarnationem, non poteramus aliter salvari, neque Deus poterat nobis hoc beneficium negare: alioqui fuisset mutabilis. *Secundo* exponi possunt sancti Patres de necessitate ad *melius esse*: ita ut dicatur illud necessarium, quod est convenientissimum, quodque ex omni parte damnum per peccatum illatum compensat: hoc enim modo neque manet dedecus peccati sine decore justitiæ, et pœnas luit homo, quas debet, et digne Deo satisfacit, qui dignam satisfactionem potest rependere. *Denique* exponi possunt de necessitate conducente ad modum perfectissimæ redemptionis, quæ cogitari potest: certum est autem,

quod præstantissima, quæ cogitari potest, satisfactio pro peccatis hominum, ea sit quæ exhibetur ab Homine-Deo.

Objicies 2. cum S. Anselmo lib. 1. *Cur Deus homo,* cap. 12: Deus nihil moliri potest in præjudicium suæ divinæ æquitatis et justitiæ: sed si hominum offensam relaxaret absque debita satisfactione, quæ dumtaxat per Deum hominem potest fieri, ageret contra exigentiam suæ justitiæ, quæ vult omne peccatum puniri, et ablatum Deo honorem rependi: igitur, etc. — **Distinguo minorem**; illud vergeret in præjudicium divinæ æquitatis et justitiæ secundum rationem præsentis dispositionis et ordinationis rerum, concedo: quia nempe Deus decrevit nullum fore peccatum impunitum, nec remittendum absque satisfactione vel propria, vel aliena: secundum ordinationem, quam Deus statuere poterat, si altero medio, ut erat in ejus libertate, nobis succurrere voluisset, nego; cum enim tota Dei justitia et æquitas ab ejus divina ordinatione pendeat, idque justum et æquum dumtaxat censeatur, quod cum divina voluntate concordat; inde liquet, quod si rem aliter statuisset Deus, decretum istud divinæ æquitati non repugnasset.

Objicies 3. cum eodem S. Anselmo: Peccatum si non punitur, inordinatum dimittetur: quia sicut virtus ordinatur ad gloriam, ita peccatum ad pœnam: sed non decet Deum aliquid in suo regno inordinatum dimittere: igitur non decet Deum peccatum sic impunitum dimittere. — **Distinguo majorem**: inordinatum est, peccatum sine punitione dimittere, juxta præsentem divinam ordinationem, concedo; siquidem Deus, ut mox diximus, vult omne peccatum debitas pœnas luere: sed cum rem aliter Deus statuere potuerit, ita pariter potuit efficere, ut peccatum absolute non ordinaretur ad pœnam inevitabiliter infligendam.

Objicies denique ex eodem: Si peccatum debita satisfactione non solvitur, nec punitur, consequens est, quod nulli legi subjaceat: sed hoc repugnat: tum quia sequeretur, quod injustitia liberior esset, quam justitia: quia hæc divinæ providentiæ subjacet, illa vero nulli legi subjaceret; tum pariter quod injustitia esset Deo similis; quippe, sicut Deus, nulli legi subjaceret: quæ consequentiæ sunt omnino absurdæ: igitur et illud unde inferuntur. — **Nego sequelam majoris**: siquidem in eo casu peccatum, et injustitia subjacerent divinæ voluntati ordinanti, ut gratis remitterentur, quemadmodum ipsi subjacent opera justitiæ, quæ ex divina ordinatione sortiri debent debitam mercedem, non alia ratione, quam quia videlicet Deus ita statuit ac ordinavit.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM PURUS HOMO DEO SATISFACERE POTUERIT PRO HOMINUM OFFENSA, EORUMQUE RUINAM RESTAURARE.

Notandum 1. Nomine *hominis puri* Theologos hic non intelligere hominem destitutum gratia sanctificante et aliis donis supernaturalibus, ut intellexit Cajetanus: sed solum significatur homo, qui non est Deus, nec unitus hypostatice cum aliqua e divinis personis, qualis est Christus Dominus; unde quæstionis sensus est, an aliquis homo possit pro universis hominum peccatis condignam Deo satisfactionem exhi-

bere, et in tantum apud eum promereri suis meritoriis et satisfactoriis operibus, ut Deus hominum offensam relaxet, et eis media sufficientia ad salutem æternam consequendam largiatur.

Notandum 2. Quod satisfactio in genere sit debiti solutio : quæ definitur a Doctore Subtili in 4. distinct. 5. num. 4. *Redditio voluntaria æquivalentis, alias indebiti.* Cujus definitionis particulas ibidem explicat Doctor. Primo dicitur *redditio*, tum ut distinguatur a simplici donatione, quia redditio non est simplex donatio, sed debiti solutio : tum etiam, ut significetur satisfactionem esse actum justitiæ, et ad alterum ; quia proprie nullus sibi aliquid reddit. Secundo dicitur *voluntaria :* tum quia est actus virtutis justitiæ, omnis autem actus virtutis moralis debet esse voluntarius : tum etiam quia omnis redditio, quæ non est voluntaria, magis est satispassio, quam satisfactio. Tertio, *æquivalentis*, quod enim per satisfactionem redditur debet quamdam habere æqualitatem cum debito ; idque vel secundum proportionem geometricam, qua ex justitia distributiva major debetur satisfactio digniori personæ læsæ, quam minus dignæ : vel secundum proportionem arithmeticam, qua ex justitia commutativa tantum datur pro tanto, v. g. centum aurei solvuntur pro totidem debitis. Quando autem aliqua satisfactio has omnes conditiones habet, dicitur *perfecta :* quando deest æqualitas, dicitur *de congruo*, quia creditor non tenetur illam acceptare ex justitia, sed dumtaxat ex liberalitate, et congruentia : quando vero fit ad æqualitatem, sed ex bonis a creditore concessis, dicitur *ex condigno:* quia licet id quod redditur sit ex gratia creditoris, tamen revera pretium redditum *æquivalet* debito.

Notandum 3. Ratione materiæ, satisfactionem esse multiplicem ; fit enim, *vel* in bonis fortunæ, *vel* naturæ, *vel* honoris, *vel* reverentiæ; sed cum hoc discrimine, quod satisfactio in *bonis naturæ* fieri non possit personæ læsæ nisi per quamdam compensationem commutativam ; qui enim alterum graviter percussit, debet ipsi facere satis per bona fortunæ solvendo pretium aliquod pro mulcta læsionis et offensæ. In *bonis* autem *fortunæ* satisfactio fieri debet ex iisdem bonis, non quidem semper secundum eamdem entitatem, sed secundum pretium, et æstimationem : nam qui debet alteri centum nummos, satisfaciet ex æquo vel parem pecuniæ summam retribuendo, vel donando aliquid æquivalens in pretio, secundum æstimationem communem, aut saltem juxta viri prudentis judicium. Satisfactio autem *in honore* maxime attenditur, vel secundum excellentiam operis satisfactorii ; vel secundum dignitatem personæ satisfacientis : sicut enim injuria crescit juxta dignitatem personæ offensæ, et vilitatem offendentis ; ita crescit satisfactio juxta excellentiam personæ satisfacientis : quo enim dignior est persona honorans, honor est illustrior.

His ita præmissis, duo sunt hic resolvenda: *Primum*, an aliqua simplex creatura de lege ordinaria pro omnium hominum peccatis condigne Deo satisfacere posset. *Secundum*, utrum saltem juxta absolutam Dei potentiam, et extraordinariam dispositionem, id posset exequi.

Conclusio prima. — Non potuit homo, juxta præsentem rerum dispositionem, satisfacere de condigno, et ad æqualitatem pro peccato omnium hominum. Hæc etiam est communis.

Ut enim satisfactio esset perfecta, deberet esse redditio æquivalentis, ut dictum est in 2. *Notab.*: sed purus homo non potuit tam pro suo quam pro alieno peccato, secluso omni pacto divino, reddere æquivalens: igitur nec potuit perfectam satisfactionem impendere. Non quidem rependere æquivalens, quia nullum est opus hominis, quantalibet gratia præditi, quod possit tantum honoris rependere Deo quantum ei ablatum est per quodlibet hominis peccatum : sicut enim per quodcumque peccatum Deo fit injuria peculiaris, necessum esset ad perfectam satisfactionem, ut etiam peculiaris pro singulis peccatis fieret satisfactio : vel ut aliquis actus ita perfectus eliceretur, qui posset tantum honoris Deo impendere quantum ei detractum est per quodlibet singulare peccatum : sed neutrum homo purus potest exequi, secluso divino pacto. Non quidem primum, quia nullus hominum tot actus meritorios potest elicere, quot eliciti sunt a peccatoribus actus Dei offensivi. Nec etiam secundum potest exequi, sicut enim quodlibet peccatum certam, et limitatam habet indignitatem, et offensam ; ita opus meritorium habet determinatam rationem meriti, et honoris, nec tantum dignitatis habere potest ut ejus meritum æquivaleat omnibus injuriis per singula peccata Deo irrogatis. *Adde quod* ratio meriti partim repetatur ex acceptatione Dei ; ergo ubi illa non intervenit, sicut revera de facto non fuit, quippe nullibi apparet, sic nec æqua potuit esse satisfactio.

Confirmatur auctoritate SS. Patrum, qui idcirco affirmant opus esse Homine-Deo ad salutem nostram operandam, quia nulla creatura Angelica aut humana id poterat exequi. Ita imprimis docent plurimi Patres Græci. Sic S. Athanasius in Evangel. de Passione et Cruce Domini, ait : *Cum videret malitiam intolerabilem, neque mortale genus idoneum esset quod morti resisteret, neque pœnam suorum malorum persolvere posset, nam excessus malitiæ excedebat omne supplicium : vidensque simul Patris bonitatem : et se quod idoneus esset et potens (Christus enim Dei Potentia ac Sapientia) commotus fuit sua humanitate, et misertus nostræ imbecillitati, illam ipsam imbecillitatem induit... vidensque simul quam non ad solutionem pœnæ sufficeremus, illam ipsam pœnam in se transtulit.* Et lib. *De Incarnat. Verbi. Cum enim,* inquit, *Patris sit Verbum et supra omnes, merito etiam solus omnia recuperare potuit, et idoneus fuit, qui pro omnibus intercederet.* — S. Basilius in Psalm. 28. exponens hæc verba, *Frater non redimit, redimet homo,* ait : *Non homo nudus, sed homo-Deus Jesus Christus : quia nullus alius condignum afferre poterat pretium.* — Cyrillus epist. 1. seu exegesi, *Quo pacto,* inquit, *unus pro omnibus mortuus justum pro omnibus pretium exsolvere potuit, si perpessionem illam puri cujuspiam hominis fuisse dicamus ?* — Damascenus lib. 15. et 19. dicit actionem Christi, et Passionem ideo fuisse salutiferam, quia divina erat : *Neque enim,* inquit, *convenire poterat actioni humanæ.* — Chrysostomus Homil. 10. in Joan. *Cecidit,* inquit, *natura nostra eo modo, ut restitui nullo pacto posset a quocumque, nisi ab illa omnipotentissima manu : neque enim aliter restitui poterat, nisi qui in principio eam effinxit, manum porrexisset.* — Ipsis adstipulantur Patres Latini, quibus præit S. Cyprianus, sive quisquis est auctor libri *De operibus cardinalibus Christi,* ubi ait : *Cum originali morti nullum nisi in Christi morte potuerit esse remedium, nec reconciliare Deo potuerit exules, et damnatos quæ-*

libet oblatio, nisi sanguinis hujus singulare sacrificium. — Sanctus Ambrosius lib. 4. in Lucam. *Quis tantus esset dux, qui prodesset omnibus, nisi ille qui supra omnes est? Quis me supra mundum constitueret, nisi qui major est mundo? etc.* — S. Augustinus in Enchiridio c. 108. *Neque per ipsum liberaremur mediatorem hominem Christum, nisi esset Deus.* — Fulgentius *De Incarnatione, et gratia* cap. 4. post medium. *Verbum igitur Deus,* inquit, *idest unigenitus Dei Filius, qui est in omnibus, sicut ipse testatur, initium, et finis: sic initialiter secundum humanam naturam concipi carne non abnuit: sicut eadem carne moriens Deus humanæ naturæ debitum finale persolvit: nullatenus namque humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens, atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei, non naturali confusione, sed solum personali transiret.* — Denique S. Leo Serm. 1. *De Nativitate* ait: *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium.* Et Serm. 12. de Passione Domini: *Quia ergo,* inquit, *primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata corruerat, nec ulla Sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis evincere, venit e cœlo medicus singularis.* — Ex quibus et similibus SS. Patrum oraculis aperte constat satisfactionem pro peccatis humani generis non potuisse de via ordinaria ab ullo prorsus hominum, quamvis sanctissimo, Deo impendi. An autem id fieri potuerit de via extraordinaria, et per absolutam Dei potentiam, aperiet

Conclusio secunda. — Purus homo potuisset Deo satisfacere ad æqualitatem pro peccatis humani generis, de potentia Dei absoluta, et secundum extraordinariam ejus dispositionem. Hæc est Doctoris Subt. in 3. dist. 20. num. 9. ubi impugnans sententiam S. Anselmi dicentis, quod absolute oportuerit Deum hominem fieri, ut pro hominibus satisfaceret; ait: « Contra illud quod « dicit in 3. articulo, quod nullus nisi homo debuit satisfacere; hoc « non videtur absolute necessarium: quia unus, qui non est debitor, « potest satisfacere pro alio, sicut pro alio orare. Unde sicut Christus « innocens homo non debitor, satisfecit: sic, si placuisset Deo, potuit « unus bonus Angelus satisfecisse offerendo aliquid placitum Deo pro « nobis, quod ipse acceptasset pro omnibus peccatis: quia tantum « valet omne creatum oblatum, pro quanto acceptat Deus, et non plus. « *Præterea,* unus purus homo potuisset satisfacere pro omnibus, si « fuisset conceptus sine peccato, sicut potuisset fieri de possibili, ope« ratione Spiritus Sancti, et Matris; sicut fuit Christus; et Deus de« disset sibi summam gratiam, quam potuisset recipere, sicut dedit « Christo, sine meritis præcedentibus, ex liberalitate sua: talis enim « potuisset mereri deletionem peccati sicut et beatitudinem ». — Et deinde respondens ad illud, quod asserebat S. Anselmus, nimirum requiri ex parte satisfacientis, quod plus offerat Deo quam valeat tota creatura: dicit numero 8: « Credo quod, salva sua reverentia, hoc non « est verum: non enim oportuit satisfactionem pro peccato primi ho« minis excedere totam creaturam formaliter in magnitudine et in « perfectione; suffecisset enim offerre Deo majus bonum, quam fuerit « malum illius hominis peccantis. Unde si Adam per gratiam datam « et charitatem, habuisset unum, vel multos actus diligendi Deum « propter se, ex majori conatu liberi arbitrii, quam fuit conatus in

« peccando ; talis dilectio suffecisset pro peccato suo redimendo, et « fuisset satisfactum. Et tunc propositio illa est falsa, quod debuit « offerre Deo aliquid majus omni eo pro quo peccare non debuerat : « sed sicut pro amore creaturæ, ut objecti diligibilis, non debuit pec- « care ; ita satisfaciendo Deo debuit offerre aliquid majus, attingendo « per actum objective, quam sit creatura ; scilicet amorem attingentem « eum propter se, et ille amor objective, ut terminatur ad Deum, « excedit amorem creaturæ, sicut Deus creaturam. Unde sicut pec- « cavit per amorem ignobilioris objecti in infinitum : ita debuit sa- « tisfacere per amorem nobilioris in infinitum, et hoc suffecisset, saltem « de possibili ». Hæc Doctor ; quibus docet *Primo*, Deum potuisse formare hominem aliquem, qui non esset ex prosapia Adami, nec illius peccato infectus, et ipsi eamdem summam gratiam conferre, quam Christo Domino contulit : ac convenire cum ipso ut ejus opera bona proficerent ad deletionem peccati, et ad meritum beatitudinis pro cæteris hominibus, sicut convenit cum Christo. In qua hypothesi posset ille homo ex justitia perfecta Deo satisfacere pro reatu universi generis humani. *Secundo*, poterat etiam Deus convenire cum Adamo pœnitente, quatenus erat caput humani generis, ut per actus amoris et dilectionis Dei, aliosque actus pietatis, et pœnitentiæ satisfaceret tam pro suo peccato, quam pro peccato posterorum, quia ratione illius pacti, Deus acceptaret illos actus meritorios, ut tantum ei rependeretur honoris quantum ablatum est per peccata. Quod enim hæc fieri possint, nulla apparet repugnantia : igitur ita potuit accidere.

Probatur insuper : Si purus homo non posset satisfacere ad æqualitatem, maxime quia opera talis hominis justi non possent habere illam condignitatem ad expiationem et solutionem peccati : sed falsum consequens : igitur, etc. *Probatur minor :* idcirco illa opera non haberent illam condignitatem, quia, ut volunt plurimi Thomistæ, peccatum habet quamdam infinitatem in ratione malitiæ ; nulla autem creatura potest expiare et solvere malitiam infinitam : sed hæc ratio nulla est. *Probo :* Vel loquuntur de infinitate extrinseca et objectiva, quam habet peccatum, quatenus fit contra Deum, quia est objectum infinitum ; vel de infinitate formali et intrinseca ; sed *primum* non officit quominus illa malitia solvi possit ab homine puro ; quia opera satisfactoria hominis justi tenderent etiam in Deum, ut in objectum infinitum : ergo habent pariter illam infinitatem extrinsecam. *Secundum* autem est falsum, quia, ut probat Doctor in 3. dist. 19. num. 13. et in 1. dist. 19. num. 2. quæst. 1. nullum peccatum est formaliter malitiæ infinitæ ; nam si peccatum esset infinitæ malitiæ formaliter et intrinsece, non posset quis gravius offendere Deum uno peccato quam altero, et sic non esset gravior offensa si quis directe irreverentiam exhiberet Deo, quam si occideret hominem aut furaretur ; quod est absurdum. *Sequela* patet : quia si offensa quæ est in furto sit infinita, illa offensa quæ est in irreverentia, non potest esse major, quia major offensa cogitari non potest quam infinita.

Reponunt Thomistæ, offensam et injuriam crescere juxta dignitatem personæ contra quam fit : nam gravior, cæteris paribus, injuria est si colaphis impingatur a plebejo princeps aliquis, quam si plebejus a principe : quare Aristoteles 5. Ethicorum cap. 5. ait : *Si quis ma-*

gistratum gerens percusserit quempiam, non decet eum repercuti; et si quispiam eum qui magistratum gerit, percusserit, is non solum repercutiendus est, verum etiam supplicio afficiendus. Igitur cum peccatum fiat contra Deum, qui est infinitæ dignitatis, censetur habere malitiam infinitam. — **Verum nego consequentiam**: nam si esset legitima illatio, sequeretur pariter, quod visio beatifica esset infinitæ dignitatis intrinsecæ: quia sicut quo dignior est persona quæ offenditur, eo gravior est offensa, ita quo præstantius est objectum, eo etiam perfectior est visio: igitur si offensa personæ infinitæ dignitatis sit infinitæ malitiæ, etiam visio objecti infinitæ perfectionis erit infinita: sicut ergo falsa est hæc postrema consequentia, alioqui actus puræ creaturæ essent intrinsece infiniti, etiam falsa est anterior. — Solum igitur inde inferre licet, quod offensa contra digniorem personam, cæteris paribus, sit gravior illa, quæ minus dignæ personæ irrogaretur; quare sicut clara Dei visio est dignior visione inferioris objecti; non tamen est actus infinitus, quia finito modo tendit in objectum: sic offensa Dei est gravior alia offensa: non tamen est infinita. Hinc actus illi crescunt equidem juxta majorem perfectionem objecti secundum proportionem geometricam; ita quod illi actus, qui versantur per honorem, aut offensam, circa dignius objectum, majorem habeant dignitatem, vel indignitatem, quam illi qui taliter tendunt in objectum minus dignum: non autem debent crescere secundum proportionem arithmeticam; ita quod actus tendens in aliquod objectum, tantam habeat perfectionem, quantam habet objectum in quod tendit.

Instant: Quamvis peccatum in ratione actus sit quid finitum, tamen in ratione offensæ et aversionis a Deo, est quid infinitum: quia tanta est aversionis malitia, quantum est bonum, quod quis spernit: igitur cum peccatum, ut offensa, sit quid infinitum, etiam satisfactionem infinitæ dignitatis exigit. — **Nego antecedens**: nam illa aversio a Deo *vel* dicit solam gratiæ sanctificantis privationem, *vel* moralem peccati deformitatem ac malitiam. *Si primum*, offensa nequit esse infinita; nam privationis gravitas, et deformitas, non desumitur ab objecto, vel fine, sed a forma, quæ deberet inesse. Quare sicut pœna damni, quæ est perpetua carentia visionis divinæ, finita est intensive, quia privat solum clara Dei visione, quæ deberet inesse intellectui tamquam forma illius perfectiva; privat autem Deo tantum, ut illius visionis objectum est: sic peccatum mortale, cum privet solum immediate vel rectitudine debita actui, vel gratia sanctificante tamquam forma physica debita subjecto, tantum erit finita offensa, licet Deus, ad quem gratia convertit, sit infinitus. *Si secundum*, cum malitia peccati sit quid finitum, offensa etiam erit finita: nam peccatum idcirco dicitur offensa Dei, non quod lædat Deum, vel aliquid ipsi intrinsecum detrahat, hac enim ratione censeretur infinitum intrinsece, sed quia malum est, quod displicet Deo.

Urgent: Peccato cuilibet mortali sive actuali, sive originali, debetur pœna infinita: ergo est infinitæ malitiæ. — **Distinguo antecedens**: debetur pœna infinita, quoad intensionem, nego: quoad extensionem et durationem, concedo. Neque enim hac pœna punitur, quia habet infinitam malitiam; sed quia cum privet gratia, sine qua pec-

catum non potest remitti, et etiam peccatores efficiat indignos omni gratia futura, idcirco censetur esse vulnus insanabile. Quoniam autem peccato, quamdiu manet, debetur pœna, idcirco cum peccatum damnatorum semper maneat, etiam ipsi semper debetur pœna; adeoque æterna et infinita quantum ad durationem, licet finita sit quantum ad intensionem. *Vel aliter respondeo negando consequentiam:* nam si legitima esset illatio, sequeretur, quod opus meritorium nostrum esset pariter infiniti valoris, quia per ipsum meremur præmium æternum, et durationis infinitæ. Itaque non videtur congruentior ratio, cur Deus voluerit peccatum finale puniri pœna æterna, sicut et bonum opus donari præmio æterno, quam quia ita sibi placuit; nam quamvis illa pœna excedat malitiam peccati extensive loquendo, tamen juste Deus poterat illam præscribere, quia potius illius inflictio deputanda est peccatori, qui illam patitur, quam Deo, qui præscribit, quandoquidem peccator liberrime facit illas actiones contra dictamen rectæ rationis, ob quas pœna illa æternæ durationis esset inflicta.

Instant iterum: Quamquam peccatum non crescat univoce, nec secundum proportionem arithmeticam juxta dignitatem personæ, in quam committitur; tamen satisfactio mensuranda est ex dignitate, vel vilitate satisfacientis; quocirca cum homo sit longe inferior Deo, vilissimusque appareat in conspectu divinæ illius majestatis, inde fit, quod nusquam ex se condigne Deo possit homo satisfacere pro peccato. — **Nego antecedens**: non enim semper minuitur satisfactio ex vilitate personæ, alioqui inferior, qui superiorem læsisset, nusquam posset ei facere satis, nisi saltem plus ei redderet, quam abstulerit; quod falsum est; enimvero, si injuria sit *in bonis fortunæ*, rusticus aliquis condigne satisfaciet Principi pro centum aureis ablatis, si totidem ei reddat: similiter si offensa fuerit *in fama*, potest restituere, vel negando se quidquam dixisse in præjudicium famæ Principis, vel eum laudibus celebrando. Nec refert quod qui ita lædunt Principem soleant præter hanc satisfactionem interdum graviori pœna mulctari; id enim fit ad terrorem, ne alii facilem habeant ansam ita detrahendi Principis famæ. Si denique injuria fit *in honore*, licet difficilior appareat satisfactio, quia nihil fere æstimatur, quod persona vilis sese humiliet, et abjiciat coram Principe: potest tamen tanta esse illius humiliatio, tantusque erga Principem amor, ut sese gravi periculo pro salute ac vita Principis objiciat; quo fiet, ut eum dignum censeat Princeps, cui offensam ex æquo remittat. *Inde* apparet, quod homo, licet Deo longe inferior, quam sit rusticus erga Principem, tamen ejus divina gratia sublimatus, et suffultus, poterit æquivalentem ei satisfactionem impendere pro peccato, maxime cum hominum peccata Deum nec per se lædant, nec ullum bonum intrinsecum ei detrahant, sed eatenus dicantur illum offendere, et lædere, quatenus ei displicent. *Adde quod* amor Dei super omnia tantum placeat Deo, quantum peccatum illi displicet. — *Confirmatur* præcedens ratio; id non repugnat fieri, neque est Deo denegandum, quod nullam implicat contradictionem: sed nulla apparet contradictio, quod purus homo tantum reddat Deo, quantum ablatum est per peccatum tum proprium, tum alienum: igitur, etc. *Major* constat. *Minor* probatur; nam ad condignam, et æqualem satisfactionem tantum requiritur quod opus sati-

sfactionis in valore et dignitate æquivaleat debito, et quod Deus illud acceptet tamquam debiti compensativum: quippe hominis meritum, et illius bonorum operum valor maxime petitur ex pacto et acceptatione divina, ut probabimus in Tractatu *De Gratia, Disputatione de Merito:* sed homo justus potest elicere actum tantæ bonitatis, quantæ malitiæ fuit Adæ peccatum, maxime si sit immunis ab originali peccato, et summa gratia donatus: igitur poterat purus homo ad æqualitatem satisfacere pro peccatis aliorum. — *Confirmatur* iterum hæc ratio, et illustratur hoc exemplo: potuit Deus pepigisse fœdus cum Adamo, quod si non peccaret, sed mereretur augmentum suæ justitiæ, talem justitiam cum suo augmento traduceret in posteros; nam si pactum sufficiens erat, ut traduceret justitiam, ita erat sufficiens, ut traduceret augmentum illius: sed si hoc potuit Adamus cum pacto, et ratione acceptationis divinæ, simili ratione posset alius purus homo per opera sua meritoria transferre auxilia, et gratiam justificantem, ut alii a peccatis mundarentur: et consequenter posset de condigno satisfacere pro illis ex acceptatione Dei.

Objicies 1. Omnes sanctos Patres in præcedenti Conclusione laudatos, affirmantes nullum hominem fuisse idoneum ad reparandum humani generis lapsum, et ideirco necessum fuisse, Dei Filium incarnari, qui debitam ac congruam pro peccatis humani generis æterno Patri satisfactionem impenderet. — **Respondeo**, sanctorum Patrum auctoritates nobis non adversari: siquidem possumus reponere cum Doctore in 1. distinct. 15. q. 1. eas esse intelligendas de necessitate conditionata, et ex suppositione, quod Deus voluerit præstantiorem adhibere medicinam, quam esset morbus deterior, et quod meriti pretium longe præstaret debito, ut ubi abundavit delictum, ibi superabundaret et gratia. *Vel reponere possumus* cum eodem in 3. dist. 20. num. 10 Deum ideirco statuisse satisfactionem impendi per proprium Filium, ut majoris beneficii vinculo ei devinceremur: « nam, *inquit Doctor*, « ideo multum tenemur ei, ex quo enim aliter potuisset homo redimi, « et tamen ex sua libera voluntate sic redimit, multum ei tenemur, « et amplius quam sit sic necessarium, et non aliter potuissemus fuisse « redempti: ideo ad eliciendum nos ad amorem suum (ut credo) hoc « præcipue fecit: et quia voluit hominem amplius teneri Deo: sicut « si aliquis genuisset primo hominem, et postea instruxisset eum in « disciplina, et sanctitate, amplius obligaretur ei, quam si tantum ge- « nuisset eum, et alius instruxisset: at hæc est congruitas, non ne- « cessitas. » — Vel cum eodem *ibidem*, possumus reponere, quod sancti Patres nihil aliud intenderint, quam quod de facto ex suppositione ordinationis divinæ ac legis revera institutæ, nemo poterat Deo condigne satisfacere præter Deum-Hominem, ut dictum est in Conclusione præcedenti: at istud non repugnat Conclusioni præsenti, quæ non agit de eo, quod factum fuit, sed de eo, quod fieri potuit. — *Vel denique* dico, sanctos Patres posse explicari sic, ut velint, nullum hominem purum potuisse satisfacere de condigno pro peccatis generis humani: ita ut satisfactio Adæ v. g. ab ipso exhibita, quatenus ab eo procederet, non posset habere vim moraliter ad movendum Deum, ut remitteret peccata; istud vero obtinuerit satisfactio Christi, quatenus ab ipso procedebat; cum enim procederet a persona divina, ex se poterat

sufficienter movere Deum ad condonandum peccatum, quamvis non ita necessario, quin posset illud peccatum non condonare, etiam exhibita satisfactione a Christo, nisi intercederet pactum de condonando peccato ratione illius exhibitæ satisfactionis a persona divina. Inde tamen non sequitur, quin interveniente simili ordinatione et pacto divino, purus homo, maxime qui ab Adamo non propagaretur, nec illius inficeretur peccato, summamque gratiam haberet, dignam Deo pro hominum peccatis satisfactionem posset rependere.

Objicies 2. Illa satisfactio non potest esse condigna, in qua intercederet gratia creditoris, et fieret ex donis a creditore gratuito acceptis: sed talis esset satisfactio puri hominis, quia haberet suum valorem dumtaxat a gratia sanctificante sibi gratuito concessa, et a liberrima acceptatione Dei: igitur non posset esse ad æqualitatem, nec ex pura justitia. — **Distinguo majorem**: si illa gratia concessa, et gratuita acceptatio sint antecedenter ad satisfactionem, satisfactio non potest esse condigna, concedo: si dumtaxat consequenter, nego. *Ad minorem dico*, quod et gratia concessa, et gratuita acceptatio Dei, qua reciperet satisfactionem ab homine puro sibi exhibitam, antecederent illam sibi impensam satisfactionem, et sic non officerent quominus illa fuisset condigna: quia licet illa ordinatio, aut lex penderet ex mera et gratuita voluntate creditoris; tamen semel concessa, per ipsam debitor acquirit jus justitiæ, tum in id, quod sibi gratuito donatum est, nempe in gratiam sibi liberaliter concessam; quæ licet data fuerit gratis, tamen ubi illam obtinet, ipsi propria est, et potest ea pro libito uti, vel non uti ad opera meritoria et satisfactoria excercenda: tum pariter in conditionem, quam adimplet, quæ se habet per modum meriti, ut sibi retribuatur merces, aut remittatur debitum, ubi illam conditionem implevit: nam qui pactum implevit, meretur recipere illud præmium, de quo conventum fuerat.

Objicies 3. Si purus homo potuisset pro universis hominum peccatis satisfacere, inde consequens esset, quod non multum devinciremur Christo Domino: quippe cum potuissemus per alterum redimi: sed consequens illud aperte militat in Scripturam sacram, necnon et in christianam pietatem: igitur et id unde sequitur. — **Nego sequelam majoris**; nam, ut mox diximus cum Doctore Subtili, eo magis devincimur Deo, quod cum potuisset alio modo nos salvos facere, tamen proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; longe namque magis devinciretur Regi rusticus, qui Regem offendisset, si ad compensandam injuriam, quam gratis Rex poterat condonare, vel alio modo solvere, proprium filium substitueret loco ejus plebeji, ut sibi dignam pro offensa satisfactionem exhiberet; illum autem plebejum immunem a supplicio et satisfactione dimitteret.

Objicies 4. Non posset satisfacere purus homo, nisi mediante gratia habituali: sed gratia habitualis non est principium condigne merendi aliud, quam vitam æternam, et augmentum gratiæ homini ipsa habituali gratia digne utenti: igitur non potest esse principium merendi aliis de condigno condonationem peccati. — **Distinguo minorem**: secundum præsentem ordinationem, concedo: secundum possibilem, nego; nihil enim impedit, quominus Deus posset acceptare actum charitatis hominis justi pro alio præmio, quam pro vita æterna; nam

si homo haberet summam gratiam, qua mediante haberet jus ad vitam æternam, ex æquo ipsi gratiæ correspondentem, ita ut Deus nollet ullatenus acceptare ipsius opera tamquam meritoria augmenti gratiæ, aut gloriæ pro ipso homine operante (sicut de facto opera meritoria Christi, non ipsi profuerunt, nec ad uberiores gratias, quarum plenitudinem habebat ab initio conceptionis; nec ad ampliorem animæ beatitudinem, quæ Deo fruebatur) absurdissimum esset, quod Deus non posset acceptare illa merita pro aliis præmiis conferendis ipsis, pro quibus pusillus homo sua merita Deo exhiberet.

Objicies 5. Non potuit aliquis sufficienter satisfacere Deo pro omnibus beneficiis ab ipso receptis: ergo multo minus poterit pro peccatis omnium satisfacere. *Consequentia* patet, quia homo non minus constituitur debitor pro peccato commisso, quam pro beneficiis acceptis. — **Nego consequentiam**, quia ad satisfaciendum pro beneficiis requiritur alia gratia, unde pro illa non posset fieri satisfactio, vel fieret processus in infinitum; qualis processus non daretur, si quis pro omnibus peccatis satisfaceret. *Adde quod* negari posset *antecedens*, nam sicut ille, qui pro peccato suo meretur pœnam mortis temporalis, potest pro ea condigne satisfacere, nempe exhibendo tale obsequium in utilitatem, aut Regis, aut Reipublicæ, ut dignus sit, cui auctoritate suprema donetur vita; eodem modo unus pro alio satisfacere posset, et compensare pœnam mortis debitam.

Objicies 6. Non potest unus homo satisfacere pro peccato alterius, pro quo expiando ille pœnam mortis merebatur: igitur multo minus poterit satisfacere Deo pro peccato, quod meretur mortem æternam. — **Nego consequentiam**: et ratio disparitatis est, quod homo satisfaciens pro peccato alterius hominis damnati ad mortem temporalem, nihil habet, quod sit æquivalens vitæ; quia quidquid potest pro altero exhibere temporarium est, et inferius vita: secus autem est de homine satisfaciente pro peccatis aliorum: nam sicut peccatum meretur pœnam æternam, sic opus meritorium meretur vitam æternam; adeoque videtur condigna satisfactio, dum opus meritorium pro compensatione peccati mortalis, et pœnæ æternæ exhibetur: quia nempe reddit opus æquivalens, quod meretur vitam æternam.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM CHRISTUS DEO CONDIGNAM SATISFACTIONEM EXHIBUERIT.

Tria maxime veniunt in præsenti Quæstione determinanda: *Primum*, an Christi satisfactio exhibita fuerit ex virtute justitiæ proprie dictæ. *Secundum*, an ex se fuerit sufficiens, et condigna pro expiandis omnium hominum peccatis. *Tertium*, an omnes ad rigorosam justitiam conditiones habuerit: quæ ut evidentius appareant,

Notandum 1. ex Aristotele 3. *Ethic.* cap. 1. virtutem moralem generatim dividi in eam, quæ versatur circa seipsum, et in eam, quæ circa alium maxime occupatur: illa moderatur passiones, hæc operationes. Ad primum caput spectant *Fortitudo*, quæ passiones appetitus irascibilis: *Temperantia*, quæ passiones concupiscibilis: et *Prudentia*, quæ maxime affectus rationalis appetitus moderatur. *Justitia* vero tota

detinetur circa regulandas hominis actiones in ordine ad alterum, ut homo alteri debitum reddat. Cum autem debitum sit duplex, unum *morale*, cujus obligatio oritur ex recta ratione, quæ dictitat esse rectum et æquum, ut hoc aut aliud alteri præstetur; aliud vero *legale*, proveniens ex aliqua lege, vel naturali, vel divina positiva, vel humana, obligante ad reddendum æquale pro æquali: inde duplex statuitur justitia; una quidem *communis*, quæ reperitur in omnibus virtutibus ordinatis ad proximum, vel ad Deum; sic justum est parere mandatis superiorum ex obedientia, Deo debitum cultum impendere ex religione, parentibus succurrere ex pietate, etc. Altera autem est *specialis*, quæ in eo consistit, quod per se respiciat debitum reddendum alicui ex præscripto et obligatione legis. — Certum est autem Christum Dominum suam Passionem subiisse, ac satisfactionem exhibuisse ex justitia communi, nam eam obtulit ex motivo *Charitatis:* siquidem *dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Apoc. 2. *Amicitiæ*, nam ait Apostolus ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea.* Item *Obedientiæ*, juxta illud: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Joan. 14. *Religionis*, ut testatur Joan 17. *Pro eis sanctifico meipsum*, idest, sacrificium offero, ut ejus virtute sanctificentur, juxta illud ad Hebræos 10. *Una oblatione consummavit* sanctificatos. At disceptatur inter Theologos, utrum etiam Christus satisfactionem exhibuerit ex motivo strictæ justitiæ.

Notandum 2. Quod sicut est duplex jus in re, vel operatione per quam fieri potest satisfactio, vel recipi præmium, ita duplex in ea est valor, et dignitas: primum jus est in ordine ad rem; secundum est in ordine ad personam. Jus in ordine *ad rem*, est titulus, quem acquirit actio meritoria operantis in ordine ad præmium, hinc qui laboravit amplius, majorem mercedem meretur accipere; et hoc jus originem habet, ac fundatur in æqualitate rei ad rem. Jus vero in ordine *ad personam* est titulus, quem operans acquirit ratione operis meritorii in ordine ad præmiantem, quod utique jus, licet supponat æqualitatem operis cum accipiendo præmio, non tamen ex ea oritur, sed pendet præcise ex voluntate præmiantis, ordinantis, seu acceptantis hoc meritum in ordine ad istud præmium; cum enim res, quæ futura est præmium, sit sub dominio et in potestate præmiantis, donec illam concesserit, illius donatio et alienatio dependet ab ejus consensu, unde operans non potest habere jus ad illam, nisi etiam habeat jus, et titulum ad personam præmiantem ortum ex propria ejus voluntate, puta ex libera promissione et conventione. Ut constat ex parabola operariorum, qui missi in vineam, conventione facta de denario diurno, licet diversis horis conducti, diutius aliqui laboraverint, quam alii: nihilominus omnes ex æquo acceperunt eamdem mercedem: unde etsi murmurarent qui prima hora venerant adversus Patremfamilias, dicentes: Matt. 20. *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et æstus:* merito Paterfamilias uni eorum dixit: *Amice non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle, quod tuum est, et vade; volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi, quod volo, facere?* Ex quibus apparet, quod etsi major labor et diuturnior laborantium in vinea habuerit jus ad ampliorem mercedem ratione operis:

non tamen debuit illam consequi, quia non habebat eamdem rationem juris in ordine ad præmiantem, eo quod nulla prævia facta fuerit ex parte præmiantis conventio et promissio.

Notandum 3. Certum esse Christum Dominum verum fuisse humani generis redemptorem, et liberatorem, quidquid hæretico animo contra hanc Catholicam veritatem pessime asseruerit Petrus Abailardus dicens, hominem post peccatum Adæ non teneri captivum sub potestate diaboli tamquam sub potestate Principis, sed solum tamquam sub custode carceris; et consequenter Christi Incarnationem nihil nobis profuisse ad redemptionem, sed tantum ad doctrinam, et exemplum, ut constat ex S. Bernardo Epist. 190. ubi Abailardi impudentiam sic carpit: *Quid in his verbis intolerabilius judicem, blasphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non justius os talia loquens fustibus tunderetur, quam rationibus refelleretur? etc.* Constat enim ex Scriptura nos revera per peccatum sub diaboli captivitate redactos esse. Sic. 1. ad Timoth. 2. *Ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Audis ad ipsius voluntatem, inquit S. Bernardus, et negas potestatem? Hinc Christus Joannis 14. *Venit Princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam*: hoc est non habet in me potestatem eo modo, quo in homines: quapropter Concil. Trident. sess. 6. cap. 1. docet, quod homines in prævaricatione Adæ non solum innocentiam perdiderunt, sed et facti sunt servi peccati, et sub potestatem diaboli et mortis. Ex hac autem captivitate nos redimit Christus, ut plurimis in locis docet Scriptura sacra. Sic ad Galatas 2. *Christus nos redemit de maledicto legis:* ad Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus,* 1. Petri 2. *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis, sed pretioso sanguine Christi.* Sed difficultas est, utrum illa redemptio facta fuerit: primo ex justitia; secundo ad æqualitatem; tertio ex rigore justitiæ, quod utique determinandum est in sequentibus Conclusionibus.

Conclusio prima. — Christus Dominus satisfecit Deo pro peccatis generis humani ex speciali motivo justitiæ legalis.

Probatur primo, ex Scriptura sacra affirmante divinam justitiam apparuisse in satisfactione Christi. Sic ad Romanos 8. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum:* et ad Corint. 1. *Factus est pro nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio:* et ad Coloss. 2. *Delens, quod adversus nos erat chyrographum decreti, etc.* qua similitudine significat Christum ex justitia solvisse nostrum debitum; cum enim solutum est debitum, v. g. pecuniæ, ex justitia speciali, statim chyrographum juridicum, quo prius debitor obligabatur erga creditorem, laceratur, ac rumpitur. — ✳ " Et S. Petrus, epist. 1. cap. 2. v. 24: *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum;* quibus verbis Apostolus ad Judæos scribens loquitur more judaïco, et alludit ad victimas judaïcas, quarum mactatione Judæi peccatis se liberari existimabant. Sicut vero Judæi peccatis suis victimas onerabant, et illas pondere isto peccatorum onustas, super altare et altaris lignum transferebant; sic Dominus noster

Jesus ab Apostolo repræsentatur tamquam victima peccatis nostris onusta, et quæ execrandum istud pondus juxta ac gravissimum, in aram crucis, et lignum istud animo fortissimo transtulit et deposuit. Alludit etiam fortassis Apostolus ad hircum emissarium qui in *die expiationis* onerabatur peccatis totius populi, et in desertum longe ablegabatur, ut patet ex his verbis Levitici, cap. 16. v. 21 et 22: *et posita utraque manu super caput hirci, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, et universa delicta atque peccata eorum quæ imprecans in caput ejus, emittet illum per hominem paratum in desertum. Quumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam et admissus fuerit in desertum etc.* Ideo summus sacerdos in sacrificiis publicis et totius populi, cum populum repræsentaret, manus victimis piacularibus solebat imponere, cum confessione suorum et totius populi peccatorum, his verbis: *Obsecro Domine, peccavi, deliqui, rebellavi in conspectu tuo, ego, et familia mea et filii Aaronis populus sanctus tuus; obsecro, Domine remitte nunc peccata, delicta et rebelliones quibus peccavi, deliqui, rebellavi in conspectu tuo ego et familia mea et filii Aaronis populus sanctus tuus, sicut scriptum est in lege Moysis servi tui, ubi dictum est, in hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris.* Videatur codex Joma in Misna et Maimonides in Jon Haccipurim. Ex iis apparet quam vere dixerit S. Joannes Baptista Judæis qui numerosissima turba ad ipsum confluebant, cum videret Christum Dominum cum aliis ad se properantem circa tempus expiationis: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Quæ verba ideo ab illo proferuntur, ut Judæorum animos et oculos ab hirco expiationis revocaret, in quo spem expiationis suæ volebant collocare, et ad Christum agnum etiam præstantissimum se converterent. Quippe qui peccatum non cæremoniale sed morale tolleret; pœnam, non typicam et temporalem portaret, sed pœnam integram, peccatorum meritis congruam, et cui non tantum erant imposita peccata unius gentis judaïcæ, sed peccata totius mundi. Confirmat ista divinus Apostolus, epist. ad Coloss. cap. 2. v. 14. ubi ait Christum nobis omnia donasse delicta, propterea quod, inquit, *delevit quod adversus nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci.* Peccatum enim est veluti obligatio qua Dei judicio obnoxii eramus, unde cum obligationes chirographis munitæ nullæ reddantur dum vel delentur, transfiguntur et cancellantur; sic Christus obligationes a nobis ex nostris peccatis contractas in cruce delevit ac prorsus sustulit; adeo ut coram Deo non amplius stent et appareant ut accusatores et testes illius vindictam et judicia contra nos efflagitantes, illa clavis posti crucis transfixit, illa cancellavit, illa lacera, cassa, vana exposuit, illa crucifixit, mortua quasi et exanimata exhibuit, et illa non minus impotentia reddidit, quam cruciarius qui effuso per omnia vulnera sanguine, revera obierit, et animam efflaverit." ✳

Idem docent sancti Patres affirmantes Deum noluisse cum diabolo pugnare, nec eum oppugnare potentia, sed justitia in hominum redemptione. Sic S. August. lib. 13. *De Trin.* c. 13. *Si ergo,* inquit, *commissio peccatorum per iram Dei justam, hominem subdidit diabolo, profecto remissio peccatorum per reconciliationem Dei benignam, eruit hominem*

diabolo. Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit... Quæ est igitur justitia, qua victus est diabolus? Quæ, nisi justitia Jesu Christi? Et quomodo victus est? Quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum est, ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur in eum credentes, quem sine nullo debito occidit. Ipsi subscribunt cæteri sancti Patres a nobis supra laudati Quæstione 1. dum probaremus Incarnationem fuisse convenientem ad manifestandam divinam justitiam.

Probatur etiam ratione: Tunc aliquis satisfacit ex justitia legali proprie dicta, quando per se intendit constituere æqualitatem, prout debitam ex aliqua lege: sed Christus sua merita Deo obtulit ex intentione reddendi illi æquale pro debito contracto ab hominibus. Quod utique probatur, tum quia Christus fuit noster fidejussor, et vadem se pro nobis constituit in sua Incarnatione: ergo debuit sua merita offerre Deo ex intentione satisfaciendi ipsi pro nobis: tum quia ipsius merita erant sufficientia, imo etiam superabundantia ad nostrum debitum solvendum, ut sequenti Conclusione patebit: debuit ergo ex motivo justitiæ, et ex intentione satisfaciendi ad æqualitatem, illa Deo offerre; tum denique quia ad id movebatur ex decreto divino, quo Deus statuerat nobis universa delicta donare, si ipse animam suam pro nobis poneret, juxta illud Isaiæ cap. 35. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Dei in manus ejus dirigetur: pro eo quod laboravit, anima ejus videbit, et saturabitur:* igitur cum Christus sua merita pro nobis Patri obtulit, hoc præstitit ex intentione reddendi Deo debitum ad æqualitatem secundum conventionem et legem divinam, et consequenter actus propriæ et specialis justitiæ exercuit. — *Deinde*, servi, et vera mancipia tenentur observantiam et obedientiam domino suo præstare ex debito propriæ et specialis justitiæ: et ubi tali debito detuerunt, obligantur illud resarcire non solum ex virtute obedientiæ, sed etiam ex virtute justitiæ: sed sumus vera mancipia respectu Dei, qui est Rex Regum, et Dominus dominantium, cujus est terra, et plenitudo ejus, et universi, qui habitant in eo: igitur ex virtute justitiæ tenemur non solum ei obedientiam præstare; sed etiam non redditam resarcire ex motivo ejusdem justitiæ: at Christus Dominus satisfecit omnibus debitis per nostra peccata contractis; ergo debuit satisfacere non solum debito pœnarum, quæ peccatis nostris erant retribuendæ, sed etiam debuit talem obedientiam, et æquale debitum Deo rependere, ad compensandum defectum exercitii virtutum, quas in Dei gloriam, et cultum tenebamur exercere. — *Denique*, dum aliquis speciali et propria justitia tenetur reddere præmium, tunc meritum operantis censetur illud præmium exigere ex justitia: sed Deus, supposita ejus promissione et lege, tenetur reddere Christo in præmium suorum meritorum remissionem nostri debiti, siquidem exauditus fuit pro sua reverentia: igitur Christi satisfactio, et meritum impensum fuit ex virtute justitiæ.

Dices 1: Ex Aristotele lib. 5. *Ethicorum* cap. 1. Justitia debet esse ad alterum: sed satisfactio Christi fuit ad seipsum, siquidem satisfecit Deo, ipse autem Deus est: igitur non fuit hæc justitia proprie dicta. — **Distinguo majorem:** justitia debet esse ad alterum, vel physice, vel moraliter, concedo: physice tantum, nego. Et sic distincta

minore, neganda est *consequentia*. Ad hoc enim, ut justitia sit ad alterum proprie, non est necesse, quod sit ad alterum suppositum physice, aut metaphysice loquendo, sed sufficit, quod sit ad alterum suppositum moraliter: sic autem est ad alterum, quando persona unica metaphysice se habet moraliter ut distincta, ut duplex, ratione scilicet dominii, et juris: fieri enim potest ut unus et idem homo physice et metaphysice sumptus, videatur duplex moraliter: sic tutor ratione administrationis rei familiaris pupilli potest esse debitor, et ratione proprii juris potest esse creditor. Quod etiam illustratur exemplo unius mercatoris, qui est pars duarum societatum: ille enim est duplex persona moraliter, et sibi ipsi, ut metaphysice consideratur, plerumque debitor est, et creditor. Idem exemplo hominis, qui possidens fundum debentem alteri summam aliquam annui reditus, si emat fundum alterum, qui prior censum debeat, fit duplex persona moraliter; potestque sub uno respectu esse simul debitor, et creditor. Sic autem Christus Dominus extitit; duas enim sustentans naturas per hypostasim Verbi, erat duplex persona moraliter, et ratione duarum naturarum assumptarum habuit distincta jura et dominia: eratque simul *debitor* ratione humanæ naturæ assumptæ, per quam se fidejussorem pro hominibus constituerat: et *creditor* ratione divinæ naturæ, quæ per hominum peccata læsa fuerat; unde etiam dicitur Mediator Dei et hominum, primæ ad Timotheum secundo. Non enim magis repugnat eum ratione unius naturæ esse debitorem, et creditorem ratione alterius, quam repugnet ratione unius naturæ esse Mediatorem, et ratione alterius esse cum inter quem, et alios est mediator: at Christus Dominus ratione humanæ naturæ, est Dei Mediator et hominum: ratione vero divinæ naturæ, is est inter quem, et homines Mediator existit: igitur etiam ratione duarum naturarum potuit esse simul creditor, et debitor.

Dices 2: Ex eodem Aristotele ibidem capitè 6. patris ad filium, et domini ad servum non potest esse vera obligatio ex justitia: sed Christus, in quantum homo, est Filius, et servus Dei: ergo ex ejus operationibus tanquam hominis, non potuit intercedere obligatio ex justitia erga Deum. — **Distinguo majorem**: inter filium et patrem, servum et dominum, non potest intercedere obligatio ex justitia, si filius et servus non habeant distincta dominia a dominiis patris et domini, concedo: secus, nego. Christus autem, ut homo, habet jus distinctum, et dominium diversum a jure et dominio sui Patris et Dei: siquidem habet dominium in opera suæ humanitatis, per quæ satisfecit Patri, et Deo; subindeque in ejus satisfactione vera intercedere potuit justitia.

Dices 3: Nullus potest satisfacere ex justitia, nisi sit debitor: at non Christus ipse, sed nos ipsi eramus debitores pro nostris peccatis: ergo Christus ex justitia non satisfecit. — **Respondeo 1.** negari posse *majorem*: potest enim aliquis solvere debitum alterius ex misericordia quidem circa debitorem, sed ex justitia circa creditorem: puta si quis misericordia motus erga captivum aliquem, aut hominem inopem, solvat pro eo certum nummos, quos debebat, satisfacit ex justitia creditori, licet moveatur misericordia erga debitorem. *Respondeo* 2. negando *minorem*: Christus enim cum se fidejussorem ac vadem pro

nobis constituerit, et officium Redemptoris voluntarie susceperit, etiam sese debitorem constituit pro nobis erga Deum: igitur quemadmodum fidejussor tenetur ex justitia solvere debitum, quando debitor illius solvendi fit impotens; sic etiam Christus Dominus hac ratione debebat pro nobis satisfacere ex justitia.

Dices denique: Eumdem Christus deberet exercere actum satisfaciendo pro nobis, quem nos tenemur elicere, dum pro nostris peccatis satisfacimus: at non satisfacimus per actum justitiæ, sed pœnitentiæ: igitur etiam Christus non satisfecit ex justitia. — **Respondeo negando minorem**: homo enim existens in gratia, non solum per virtutem pœnitentiæ, sed etiam per virtutem justitiæ, debitam Deo satisfactionem impendit, sed propter diversa motiva, quia per pœnitentiam satisfacit ex motivo vindicandi peccatum; per justitiam vero ex motivo reddendi Deo æquale pro peccato, juxta præscriptum ex ordinatione divina; hoc autem maxime verum fuit in Christo, quippe cum Deo condignam, et ad æqualitatem satisfactionem exhibuerit, ut manifestabit

Conclusio secunda — Christi satisfactio non solum æqualis fuit, sed etiam sufficientissima, ac superabundans per ordinem ad præmium: indigebat tamen acceptatione divina, ut illud consequeretur a præmiante. Hæc Conclusio duabus partibus constat, quarum

Prima probatur ex illo ad Rom. 5. *Non sicut delictum ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit..... Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi..... Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Quibus concordat Isaiæ vaticinium cap. 10. *Consummatio abbreviata mundabit justitiam.* Quod S. Paulus Rom. 9. interpretatur de Christo, ut significet operationes Christi, quæ consummatæ, et abbreviatæ sunt in Verbo, quod abbreviatum fecit Dominus super terram, quasi exundantem justitiæ fontem effudisse, pro expiandis nostris peccatis. Hinc Lucæ 9. Christus loquens cum Elia et Moyse de sua passione, *dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem*, quibus declaratur Christi passionem excessisse, in ratione satisfactionis, omnia nostra delicta.

Probatur etiam ex summis Pontificibus; nam Cajus Papa, Epistola 1. decretali, exponens supra citata verba S. Pauli ait: *Validius factum est donum libertatis, quam debitum servitutis.* Agapitus, Epistola ad Anthimum, postquam dixit, nullum purum hominem idoneum fieri potuisse, ut pro nobis omnibus satisfaceret; subjungit causam, ob quam Christus satisfecit, his verbis: *Effusio justi sanguinis tam fuit dives, et pretiosa, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum diaboli vinculum retineret: quoniam sicut Apostolus ait, ubi abundavit delictum, superabundavit gratia, et cum sub peccati præjudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius factum donum libertatis, quam debitum servitutis.* Quæ verba desumpsit ex S. Leone serm. 12. *De Passione.* Quibus concordat Clemens V. in extravaganti *Unigenitus*, ubi ut ostendat abundantiam

meritorum Christi, quæ dicuntur esse in thesauro Ecclesiæ, non posse exhauriri, ait: *Non guttam sanguinis modicam (quæ tamen propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius generis humani sufficisset) sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse.*

Adstipulantur etiam sancti Patres: imprimis vero S. Chrysostomus serm. 11. in cap. 5. ad Rom. ubi ita scribit: *Christus pro nobis solvit; tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immensum... noli itaque diffidere, o homo, cum tantas bonorum divitias videas, etc.* — Subscribit auctor *De cardinalibus Christi operibus:* loquens enim de Circumcisione ait: *Tantæ dignitatis illa una Redemptoris nostri fuit oblatio, ut una ad tollenda mundi peccata sufficeret: qui tanta auctoritate in sancta introivit in sanguine proprio, ut deinceps nulla supplicantium postulatio indigeret sanguine alieno.* — Denique S. Bernardus explicans illud Psal. 129. *Copiosa apud eum redemptio,* ait serm. 22. supra Cantica: *Prorsus,* inquit, *copiosa, quia non gutta, sed unda sanguinis largiter per quinque corporis partes emanavit.* Et Epist. 190. *Fuit vero sanguis, qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est, ut effunderetur, deleret.* — His favet Concilium Triburiense cap. 19. ubi ait in consecratione calicis plus vini, quam aquæ admisceri, ut ostendatur majorem esse virtutem sanguinis Christi, quam populi fragilitatem, quæ per aquam designatur.

Eamdem veritatem docet, et propugnat Doctor Subtilis in 3. dist. 19. n. 7. ubi dicit meritum Christi ratione personæ divinæ, habuisse circumstantiam infinitam, ratione cujus congruum erat, ut pro infinitis acceptaretur. *Ex formali ratione sua quam habuit,* inquit, *non potuit acceptari in infinitum, et pro infinitis, sed pro finitis. Tamen ex circumstantia suppositi, et de congrua ratione suppositi, habuit quamdam rationem extrinsecam, quare Deus potuit acceptare illud in infinitum, scilicet extensive pro infinitis. Si autem illud meritum fuisset alterius personæ, tunc nec ratione operis, nec ratione operantis fuisset congruitas acceptationis illius pro infinitis.* Quibus aperte docet Doctor, Christi merita ratione personæ divinæ, congruentiam, hoc est, valorem, et dignitatem habuisse, ut pro infinitis hominum peccatis solvendis a Deo acceptarentur: *congruentia* enim apud Doctorem idem est ac apud Recentiores *valor*, et *dignitas:* licet ab eo non sic appelletur, quia non est integer valor ubi non est verum jus erga præmiantem, quale non habebant ex se Christi opera meritoria, sed tantum ex acceptatione divina. — Idem habet in 4. dist. 15. q. 1. ubi ait: *De potentia autem ordinaria non disposuit Deus sibi reconciliare inimicum, nisi per obsequium magis gratum, quam offensa ejus erat sibi displicens, et tale obsequium ejus est passio Christi, vel meritum ejus.* Ubi ponderandum est, quod loquitur de valore meritorum, quem habent ante acceptationem: nam ut mox dicebat, solum possunt habere valorem æqualem cum debito, siquidem pro illo solum satisfactio acceptatur actualiter: igitur dum dicit, obsequium Christi fuisse magis gratum, loquitur de acceptabilitate, quam illud obsequium ante actualem acceptationem habebat.

Ex quibus apparet, quam turpiter hallucinentur plurimi Recentiores, dum affirmant, Doctorem asserere merita Christi fuisse dumtaxat con-

digna per ordinem ad præmium, solum ex acceptatione divina; neque enim abundantia meriti repetenda est ex acceptatione præmiantis; sed ex dignitate operantis. Licet igitur Doctor doceat ante acceptationem, meritum non habere completam condignitatem in ordine ad præmium; hæc enim non potest esse completa, nisi etiam det jus in ordine ad præmiantem: tamen contendit merita illa ex se fuisse sufficientissima, quæ acceptarentur a Deo ad solvenda nostra debita; ita quod si Deus omnia hominum peccata in bilance statuisset, et Christi merita ex altera parte, haud dubium esset, quod longe præponderarent merita Christi, ut egregie docet S. Bernardus, Homilia de duobus Discipulis euntibus in Emmaus, ubi docet pœnam, quam pro peccatis generis humani Christus substinuit, in statera crucis appensa, multo majorem fuisse ratione satisfactionis, quam promeruissent peccata nostra. Ait autem: *Crux facta est statera corporis, quod est Ecclesia: cum enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum ipso peccata, quæ commisimus, calamitas, quam incurrimus: ipse erat innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis conversatio ejus: non enim peccatum fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, et quoniam talis, ac tantus, tam indigna dignatus est in cruce pati, præponderare cœpit calamitas, et crimina levigare: cum adhuc tamen in cruce erectus staret, vacillare videbatur statera, nec plane cognoscebatur, quo cadere deberet; cum inclinato capite emisit spiritum, et calamitas præponderando caderet, et quasi arena maris gravior appareret, gentes quasi momentum staterœ reputatæ sunt: nam in statera ceciderunt, quia partes adversæ damnationis nostræ chyrographum amiserunt.*

His etiam suffragatur ratio: Illa satisfactio censetur esse condigna per ordinem ad præmium, nempe remissionem offensæ, quæ injuriæ gravitatem moraliter adæquat: sed Christi satisfactio adæquabat moraliter gravitatem offensæ Deo irrogatæ per hominum peccata: igitur erat condigna per ordinem ad præmium. *Major* constat. *Minor* probatur: gravitas offensæ oriundæ ex peccatis hominum maxime repetitur ex eo, quod sit contra Deum, qui cum sit objectum infinitum, ex eo quædam redundat indignitas summa, et extrinsece infinita in illam offensam; sed Christi satisfactio cum exhiberetur a persona divina, habebat etiam ratione sui principii quamdam moralem, et infinitam extrinsece dignitatem adæquantem gravitatem offensæ; quia non minus est potens dignitas personæ satisfacientis ad influendum valorem moralem in actum satisfactorium, quam dignitas personæ offensæ ad influendam gravitatem et malitiam moralem in offensam ipsi irrogatam: ergo cum satisfactio Christi sit satisfactio personæ divinæ, non minus illius dignitas adæquat majestatem personæ læsæ, quam hominum offensa. — *Confirmatur:* decens erat, et congruum, quod sicut misericordia Dei maxime enituit in humani generis reparatione, ita pariter divina justitia in illa refulgeret; *Universæ* enim *viæ Domini misericordia, et veritas:* sed non reluceret Dei justitia in hominum redemptione, si Christi satisfactio non esset ex se condigna per ordinem ad præmium, quia totus ejus valor penderet a divina acceptatione, et subinde solutio tota esset ex Dei liberalitate et clementia: igitur ut hæc utraque divina perfectio in nostra redemptione ex æquo reluceret, necessum fuit, ut Christi merita, præter acceptationem

divinam, ex se torent sufficientia pro solvendis omnibus nostris debitis.

Probatur etiam secunda pars, nempe quod Christi satisfactio, ut esset undequaque completa, tam per ordinem ad præmium, quam per respectum ad præmiantem, opus haberet acceptari a Deo. *Probatur*, inquam, primo tum ex sacra Scriptura, tum ex sanctis Patribus significantibus acceptationem Dei, et conventionem desiderari ad condignitatem meritorum Christi: huc enim spectat pactum, et fœdus, ac jusjurandum Dei, quo sanctissimis Patriarchis ac Prophetis promisit Christi redemptionem. Spectat etiam celebris illa promissio facta Christo venturo, Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, etc.* Hinc S. Ambrosius exponens verba Psalmi 118. *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam:* cum dixisset: *Petimus ut suscipiamur a Christo:* subdit: *Intolerandæ autem præsumptionis videretur dicere Domino: Suscipe me; nisi promissum ejus adjungeret; hoc est, ut hoc auderemus ipse fecisti: tuo te chyrographo convenimus.* Quibus significat nostra opera in tantum esse meritoria complete, in quantum acceptantur a Deo, nec nos sperare posse consequi divinum præmium, nisi esset repromissum.

Ratio idipsum suadet: nihil enim creatum potest inducere obligationem in Deo aliquid conferendi, nisi ipse ad concedendum ex sua libertate et clementia voluerit se promissis adstringere, alioquin non esset omnino independens: sed opera satisfactoria Christi revera erant in entitate sua aliquid creatum: ergo nullatenus poterant Deum astringere, ut in eorum præmium concederet remissionem peccatorum nostrorum, nisi ipsemet idipsum voluisset per suam liberam ordinationem et acceptationem.

Dices 1: Valor operum Christi satisfactoriorum non adæquabat gravitatem offensæ omnium peccatorum: igitur illius satisfactio non erat condigna per respectum ad præmium. Probatur antecedens: *Primo*, quia offensa irrogatur Deo, ut Deus est: at opera Christi satisfactoria non procedunt ab eo, quatenus est Deus, sed quatenus homo, non enim satisfacit ut Deus, sed ut homo: ergo valor satisfactorius illorum operum non æquabat gravitatem offensæ peccatorum. *Deinde*, non potest esse tam grata et honorifica satisfactio impensa, quam ingrata fuit et injuriosa hominum offensa, quippe tantum Deo displicet peccatum, quantum ei placet propria bonitas, cui peccatum adversatur: quia quantum amatur res aliqua, tantum odio habetur, et displicet illius destructivum: sed opera Christi satisfactoria non possunt tantum placere Deo, quantum ipsi placet propria divina bonitas: igitur ex æquo non respondent offensæ. *Denique*, gravitas offensæ Deo irrogatæ a creatura, infinita est, tam ex parte personæ, in quam peccatur, quam ex parte personæ offendentis, quæ in infinitum distat a Deo: at satisfactio Christi tantum censeri potest infinita ex parte personæ satisfacientis, non vero ex parte illius, cui satisfactio exhibetur, quia non crescit satisfactio ratione personæ, cui impenditur, imo illius valor magis deprimitur: quo enim dignior est persona, eo etiam præstantiorem satisfactionem exigit: et consequenter, quod sufficeret respectu alterius minoris dignitatis, non potest esse sufficiens respectu personæ magis dignæ: ergo gravitas peccatorum longe major erat valore satis-

factorio operationum Christi; et consequenter tantum abest, ut illa fuerint superabundantia, imo non potuerunt habere condignitatem. — **Nego antecedens**, et ad primam ejus probationem dico, quod Christus non satisfecit dumtaxat ut homo, nec tantum ut Deus; sed ut Deus homo, quippe humanitas eliciebat opera satisfactoria, coagente personalitate Verbi, quæ valorem satisfactorium in illa influebat, et consequenter instillabat eis quamdam dignitatem infinitam, saltem extrinsece, ratione videlicet personæ infinitæ, a qua illa opera procedebant. *Ad secundam probationem*, nego antecedens, et rationem ejus probationis; non enim necesse est, ut Deus tantum peccatum odio habeat, quantum suam bonitatem diligit, quippe peccatum non est oppositum ipsi bonitati physice, sed dumtaxat moraliter; opera autem satisfactoria Christi tantum honoris rependunt divinæ bonitati, quantum injuriæ ipsi irrogatur per peccatum. *Ad tertiam probationem* dico, quod si peccatum aliquam infinitatem habeat, illi non est intrinseca, sed dumtaxat extrinseca, ratione scilicet personæ infinitæ offensæ: at satisfactio Christi non solum ex hoc capite habet infinitatem extrinsecam, sed etiam ex parte personæ satisfacientis, cum enim hæc sit infinita, etiam ejus opera digna sunt, quæ acceptentur pro infinitis hominibus, ut diximus supra cum Doctore.

Dices 2: Personalitas Verbi non confert operibus Christi valorem intrinsece infinitum, ut docet Doctor in 3. dist. 19. sed dumtaxat extrinsece; ergo illa opera satisfactoria sunt tantum valoris finiti: sed valor finitus operis satisfactorii non tantum non excedit, imo nec adæquat gravitatem offensæ omnium peccatorum: igitur tantum abest ut Christi satisfactio fuerit superabundans, imo non erat condigna, et ad æqualitatem. — **Distinguo minorem**: valor finitus operis satisfactorii non potest sufficere ad expiationem omnium peccatorum secundum aliquos sui gradus, concedo: ubi involvit omnes omnino gradus valoris, qui reperiri possunt in aliquo opere satisfactorio, nego. Licet autem opera Christi non habuerint valorem intrinsece infinitum, habuerunt tamen valorem summum, qui posset operibus creatis convenire. Hinc est, quod cum insuper divina persona propter eminentissimam sui excellentiam, illa opera mirum in modum illustraret, etiam exhibebat digna, quæ pro nostris peccatis solvendis Deo acceptissima fierent.

Dices 3: Si satisfactio Christi fuisset exuberans per ordinem ad debita, Deus non potuisset illam recusare: igitur hæc non egebat acceptatione divina ad completam sui perfectionem. *Consequentia* patet: ubi enim plus redditur, quam debetur, debitum exactissime solvitur: at exactissima debiti solutio recusari non potest a creditore: ergo etc. — **Distinguo antecedens**: non poterat recusare ratione valoris ipsius operis, et ejus condignitatis ad præmium, concedo: ratione libertatis ipsius præmiantis, qui non potest ab aliquo externo adstringi ad aliquid concedendum, nisi ad id sese suis promissis sponte obligaverit, nego.

Dices 4: Peccat contra æquitatem omnis, qui satisfactionem præter debitum exigit: sed Deus Christi satisfactionem exigendo, peccare non potuit contra æquitatem: igitur illa non erat superabundans, et præter debitum. — **Distinguo majorem**: quando potest exhiberi satisfactio absque illo excessu, concedo: quando illa rependi nequit, nego. Sic

autem est in præsenti, non enim poterat Deo fieri satis ad æqualitatem secundum statutam legem, nisi a persona divina; satisfactio autem procedens a persona divina necessario excedebat humana debita, propter dignitatem personæ quæ illam exhibebat; non ergo agebat Deus contra æquitatem, dum Christi satisfactionem, licet superabundantem, exigebat.

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM CHRISTUS PRO NOBIS SATISFECERIT AD JURIS APICES, SEU EX RIGORE JUSTITIÆ.

Notandum 1. Aliud esse, satisfactionem aliquam esse ex natura sua æqualem, et condignam; aliud vero illam fieri ad strictos juris apices, seu procedere ex rigorosa justitia. Ad hoc enim, ut satisfactio sit condigna, sufficit quod compensatio fiat ad æqualitatem, et tantum a debitore solvatur, quantum debetur creditori: ut vero satisfactio fiat secundum leges strictæ et rigorosæ justitiæ, præter æqualitatem, aliæ desiderantur conditiones, quas statim proferemus et expendemus. Quapropter licet omnes pene conveniant, quod Christi satisfactio fuerit condigna, et ad æqualitatem, maxime si attendatur ipsius valor secundum ordinem ad præmium; tamen plurimi Recentiores ulterius inquirunt, an etiam exhibita fuerit secundum strictos juris apices, et leges rigorosæ justitiæ. *Recentiores* dixi, nam nullus veterum, quem legerim, quæstionem sub his terminis proponit, ac discutit: illi namque dumtaxat inquirunt, et resolvunt Christi satisfactionem fuisse condignam, et ad æqualitatem ex vera justitia.

Notandum 2. Præter tres conditiones ad omnem perfectam satisfactionem desideratas, quas expendimus in tertia Quæstione præcedenti, adhuc quinque a Theologis assignari, ut satisfactio dicatur fieri secundum rigorosam justitiam: *Prima* est, quod satisfactio fiat ex bonis propriis satisfacientis, et debitoris: cum enim per omnem satisfactionem rigorosam debeat fieri perfecta æqualitas, oportet, ut ille, cui fit satisfactio, acquirat dominium alicujus rei, quod antea non habebat; saltem eo modo, quo per satisfactionem illud obtinet. *Secunda*, quod non fundetur in gratia creditoris; si enim quis debet centum nummos, et creditor contentus sit si dumtaxat 50. offerat, illa satisfactio non erit ex rigore justitiæ, quia supponit gratiam creditoris ex liberalitate et ex misericordia debiti partem remittentis. *Tertia*, ut sit ad alterum; nam satisfactio rigorosa essentialiter ordinatur ad instituendam perfectam æqualitatem; perfecta autem æqualitas non potest esse ejusdem ad seipsum; æqualitas enim est relatio realis necessario requirens extrema realiter distincta. An autem illa distinctio, et alteritas debeat esse inter personas, aut inter naturas, aperiemus infra. *Quarta conditio* est, quod persona offensa teneatur acceptare talem satisfactionem, nec possit illam ex justitia respuere, quia nempe cognoscit illam esse æqualem debito. Hanc conditionem præ cæteris assignant Joannes Medina Tractatu 3. *De Pœnitentia*, q. 1. Andreas de Vega lib. 7. *super Concilium*, cap. 9. et cum eis plurimi Recentiores. *Quinta conditio* est, ut satisfactio fiat ex iis, quæ alio titulo per se non debentur creditori: quam conditionem assignat S. Anselmus libro 2. *Cur Deus homo*

cap. 19. Si enim aliquis debeat alteri centum nummos propter censum annuum, et totidem ratione mutui, vel venditionis, non faceret satis creditori ei solum tribuendo centum nummos; posset enim creditor acceptare illos centum nummos pro annuo censu, et sic debitor teneretur alios centum nummos solvere in satisfactionem mutui, vel venditionis.

Notandum 3. Nos signanter et consulto dixisse, quod satisfactio rigorosa fieri debeat *ex alias per se indebitis*. Dupliciter enim potest aliquis debiti titulus alteri supervenire: *Primo* quidem per se, et seorsim, novum inferendo debitum: *Secundo* vero, per accidens, et conjunctim, novam dumtaxat inferendo ejusdem debiti solvendi obligationem, vel prioris obligationis confirmationem: quod perspicuum fit his exemplis: Si quis enim debeat alicui centum nummos ratione census annui, et totidem postea mutuo accipiat; quia titulus census annui, quo priorem summam debebat, est obligatorius per se, sicut et titulus ex mutuo contractus, ideirco duplex est distinctum debitum, quod per unicam solutionem non potest exsolvi. Similiter idipsum clarum fit hoc exemplo: Si quis ex voto teneatur jejunare singulis diebus veneris, quando dies ille est vigilia alicujus festi, et tempus quadragesimæ, quo tempore et die etiam tenetur jejunare ex præcepto Ecclesiæ, non habet ille triplex distinctum debitum jejunandi, sed solum novam obligationem priori superadditam. Hic autem non movetur quæstio utrum satisfactio rigorosa postulet fieri ex indebitis *per accidens*, sed solum ex indebitis *per se*: certum enim est, quod si quis juraret alteri se petiturum Romam, quo jam iturus erat ex voto, necnon ratione stipendii propter illam profectionem accepti, non teneretur ille tribus distinctis vicibus Romam petere; licet ad id teneatur titulo religionis, ratione voti et juramenti, et titulo justitiæ ratione stipendii accepti, quia tituli religionis, et justitiæ in tali casu, non sunt per se obligatorii, sed dumtaxat prioris obligationis confirmativi.

Conclusio unica. — Christi satisfactio (supposito pacto divino) habuit omnes conditiones ad satisfactionem ex rigore justitiæ, et ad strictos juris apices. Hæc est communior, et ut mihi videtur conformior menti Doctoris, affirmantis Christum satisfecisse de condigno, et ad æqualitatem, ac superabundantiam (supposita acceptatione et conventione divina) ut dictum est supra.

Probari potest Conclusio auctoritate sanctorum Patrum, qui docent Christum satisfecisse pro nobis exactissime. Sic *Proclus Cyzicenus* Oratione *De Nativit. Christi*, cap. 7. ubi ait: *Pro nostris peccatis ejusmodi impensum fuit pretium quod exactum debitum ad justitiæ amussim exæquaret*. S. Augustinus in Enchiridio, cap. 49, ubi ait, ideirco Christum fuisse passum, *ut diabolus veritate justitiæ, non violentia potestatis oppressus et victus, quoniam ipsum sine ullo peccati merito occiderat iniquissime, per ipsum* justissime *amitteret, quos peccati merito detinebat*: justissime autem diabolus non amitteret captivos per Christi mortem, nisi illi ex rigorosa satisfactione et justitia a sua captivitate solverentur. — Sanctus Basilius Seleuciensis Homilia prima *De Incarnatione* ait, *per mirabiles naturæ nostræ primitias*, scilicet per Christum Dominum, *omnem justitiæ rationem fuisse expletam*. S.

Salvianus lib. 4. *De Providentia: In illo* (scilicet Christo) *injustitiæ speciem ipsa magnitudo justitiæ habere videtur*, hoc est, tam exacta, tamque stricta fuit divinæ justitiæ in Christum animadversio, ut satisfactio ab eo exacta, propter suam magnitudinem, quasi injustitiam importaret.

Probatur autem Conclusio ratione: Illa satisfactio fuit exhibita ad strictos juris apices, quæ omnes ad rigorosam justitiam conditiones habuit: sed talis fuit Christi satisfactio, quod utique probatur singulas conditiones expendendo, et applicando:

Satisfactio Christi fuit ex propriis, — **Primo** namque Christi satisfactio exhibita fuit ex *propriis bonis satisfacientis:* siquidem Christus satisfecit, suas actiones, et seipsum submittendo et offerendo Deo, ad compensandam injuriam illatam per peccatum generis humani: sed tam actiones, quam ipsum Christi suppositum fuerunt propria bona illius tamquam domini, et nullo modo sub dominio Dei, cui satisfactio impendebatur: igitur facta fuit ex propriis. *Major* constat; probatur *minor* primo: Christi suppositum non fuit sub dominio Dei, quandoquidem non est quid creatum, sed divinum, et subinde a nullo dependens, siquidem Christus æqualis est Patri secundum divinitatem. Idem constat de actionibus satisfactoriis, Christus enim non satisfecit, nisi per actiones humanas in quantum procedebant a supposito divino: sed ut sic, induebant rationem ejus suppositi, a quo procedebant, non solum per modum principii effectivi, sed etiam per modum principii formalis hujusmodi opera moraliter informantis, ac dignificantis: unde sub hac ratione involvebant moraliter suppositum divinum: ergo cum Verbi suppositum sub nullius sit dominio, actiones satisfactoriæ Christi ita fuerunt illi propriæ, ut nullius essent alterius tamquam domini.

Objicies 1. Actiones creatæ sunt sub generali dominio Dei, cum Deus titulo creationis et conservationis habeat supremum dominium super omnia entia creata: sed Christus Dominus satisfecit per actiones humanitatis, quæ creatæ sunt: ergo per actiones, quæ erant sub dominio Dei, adeoque creditoris, et consequenter non propriis. — **Respondeo, distinguendo majorem:** actiones creatæ, quæ non sunt a persona divina, sunt sub generali dominio Dei, concedo; quæ sunt a divina persona, nego. Ad *minorem* dico, Christum Dominum satisfecisse per actiones creatas, non simpliciter, sed ut erant e persona Verbi, ita ut tota ratio valoris illarum actionum ab ipsa divini Verbi persona emanaret.

Instabis: Valor satisfactionis Christi, ex concessis, procedebat a persona Verbi, tamquam a principio formali dignificante operationes humanitatis: sed persona Verbi divini habet rationem creditoris, et offensi; siquidem tam persona Verbi, quam aliæ duæ personæ divinæ, læsæ sunt per peccatum: ergo etiam valor satisfactionis Christi sumitur a creditore, vel ab ipso offenso. — **Distinguo majorem:** valor satisfactionis Christi sumitur ex persona Verbi in quantum est suppositum divinum formaliter, hoc est, in quantum terminat naturam divinam, nego: in quantum est suppositum humanum, sive in quantum subsistit in natura humana, concedo. Et similiter distincta *minore*, nego *consequentiam*. Quamvis enim suppositum Verbi sit simplicissimum formaliter, tamen est virtualiter multiplex, quia virtutem suam terminativam exercet tam erga naturam divinam, quam humanam.

Objices 2. Cum omne dominium conveniat supposito ratione voluntatis, Christo Domino dominium in actiones satisfactorias conveniebat vel ratione voluntatis divinæ, vel humanæ : si prius, ergo satisfecit ex communibus, et non ex propriis, quia satisfecit ex his quæ erant sub dominio voluntatis communis toti Trinitati : si posterius, ergo satisfecit similiter ex communibus, quia voluntas humana Christi cum sit quid creatum, pendet a tota Trinitate. — **Respondeo**, actiones istas esse sub dominio Christi ratione voluntatis humanæ, neque tamen inde sequi, quod sint sub generali dominio Dei : voluntas enim creata Christi potest considerari dupliciter; *vel* secundum se, hoc est, in quantum est facultas appetitiva intellectualis creata, et eatenus est sub dominio generali Dei : *vel* secundum quod est appetitus intellectualis creatus personæ divinæ, et sic non est sub dominio generali Dei, quia talis est sub hac ratione formali, qualis est persona divina, cujus est proprietas : at vero voluntas humana Christi est domina actionum ejusdem satisfactoriarum, ut voluntas personæ divinæ, et subinde actiones illæ ipsi sunt propriæ.

Subsumes : Sed etiam actiones istæ, ut sunt a voluntate spectante ad personam divinam, dependent a Deo in fieri, et in conservari ; imo etiam voluntas, a qua procedunt, est sub dominio Dei : ergo spectant ad dominium generale, et commune toti Trinitati. — **Respondeo**, negari posse *antecedens*, si in eo particula ista *ut* sumatur secundum sensum formalem ; quia hoc sensu hæc tria, actio personæ divinæ, et *voluntas* personæ divinæ, et *esse creatum*, se habent tantum concomitanter : sicut verbi gratia, hæc propositio intellecta secundum sensum formalem, *Petrus ut rationalis non est animal*, vera est, quia animalitas non includitur in conceptu formali rationalitatis, sed tantum in conceptu reali, et identifico : si autem particula *ut* sumatur secundum sensum materialem, verum est *antecedens* : et sic illo concesso, negauda est *consequentia*, propter rationem prius dictam, nempe quia actiones illæ inducunt rationem supposití, a quo emanant.

Instabis : Actiones voluntatis humanæ Christi, sive formaliter, sive materialiter spectentur, sunt quid creatum : sed omne creatum spectat ad commune dominium totius Trinitatis : igitur quovis modo spectentur non erant propriæ Christo. — **Respondeo** 1, actiones elicitas a Christo considerari posse duobus modis : *Primo* physice et entitative, quatenus procedunt a natura humana tamquam a principio formali *quo* : *Secundo* moraliter, et veluti reflexive ad Verbum divinum, a quo procedunt tamquam a principio *quod*. Priori modo, revera sunt formaliter quid creatum, et sic spectant ad dominium commune toti Trinitati : Secundo modo autem sunt ipsummet Verbi suppositum, aut saltem induunt ejus rationem : quia, ut diximus, sub hac ratione formali illud involvunt, non solum per modum principii effectivi, sed etiam per modum principii formalis ipsas actiones moraliter informantis, et dignificantis. *Respondeo* 2, cum Suarez disp. 4. sect. 6. quod etsi satisfactio ex datis et acceptis, quæ proprie dicitur *restitutio*, non possit fieri ex his quæ sunt sub dominio creditoris; bene tamen illa quæ versatur circa actiones liberas, qualis est injuriæ compensatio in materia honoris : hoc enim est discrimen inter satisfactionem, et restitutionem, quod *restitutio* versatur in rebus datis et acceptis; quia per

eam reparatur damnum illatum alteri in bonis suis: *satisfactio* autem versatur in actionibus: quia per eam intenditur injuriæ compensatio. Hinc in restitutione debet fieri perfecta æqualitas inter satisfacientem, et eum, cui fit satisfactio: in datis autem et acceptis non potest fieri æqualitas, nisi aliquid transeat in actuale dominium illius, cui fit satisfactio, alias non esset magis habens de rebus suis, quam erat ante satisfactionem exhibitam; et sic semper restaret inæqualitas. Secus autem est in satisfactione, quæ fit per opus liberum, cujus operans est dominus, quia ratio satisfactionis non consistit in translatione dominii alicujus rei; sed in hoc solum, quod tantum reverentiæ et honoris impendatur, quantum injuriæ illatum fuit. Et ideo licet Deus habuerit dominium in actiones Christi, non minus Christus ex æquo per eas potuit satisfacere, quia tantum, imo plus honoris reddit Deo, quantum ipsi per peccatum ablatum est. *Respondeo* 3, quod etsi actiones Christi tam materialiter, quam formaliter consideratæ, fuerint sub alto et generali dominio Dei, quatenus supremi omnium Moderatoris et Domini, nihilominus per eas Christus ad juris apices poterat nostrum solvere debitum; quoniam dominium altum, et commune in rem aliquam non impedit dominium particulare; licet enim Rex habeat dominium altum, et commune in bona subditorum; ita quod possit illa expendere in utilitatem et protectionem Reipublicæ, non minus particulares quique habent peculiare dominium in bona sibi propria, ratione cujus dominii revera satisfaciunt ex rigore justitiæ ipsimet Regi, dum præscriptum sibi vectigal exacte pendunt: ergo a simili, licet Deus habuerit dominium altum et commune in actiones Christi, non minus ipse adorandus Salvator habebat dominium particulare in ipsas: quia liberrime eas eliciebat, et consequenter, per eas, illo non obstante dominio communi, poterat ex æquo pro nobis Deo satisfacere.

Objices 3. Si actiones Christi, quatenus sustentatæ, essent soli Verbo incarnato propriæ; ita actiones puri hominis, ut liberæ, et vitales, essent illi soli propriæ, siquidem ab eo solo procedunt modo libero, et vitali: igitur si ea ratione Christus potuit satisfacere ex propriis, pari jure purus homo per suas actiones, ut liberæ sunt, et vitales, poterit Deo satisfacere ex propriis, de via ordinaria, cujus contrarium docuimus supra. — **Nego sequelam antecedentis**: licet enim actiones illæ procedant a solo homine, ut agente modo vitali, et libero; ita tamen sic ab eo procedunt, ut earum vis, et efficacia ad agendum vitaliter, et libere, sit a Deo per dependentiam: quippe illæ actiones procedunt a voluntate creata, ut existente sub communi dominio totius sanctissimæ Trinitatis, quæ voluntas præter acceptam illam virtutem, et efficaciam, requirit insuper concursum Dei, ut suos actus vitales, et liberos eliciat: at ipsa vis sustentandi naturam humanam ita est Verbo divino propria, ut illam habeat ex illo præciso conceptu, quo est divina persona independens a quocumque alio. Nec etiam Verbum divinum indiget aliquo speciali concursu, ut naturam humanam ejusque actiones sustentet, cum talis sustentatio sit dumtaxat quædam terminatio, qua sola Verbi incarnati personalitas ita complet humanitatem, ut se sola illam faciat subsistere. Non est igitur paritas inter actus vitales, et liberos puri hominis, et ipsam sustentationem naturæ humanæ a persona Verbi. Duo namque reperiuntur in ipsis actibus,

ratione quorum actus illi spectant ad commune dominium totius Trinitatis: Primum est, quod non possint elici, nisi dependenter a concursu Dei, tamquam causæ primæ, et universalis: Secundum est, quod hæc vitalitas, et libertas ita sint sub dominio hominis actus illos elicientis, ut tamen sint etiam sub dominio totius Trinitatis, a qua totus ille cum suis omnibus non minus dependent, quam quidquid est servi, quatenus servi, est sub dominio ejus, qui talis servi est dominus. Hæc autem duo non habent locum in ipsa sustentatione humanitatis, et actionum ejus facta per Verbum incarnatum.

Instabis: Idcirco homo dependet a Deo in actionibus liberis, et vitalibus eliciendis, quia ab eo accepit vim agendi vitaliter, et libere; sed etiam Verbum divinum accepit a Patre vim istam sustentandi naturam: qui enim dat esse, dat et consequentia ad esse: hæc autem vis sustentandi sequitur necessario personalitatem Verbi: igitur qua ratione purus homo non potest satisfacere ex propriis per suas actiones, ut sunt vitales, et liberæ; ita nec Christus potuit satisfacere per actiones naturæ humanæ, ut sustentatas a Verbo, tamquam ex bonis sibi propriis. — **Distinguo majorem**: Christus a Patre accepit istam vim sustentandi, sicut et suum esse personale, eo fine, ut pro nobis apud illum satisfaceret, nego: nam prius, in aliquo saltem signo rationis, Pater producit Verbum, quam determinet creare et redimere hominem: accepit illam vim, et illud esse absque ullo respectu et ordine ad satisfactionem, absque ulla prorsus independentia, et ut bonum sibi proprium ac peculiare, concedo; sic enim Verbum accepit a Deo Patre suam personalitatem, et ex consequenti vim infinitam sustentandi non solum naturam divinam, sed etiam alienam, ut tamen ipsa ejus personalitas, et vis sustentativa sint soli Verbo propriæ, nec ullatenus subsint dominio Patris, nec ullam ab eo dependentiam includant. Vel aliter respondeo: accepit illam a Patre cum aliqua dependentia, ita ut Verbi personalitas, et virtus sustentativa dependeant a Patre, et subsint ejus dominio, nego: accepit tamquam quid sibi proprium, et a nullo dependens, nec alicujus dominio subditum, concedo. Igitur non est paritas inter illam vim sustentativam Verbi, et actiones liberas, ac vitales puri hominis.

Objicies 4. Ut quis satisfaciat ex stricta justitia, requiritur, ut efficiat aliquid esse sub dominio ejus, cui satisfacit, quod antea ad ipsum non pertinebat, neque pertineret, si satisfaciens id ejus dominio non subjiceret: at Christus nihil potuit Deo tribuere, quod ad ejus dominium non spectaret, et quod Deus aliunde sub dominio non haberet, si per Christum in satisfactionem non offerretur: igitur non potuit satisfacere ex stricta justitia. — **Nego majorem**: non enim est necesse ad exactam, et strictam satisfactionem, quod creditor accipiat aliquid de novo sub suo dominio, ut constat in satisfactione humana honoris læsi: per illam enim satisfactionem creditor eam accipiens, nihil recipit, quod ejus dominio subsit: unde plerumque sufficit ad perfectam satisfactionem, ut id quod datur cedat in honorem, fiatque juxta beneplacitum creditoris. Nec certe videtur major ratio, quod res in satisfactione oblata cedat in commodum et utilitatem creditoris, quam ea quæ offertur per actionem meritoriam: at non requiritur in merito quod opus meritorium cedat in commodum et utilitatem præmiantis,

alioqui nihil omnino possemus apud Deum mereri; ipse enim bonorum nostrorum non eget: sed satis est, quod cedat in ejus honorem et gloriam, et fiat juxta ejus præceptum et beneplacitum. Idem dicendum de satisfactione.

Objicies 5. Christus Deo Patri satisfecit ut homo, et per actiones vere humanas: sed homo, et ejus actiones sunt quid inferius Deo, et a Deo dependens, ac proinde ejus dominio subditum; igitur Deo satisfecit ex bonis, quæ ejus erant: non vero quæ dumtaxat Christo satisfacienti erant propria. *Major* constat: siquidem Christus, ea ratione pro nobis satisfecit, qua passus est et mortuus: at passus et mortuus est tantum ut homo, et in satisfactionem obtulit suam mortem et passionem, quæ sunt actiones Christi tantum ut hominis: igitur, etc. — **Distinguo majorem**: Christus satisfecit ut homo, si particula *ut* sumatur *reduplicative*, idest, secundum ea solum, quæ ei competunt ratione naturæ humanæ, nego: si sumatur *specificative*, idest, ille qui satisfecit pro nobis erat verus homo, licet etiam esset verus Deus, concedo: ut sic enim humanitas fuit principium *quo* satisfactionis; Verbum autem erat principium *quod*, non solum quatenus sustentabat naturam humanam, et erat principium *quod* actionum satisfactoriarum, quas ab eo assumpta humanitas eliciebat, ut principium *quo*: sed etiam quatenus idem Verbum ad illas easdem actiones concurrebat morali influxu conferente illis valorem summum, et extrinsece infinitum, scilicet tam seipsum, quam suas actiones offerendo et subjiciendo in obsequium Dei, simul et eis actionibus influendo illum valorem summum, quo revera erant dignæ, quæ acceptarentur a Deo in satisfactionem pro omnibus nostris debitis.

Satisfactio Christi non fuit fundata in gratia, et liberalitate creditoris. — **Probatur**: Si Christi satisfactio fundata fuisset in gratia et liberalitate creditoris, maxime quia pendebat a gratia unionis; hæc enim videtur necessaria, ut persona Verbi influeret valorem summum in suas actiones satisfactorias et meritorias: sed hæc ratio non obest, quominus satisfactio Christi facta fuerit ad strictos juris apices, et independenter a liberalitate et gratia creditoris: igitur, etc. Probatur *minor*: quando gratuito donatum antecedit obligationem contractam de solvendo debito, tunc illud ex gratia creditoris comparatum non obest quominus actio satisfactoria et meritoria ex æquo præmium possit promereri: quia cum debitor sit vere dominus illius, quod gratuito sibi donatum est, tunc censetur satisfacere creditori, quoties illud ipsum in illius dominium restituit: si enim Petrus, verbi gratia, antequam Jacobus debitum erga ipsum contrahat, illi dederit centum nummos, vel etiam post illius debiti contractionem, non tamen ea conditione, ut ex illis contractum debitum solvat, sed omnino absolute, et absque respectu, Petrus poterit ex justitia debitum solvere, restituendo illos centum nummos in dominium et possessionem creditoris: quia cum esset illorum dominus, dominium istud, et possessionem in creditorem transfert: igitur licet Deus Christo concesserit gratis unionem hypostaticam, cum hæc gratia collata sit omnino antecedens, revera Christus erat dominus illius status divini, et omnium operationum, quas ut Deus-homo poterat elicere; et subinde eliciendo illas operationes, et eas submittendo Deo, revera debitum nostrum

absque ulla creditoris gratia, et remissione solvebat. — *Deinde*, ad satisfactionem de rigore justitiæ requiritur dumtaxat, quod non fundetur in gratia creditoris, quatenus illa gratia suppleret defectum valoris satisfactionis, et ita acceptaretur valor operis ultra id quod mereretur: at satisfactio Christi, licet fundetur in gratia unionis, hæc tamen gratia non supplet illius dignitatis defectum, nec Deus acceptat opera Christi ultra illorum valorem; sed potius dat operibus humanitatis dignitatem, et valorem non solum adæquantem, sed etiam superexcedentem injuriæ gravitatem: igitur talis gratia non obstat satisfactioni ad strictos juris apices. — *Denique*, gratia unionis non est simpliciter facta Christo quatenus erat Deus-homo, sed dumtaxat humanitati, cui Verbum divinum seipsum communicavit hypostatice: sed satisfactio non fuit exhibita per ipsam humanitatem seorsim, sed præcise per Christum, quatenus est Deus-homo: igitur non satisfecit sub ea ratione, qua gratia ei erat concessa.

Dices 1: Quando aliquis dat alteri unde debitum sibi solvat, tunc illa solutio non potest censeri ex rigore justitiæ: sed Deus concessit Christo humanitatem, et personam Verbi, per quas operationes satisfactorias elicuit, et nostrum debitum solvit: igitur illa solutio non fuit ex rigore justitiæ. — **Distinguo majorem**: si conferendo illud donum non concesserit etiam illius dominium, concedo: si utrumque largitus fuerit, nego. Deus autem conferendo, vel humanitatem, vel Verbum, seu potius donando ei statum illum *Dei-virilem*, dedit etiam illius status dominium; Christus enim erat dominus suarum operationum, et poterat pro libito illas exercere vel non exercere: ac subinde poterat per illas operationes pro nostris peccatis debitam satisfactionem impendere. His adde, satisfactionem Christi Domini ita fundari in gratia unionis et Incarnationis, et virtute illius sic fieri, ut hæc unionis gratia non fuerit donata humanitati eo fine, ut satisfaceret: quippe cum, ut probabimus infra, Deus decreverit Mysterium Incarnationis ante prævisum Adæ peccatum: unde, sicut cum aliquid solvitur ex acceptis a creditore non eo fine, ut satisfaciat, non impedit quin talis solutio sit ex stricta justitia; etiam istud non impediet quominus Christi satisfactio talis censeatur.

Dices 2: Si Petrus debet Paulo viginti nummos sub ea conditione, quod solvat parem pecuniæ summam sibi debitam, ista solutio fundatur in gratia creditoris, et consequenter non erit ex rigore justitiæ: sed Deus Christo concessit statum Dei-virilem ea ratione, ut per illum sibi satisfaceret pro hominum peccatis: igitur satisfactio a Christo exhibita fundatur in gratia Dei, et non est ex rigore justitiæ. — **Nego minorem**; et ratio disparitatis est, quod illa donatio viginti nummorum non efficit, ut ista pecuniæ summa transeat sub dominium Petri; unde tantum est larvata et supposititia donatio, et dumtaxat debiti relaxatio. Secus est autem de operibus Christi: quia licet ex Dei gratia eliciantur, revera tamen existunt sub dominio Christi, ratione liberatis creatæ; et ideo licet sint Dei dona, et supponant gratiam unionis, non propterea sunt gratuita donatio, sed justa et æqua debiti solutio.

Christi satisfactio facta est ex alias indebitis. — **Probatur**: Si opera Christi fuissent Deo debita alio titulo, quam satisfactionis, maxime titulo gratitudinis, aut obedientiæ, aut justitiæ: sed neutrum

horum potest affirmari. Non quidem *titulo gratitudinis;* quia debitum gratitudinis fundatur in mere libera et gratuita concessione beneficii facta a donante : atqui nullum fuit beneficium gratuitum a Deo concessum Christo Domino, ut Deo-homini ; nam si quod fuisset, maxime gratia unionis : at hæc gratis collata fuit soli humanitati, non autem personæ Christi : idem dicendum est de his, quæ consecuta sunt ad unionem, quia illa erant debita ratione unionis hypostaticæ, et non pure gratuita : unde discrimen est inter gratiarum actionem Christi, et hominis puri, quod quanto magis purus homo gratias agit Deo, tanto magis ipsi obligatur, quia ipsa gratiarum actio est novum beneficium ipsi creaturæ collatum ex divina largitate : at quando Christus Dominus gratias egit suo Patri, sive pro beneficio collato suæ humanitati, sive pro aliqua alia re, nullum novum gratuitum accepit, sed debitum dumtaxat suæ dignitati. — *Neque* etiam titulo *obedientiæ :* tunc enim aliquis sua opera absolute debet alteri titulo obedientiæ, quando non est in ejus libertate id quod præcipitur libenter acceptare, vel non acceptare : at Christi obedientia non fuit hujusmodi : liberrimus enim erat ad acceptandum, vel non acceptandum Dei mandatum, ut colligitur ex illis verbis Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui ; et legem tuam in medio cordis mei:* necnon ex illo Isaiæ 52. *Oblatus est quia ipse voluit.* — Non denique titulo justitiæ, quia si quis esset titulus, maxime justitiæ potentialis, qualis est religio : at ratione illius tituli Religionis, Christus præcise non debebat sua opera Deo, novo ac speciali debito, quia titulus ille, quando non multiplicat materiam, non infert novum debitum, nec consequenter exigit peculiarem solutionem, ac subinde una actione, tam ipsi, quam et alteri titulo potest satisfieri : quia non multiplicantur debita, sed dumtaxat confirmatur ejusdem debiti solvendi obligatio. Unde licet operationes Christi Deo essent debitæ titulo religionis; nihilominus poterant etiam impendi in satistactionem, quia tituli illi religionis, et satisfactionis cadebant supra easdem operationes.

Objicies: Deus potuit exigere a Christo Domino ut singula sua bona opera eliceret ob motivum gratitudinis propter beneficia sibi divinitus collata : igitur per ista opera jam aliunde debita Deo non potuisset Christus satistacere. — **Respondeo**, hic dumtaxat esse difficultatem de satisfactione, prout a Christo Domino exhibita est, non vero prout alio modo præstari potuit. Certum est autem, quod de facto Deus non exegerit, ut Christus omnia sua opera exerceret titulo gratitudinis ; quippe talis obligatio nullibi in Scripturis legitur. *Adde quod* etiamsi Deus hanc legem præscripsisset, nihilominus adorandus ille Salvator potuisset condigne pro nostris debitis satisfacere : quippe omnia divina beneficia ipsi collata longe sunt inferioris dignitatis et excellentiæ, quam sint actiones et ejus opera, quia cum procedant a persona Verbi, tamquam a principio *quod*, inde divinam aliquam, et infinitam, saltem extrinsece, excellentiam et dignitatem eliciunt, qualis non reperitur in omnibus donis Christo collatis : ista namque omnia, puta gratiæ, scientiæ, etc. omnino creata sunt, et finita. Hinc consequens est, quod Christus per opera sua meritoria sic potuerit satistacere cuilibet debito gratitudinis pro omnibus et singulis beneficiis acceptis, ut etiam per

eadem opera, tamquam indebita, adhuc potuerit ex stricta justitia pro debitis omnium hominum satisfacere.

Instabis : Quando beneficium collatum est ita summum intensive, ut Deus absoluta sua potentia majus et præstantius conferre non possit, quantumcumque perfectus eliciatur actus gratitudinis ab accipiente beneficium, non potest beneficii dignitatem excedere, nec consequenter ex stricta justitia offerri et impendi Deo in satisfactionem pro debito alieno : at unio hypostatica est beneficium omnium præstantissimum, quod Deus conferre potest absoluta sua potentia : igitur omnis actus gratitudinis, quem Christus propter illud beneficium potest Deo referre, istius beneficii dignitatem non excedet, nec consequenter in satisfactionem pro altero debito poterit impendi. — **Distinguo majorem** : si beneficium istud summum ei conferatur, qui habet præcipuas partes in satisfactione, et eam impendere debet per modum principii *quod*, concedo : si tantum ei conferatur, qui in impendenda satisfactione minus præcipuas partes obtinet, et ad eam se habet dumtaxat per modum principii *quo*, nego. Certum est autem, quod beneficium et gratia unionis collata sint dumtaxat humanitati Christi, quæ in satisfactione habet tantum rationem principii *quo ;* non vero Verbo divino, cui in satisfactione competit ratio principii *quod :* tum quia est suppositum ipsius naturæ, a qua illa satisfactio exhibetur : tum quia valorem summum operibus satisfactoriis impendit : igitur quamquam humanitas ex se non posset debite satisfacere per actus, qui jam Deo deberentur titulo gratitudinis propter summum beneficium gratiæ unionis sibi concessæ, inde non est consequens, quod Christus secundum se totum consideratus, maxime ratione personæ Verbi, non possit per actus jam titulo gratitudinis debitos ratione gratiæ unionis concessæ humanitati, etiam satisfacere Deo pro debitis alienis.

Christi satisfactio erat ad alterum. — **Probatur:** Illa sufficienter est ad alterum, quæ est inter distinctas naturas ; quarum una habet rationem debitoris, alia vero rationem creditoris : sed Christi satisfactio intercessit inter humanam naturam, et divinam ; quarum illa habebat rationem debitoris hæc vero rationem creditoris : nec requiritur, ut cum distinctione naturarum sit etiam personarum distinctio ; ea enim distinctio sufficit ad rationem justitiæ, quæ sufficiens est ad distinctionem jurium : sed salvatur distinctio jurium posita sola distinctione naturarum ; ubi enim sunt diversæ naturæ, sunt etiam diversæ voluntates, et libertates, quarum ratione sunt distincta dominia : igitur illa naturarum distinctio sufficiebat in Christo, ut illius satisfactio esset ad alterum. — *Confirmatur :* non magis requiritur ad satisfactionem rigorosam, quod intercedat inter personas distinctas, quam requiratur ad quamlibet satisfactionem: sed Christus (ut diximus in præcedenti Quæst.) habebat alteritatem sufficientem, ut Deo aliquam satisfactionem impenderet : ergo etiam ut satisfaceret ad strictos juris apices. — *Deinde,* non requiritur major distinctio inter extrema justitiæ, quam inter servum et dominum : sed distinctio realis naturarum in eodem supposito sufficiebat, ut unus et idem Christus esset simul servus et dominus : igitur etiam sufficiebat, ut satisfaceret. — *Denique*, si Christus assumpsisset duas humanitates, posset actum justitiæ commutativæ inter illas duas huma-

nitates exercere, quia licet unicum fuisset suppositum realiter, fuisset tamen duplex virtualiter, quia gessisset vices duorum suppositorum humanorum; quidni ergo pariter Christus in humana, et divina natura existens, potuerit exercere actum justitiæ erga seipsum, ut existentem in altera?

Objicies 1. Satisfaciens debet esse alter ab eo, cui fit satisfactio: at Christus non est alter a Deo, cui satisfactionem impendit, cum ipsemet sit Deus, et satisfecerit, ut Deus-homo: igitur ejus satisfactio non erat ad alterum. — **Distinguo majorem**: debet esse alter, tam secundum omnem sibi propriam naturam, quam secundum personam, nego: debet esse alter, saltem secundum aliquam naturam sibi propriam, concedo. Licet autem Christus Dominus non sit alter a ratione naturæ divinæ, necnon et personalitatis Verbi; tamen habet illam alietatem, seu rationem alterius, jure naturæ humanæ sibi propriæ, quæ alteritas sufficit ad veram et strictam satisfactionem: quia stricta justitia solum postulat, ut satisfactio sit ad alterum, ut nempe fiat per bona, quæ sint distinctorum jurium et dominiorum a jure et dominio creditoris. Unde cum Christus ratione naturæ humanæ habeat jus et dominium in actiones liberas, quæ omnino distinctæ sunt a Deo, cui satisfactio debetur, idcirco per eas revera Deo potuit satisfacere.

Instabis: Ad satisfactionem ex stricta justitia non solum sufficit alteritas ex parte naturæ, sed præterea requiritur etiam ex parte suppositi, ut constat etiam ex Aristotele, et aliis Philosophis, qui communiter explicant hanc alietatem in justitia per distinctionem suppositorum: igitur cum Christus solum habuerit alteritatem ratione naturæ, non potest censeri Deo satisfecisse ad strictos juris apices. — **Nego antecedens**, et ad ejus probationem dico, Aristotelem, et alios Philosophos idcirco explicare illam alteritatem necessariam ad strictam justitiam per distinctionem suppositorum, quia loquuntur de actibus istius justitiæ, prout communiter et ordinarie exercentur ab hominibus habentibus distinctas naturas, et supposita distincta, quia naturaliter fieri nequit, ut idem numero suppositum sustentet diversas naturas. At quia fides Catholica docet idem numero suppositum Verbi divini sustentare simul duas naturas liberas, in quibus deprehendimus sufficientem distinctionem dominiorum et jurium, ratione quorum possunt mutuam aliquam obligationem inire, quæ sufficiat ad perfectum contractum justitiæ; inde fit, quod illa naturarum distinctio sufficiat pariter ad instituendam perfectam rationem debiti, et solutionis.

Urgebis: Potissima ratio, præcipuusque valor satisfactionis Christi peti debet ab ejus supposito, ut mox diximus: at ut sic, non habet sufficientem alteritatem ad strictam justitiam desiderandam, siquidem satisfactio Christi Domini non tantum impendi debebat personæ Patris, et Spiritus sancti, sed etiam ipsius Filii, quæ speciali titulo, ut diximus, per hominum peccata fuit læsa: igitur Christi Domini satisfactio non habuit sufficientem alteritatem ad strictam justitiam: siquidem unius ad seipsum non potest esse stricta justitia. — **Nego minorem**, et ejus probationem distinguo: unius ad seipsum secundum unam eamdemque omnino naturam liberam, et secundum eadem jura et

dominia non potest esse satisfactio ex stricta justitia, concedo: secundum distinctas naturas liberas, et diversa rerum dominia, nego. Unde cum Christus in eodem supposito duas habuerit naturas liberas, quibus inerant jura et dominia distincta, hinc est, quod potuerit sibi satisfacere. *Adde quod* satisfactio exhibita a Christo non fuerit primario et per se facta tribus divinis personis, sed Divinitati: nam, ut ait S. Paulus 2. ad Cor. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Ubi particula *Deus,* ut explicat S. Ambrosius lib. 3. *De Fide,* cap. 5. idem significat ac ipsa Divinitas, *Hoc est,* inquit, *ibi sempiterna Divinitas:* igitur cum Christi satisfactio facta fuerit primario ipsi Deo; secundario vero tribus divinis personis; inde est, quod Verbum divinum ratione naturæ humanæ sufficientem habuerit alteritatem ad strictam justitiam; quippe natura humana omnino distincta erat a divina.

Deus ex pacto inito non poterat congrue recusare Christi satisfactionem. — **Probatur,** quia (ut diximus) Christi satisfactio non solum erat condigna, et ad æqualitatem, sed etiam superexcedens, et ad abundantiam: ergo non erat unde Deus illam recusaret. Patet *consequentia:* tunc enim respui non debet satisfactio, quando non solum æquivalet debito, sed etiam illud excedit secundum conventionem factam: at Christi satisfactio, quæ Deo impendebatur ex pacto, longe excedebat nostrum debitum: igitur non erat unde Deus illam recusaret.

Dices: Tunc recusari potest satisfactio, quando non exhibetur ab ea persona, quæ debebat satisfacere: sed satisfactio Christi non fiebat ab illa persona, quæ debebat satisfacere; nam Christus non erat persona rea, quæ propter proprium peccatum non posset veniam consequi, nisi vel satisfaceret, vel gratuito Deus offensam illi condonaret: igitur Deus poterat juste illius satisfactionem respuere. — **Distinguo majorem:** si creditor non inierit pactum de condonando peccato ob satisfactionem alterius, concedo: si tale pactum inierit, nego, Deus autem spoponderat se nobis condonaturum omnia debita, si Christus pro nobis satisfactionem impenderet: igitur non poterat illam recusare, maxime cum illa satisfactio non solum debitum æquaret, sed etiam illud longe excederet.

QUÆSTIO QUINTA.

UTRUM REVERA PERACTUM SIT INCARNATIONIS MYSTERIUM, ET JUDÆIS PROMISSUS MESSIAS ADVENERIT.

Notandum 1. Judæos illum hominem tot divinis promissionibus destinatum, tot expetitum votis, tot oraculis in veteri Testamento celebratum, appellare *Messiam,* quod ad hominum salutem et redemptionem a Deo mittendus esset: eum vero Græci, Latinique *Christum,* hoc est, *unctum* nominant, quod non solum Rex et Sacerdos, sed etiam Deus-homo, ac Divinitatis oleo peructus esse deberet. Cujus notionem Tertullianus accurate delineavit in libro adversus Judæos c. 6. *Et quidem,* inquit, *imprimis quærendum, an expectetur novæ Legis lator, et novi Testamenti hæres, et novorum sacrificiorum Sacerdos, et novæ Circumcisionis Purgator, et æterni sabbati Cultor: qui legem*

veterem compescat, et novum Testamentum statuat, nova sacrificia offerat, et cæremonias antiquas reprimat, et circumcisionem antiquam, cum solo sibi sabbato compescat, et novum regnum, quod non corrumpatur, adnuntiet. Quæ omnia per Prophetas de Messia prædicta esse constat, ut ex sequentibus manifestum erit.

Notandum 2. Constantissimum esse apud omnes, qui christiano nomine gloriantur, revera Messiam venisse. Hæc namque veritas christianæ Religionis, ac fidei caput est et fundamentum, nec solum in omnibus fidei Symbolis ac definitionibus stabilitur, sed etiam apertis novi Testamenti oraculis comprobatur: nam Joan. 4. mulieri Samaritanæ dicenti: *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: Dixit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum.* Quapropter adorandus ille Salvator non immerito beatum prædicat Petrum Apostolum, quod publico testimonio contestatus fuerit: *Tu es Christus Filius Dei viri:* nam, ut ait Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Ad Judæorum igitur tum frangendam pervicaciam, tum cæcitatem illuminandam dumtaxat convertenda est præsens Quæstio, in qua e sacris veteris Testamenti litteris, ac oraculis, Messiam jamdudum advenisse, demonstrandum est.

Notandum 3. Promissiones, quibus Messias in veteri Testamento nuntiatur venturus, esse in duplici differentia: *aliquæ* enim leguntur simpliciter factæ sine ulla temporis designatione, ut cum Moyses dixit Populo, Deuteronomii 18. *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Et Abrahamo Deus repromisit Genes. 18. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Cujusmodi sunt etiam omnia illa vaticinia, quæ Messiæ nativitatis locum, et modum, conversantis doctrinam, virtutem, et potentiam, morientis voluntariam oblationem, ac invictam constantiam; resurgentis majestatem, et in cælos ascendentis triumphum præsignant, ut legere est, tum in libris Moysis, tum in libris Prophetarum; maxime vero in Psalmis, quorum plurimi de Christo conscripti sunt. *Aliæ* vero promissiones factæ sunt cum aliqua certa temporis designatione, non tamen ita perspicua, ut omnem dubitationis locum auferat; nec etiam ita obscura, et involuta, ut efficax ad comprobandum Christi adventum non subministret argumentum. Hujus autem duplicis generis promissiones usurpabimus, et discutiemus in præsenti Quæstione, tribus distinguenda Conclusionibus.

Conclusio prima. — Messiam divinitus repromissum jam advenisse, satis aperte colligitur ex Jacobi morientis vaticinio, Gen. 49.

Probatur; Nam sanctissimus ille Patriarcha, cum morti proximus paternam benedictionem filiis suis impenderet, et divino afflatus Spiritu, ac mente præsaga futurorum, quid peculiariter uniuscujusque posteris Deus præstiturus erat, denuntiaret; aperiens quanta foret in Judæ filios effundenda Dei benignitas et munificentia, inter plura, quæ spondet, ait: *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium:* velut habet Hebraica Editio (quam usitato charactere, in gratiam Lectoris, subjicio) *Lo jasour sebeth mi ouda, ou mehokek mibben rageliou*

ad ki jabo siloh velo ikchat jammim. Hoc est, ut interpretantur Barradius, et noster Galatinus l. 4. c. 4. *Non recedet sceptrum de Juda, et Scriba, sive Legum lator de medio pedum ejus, donec veniat Siloh* (id est pacificus, vel Messias) *cui nationes servient.* Vel, ut fert Chaldaica paraphrasis, *Non auferetur, qui facit potestatem, de domo Judæ, et Scriba de filiis filiorum ejus, usque in sæculum, donec veniat Messias, cujus est regnum, et ei obedient populi.* Vel denique, ut habent Septuaginta Interpretes, *Non deficiet Princeps ex Juda, donec veniant quæ reposita sunt ei;* idest, donec adveniant summa et eximia dona ac bona, quæ per Messiam ex tribu Juda oriundum, humano generi sunt conferenda, ut legit S. Augustinus lib. 12. *Contra Faustum,* cap. 42. *Vel,* ut ferunt alii codices, *donec veniat, cui repositum est;* idest, donec veniat ille, cui repositum est regnum totius mundi, ut explicant Origenes lib. 4. *Periarchon,* et Sanctus Cyrillus *Contra Julianum,* lib. 8. *Non per vim,* inquit, *Prophetarum accersitæ sunt gentes, neque etiam per Moysem, vel aliquem alium: sed Christo potius repositum fuit, ut imperaret, non jam soli Judææ, sed omnibus gentibus, etc.* Quæ omnes lectiones in hoc unum conspirant, et collineant, ut significent auctoritatem regendi ac ferendi leges non prius a tribu Juda auferendam, quam repromissus Messias advenerit. Ex quibus sic argumentari licet: non debuit prius deficere ex tribu Juda regia, ac legislativa potestas (ex quo semel ad eam convolavit), quam Messias prænuntiatus advenisset: at ab annis 1675. et amplius, utraque illa potestas, et auctoritas penitus defecit; quippe jam pridem nulli Reges, nullique Legislatores extant, qui vel ex Juda, vel ex alia Israëlitica tribu Judæis imperent: quinimo omnes ad unum apud exteras nationes sub dura servitute detinentur; et ut ait Tertull. in *Apolog.* cap. 21. *Dispersi, palabundi, et cœli, et soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur:* igitur ut firma sit et constantissima illius vaticinii veritas, oportet quod Messias venerit. — *Confirmatur* hoc exemplo: Si Deus fulgentissimam facem e turri ostentans dixisset; eam non extinguendam donec veniret Messias; qui illam extinctam videret, nonne protinus recte colligeret Messiam jam venisse? At Deus sceptri Israëlitici fulgorem veluti facem Judæorum oculis exhibuit, prænuncians, donec Messias veniret, illum non extinguendum: cum ergo fulgor ille sceptri Judaici pridem extinctus sit, necessum est Messiam venisse. Hujus efficacissimæ rationis vim, ut elevent Judæi, plura comminiscuntur effugia, quæ claritatis, ac facilioris expugnationis gratia, ad tria potissimum capita revoco, et sub totidem §§ cum omnibus eorum diverticulis propono impugnanda.

§ I. — Primum Judæorum effugium est, *quod in præfato vaticinio nil quidquam de venturo Messia prænuntietur, quodque omnes illius oraculi particulas, et voces pravum in sensum detorqueamus.*

Reponunt enim 1. Vocabulum *Jasour* non significare recessum, sed accessum; nam *Sur* significat declinare ad aliquem: inde Loth sic Angelos alloquitur: *Suru na el beth gabdecem:* idest, *Declinate obsecro in domum pueri vestri.* Hinc vocabulo *Jasour* utitur Moyses, cum ait Exodi 3. *Vadam, et videbo visionem hanc magnam:* ita quod præfati vaticinii sensus sit, sceptrum non prius accessurum ad tribum

Juda, quam Messias venerit : quod utique, inquiunt, contigit, nam tot votis expetitus ille Messias, qui Israëliticum populum a duro captivitatis jugo liberaturus erat, fuit Salomon, qui idcirco *Siloh*, idest, *Rex pacificus* dictus est : quippe eo nato David regnum Israëliticum universum obtinuit, et omnes Judæorum intensissimos hostes expugnavit : ipso autem imperante Salomone Judæi summa securitate ac pace donati sunt, ut referunt 3. *Regum* cap. 4. his verbis : *Habebat pacem ex omni parte in circuitu : habitabatque Juda, et Israël absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.* — **Verum hanc expositionem omnino inanem esse**, ac cum præfato vaticinio nullatenus cohærentem, constat ex omni parte: *Primo* namque verbum *Jasour* equidem significat nonnumquam accedere sicut et recedere : at conveniunt omnes Hebræi verbum istud accessum denotare dumtaxat, quando præfixam habet præpositionem *el* correspondentem præpositioni *ad*, quæ accusativum regit, et accessum indicat ; dum vero copulatur præpositioni *me*, aut *min*, quæ est indicativa, aut directiva ablativi casus, et correspondet *de*, *ex*, aut *e*, tum significat recessum seu elongationem : quemadmodum apud Latinos verbum *declino* regit ablativum cum præpositione *a*, et accusativum cum *ad* : dicimus enim *declino a te*, et *declino ad te*. Habet autem verbum istud *Jasour* præpositionem *min* præfixam in præfato vaticinio ; ac subinde significat recessum Israëlitici sceptri a tribu Juda. — *Deinde*, falsum est, quod David obtinuerit sceptrum Israëliticum dumtaxat nato Salomone : nam, ut refertur lib. 2. *Reg.* cap. 5. in Hebron regnavit super Judam septem annis, et sex mensibus, priusquam salutaretur Rex super universum Israël : similiter plurimis annis regnavit super omnes Israëlitas, variosque eorum hostes expugnavit priusquam nasceretur Salomon : ac subinde falsum est sceptrum accessisse ad tribum Juda tantum eo tempore, quo natus est Salomon. — *Adde quod* cæteræ ejusdem vaticinii particulæ non conveniant ullatenus Salomoni, quippe ipse non fuit expectatio gentium ; siquidem nihil boni, ac beneficii eis contulit ; nec pariter ejus regnum perpetua tranquillitate, et felicitate donatum est ; nam lib. 3. *Reg.* cap. 12. conqueruntur Israëlitæ apud Roboam ejus filium : *Pater tuus durissimum jugum nobis imposuit : Tu itaque nunc imminue paululum de imperio Patris tui durissimo, et de jugo gravissimo, quod imposuit nobis, et serviemus tibi :* et ibidem refertur, quod cum gratum responsum a Roboam non obtinuissent Israëlitæ, decem tribus ab eo recesserunt, et sibi præfecerunt Regem Jeroboam, sicque ab eo tempore divisum fuit regnum Israëlitarum ; ita quod duæ dumtaxat tribus, nempe Juda, et Benjamin famulatæ sint Roboam, et ejus posteris : cæteræ vero decem declinaverint ad Jeroboam, ejusque successoribus servierint usque ad earum exterminium per Assyrios. .

Reponunt 2. Vocabulum *Scebeth*, aut *Sceveth*, non significare *sceptrum*, sed *virgam*, non quidem principatus et dominationis, sed doloris et tribulationis, ita quod Prophetiæ sensus sit : non recedet virga tribulationis a Juda, donec veniat Messias : at usque modo Judæi ubique gentium dura servitute præmuntur, et sub tribulationis virga gemunt : igitur Messias nondum venit. — **Contra primo**, omnes Hebræi, qui

suæ linguæ Dictionaria ediderunt, fatentur vocabulum *Sceveth*, plerumque significare sceptrum ; nam eo utitur David Psalmo 44. cum ait : *Virga directionis, virga regni tui*, quod certe nihil aliud, quam sceptrum denotat. *Secundo*, de ea virga sermo est in isto vaticinio, quæ respectiva est ad Ducem : nam habetur: *non auferetur virga, et Dux :* at virga ducis est virga principatus et dominationis : igitur noster interpres merito per virgam, sceptrum significari dixit. *Tertio*, non potest intelligi virga tribulationis illo vaticinio expressa, si cætera omnia, quæ in illa benedictione efferuntur nihil infaustum, sed omnia Judæ, ac ejus posteris felicia ac fortunata prænuntient : at ita est ; nam in antecedentibus legimus: *Juda, te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum : adorabunt te filii patris tui.* In sequentibus autem : *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam : Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum : pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.* Quibus verbis non solum designatur Messiæ venturi eximia pulchritudo, sed etiam ipsi subditi populi felicitas et ubertas prædicitur. *Quarto*, si venire debuit Messias cum defecit virga tribulationis ab Israëlitico populo, jam pridem venisse dicendus est ; enimvero Judæi diutissimo tempore, maxime a Davide usque ad Sedeciam, scilicet fere per 500. annos soluti sunt a captivitate, et tribulationis virgam excusserunt ; tantum enim abest, ut ab aliis captivi detinerentur, quinimo exteros, et vicinos populos, maxime vero Idumæos, sibi subditos et tributa pendentes habebant. — *Nec refert*, quod illo ipso tempore plurimis bellis fuerint divexati et gravati ; nam non propterea in captivitatem fuerunt adacti, nec perpetuo sub tribulationis virga gementes, maxime pluribus annis sub regno Salomonis, quamdiu scilicet ille fidelis Dei cultor extitit ; etenim 3. *Regum* 5. ipsemet testatur: *Requiem dedit Deus mihi per circuitum ; et non est satan, neque occursus malus. Denique* non solum prædicitur virgam non esse auferendam, sed etiam non esse amovendum Legislatorem ab Israëlitico populo, donec venerit Messias: at Judæi fateantur necesse est, eos pridem nullum habuisse Legislatorem, qui ipsis sanctissimas leges præscribat, et illos in pace, ac morum sanctitate contineat : igitur necessum est, quod pridem Messias venerit.

Reponunt 3. Vocabula *Mehokek*, idest, *Legislator*, et *Mibben rageliou*, idest, *de medio pedum*, perperam a nobis accipi, dum in Vulgata legimus, *nec dux de fœmore ejus.* Nam R. Beccha dicit, præfatis verbis significari, illum Legislatorem, seu pacificatorem, formandum esse ex mulieris sanguine menstruo ; vult enim vocabulum *Siloh* deduci ex altero, quo Hebraice sanguis menstruus significatur. — **Verum**, præterquam quod omnes prorsus editiones et lectiones, tam Hebraica, Samaritana, Arabica, et Septuaginta Interpretum, nec non et paraphrasis Chaldaica, et Hierosolymitana eo modo, quo nostra Vulgata editio præfata vocabula efferunt, nempe quod non deficiat *dux*, seu *Legislator de fœmore*, vel *de medio pedum*, certum est, quod præfata istius Rabini interpretatio nobis non adversetur ; quinimo significat Messiam formandum esse dumtaxat ex mulieris sanguine, absque ullo virili commercio : quod utique mirum in modum convenit adorando Salvatori, qui formatus est ex Virginis, non quidem menstruo (quem

omnes medici ad generationem minime deservientem affirmant), sed purissimo sanguine.

Reponunt 1. Maximamque vim faciunt, et operam navant in detorquenda significatione vocabuli *Siloh*, nam, ut refert Galatinus noster lib. 4. cap. 4. aliqui isto nomine significari volunt oppidum *Silo*, in quo tabernaculum, et arca fœderis erant reposita, et idcirco locus iste apud Israëlitas ad eum devotionis causa undique convolantes in summa erat veneratione et gloria. Hinc vaticinium interpretantur de Saule, quem volunt in Regem inauguratum esse in oppido Silo, sceptrumque transtulisse ex tribu Juda in tribum Benjamin, ex qua erat oriundus.— **Verum hæc interpretatio facile evertitur**, *primo* quia verba illius vaticinii ipsi directe adversantur non enim dixit Jacob: non auferetur sceptrum, donec veniat aliquis ungendus in Silo, sed donec veniat ipse Siloh. *Adde quod* antecedentia, et subsequentia verba satis aperte demonstrent, oraculum istud nulla ratione de loco aut oppido esse intelligendum. *Secundo*, Saul non est creatus Rex in Silo, sed in Maspha, et in Galgala, unctus autem a Samuele olei lenticula in Ramatha. *Tertio*, Saulis tempore non fuit ablatum sceptrum a Juda, quippe ante ipsius inaugurationem Judæis præerat *Samuel* de tribu Ephraim, et ante ipsum imperabat *Heli* summus Sacerdos, quem præcesserunt plurimi Judices, ex quibus duo dumtaxat erant oriundi ex tribu Juda: siquidem *Josue*, qui primus post Moysem judicavit et imperavit, erat ex tribu Benjamin; *Aod* vero secundus Judex erat ex tribu Benjamin. *Debbora*, et *Barac* pariter ex aliena tribu, illa ex tribu Ephraim, hic ex tribu Nephtali, ut patet 4. Judith v. 3. et 6. *Gedeon* ex tribu Manasse, ut constat 6. Judic. 15. post quem regnavit ejus filius *Abimelech*, quo mortuo surrexit *Thola* ejus patruus, qui erat ex tribu Issachar, ut patet Judic. 10, post quem imperavit *Jephte* de tribu Manasse. Post eum judicavit *Samson* de stirpe Dan: ex quo inferendum est duos tantum ex judicibus fuisse de tribu Juda, nimirum *Othonielem* filium Caleb, et *Abesam*.

Urgent aliqui: Per *Siloh* id intelligitur, quod occubuit et cecidit, quando sceptrum accessit ad tribum Juda; nam vocabulum *Sabo* in vaticinio positum significat *cadere*, vel *occidere*: at dum David electus est in Regem, et per eum regia dignitas ad tribum Juda fuit deportata, tunc omnis gloria oppidi Silo cecidit, et extincta est, quippe arcam fœderis inde asportari jussit David in Sion civitatem suam: unde illud Psalm. *Repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraïm non elegit: sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit*, et paulo ante dixerat: *Repulit tabernaculum Silo*. — **Verum** in meridie oportet cœcutiat quisquis hanc interpretationem comminiscitur; nam 1. *Paralip.* cap. 13. Legimus: *Ascendit David, et omnis Israël ad Collem Cariathiarim, qui erat in Juda, ut afferrent inde arcam Domini Dei, etc.* igitur tunc arca illa non erat in Silo: imo inde plusquam 80. annis ante fuerat deportata, ut refertur, 1. *Reg.* 4. dum videlicet capta fuit a Philisthæis.

Hoc effugio depulsi, aliud quærunt in Rege Jeroboam, quem ajunt in Silo coronatum, et a tribu Juda in tribum Ephraim, e qua genus ducebat, sceptrum transtulisse; decem enim tribus a Regibus Juda, ad Jeroboam defecerunt. — At cœcutientium hoc est effugium, qui qua

effugiant non vident. Nam Jeroboam non est creatus Rex in Silo, sed in Sichem, ut colligitur ex 3. *Reg.* 12. *Deinde* Jeroboam non abstulit regnum Regibus Juda; quamvis enim decem tribus illum secutæ fuerint; Reges tamen e tribu Juda ad captivitatem usque Babylonicam Reipub. clavum tenuere. *Præterea,* ut jam supra diximus, non habetur in vaticinio: non auferetur sceptrum, donec aliquis veniat in Silo, sed: *donec veniat Siloh.* — Aliud diverticulum quærunt aliqui, contendentes nomine *Siloh* significari Ahiam Silonitem, qui 3. *Reg.* cap. 11. occurrens Jeroboam scidit pallium suum in duodecim partes: *Et ait ad Jeroboam: Tolle tibi decem scissuras, hæc enim dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus.* Ita quod contendant verba illius vaticinii esse, quod sceptrum Israëliticum permansurum esset in tribu Juda, donec veniret ille Propheta Silonites. — **Verum** incidunt in Syllam cupientes vitare Charibdin: nam vaticinium aperte significat hominem nomine *Siloh* expressum, non vero aliquem ex viculo Silo oriundum. *Insuper,* licet per illius Ahiæ vaticinium, imminutum fuerit ac divisum imperium, et regnum cui præerant Reges ex tribu Juda oriundi; tamen ab ea non est ablatum omnino sceptrum; imo in ea perseveravit plurimis annis, nec esse desiit, nisi diutissime post extinctum omnino Regnum Israëliticum, quod, juxta vaticinium Ahiæ, Jeroboam fuerat auspicatus.

His itaque omnibus effugiis præclusis, ut istius oraculi veritatem, et efficaciam elevent, recursum habent ad infestissimum Judaici nominis hostem et expugnatorem Nabuchodonosorem, qui ad delendos Judæos missus est, et a Deo destinatus. — **Verum** ita cœcutiunt, et divino nomini sunt rebelles, ut non animadvertant sceptrum Judæ non esse ablatum a Nabuchodonosore; cum post captivitatem Babylonicam, Principes e tribu Juda, ut Zorobabel, et alii, Reip. Israëliticæ gubernacula tractarint. *Præterea,* nec de hoste, Judæorumque eversore Nabuchodonosore, sed de Messia, Jacob vaticinabatur, ut Chaldæus Paraphrastes docet: nec Nabuchodonosor *Siloh* dici potest, idest, *missus* sive mittendus, per antonomasiam, sic enim hoc loco nomen *missus,* sive *mittendus*, intelligendum est per excellentiam usurpatum, quia sine ullo additamento ponitur, quasi dicat Jacob: non auferetur sceptrum, donec veniat ille mittendus per antonomasiam; ille desideratus, ille longo desiderio optatus, ille expectatio gentium. *His adde,* quæ sequuntur, non Nabuchodonosori, sed Christo convenire: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum, etc.* Quibus verbis passio Messiæ ænigmatice adumbratur. *Insuper,* ait *Barradius:* quid sanctissimo Patriarchæ cum impio Nabuchodonosore, ut de illo in extremo halitu vaticinia ederet, populique sui, et Judæ, quem laudabat, eversorem missum a Deo, et gentium expectationem appellaret? Aliæ erant sanctissimi Jacobi cogitationes, alia suspiria, de mundi illo Redemptore, non de eversore; de misso a Patre ad servandos Judæos, non de impulso a superba dominandi cupiditate ad trucidandos; de optatissimo Redemptore, non de formidabili, atque execrando oppressore; de Rege cæli, non de Rege Babylonis; de Messia, non de Nabuchodonosore cogitabat. Messiam suspirabat, Messiam loquebatur, Messiam expectabat, unde illud ex imo pectore votum: *salutare tuum expectabo, Domine:* quæ verba sic explanat præclare

Chaldæus Paraphrastes: « salutare tuum expecto, Domine, dixit Pater « noster Jacob, non expecto salutare Gedeonis filii Joas, quæ est salus « temporalis; neque salutare Samsonis filii Manue, quæ est salus tran- « sitoria: sed expecto redemptionem Messiæ filii David, qui venturus « est ad accersendum sibi filios Israël, cujus redemptionem desiderat « anima mea. » Hæc ille, ex quibus est compertum, tum sancti Patriarchæ desideria Messiam spectasse, tum Messiæ salutem non esse temporariam, belloque partam, sed æternam, sanguine effuso comparatam.

Non desunt qui recurrant ad nugatorias versiones prælati oraculi, quibus illius sensum depravare nituntur. Aliqui enim legendum volunt non *auferetur*, vel *recedet tribus de Juda, et dux de fœmore ejus, donec veniat Messias*. Sic autem vertitur, eo quod dictio Hebræa *scebeth*, aut *sceveth*, quam *virgam*, sive *sceptrum* interpretamur, non solum sceptrum significet, sed etiam Tribum. – At versio ista Messiam quoque venisse confirmat. Etenim ablata jam est Judæ tribus, et dux de fœmore ejus, ex terra repromissionis: ergo jam Messias venit.

Sunt *præterea* nonnulli, qui de sceptro tyrannorum vaticinium intelligendum putarunt, ita quod sit hic sensus: *Non auferetur sceptrum tyrannorum de Juda, donec veniat — Messias*. At perspicuum commentum est, tum quia multorum annorum spatio post obitum Jacob, tribus Juda principatum obtinuit, et ab omni tyrannorum principatu libera fuit: tum quia Jacob de sceptro tyrannico non loquitur, sed de sceptro Judaico, ut verba plane ostendunt: *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de fœmore ejus, etc.*

Addunt denique Judæi, non auferendum sceptrum de tribu Juda, ut detur alteri Israëliticæ tribui, donec Messias venerit. — *Verum*, ait Barradius, quis non videat hanc responsionem a vaticinio longe aberrare? Quid? Auferetur sceptrum, ut detur alienigenis, non auferetur, ut detur alteri tribui. Novum Prophetam esse oportebat, qui novum vaticinium veteri adderet: at nihil minus, quam Prophetæ sunt Judæi. Verus ergo sensus est, quem jam proposuimus: non auferetur imperium, et principatus a Juda, donec veniat Messias. Ablatum principatum inficiari nequeunt Judæi; ergo fateantur necesse est, Messiam jam venisse. His adde, quod peritissimi quique Judæi istud oraculum aperte de venturo Messia explicent, ut maxime patet per Targum, id est, per Chaldaicam Rabi Onkelos translationem, nec non per Jonatham alterum Chaldaicæ paraphrasis auctorem: idem aperte significat Paraphrastes Jerosolymitanus. Similiter in Talmud tractatu de *Sanhedrim* cap. 9. ubi agitur de nomine Messiæ, refertur, quod discipuli *Rabbi*, Schela docent, quod illius nomen erit Siloh, sicut dictum est *Genes.* 49. Pariter in *Bereschil Rabba*, idest, veteri commentario super Gen. explicans hæc verba *donec veniat Siloh*, ait: *Iste est Messias, et ad eum congregabunt se gentes, quia ipse judicabit totum orbem: et hoc est, quod dictum Micheæ* 4. *Et judicabit inter gentes, et arguet populos multos, etc.* Idem etiam constantissime docent R. Salomon Jarchi, et R. Kimki in libro *Serassim*, et plures alii celebres Judæorum Doctores. Ex quibus omnibus constat, vaticinium istud Jacobi de vero Messia esse intelligendum; et ideo perperam a Recentioribus Judæis prælata oraculi verba alium in sensum detorqueri.

Hinc alii Judæi peritiores nobiscum sentientes, ista verba de Messia esse intelligenda, aliud sibi effugium quærunt, ut probent præfatum Messiam ibi designatum non esse Jesum Nazarenum.

§ II. — Secundum Judæorum effugium, *contendentium Messiam, vel nondum venisse, vel nequaquam fuisse venturum, vel ejus adventum longe præcessisse Nativitatem Jesu Nazareni.*

Reponunt igitur aliqui cum *Rabbi Mose Ægyptio,* apud Burgensem 1. part. Scrutinii dist. 3. nondum defecisse sceptrum Israëliticum, nec ablatam esse regiam dignitatem de tribu Juda, siquidem capita transmigrationis, quæ remanserunt in Babylone, adhuc auctoritate quasi regia dominantur in Judæos sibi subditos. Addit *Rabbi Benjamin* in suo itinerario, se varias orbis terrarum partes peragrasse, et in plurimis regnis invenisse incolas, Judaicam religionem servantes, ac præscriptum in lege cultum per omnia Deo publice impendentes; imo unum potentissimum regnum perlustrasse, cujus Rex oriundus ex stirpe David tot divitiis, tantaque auctoritate ac virtute pollet, ut trecenta hominum millia possit ad arma colligere. — **Verum** quis tantillum in historiis gentium, et cosmographia peritus, non videat narrationes istas pura, putaque esse Judæorum figmenta, et pueriles nænias, quas nullo negotio dissolvere quilibet potest? Quantum ad primum caput, aperte constat post expugnatam a Vespasiano et Tito Judæam ac Jerusalem, Judæos nec in Babylone, nec ullibi terrarum ullam supremam auctoritatem in suos contribules obtinuisse. Fateor equidem, quod cum post expugnatos, ac funditus dejectos Judæos plurimi in Babylonicam civitatem et provinciam sese recepissent, eis permissum fuerit seligere, et habere unum ex suis, qui aliorum caput esset et rector in iis maxime, quæ ad negotiationem et religionem spectabant: at Rector iste nec semper erat oriundus ex tribu Juda, nec sceptrum tenebat, nec regiam auctoritatem obtinebat; imo cum aliis sub Califæ Babylonici dominio lugebat: unde non Rex, sed dumtaxat appellabatur *Patriarcha,* eo scilicet nomine, quo nationum Principes donantur: 1 *Paralip.* 8. ubi de Filiis Benjamin dicitur: *Hi Patriarchæ, et nationum Principes, qui habitaverant in Jerusalem.* His adde, quod circa decimum sæculum, hæc qualiscumque dignitas et auctoritas, qua Judæi potiebantur in Babylonica ditione omnino extincta fuerit, ac Judæornm Scholæ et Academiæ omnino eversæ a Persis Califarum Babylonicorum dominationem et Imperium vastantibus. Oportet ergo fateantur Judæi saltem illo tempore ablatum fuisse omnino sceptrum a tribu Juda, ac proinde eos frustra Messiæ adventum præstolari. — Quantum autem ad narrationem *Rabbi Benjamin,* dico illam non minus fabulosam esse, quam plurima alia, quæ in Itinerario suo colligit et refert. Enimvero si talia regna extarent, quibus soli imperarent Judæi, quomodo hæc Christianorum, Turcarum, aut Persarum nullus aliquando detexisset, hoc ipso præsertim tempore, quo remotissimæ, et hominibus prius ignotæ nationes Americanæ, et insulares compertæ sunt, et deprehensæ? qualiter solus ipse Benjamin ad hæc penetrarit, nec ullum habuerit itineris socium, qui eadem cum ipso narraret? Quomodo Judæi omnes, qui per Asiam, Africam, Europam palantes sub duræ captivitatis jugo gemunt, non sese recipiunt in ista præstantissima regna, quibus summa pace, libertate, ac

honorum copia donarentur? Quomodo tandem factum est, ut nullus ex illis florentissimis regnis Judæus aliquando ad nos adventarit, ut quid in eis geratur aperiret? Forte quia, ut narrat Benjamin, die dumtaxat sabbati aditus pateat ad ista regna, duabus ingentis magnitudinis arboribus mutuo suo complexu iter præbentibus per fretum, quod inter regna ista, et aliarum terrarum continentem interjacet, ne quis accensum ignem etiam in eis a longe possit detegere, nec ad ista regna pervadere. Quæ omnia certe commentitia sunt, et fabulosa. Aptissime igitur Judæis convenit, quod ait Æschines Orator: *Vanos homines cum aliquid mentiuntur, quædam minime definita, et obscura loqui, ne redargui possint.* Cui consonat Hebræorum illud Proverbium: *Qui vult mentiri, procul faciat testes suos.*

Reponunt alii promissiones venturi Messiæ dumtaxat esse conditionatas. Unde sic ratiocinantur: non potest inferri impletio promissionis, quæ facta fuit sub conditione ponenda, quando illa conditio revera non fuit posita: sed Christi adventus promissus est sub conditione ponenda, quæ non fuit posita: igitur illa promissio facta de venturo Christo non infert ipsum advenisse. *Major* constat. Probatur *minor:* Messias repromissus non solum ortum ducere debebat ex tribu Juda, sed etiam ex semine David, ejusque imperium in perpetuum prorogare, ut ipsemet David testatur Psalm. 131. *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam, etc.* Cui concordat illud Lucæ 1. ubi de eodem Messia dicitur: *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus sedem David Patris ejus:* sed Messiæ ortus ex semine David, et davidici imperii prorogatio usque ad illius Messiæ nativitatem, pendebat ab aliqua conditione, quæ non fuit posita, nempe facta fuit ex hypothesi, quod Davidis posteri cultores essent divinæ legis, ut ipsemet David indicat eodem Psalmo, dicente Deo: *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc, quæ docebo eos, et filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam.* Constat etiam ex oratione Salomonis, qua 3. Reg. c. 8. Deum ita precatur: *Nunc igitur Domine Deus Israël, conserva famulo tuo David Patri meo, quæ locutus es ei.* 3. Reg. 8. per Nathan dicens: *Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israël; ita tamen, si custodierint filii tui, ut ambulent coram me, sicut tu ambulasti in conspectu meo, etc.* Sed tantum abest, ut filii David ad sæculum usque legem divinam exacte servaverint, imo Salomon ipse vix per triginta annos fidelis extitit: nam prioris in Deum observantiæ prorsus immemor, ad idololatriam deflexit, quem exinde imitati sunt omnes illius posteri, dicente Scriptura sacra Eccl. 48. *Præter David, Ezechiam, et Josiam omnes peccatum commiserunt, nam reliquerunt legem Altissimi Reges Juda, et contempserunt timorem Dei: dederunt enim regnum suum aliis, et gloriam suam alienigenæ genti:* ergo nedum peccaverunt, sed et in criminum vindictam a regno exciderunt. — **Verum** ex his solum inferre licet, quod sceptrum Judaicum a familia Davidica, propter peccata debuerit excidere, non autem quod omnino defecerit ex tribu Juda: regendi nempe auctoritas, sub his conditionibus, repromissa quidem fuerat familiæ Davidicæ, non vero tribui Judæ, ut constat ex verbis vaticinii.

Reponunt alii duos Christos, seu Messias esse promissos: alterum

in quem conveniunt abjecta quæque, et humilia de Christo prædicta sacris in Libris: alterum cui splendida, et magnifica omnia de eodem nuntiata tribuunt. Priorem nominant *Messiam filium Joseph:* posteriorem *Messiam filium Davidis.* De utroque meminit R. *Selomoh* in Commentario ad Isaiæ cap. 24. et 28. *Qui effugerit,* inquit, *gladium Messiæ filii Joseph, incidet in gladium Messiæ filii David.* Dicunt insuper Messiam filium Joseph in certamine Gog, et Magog interficiendum esse, sed resuscitandum per virtutem alterius Messiæ filii Davidis, qui redimet Israël, et ejus regnum restituet: concedunt quidem primum jam advenisse: secundum autem adhuc venturum expectant. — **Verum** hoc capitale Recentiorum Judæorum effugium facile præcluditur; Scriptura namque nullibi duos Messias commemorat, sed ejusdem duplicem adventum, alterum quidem, ut Redemptoris in humilitate: alterum vero in majestate, ut Judicis. Quod utique egregie prænuntiat Isaias cap. 35. et 62. ubi prædicit Messiæ contemptum, occisionem, resurrectionem, et omnium populorum ad ipsum conversionem. Necnon et Zacharias cap. 9. ubi ait: *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus, et Salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli: et loquetur pacem Gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ, etc.* Quibus verbis Propheta aperte significat eumdem Messiam, qui pauper, abjectus, et humilis prædicitur, fore Redemptorem, Salvatorem, Regem, et Dominatorem totius mundi. — *His adde* quod Talmudistæ hunc ejusdem Messiæ duplicem adventum agnoverint: nam ut narrat Galatinus lib. 4. cap. in *Midras Coheleth,* idest in expositione Ecclesiastici, super illud, *nihil novum sub sole,* R. Barachias dixisse fertur: *Redemptor ultimus revelatus est, et revertetur qui occultatus est.* Id ipsum etiam habetur in libro *Tanhuma,* ubi duplicem Messiæ adventum colligit ex Psal. 126. maxime ex his verbis secundum editionem Hebraicam: *Dum converteret Deus captivitatem Sion, eramus tamquam somniantes. Hinc implebitur risu os nostrum, et lingua nostra cantu:* quæ verba sic ibidem exponuntur: « dum sub« strahet se Messias, ne sit in auxilium filiorum Israël, erimus « omnes veluti somniantes, non dormientes, nec vigilantes. Quando « vero revertetur, ostendetque seipsum eis, tunc implebitur risu os « eorum, eruntque gaudentes, et verificabunt primum adventum ra« tione hujus secundæ ostensionis: et dicent: magnificavit Deus fa« cere pro nobis »: futilis est ergo, et omnino fictitia Recentium Judæorum de duplici Messia assertio.

Reponunt nonnulli, sceptrum ex tribu Juda penitus ablatum fuisse tempore Babylonicæ captivitatis: igitur vel Messias pridem venisse putandus est: vel ex præfato vaticinio non potest certo ejus adventus colligi. Probatur *antecedens* ex ultimo cap. Paralip. et ultimo Reg. ubi refertur qualiter vastata Judæa, et Jerusalem una cum templo igne consumptis, omnes Judæos in Babylonem una cum suo Rege captivos traduxerit Nabuchodonosor. Tum ex vaticinio Jeremiæ, cap. 22. qui Jechoniæ Regi prædixerat, post vastationem Judæorum a Nabuchodonosore, non esse futurum virum, *Qui sedeat super solium David,*

et habeat ultra potestatem in Juda. Tum denique ex Danielis 3. v. 38. *Non est in tempore hoc Princeps, et Dux, et Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, etc.* — **Verum respondeo primo**, tempore captivitatis non penitus extinctam fuisse regiam Judæorum potestatem et auctoritatem, quamquam aliquandiu suppressa et oppressa fuerit: legimus enim ultimo cap. Reg. *Quod sublevavit Evilmerodach, Rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachim Regis Juda de carcere; et locutus est benigne, et posuit thronum ejus super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone. Et mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, et comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ et dabatur ei a Rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ suæ.* — *Respondeo secundo,* durante ista captivitate non extinctam fuisse, nec penitus ademptam a Judæis judiciariam et legislativam auctoritatem, cujus tamen ablatio alterum erat adventus Messiæ certum indicium in Jacobi vaticinio designatum; nam illo tempore penes Judæorum Judices et Legislatores vigebat adhuc auctoritas reos damnandi ad mortem, ut constat ex Historia Susannæ, *Danielis* cap. 13. ac proinde illo tempore non debuit venisse Messias, cujus dumtaxat adventus futurus erat post ablatam utramque auctoritatem, nempe regiam et legislativam. — *Adde quod* non ita diu post mortem Regis Joachim Zorobabel ex tribu Juda, et regio sanguine oriundus, populi Judaici præfecturam obtinuerit, et delegatus fuerit a Cyro Persarum Imperatore post captam Babyloniam, ut Templum Jerusalem ex integro restauraret, ut legitur 1. *Esdræ* cap. 2. Non ergo penitus ablatum fuit sceptrum de Juda, neque dux de fœmore ejus in captivitate Babylonica.

Urgent: A soluta captivitate Babylonica ad Nativitatem Jesu Nazareni intercesserunt anni ferme 500: at in illo intermedio tempore non præfuit, nec imperavit Judæis aliquis ex tribu Juda; nam brevi post Zorobabelem, Esdras, qui erat Sacerdos, et ex tribu Levi, supremum in Judæos, e captivitate ad propria dimissos, principatum obtinuit, ut legimus 1. *Esdræ* cap. 7. Ab eo autem usque ad Machabæos nulli quidem referuntur in Scriptura Judæorum præfecti: verisimile tamen est tunc temporis imperasse summos Sacerdotes usque ad *Hasmonæos,* seu *Machabæos,* qui erant Sacerdotalis ordinis, et Levitici generis: igitur tunc penitus ablatum fuit sceptrum ex tribu Juda: et subinde necessum fuit venisse Messiam paulo post solutam captivitatem, illumque Messiam repromissum, fuisse vel ipsum Esdram, vel Nehemiam, qui, ut legitur 2. Esdræ, impetratis ab Artaxerxe regiis litteris Jerosolymam civitatem, ejusque muros restituit. — **Huic instantiæ.** quæ capitalis est Recentium Judæorum varie respondent Catholici Doctores: aliqui enim reponunt cum S. Cyrillo lib. 18. *contra Julianum,* semper aliquos extitisse ex tribu Juda, qui auctoritatem exercerent in Judæos, etiam Machabæorum tempore, quamquam propter Persas Regio Diademate non uterentur, quia eo tempore major auctoritas in Pontificibus residebat: *Quomodo,* inquit, *cessasse dicitur regnum David in Sedecia, cum Zorobabel post captivitatis tempus in regni solio consederit, fueritque de tribu Juda, et David, transmissumque sit sceptrum per posteros illius usque ad regnum Herodis, qui fuit ex Patre alieni-*

geno? — *Respondent alii cum Genebrardo* lib. 2. *Cronologiæ*, Machabæos fuisse oriundos ex tribu Juda secundum lineam paternam. Unde cap. 5. libri *Machabæorum de Machabæis* dicitur: *Et viri Juda magnificati sunt valde.* Verum cum Machabæi fuerint Sacerdotes, certum est eos non potuisse originem ducere ex tribu Juda: siquidem S. Paulus ad Hebræos 4. negat Sacerdotium posse pertinere ad eos, qui erant de tribu Juda, quod simpliciter et absolute intelligendum est, hoc est, secundum paternam originem, quocirca hæc responsio minus videtur sufficiens. — *Respondent nonnulli cum SS. Epiphanio* contra hæreses hæresi 22. Augustino lib. 13. *De Civitate*, cap. 45. necnon et cum Josepho lib. 13. *Antiquitatum Judaicarum* a cap. 15. Hebræorum traditionem esse, quod Machabæi ex tribu Juda oriundi erant secundum lineam maternam. Quam utique sententiam sequitur, et probat Baronius, initio tomi primi suorum Annalium, quadruplici ratione: *Primo* quidem, quia, ut referunt Josephus, et Philo, Tribus Judæ et Levi invicem matrimonia inire poterant, ut etiam Exodi 15. *De Aaron*, qui filiam Aminadab, nomine Elizabeth, in uxorem habuit. Similiter Jojada summus Pontifex, ut legimus 2. *Paralip.* cap. 22. nupsit filiæ Joram Regis Judæ nomine Jocabeth. Subjiciunt etiam aliqui connubium Elizabeth et Zachariæ matris Joannis Baptistæ. Verum hæc Lucæ 1. dicitur *de filiabus Aaron*, ac proinde ex tribu Levi. Igitur licet Machabæi secundum genus paternum fuerint oriundi ex Sacerdotali et Levitica tribu, idque de vice Jojarib, ut testatur Josephus lib. 12. *Antiquitatum*, cap. 8. nihilominus secundum genus maternum erant ex Tribu Juda. *Secundo*, quia qui erant ex tribu Juda, plerumque nomina propria Leviticæ tribui usurpabant, et vicissim ex tribu Levitica oriundi, appellabantur interdum aliquo nomine proprio tribui Judæ, ut videre est in Genealogia Christi; nam aliqui ex ejus progenitoribus appellantur Levi, Matathias, etc., constat pariter unum ex Hasmonæis Judam fuisse appellatum. *Tertio*, quia de Machabæis dicitur lib. 1. cap. 1. *Viri Juda magnificati sunt valde in conspectu Israel.* Ubi signanter appellantur viri Juda, non Judæ, quo significatur eos non a Juda duce, sed a tribu Juda sic nominari. *Quarto* denique, quia nisi Machabæi fuissent ex tribu Juda per lineam maternam, non potuissent absque tyrannidis et usurpationis nota supremam auctoritatem in Judæos sibi vindicare: igitur fatendum est eos ex tribu Juda ex parte mulierum esse oriundos. — *Verum* quam leves, et parum efficaces sint istæ rationes facile demonstratur. *Prima* quidem, quia Sacerdotibus et Levitis non solum licebat ducere uxores ex tribu Juda, sed etiam ex qualibet altera tribu, ut constat ex cap. 44. Ezechielis v. 22. ubi de Levitis et Sacerdotibus præscribitur: *Viduam, et repudiatam non accipient uxores, sed Virgines de semine domus Israel: sed et viduam, quæ fuerit vidua a Sacerdote, accipient.* Insuper gratis asseritur aliquem ex Machabæorum progenitoribus nupsisse mulieri ex regio sanguine, nulla siquidem auctoritate, nulloque testimonio id suadetur. *Præterea* maternum genus pro nullo habetur inter Hebræos, nec cujusquam genealogia per mulieres contexta legitur: igitur quamvis Machabæi essent ex tribu Juda secundum lineam maternam, id non sufficeret, ut ad eos jus regni proprie spectaret: nec

consequenter, ut Judaicum sceptrum propagaretur. *Denique* idcirco lib. Numerorum 36. Deus statuit, ut Israeliticæ mulieres *nubant quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus, ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum; omnes enim viri ducent uxores de tribu, et de cognatione sua, et cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient; ut hæreditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, ut a Domino separatæ sunt:* sed si ratione lineæ maternæ, et ex inito cum uxoribus Judaicæ tribus connubio, Machabæi supremam in Judæos potestatem fuissent adepti, migrasset cum uxoribus hæreditas omnium maxima, nimirum suprema regendi ac imperandi potestas: igitur hac ratione Machabæi censeri non possunt, nec ex tribu Juda, nec in illa tribu Judaicum sceptrum propagasse. — *Nec refert,* quod Christus solo materno genere tribum Judæ contigerit. Hoc enim ei fuit peculiare, quoniam ex sola Virgine absque ullo virili opere formatus est. Unde oportuit, ut ratione matris ad tribum Juda spectaret, aut quod ex illa tribu propagatus non esset dicendus. — *Secunda ratio* etiam minus est efficax, non enim apparet quamlibet tribum habuisse sibi peculiaria ac propria quædam nomina. *Adde quod* unus ex Hasmonæis appelletur Jonathas, quo nomine appellabatur filius Saul primogenitus, qui tamen erat ex tribu Benjamin. — *Tertia ratio* pari facilitate refellitur: fieri enim potest, quod hæc vocabula, *viri Juda,* significent aliquos bellatores ex tribu Juda oriundos, qui sub ducibus Hasmonæis strenue ac feliciter pugnabant: aut, quod verius est, significant viros militares, quibus ipse Judas et fratres ejus imperabant. Ibi enim celebrantur Machabæi, et eorum milites supra quosdam Sacerdotes et Levitas, qui Machabæorum gloriæ et victoriarum æmuli, temere, et sine consilio prælium cum alienigenis ineuntes ceciderant: de iis namque dicitur: *Non erat de semine eorum per quos salus facta est in Israel.* Unde statim de Machabæis subditur: *Viri Juda magnificati sunt valde in conspectu Israel. Adde quod* editio Græca, quæ primaria est et originalis librorum Machabæorum, expresse habeat: *Viri Juda, et fratres ejus.* — *Ad quartam* rationem dico Hasmonæos non sibi vindicasse supremam auctoritatem in Judæos ratione successionis ac jure hæreditario, sed dumtaxat jure belli, ac titulo victoriæ, necnon et zelo tuendæ religionis. Cum enim ipsi primi adversus Antiochum Epiphanem restitissent ac pugnassent, et jugulassent eos, qui Israelitas subdito captivitatis jugo detinentes, etiam eos ad idololatriam impellebant; inde factum est, ut omnes Israelitæ, quibus libertas et religio cordi erat, eorum exemplo excitati adversus suæ religionis, et patriæ hostes ad arma concurrerint, et Machabæos, quos habuerant sacri belli promotores, etiam exercitus Duces, necnon et suæ reipublicæ Protectores et Rectores agnoverint. — Quod autem hoc regnandi jus sibi non arrogaverint, nec aliquo successionis jure existimaverint esse debitum, constat ex eo, quod defuncto Juda, Jonathas frater ejus non prius principatum assumpserit, quam ei delatus fuisset, per electionem Judaici populi, qui dixerunt Jonathæ lib. 1. *Machab.* cap. 1. *Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros Bacchidem, et eos, qui inimici sunt gentis nostræ. Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in Principem et Ducem ad bellandum bellum nostrum.*

Subditur: *Et suscepit Jonathas tempore illo principatum, et surrexit loco Judæ fratris sui.* Maxime autem notandum est electionem et promotionem illam nonnisi diu post mortem Judæ factam fuisse, ut colligere est ex antecedentibus: nam defuncto Juda, et priusquam ei sufficeretur Jonathas, plurima referuntur gesta, tum a Judæis quibusdam nefariis hominibus, tum a Bacchide intensissimo Judæorum hoste, silentibus, nec sese opponentibus Machabæis, qui erant superstites, quod signum est eos Israeliticum principatum non existimasse aliquo jure sibi debitum: nam cum summus eis patriæ ac religionis tuendæ inesset amor, haud dubie statim defuncto Juda Jonathas cum armatis militibus sibi subditis aggressus fuisset Bacchidem, eumque expugnasset, sicuti fecisse ibidem legimus statim ac electus et designatus fuit Princeps. Alia igitur quærenda et assignanda est ratio, qua demonstretur, quod etsi post captivitatem Babylonicam, quotquot ferme Principes in Judæa extiterunt, fuerint ex tribu Levitica, nihilominus revera propagatum fuerit sceptrum Judaicum eo sensu, quo prædixerat Jacob usque ad ipsam Christi Domini Nativitatem. Quocirca

Respondent alii moderniores Theologi, per vocabulum *Judæ* non intelligi dumtaxat tribum Judæ, sed universum Hebræorum populum, et totam Jacobi progeniem: ita quod non esset auferenda regia et legislativa potestas a filiis Jacob, seu ab omnibus omnino tribubus Israelitarum, quin prius Messias venisset. — *Verum* hæc sententia (etsi probabilior appareat) nihilominus non videtur cohærere cum genuino vaticinii sensu. *Primo* namque ibi Jacob cuilibet a suis filiis pronuntiat, quæ speciatim ac peculiariter eorum posteris ventura erant: igitur dum Judæ denuntiat, quod non prius ab eo auferendum sit sceptrum, et dux de tœmore ejus, sive Legislator de medio pedum ejus, quin Messias venerit, non ad universam suam progeniem, sed dumtaxat ad Judæ posteros ista verba dirigit, alioqui, nihil quod esset peculiare Judæ designasset. *Secundo*, paulo ante præfata vaticinii verba, Jacob Judam alloquens ait: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii Patris tui;* quæ certe verba non possunt ad universos Israelitas dirigi; alioqui sensus esset, quod mutuo ac sese invicem Israelitæ essent laudaturi et adoraturi, quod certe prorsus ridiculum esset et ineptum: et subinde hæc verba ad solum Judam, ejusque affines censetur directa: igitur et quæ consequuntur de solis Judæ posteris sunt intelligenda. *Adde quod* non potius dixisset Jacob, non esse auferendum sceptrum de Juda, quam de Israelitis, cum æque facile Israelitarum nomen, ac Judæ pronuntiare potuisset, nisi hujus oraculi sensum, et veritatem ad solum Judam ejusque affines pertinere censuisset. *Tertio*, nullibi in Scriptura reperies universam Jacobi progeniem *Judæ* nomine designari: appellantur equidem interdum *Israelitæ*, quoniam omnes ortum ducunt a Jacobo, qui dictus est *Israel:* nulla vero alterius tribus nomen et appellationem sibi vindicat; sed unusquisque Israelitarum sibi attribuit nomen illius Patriarchæ, a quo fuit propagatus. Hinc alius dicitur filius Ruben, alius filius Levi, etc. ut videre est 1. *Paral.* ubi refertur Israelitarum genealogia, maxime eorum, qui erant majores natu, et familiarum capita usque ad Patriarchas, a

quibus sunt geniti. Alius igitur investigandus est præfati oraculi sensus, aliaque illius subjicienda explanatio, qua appareat revera non fuisse ablatum sceptrum de Juda donec Jesus Christus Dominus noster verus Messias nasceretur: quamquam regia, ac ducalis dignitas a Judæ posteris ad posteros Levi ferme per 500. annos convolaverit. Quod utique pro modulo nostro præstare nitemur in sequenti §.

§ III. — *Qua ratione constet sceptrum non fuisse ablatum de Juda donec Christus nasceretur.*

Ut editi a Jacobo prætati vaticinii, qua nobis videtur genuina interpretatio, clarius, ac distinctius appareat: hic e limine *notandum* est Jacobum non unicum dumtaxat, sed duo distincta, eaque notissima Messiæ venturi indicia prænuntiasse. *Primum*, quod non esset auferendum sceptrum de Juda: *Secundum*, quod dux, aut Legislator non esset amovendus, antequam Messias venisset: igitur ut istius vaticinii veritas appareret, utraque hæc auctoritas, nempe regia ac legislativa prius auferri debuit a Juda quam Messias advenerit: ita quod ejus adventus tempore, nullus ex Judæis imperaret, nullusque supremam judiciariam, ac legislativam auctoritatem exerceret.

Observandum secundo, judiciariam ac legislativam auctoritatem fuisse notissimam apud Judæos, et maxime repositam penes eorum Senatum, quem appellabant *Sanhedrin*, cujus Senatus institutio divina auctoritate facta legitur Numerorum cap. 12. ubi refertur, quod cum Moyses mandante Domino elegisset Septuaginta Seniores, qui sibi forent administri in regendo Israelitico populo, eosque stare jussisset circa tabernaculum: *Descendit Dominus per nubem, et locutus est ad eum* (Moysem) *auferens de Spiritu, qui erat in Moyse, et dans Septuaginta Viris: cumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.* Hi autem Septuaginta Seniores Judicum ac Legislatorum munus obeuntes, appellati sunt *Sanhedrin*, quos nos, inquit Galatinus lib. 1. cap. 5. appellare possumus *Judices ordinarios:* dicebantur quoque *Mehokekim*, idest, *Scribæ*, sive *legum Latores*, eo quod quidquid tradebant et scribebant, tamquam lex ab aliis habebatur. Quales autem esse deberent, qui ad eam dignitatem erant promovendi, docetur in libro *Sanhedrin* in capite, *Dine mamonoth*, idest judicia divitiarum, ubi sic legitur; *Dixit Rabbi Johanam, non erant constituentes in* Sanhedrin, *nisi dominos sapientiæ, staturæ, et apparentiæ, ac senectutis, et dominos incantationum, necnon et scientes* 70. *linguas, ne oporteret eos interpretes alios audire.* Ubi glossa R. Salomonis sic ait: statura et apparentia in eis requirebatur, ut in honore et veneratione haberentur. Quod autem essent incantationum domini, ideo exigebatur, ut incantatores, et maleficos in suis maleficiis, et incantationibus confidentes convincerent, et ad mortem damnarent. Porro eis licitum erat ad quatuor mortis genera damnare, nempe ad lapidationem, ustulationem, occisionem, et strangulationem, ut habetur in libro *Sanhedrin* Babylonico. Addit *R. Akiba*, quod eo die, quo aliquem ad mortem damnabant, nihil omnino gustabant: nusquam autem quempiam damnabant ad mortem, nisi adessent viginti tres, quorum cœtus appellatur *Sanhedrioth*. Dum vero minora erant negotia judicanda, tres ex eis ad id sufficiebant. Res autem majoris momenti, ut cum esset auspicandum bellum licitum, leges generales ferendæ, aliquis

Pseudopropheta, aut Sacerdos magnus judicandus, etc. necessum erat negotium tractari a Concilio magno *Sanhedrin* ex 71. Judicibus. Dixi 71. nam licet a Moyse 70. tantum fuerint electi et designati, tamen cum eis Moyses præesset, consequens est, quod Concilium *Sanhedrin* constabat 71. Judicibus. Ipsorum etiam erat per singulas tribus et civitates Judices ordinarios et delegatos instituere, ut dicit R. Ismael: refert vero R. Juda, quod ad istam institutionem et delegationem, quæ fiebat per impositionem manuum, sufficiebant quinque Judices ex illis 71.

Observandum tertio, quod etsi Scriptura sacra non referat ex quibus tribubus assumpti fuerint illi 70. Seniores, qui Senatum Judæorum instituerent, an videlicet ex singulis tribubus aliqui, an vero indiscriminatim selecti sint illi, qui majori sapientia, ac morum gravitate ac probitate apud Israelitas celebrabantur, quod probabilius apparet ex his verbis cap. 11. Numerorum, quibus Deus Moysem sic affatur: *Congrega mihi Septuaginta Viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod seues populi sint, ac Magistri: et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam, et loquar tibi, auferamque de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris:* nihilominus verisimile est plurimos ex istis potissimum ex tribu Juda fuisse delectos; cujus indicium est, quod Moyses majori semper in æstimatione habuerit tribum Judam, quam alias, et illam cæteris prætulerit: illa namque prima omnium gradiebatur, et ad orientem Arcæ fœderis stationem suam figebat, ejusque Princeps, primus omnium munera coram Domino, tam suo, quam Judæ tribus nomine offerebat. Unde fit verisimile, quod ex illa potissimum tribu (penes quam Moyses noverat divinitus esse repositam futuram auctoritatem regiam) viros assumpserit, qui judiciariam ac legislativam auctoritatem in cæteros Judæos exercerent. Quidquid sit, saltem post divisionem regni Israelitici a regno Juda, maxime vero post captivitatem Babylonicam, certum apparet, plurimos ex tribu Juda fuisse ad eam dignitatem assumptos: quippe cum hæc tribus longe tribubus Levi et Benjamin, quæ simul cum ea unicum Judæ regnum instituebant, numerosior fuerit. Ac proinde convenientius erat, ut ipsa plures ex suis Senatores obtineret.

Observandum quarto, hunc Senatum *Sanhedrin* stetisse semper apud Judæos, etiam tempore captivitatis Babylonicæ, ut ipsimet Judæi fatentur in Paraphrasi Chaldaica Cantici Canticorum, ubi fit mentio illius *Sanhedrin*, quod erat in Babylone; nec certe qui Danielis cap. 13. v. 5. dicuntur *Seniores Judices, qui videbantur regere populum*, alii putandi sunt, quam Senatores illi ex Concilio *Sanhedrin*, penes quos dumtaxat reposita erat auctoritas damnandi ad mortem. Hic autem Senatus perseveravit usque ad Herodem Ascalonitam, qui, ut refert Josephus, a Romanis Judæorum regnum accepit, ut tributis præesset, et Romano pareret Imperio; neptemque Hircani Sacerdotis Magni, et Principis Judæorum, qui Alexandriæ Judæorum Reginæ filius fuit, et ex Machabæis originem traxit, et duxit uxorem. Et circumcidens se, ob regni et ejus amorem, factus est proselytus, et tandem eumdem Hircanum dolo occidit, eo quod diceret Regnum sibi deberi. Nam cum, Hircano ipso Pontifice a Parthis capto, Judæam nihil ad se pertinen-

tem, ab Augusto, et Senatu accepisset, regressum postea de captivitate Parthica eumdem Hircanum, una cum Antigono ejus filio, qui Patri in Pontificatu et Regno successerat, interfecit. Quotquot etiam Regia de stirpe prodierant, pariter interemit, propter illud Deuter. 17. scriptum, *De medio fratrum tuorum pones super te Regem:* omnesque libros, qui de Regum Genealogia inscripti erant, exuri fecit, ne ipse, aut filii ejus alieni a regno censerentur. Et inter alia, quæ crudeliter gessit, virum quoque sororis suæ Salomæ occidit. Et cum eam alii tradidisset uxorem, etiam et hunc necavit. Scribas quoque, et divinæ legis Doctores simili scelere interfecit, ut omnem a Judæis recuperandi regni modum, spemque auferret. Ita Josephus. Quare tunc proprie, et vere de tribu Juda regni sceptrum auferri cœpit, cum nemo de Regio genere remansisse crederetur. Tum etiam judiciaria potestas ab eis amota est, cum omnes *Sanhedrin* Herodes ipse jussit interimi. Quæ omnia Talmudistæ referunt. Nam quod Herodes ipse, et capita captivitatum Babyloniæ, et *Sanhedrin* ipsos destruxerit, habetur in *Bavabathra,* in capite *Hassutaphin:* idest Socii in negotiatione; ubi sic ad verbum dicitur: *Herodes surrexit, et occidit universos Rabbanan, idest, Magistros, reservato sibi solo Baba filio Bota, ut consuleret eum. Quodam vero die jussit eum accersiri ad se, et eruit ei oculos.* Et post pauca: *Homo iste extinxit lumen mundi, idest, Rabbanan, sicut scriptum est.* Proverb. 6. c. *Quia lucerna est mandatum, et lex lux.* Hæc omnia traditio. Ex iis satis aperte liquet, ait Galatinus cap. 6. tempore hujus Herodis, qui et capita Babylonis, idest, Machabæos, et judices ordinarios interfecit, sceptrum de Juda incepisse auferri. Nam quamvis alii postea Senatores ac Scribæ in eorum sortem et locum fuerint suffecti, attamen nulla auctoritate judiciaria pollebant: unde cum Pilatus eis postulantibus Christi Domini necem dixisset: *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum:* responderunt: *Nobis non licet interficere quemquam,* quia scilicet ab eis ablata fuerat suprema illa judicandi potestas. Quod autèm etiam defecisset auctoritas Regia, ipsi pariter confitentur, dicentes Pilato: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Igitur utraque hæc auctoritas cœpit auferri Judæis circa Christi nativitatem, quæ contigit duobus annis ante mortem Herodis Ascalonitæ.

Observandum denique, quod in schismate, seu partitione ac divisione auctoritatis et dignitatis Regiæ, quæ facta fuit inter Israelitas, dum decem tribus executientes durissimum jugum Regis Roboam, elegerunt sibi Jeroboam in Regem, qui novum instituit regnum Israel, perstiterunt sub Roboami imperio et regno, una cum integra tribu Juda, etiam universæ tribus Benjamin et Levi, ut apparet ex 3. Reg. 12. et 1. Paral. 11. ubi legimus, quod Roboam audiens a se defecisse decem tribus, *Convocavit universam domum Juda, et Benjamin centum octoginta millia electorum, atque bellantium, ut dimicaret contra Israel, et converteret ad se regnum suum.* Et infra v. 11. et 13. *Et imperavit super Judam, et Benjamin. Sacerdotes autem, et Levitæ, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum* (Roboam) *de cunctis sedibus suis, relinquentes suburbana, et possessiones suas, et transeuntes ad Judam, et Jerusalem.* Quibus constat Regem Roboam, et ejus posteros habuisse tres tribus sibi subditas, nempe Judam, Benjamin, et

Levi. — Porro hic maxime est observandum, quod ex tempore illius schismatis tres mox memoratæ tribus sicut unicum regnum Juda instituebant, ita et in unam tribum Juda videbantur coaluisse: quod utique satis aperte constat ex 3. Regum cap. 12. ubi dicitur: *Nec secutus est quisquam domum David præter tribum Juda solam;* quæ certe aliter cohærere non possent cum his, quæ ex 1. Paral. mox retulimus, nisi fateamur tribum Benjamin et Levi, tribui Judæ ita fuisse sociatas ac fœderatas, ut nullo post hæc, quam Judæ nomine appellarentur ac censerentur. *Confirmari* autem potest hæc nostra observatio, ex eo quod, etsi Roboami successores Reges imperaverint non solum tribui Judæ, sed etiam Benjamin ac Levi, nihilominus in omnibus Scripturæ locis quoties de eis fit sermo, dumtaxat appellantur *Reges Juda,* ut significetur tres illas tribus solo Judæ nomine fuisse designatas. Unde cum de tribubus decem ab Assyriorum Rege Salmanassaro longe extra fines Judææ deportatis loquitur Scriptura, sic illud expressit: *Iratusque est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos a conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodo:* at in hac tribu, regnoque Ezechiæ Sacerdotes et Levitæ remanserant; necnon et Benjamitæ, tum ex aliis complures idem hæserunt: igitur omnes tribus in Juda ita coaluerant, ut unicam dumtaxat tribum nomine Judæ appellatam instituere censerentur. Cujus quidem appellationis ratio non solum, ut existimo, petenda erat a dignitate, amplitudine, ac præstantia tribus Judæ supra tribum Levi et Benjamin, sed etiam ex eo, quod tres illæ tribus promiscue habitaverint. Quantum ad tribum Levi, id nemo revocabit in dubium: hi namque non habebant peculiarem sibi terræ portionem et sortem, in qua habitarent seorsim ab aliis assignatam, juxta illud Numerorum 18. *In terra eorum nihil possidebitis, neque habebitis partem inter eos.* Cum autem eorum ministerium ac famulatus esset ministrare in tabernaculo Domini, quod repositum erat in templo Salomonis; inde factum est, quod, ut supra ex 2. Paralip. cap. 11. retulimus, omnes Sacerdotes et Levitæ deserentes possessiones, quas habebant per singulas tribus Israel, transierint ad Judam, et Jerusalem, habitaverintque una cum Judæ posteris. — Idem etiam constat de filiis Benjamin, qui non tantum vicini erant tribui Judæ, sed etiam easdem civitates incolebant, maxime vero Jerusalem, quippe Judic. 1. v. 21. legimus: *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Benjamin, habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem usque in præsentem diem.* Idem autem refertur de filiis Juda, Josue 15. v. 63. ubi legimus: *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere: habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem:* et subinde Judæi, ac Benjamin permixtim habitare censebantur, etiam ante regni divisionem: quod multo facilius contigit post illam regni partitionem; maxime autem post solutam captivitatem Babylonicam; refert enim Josephus lib. 1. quod post ejus captivitatis solutionem omnes Israelitæ, quotquot e Babylone cum Zorobabele, et Nehemia reversi sunt in Palæstinam, indiscriminatim appellati fuerint *Judæi. Populus,* inquit, *universus Judæorum nomen obtinuit ex eo die, quo primum Babylone profecti sunt, ab Tribu Judæ: quæ cum prima in illa loca venisset, tam ipsi, quam tota Regio in eam*

cessit appellationem. Sic etiam nunc appellantur, ab illis nationibus, apud quas degunt, nulla amplius habita ratione ad eas tribus, unde erant propagati. Ex quibus omnibus constat omnes Israelitas, quotquot superstites post solutam captivitatem, Palæstinam incoluerunt, appellatos et æstimatos fuisse Judæos; et pro una eademque tribu Juda habitos. — *Ex his* itaque facile colligere licet auctoritatem Regiam non fuisse ablatam ex Juda, donec veniret Messias. Quamquam enim Machabæi plusquam 400. annis supremam auctoritatem usque ad Herodem Ascalonitam in superstites Israelitas tenuerint; nihilominus cum isti vulgari nomine Judæi censerentur, et earum tribus in tribum Juda quasi coaluisset, ac pro una eademque illæ tribus haberentur, hinc fit quod, eis imperantibus, non censetur sceptrum ablatum de Juda, quippe remanebat apud eos, qui Judæorum nomine, dignitate, ac sorte gloriabantur.

Reponet forsan: Nihil ergo Jacobus in suo vaticinio peculiare Judæ posteris denuntiabat, si Levitica tribus eodem quo Judaica dignitatis honore ac titulo erat illustranda. — **Verum respondeo**, id non esse consequens: quippe, ut mox dictum est, hanc dignitatem, et auctoritatem Machabæi non fuerant assecuti, nisi quia eadem illorum, ac Judæorum sors erat, et habitatio: ac subinde idem suæ Reipublicæ tuendæ ac regendæ debitum. *His addit* quod Jacobus signanter non dixerit: non auferetur sceptrum *de posteris Judæ*, quo significaret, sceptrum non prius a Judæ posteris esse auferendum quam veniret Messias: sed dumtaxat dixit: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, quod utique licet interpretari de terra, aut de gente Juda, ut sit sensus, sceptrum permansurum apud eos, qui terram tribui Judæ designatam incolerent, et unicam veluti gentem unicumque regnum cum Judæ posteris instituerent, donec adveniret Messias. *Nec refert* quod subjiciat, *nec Dux de fœmore ejus:* nam ut supra monuimus, vocabulum *Mehokek*, non solum *Ducem*, ut habet vulgata Editio, sed maxime *Legislatorem* significat, ut cæteræ Editiones ferunt; quo *Legislatoris* nomine significatur, ut diximus, Senatus *Sanhedrin*, penes quem summa erat auctoritas leges condendi. Vocabula autem *Mibben Ragelaiu* significant non *de fœmore*, sed *de medio pedum ejus:* quæ forte verba idem significare existimavit Vulgatus traductor, ac *de fœmore*, propter situm partium ad propagationem et generationem deservientium; quod utique Hebraicæ dictioni satis aperte quadrat. Quamquam existimem etiam probabile, Patriarcham Jacobum illis verbis, *de medio pedum*, vel ut ferunt aliæ Editiones, *de interpedes ejus*, allusisse ad judicialem consuetudinem, qua Scriba sedere solet ad Judicis, et Præsidis pedes, ac sententiam excipere; quæ etiam expositio traditur in libro *Bereschith Rabba*, sect. 98.

Dices forte, nostram hanc opinionem contrariam esse communi SS. Patrum ac Theologorum sensui, qui existimant, Machabæos ex tribu Juda secundum lineam maternam fuisse oriundos, et hac ratione, eoque nomine Judæorum sceptrum tenuisse. — **Verum respondeo** non ita communi SS. Patrum auctoritate in eis quæ ad Historiam et minuta, leviaque rerum genera spectant quemquam ita constringi, ut proprium judicium, dum aliud affulgerit, proferre non audeat. Sequenda quidem est, et cum veneratione excipienda SS. Pa-

trum concors sententia, in iis quæ ad fidei regulam, aut morum probitatem pertinent: at ab ea interdum recedere licet, maxime in illis, quæ ad Historiam spectant: nam, ut observat Torniellus ad annum 4018. § 9. innumera sunt exempla, in quibus a communi auctoritate Patrum discedere solent Theologi, et sacri Annalistæ. Etenim, ut ex illis exemplis unum proferam, quam multi Veterum Zachariam Joannis Baptistæ Patrem summum Judæorum Pontificem fuisse perhibent! quod tamen si quis nunc temporis assereret, sibilo et risu a peritis exciperetur. Dicendum ergo cum Vincentio Lirinensi capit. 39. *Antiqua SS. Patrum consensio non in omnibus divinæ legis quæstiunculis: sed solum in certa præcipue fidei regula magno nobis studio, et investiganda est, et sequenda.* — Nolim tamen hanc nostram opinionem SS. Patrum ac eruditorum Theologorum sententiis anteponere: neque etiam eo animo, aut ea mente illam proposui; sed dumtaxat, ut quæ mihi probabiliora videntur, aliis aperirem; quatenus et ipsi stimulentur ad evidentiorem (si Deus dederit) ejus difficultatis enodationem et explicationem investigandam et proferendam.

Si quid novisti melius istis
Candidus imperti; si non, his utere nostris.

Opponunt tandem Judæi: Quamquam hæc ita essent, inde tamen inferre non licet Jesum Nazarenum esse Messiam illo Jacobi vaticinio designatum: siquidem viginti octo ad minus annis ante ejus nativitatem ablatum fuerat sceptrum ab omnibus Israelitis per Herodem Ascalonitam Antipatris filium, qui ad suos posteros eodem Herodis nomine appellatos, aliquot annis servandum traduxit. Observandum enim est tres fuisse Herodes, quorum primus fuit ille *Ascalonita*, qui Hircanum cum ejus filio Antigono, qui patri in Pontificatu et regno successerat, interfecit: is etiam est qui infantes Bethlehemitas Christo nato crudeliter trucidari jussit: secundus vero Herodes cognominatus est *Antipater* superioris Herodis filius, qui adjudicante Cæsare in Galilæa patri successit: Archelaus vero frater ejus in Judæa: tertius autem Herodes vocatus est *Agrippa* hujus Herodis filius, atque primi nepos: igitur etc. — **Respondeo** *primo*, Prophetiarum eventa, non una aliqua temporis particula circumscribi, sed paulatin evoluta compleri; sic vaticinium Jacobi de auferendo sceptro pedetentim est impletum, ita ut quemadmodum homo morti proximus, quamdiu spirat et cum morte luctatur, dicitur mori: sic ablatio illa sceptri, ac regiæ et judiciariæ potestatis Judaicæ extinctio paulatim est expleta: et aliquanto ante Christi ortum inchoata tempore, ac deinde in pejus lapsum faciens, tandem in templi et urbis excidio sub Vespasiano Imperatore completum habuit exitum. **Respondeo** *secundo*, mihi probabilem videri eorum sententiam, qui contendunt Herodem, non solum regione, sed et origine fuisse Judæum: primo quia, ut Josephus scribit lib. 13. cap. 17. Idumæi pridem ante initum ab Herode regnum, Judæorum ritum et religionem professi fuerant, et Judæi facti: cum videlicet ab Hircano devicti circumcisi sunt, et legibus Moysi imbuti. Hinc Strabo partem Judææ Idumæam facit, et Herodem Idumæum, vocat Judæorum indigenam, seu vernaculum: et Ammonius scribit Idumæos appellatos fuisse Judæos, item Josephus lib. 14. cap. 14.

habet. Antipatrum, quando Julius Cæsar in Ægypto periclitabatur, placasse tumultum exortum inter Judæos in Ægypto commorantes, et illos qui e Judæa suppetias Cæsari advenerant: eo quod, inquit Josephus, ex eadem Gente cum ipsis esset. Denique Nicolaus Damascenus auctor gravissimus, Herodis contemporaneus, qui nedum Cæsaris Augusti vitam, sed etiam historiam universalem edidit 70. libris, ut ex Suida refert Voletarenus, diserte affirmat Herodem fuisse Judæum. — *Secundo:* idipsum etiam ratio suadet, si enim fuisset Idumæus, et a Judæorum stirpe alienus, cum esset audacia et ferocitate insignis, haud dubie Judaicum regnum adeptus, Judæos in Idumæorum ritus traducere conatus esset, parque Judæis rependere; nam, ut modo diximus, Joannes Hircanus anno quinto sui Pontificatus, et præfecturæ, cum Idumæos armorum vi subegisset, illos ad Judaicam religionem sectandam compulit: si enim Costabarus unus de primatibus Idumæorum Herodis gener factus, indignum existimabat Idumæos servire Judæis, quorum religionem, cogente Hircano, fuerant amplexati, et propterea, ut refert Josephus lib. 13. cap. 11. etiam sollicitabat et procurabat per Cleopatram Idumæam, ut priorem religionem resumerent: quid non egisset Herodes Rex, cui ad nutum Judæi obtemperabant, et Romani ad beneplacitum blandiebantur, præsertim cum sibi persuadere potuisset, id Romanis, a quibus regnum acceperat, tamquam a Judaico ritu alienis non ingratum futurum? — *Tertio,* idipsum indicat ferventissimus ejus zelus in religionem Judaicam, ut colligitur tum ex dicto Cæsaris, quod refert Macrobius libro secundo Saturnalium capite quarto: cum enim audisset filium Herodis jussu patris occisum, dixisse fertur; melius est porcum Herodis esse, quam filium; clare insinuans Herodem legis Mosaycæ ita zelatorem observantem, ut ejusmodi animalia lege prohibita occidi non permitteret: tum ex eo quod, quando Romanorum auxilio Jerosolymam cepit, totis viribus conabatur arcere Gentiles, hoc est, Romanorum milites, ab introitu templi interioris. Acerbiorem, inquit Josephus decimo quarto *Antiquitatum,* capite ultimo, et primo *De Bello Judaico,* capite decimo tertio, quam si victus fuisset, existimans sibi fore victoriam, si quid eorum, quæ videri fas non esset, culpa sua videretur in conspectu profanæ multitudinis. — Tum ex eo, quod Romæ solicitatus a Cajo Cæsare, ut aliquam gratiam haud dubie consequendam rogaret, omnibus suis spretis commodis, solum rogavit, ut statua, quam Cajus Cæsar jusserat in templo Jerusalem collocandam, ab eo tolleretur, ut refert Josephus libro primo. Tum denique ex eo quod, nullo suadente aut imperante, sed proprio motu actus, templum Jerosolymitanum multo quam antea augustius extruere voluerit, ut refert Josephus supra laudatus. — *Quarto,* si Herodes, qui postea tot annis universo imperavit Israeli, fuisset Idumæus, et de posteris Esau, sequeretur evenire oppositum ejus, quod prædixerat Dominus Rebeccæ, Jacob et Esau in utero gestanti: *Duæ Gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori. Genes.* cap. 25. Nec refert, quod subdatur cap. 27. ubi Isaac dixisset Jacob: *Esto Dominus fratrum tuorum, incurventur ante te filii matris tuæ:* Esauque dixisset: *Fratri tuo servies,* subdit protinus: *Tempusque veniet cum excutias, et solvas jugum ejus de*

cervicibus tuis: nam aliud est excutere a se jugum, uti fecerunt Idumæi, temporibus Joram Regis Juda, quando ab eo deficientes constituerunt sibi proprium Regem, ut legitur quarto Regum, capite octavo: aliud quod Idumæi aut eorum aliquis dominaturus esset Israelitis; id enim prædictis prænunciationibus omnino adversaretur. — *Quinto,* Herodianis, de quibus Matthæus cap. 22. affirmantibus Herodem esse Messiam, ipsum pariter Judæum origine publice fassos esse haud dubium est: alias facile convinci et confutari potuissent a Scribis et Pharisæis, qui in constantissima veritate habebant ex sacris Litteris, Christum ex stirpe David, ac proinde ex tribu Juda oriundum; quemadmodum colligi potest ex interrogatione facta a Christo Matthæi 22. *Christus cujus Filius est? Dicunt ei: David.* — *Sexto,* Hircanus summus Pontifex non ipsi filiam Marianne tradidisset in uxorem contra præscripta legis prohibentis connubia ineunda cum alienigenis, Deuteronomii decimo septimo capite, et Exodi 34. etc.

Dices, hanc sententiam omnibus fere sanctis Patribus adversari; omnes enim sancti Patres, Interpretes, aut Doctores unanimi calculo Herodem Idumæum aut Ascalonitam fuisse testantur. — **Respondeo,** ut supra juxta Vincentii Lirinensis regulam in libro contra hæreses c. 39. ubi de Patrum consensione sequenda ait: *Quæ tamen antiqua sanctorum Patrum consensio, non in omnibus divinæ legis quæstiunculis: sed solum in certa præcipue fidei regula, magno nobis studio, et investiganda est, et sequenda.* Quis autem non videat hanc de Herodis genere quæstionem ad res fidei non pertinere? — *Respondeo secundo,* neminem ex sanctis Patribus hanc difficultatem ex proposito discutiendam suscepisse, utpote qui gravioribus studiis essent intenti: sed tantum obiter eorum quidam dixerunt Herodem esse Idumæum, et alienigenam genere; quod proprie dictum et per exclusionem generis Judaici non arbitror esse intelligendum; sed tantum eo sensu, quo Barnabas Actorum capite quarto dicitur *genere Cyprius,* non quod non esset ipse Judæus; sed quia majores ejus, vel forte ipsemet habitasset in Cypro. Pari ratione Paulus dicitur Tarsensis, Actorum decimo, et capite vigesimo secundo ipsemet se *Romanum* appellat; non quod ex ea Provincia, et stirpe esset oriundus; quippe cum ad Romanos undecimo, et ad Philippenses tertio, Israëlitam se, *et de tribu Benjamin* esse profiteatur: unde manifestum fit genus non semper pro ipsa generationis origine, sed interdum quoque pro nativitatis, vel educationis, vel diuturnæ habitationis loco usurpari. *Nec refert,* quod Josephus Herodem Ascalonitam, et Idumæum genere nominet, et ideirco arguat mendacii et adulationis Damascenum, quod quasi Herodi adblandiens Judæum esse dixerit. Potius enim existimandum est a Josepho Judæo, et Sacerdote oppositum litteris fuisse consignatum in gratiam Judæorum, ac præcipue Sacerdotum, quibus Herodes ob summam crudelitatem et superbiam erat invisus, præcipue vero Sacerdotibus a quibus nedum regnum amoverat, sed et summum Sacerdotium a Machabæorum familia mortuo Hircano juniore, et cuidam Aneto Sacerdoti e Babylonia accito, et de Judæis olim extra Euphratem traductis nato, dederat, ne tanta dignitas in quemquam virorum illustrium perveniret, qui sibi posset obsistere. *Dicitur* autem Herodes *Idumæus,* vel quia ejus pater Antipater, et aliqui ex ejus majoribus

Idumæam incoluerant, et ut refert ipsemet Josephus, Antipas Herodis avus olim ab Alexandro Judæorum Rege, et postea ab ejus uxore Alexandra, quæ ei in regnum successit, Idumæorum Dux fuerat institutus: qua ratione ejus parentes dici possunt Idumæi, et ipse Ascalonita, quod in Ascalone educatus, vel forte etiam natus fuerit: nam de Antipatro scribit Josephus, decimo quarto *Antiquitatum*, capite secundo, quod Arabum, et Gazeorum, et Ascalonitarum amicitias coluerat: quamobrem facile fieri potuit, ut Herodis parentes aliqua urgente occasione in Ascalone moram trahentes ibi eum genuerint. Nec propterea dici debet origine a Judæis alienus, nam multos legimus Actorum capite secundo appellatos fuisse Parthos, Medos, Elamitas, Cretes, et Arabes, quos tamen viros gente et origine Judæos esse ibidem indicatur his verbis: *Erant autem in Jerusalem Judæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.* — Non me latet iis Tornielli rationibus fieri posse satis; et eas ex parte solvisse Salianum ad annum mundi 4017. pagina 381. dicendo ad *primum*, et ad *secundum*. Herodem ejusdem fuisse animi, cujus sunt cæteri Politici, qui regni magis, quam religionis amatores, religionis prætextu res novas, et dominationem auspicantur: facile namque hoc pulsus animo Herodes, Idumæorum religionem deseruit, Judaicamque coluit, ut traditum sibi a Cæsare Judaicum Imperium pacifice regeret, cum sciret Judæos potius mortem, quam religionis mutationem subituros; eo potissimum tempore, quod ad id stimulabantur a Sacerdotibus, Scribis, et Pharisæis. Quod autem non tantopere fuerit zelatus divinam legem, ac Judaicos ritus, constat ex templis in Cæsaris quasi Dei cujuspiam nomen et Numen ab eo erectis, ut testis est Josephus 19. *Antiquitatum* c. 7. Templum Jerosolymitanum sponte ornavit, fateor: sed idipsum donariis illustrarunt Asiæ Reges, qui propterea Judæi non sunt censendi. Major, inquies, ergo serviet minori? Quidni ad modicum tempus id fieri potuerit absque vaticinii præjudicio, cum plerumque, et diu Judæi diversas in captivitates acti servierint genti alienigenæ? Unde sententia hæc non caret difficultate. Nihilominus aptior est ad probandum Christum fuisse verum Messiam ex vaticinio Jacob, cum enim Herodes mortuus fuerit paulo post Christi nativitatem; sensim auferri cœpit sceptrum Israeliticum a viris Juda; licet enim post Herodis mortem, Archelaus ejus filius regnasse dicatur, ab Augusto Judææ Etnarcha constitutus; numquam tamen valuit ab eo dignitatem regiam obtinere, ut videre est apud Josephum 17. *Antiquitatum* capite 13. quin potius ab eodem Augusto in Galliam fuit relegatus, et Judæa sub Romanorum imperio ac regimine penitus fuit redacta toto vitæ Christi tempore, non habens Regem, nisi Cæsarem, ut ipsi Judæi Pilato tassi sunt. *Nec refert*, quod postea Claudius Cæsar, teste Josepho 19. *Antiquitatum* c. 4. Judææ regnum dederit Herodi Agrippæ, qui ut habet idem Josephus 18. cap. 7. fuit Herodis Ascalonitæ ex Aristobulo filio nepos; quique deinceps in Judæa *occidit Jacobum fratrem Joannis gladio;* et Petrum misit in carcerem *volens post Pascha producere eum populo,* ut legitur *Actorum* cap. 12. Id, inquam, non obstat, nam perbreve admodum tempus divina dispensatione interemptus fuit, ut fieret memoratæ Prophetiæ complementum: siquidem Herodes ille, qui quadriennio ante tetrarcha Philippi, et in ea parte Ga-

lileæ loco patrui demortui fuerat prætectus, demum post triennium, a quo regnum Judæ obtinuerat, obiit, ut refert Josephus lib. 19. circa finem, sicque modicum ejus regimen pro nullo habetur.

Conclusio secunda. — Secundum testimonium et vaticinium, ex quo frangitur Judæorum pervicacia, petitur ex illis verbis Archangeli Gabrielis Danielem alloquentis, ac promittentis Messiæ ortum futurum post 70. hebdomadas: *Animadverte sermonem, et intellige visionem: septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur* Sanctus Sanctorum. *Scito ergo, et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem hebdomades septem, et hebdomades* 62. *erunt, et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades* 62. *occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

Inde sic argumentor: Christus ille, quem venturum promittit Angelus post. 70. hebdom. est Messias Patribus promissus: sed septuaginta hebdomadæ præfinitæ ab Angelo, revera dudum præterierunt: ergo Messias jam venit. *Major* constat, nempe quod Christus ille sit Messias; non autem aliquis Judæorum Pontifex, maxime Hircanus Machabæorum, ultimus legitima electione Pontifex, ab Herode occisus, ut comminiscuntur Judæi: quia Christus ille, qui prædicitur ungendus et occidendus, vocatur *Sanctus Sanctorum*, et dicitur adducturus justitiam sempiternam; ita ut per eum iniquitas terræ deleatur, et prævaricatio finem accipiat: at de nullo Pontificum Judæorum hæc verificari possunt: igitur non de alio, quam de Messia vaticinium illud intelligendum est. *Minor* etiam est evidens, nempe quod 70. hebdomadæ ab Angelo præfinitæ, quoquo modo explicentur, jam dudum præterierint. Nam illæ hebdomadæ *vel* sunt dierum, *vel* annorum: sed utrovis modo explicentur, jam dudum præterierunt: igitur, etc. *Minor* constat: si enim intelligatur prophetia de hebdomadibus *dierum*: constat Messiam venisse post annum, et dimidium a tempore, quo facta est illa promissio: si de hebdomadibus *annorum*, quandoquidem 70. annorum hebdomades faciunt tantum 490. annos, sequitur quoque Messiam dudum advenisse, quia ab illo tempore, quo editum est Angelicum illud vaticinium, ad nos usque, duo annorum millia, et amplius effluxerunt. *Major* etiam constat: siquidem apud Judæos hebdomada duobus tantum modis accipitur, vel pro numero septem dierum, ut Levitici 13. cum instituitur solemnitas *Hebdomadarum*, seu Festi Pentecostes, quinquaginta diebus a Paschate, nam. 49. dies, faciunt septem hebdomadas: hebdomada autem annorum, seu quæ constat septem annis, colligitur ex Levitici 25. ubi sermo est de celebratione anni sancti Jubilæi: *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum ideat*,

septies septem quæ simul faciunt annos 49, *sanctificabisque annum quinquagesimum.*

Reponunt Judæi, ibi sermonem esse de hebdomadibus longioribus, videlicet, *vel* Jubilæorum, *vel* Olympiadum, *vel* Sæculorum, ac proinde earum numerum nondum expleri, nec consequenter Messiam advenisse; 70. enim sæculorum hebdomades, 49. annorum millia, Jubilæorum vero amplius viginti quatuor millia: olymp. vero fere duo millia complectuntur: ab ea autem promissione facta Danieli de venturo Messia, duo annorum millia vix effluxerunt: igitur nondum Messias venit. — **Contra** *primo:* id gratis et absque fundamento comminiscuntur; si autem liceret ita pro libito instituere hebdomades, periret omnis prophetiæ certitudo. *Deinde,* nec prophetiæ, nec Judæi solent per Olympiades supputare, sed soli Græci; nullum enim illius supputationis in universa Scriptura vestigium apparet. *Denique*, si aliquam veritatis speciem haberet illa responsio, sequeretur templum et civitatem non fore vastanda, nisi *vel* post 409. millia annorum, *vel* post 24. millia, *vel* saltem post duo millia, ex quo Judæi sub moderamine Esdræ, et Zorobabelis utrumque restaurarunt: at contrarium aperte constat; vix enim effluxerunt duo millia annorum a tempore, quo facta fuit illa promissio, et tamen ab annis 75. supra mille sexcentos, civitas cum templo diruta est, et penitus desolata, illaque generalis Judæorum devastatio ad hodiernum usque diem absque ulla spe recuperandæ civitatis et libertatis perseverat; igitur prædata Judæorum responsio prorsus fictitia est, nec ullam veritatis speciem præsefert; quod autem ipsæ septuaginta annorum hebdomades, hoc est 409. anni præcise incidant in nativitatem Jesu Nazareni, nec omnes particulæ illius vaticinii de alio, quam de ipso possint explicari, clare demonstrabo, si prius quædam observavero.

Advertendum 1. has septuaginta hebdomadas inchoatas fuisse durante Persarum Regno, continuatas vero toto tempore Monarchiæ Græcorum, finitas tandem initio fere Imperii Romanorum, a cujus principio usque ad Christi baptismum, quinquaginta novem anni computantur, videlicet quadraginta quatuor Imperii Augusti, et quindecim Tyberii, quo anno teste S. Luca Christus est baptizatus. Quantum ad Monarchiam Græcorum, quæ ab Alexandro, vel maxime post ipsum incepit, communior sententia est, illam durasse circiter trecentis duobus annis, computando sub illis, sex vel novem annos, quibus Alexander vixisse dicitur post comparatam Monarchiam. Ita Eusebius *in Chronico,* et Beda lib. *De sex ætat.* quidquid in contrarium proferatur ex Joanne Annio, cujus historia, utpote ex falsis auctoritatibus conflata, nullam auctoritatem obtinet. Unum tamen est, ut notat Suarez, *disputatione* 1. *sect.* 2. quod hanc sententiam difficilem, et suspectam reddit: supponunt enim, qui tot annos Monarchiæ Græcorum tribuunt, ab ejus principio usque ad Joannem Simonis filium, subnominatum Hircanum, Judæorum Pontificem, effluxisse annos plusquam 194. ut constat ex Eusebio in Chronico; ubi mortem Alexandri Magni notat initio Olympiadis 114. Pontificatum autem Joannis Hircanis in fine Olympiadis 163. at vero constat ex primo lib. *Machabæorum* cap. ultimo v. 14. a primo anno Imperii Græcorum usque ad Joannem Hircanum tantum fluxisse centum septuaginta septem annos, cui Scri-

pturæ major fides habenda est, quam omnibus Olympiadibus: igitur in illa supputatione error irrepsit; nam Imperio Græcorum viginti anni, plusquam par sit, adduntur. Quantum denique ad Monarchiam Persarum, incertum est quamdiu ipsa duraverit: nam ex Scriptura nihil certi colligitur; inter auctores autem tanta est dissensio, ut alii minus quam centum annos, alii quinquaginta supra ducentos illi tribuant, inter quos media sententia computant durationem illius Monarchiæ ducentos annos et triginta, quod colligitur ex supputatione Olympiadum, nam cœpit istud Imperium tempore Cyri, cujus initium assignatus anno primo Olympiadis quinquagesimæ quintæ, et finem accepit sub Dario in fine Olympiadis 112. quæ tamen computatio supponit Cyrum post captam Babyloniam regnavisse triginta annis, quod non ita compertum videtur: nam licet Cyrus triginta annis regnaverit verisimile tamen est eum non tot regnasse post captam Babyloniam; atque adeo primum annum Monarchiæ ejus de quo fit mentio Esdræ primo, non fuisse primum annum regni ejus absolute, sed dumtaxat exordium regni Babylonici; nam 2. Paralipomenon cap. 36. dicitur: *Si quis erauerat gladium, ductus in Babylonem, servivit regi et filiis ejus donec imperaret Rex Persarum:* en dicitur Rex Persarum priusquam Babylonicum regnum obtinuerit: et subinde prius regnavit. quam Babylonicum regnum teneret.

Observandum 2. Angelum alloquentem Danielem, et repromittentem solutionem captivitatis Babylonicæ post septuaginta hebdomades, hoc est post annos 490. illud tempus tres in partes distribuisse, quod in earum singulis foret rerum notabilium eventus: dividit enim eas hebdomadas, *primo*, in septem; *secundo:* in sexaginta duas; *tertio*, in unam. Dividit *in septem*, idest annos 49. quod tot septennia plus minus, (nam Scriptura sæpe negligit fractos numeros, et minutiora tempora) essent insumenda in perficienda totius urbis, templi, et terræ restauratione, ob impedimenta hostium. Quæ Angelus *angustias temporum* nominat duabus de causis; ut significet ingentem populi afflictionem propter frequentes hostium incursiones, ob quas qui operi incumbebant, adigebantur altera manu ædificare, et altera gladium tenere, ut habetur lib. 2. *Esdræ* cap. 4. *Tum* ut denotet summam temporis brevitatem; nam, ut habetur cap. 6, muri ædificati sunt magna festinatione, et absoluti quinquaginta dierum intervallo, quæ significatio magis quadrat litteræ et hebraicæ phrasi: ita quod *in angustia temporum* idem significet ac *in angusto tempore:* quemadmodum ibidem dicitur abominatio desolationis, idest, abominanda desolatio: vel *in angustiore tempore;* nam Hebræi solent uti positivo pro comparativo; quemadmodum Gen. 25. v. 23. scribunt: Magnus serviet parvo: idest, major serviet minori. *Secundo*, dividit illas in *sexaginta duas*, idest, in annos 434. quod deinceps Judæorum Respublica restituta, et patriis legibus ordinata, tantum temporis ad Messiæ occisionem et mortem esset duratura. *Denique* distribuit illas hebdomadas *in unam*, quia Messias in illa erat seipsum manifestaturus per prædicationem et miracula: hanc autem ultimam hebdomadam dividit *in duas partes*, quia non in priori, sed in posteriori ejus medietate, hæc erat patraturus, pactum ineundo cum hominibus, ut qui ejus doctrinam susciperent, eis vitam æternam largiretur.

Observandum 3. Annos illos 490. quibus complentur septuaginta hebdomades, solares esse, non lunares; inter quos, ut notum est, hoc intercedit discrimen, quod *solares* constant diebus 365. cum sex horis saltem, si quædam minuta detrahas: desunt enim minuta 49. quæ 134. annorum intervallo, faciunt diem integrum, ut patet ex tabulis Alphonsinis, quas in ultima Calendarii emendatione Ecclesia probavit: *lunares* vero breviores sunt solaribus circiter undecim diebus, et continent dumtaxat dies 354. qui quidem undecim dies cum tribus annis mensem integrum efficiant, quolibet tertio fere anno fit *Embolismus lunaris*, idest addictio, seu interjectio unius lunationis, ita ut annus embolismicus non duodecim, ut alii, sed tredecim lunationes habeat, ut annus lunaris cum solari ad æqualitatem redigatur. Quod autem in illis computandis hebdomadibus anni solares, non lunares, sint servandi, constat *primo* ex eo, quod Hebræi communem computandi consuetudinem habuerint per motum solarem, ut videre est in eorum Chronico, qui dicitur *Seder olam*, idest, *ordo mundi*, quem ad finem Chronologiæ Genebrardi insertum invenies: *Secundo* ex primo libro *Machabæorum* cap. 1. ubi Alexander dicitur *regnasse annis duodecim*, qui etiam annorum numerus habetur apud prophanos, quos certum est solari cursu annos definivisse: *Tertio denique* quia Judæi primum totius anni mensem sumebant ab æquinoctio verno, ut videre est Exodi 12. et Pascha celebrabant die 14. Lunæ, postquam Sol primum arietis gradum attigisset, ac proinde ex motu Solis, non Lunæ, suam supputationem ordinabant. *His adde* quod hæc sententia sit *Eusebii* lib. 8. demonstrationis Evangelicæ, *Chrysostomi* Oratione 2. contra Judæos, *Lyrani* in prædicta Danielis verba, necnon et Modernorum celebriorum. Nec obstat, quod Angelus vocet illas hebdomadas *abbreviatas*, et concisas: non enim per hoc intendit significare, quod hebdomades constent annis lunaribus, utpote brevioribus, nam hebdomades illæ non ea ratione dicuntur breviatæ, sed quia ad finem temporis, quo Messias expectabatur, properabant: erat enim per breve tempus illud cum superiori comparatum; hinc familiari sermone, quando tempus ad aliquam actionem præscriptum finitur, dicere solemus, jamjam dies abbreviari, non quod minores fiant, sed quod pauci supersint: quomodo etiam Marci 13. et Matth. 14. dicitur: *Nisi breviarentur dies illi, non fieret salva omnis caro.*

Observandum 4. Variam esse Auctorum sententiam in assignando illarum hebdomadarum initio: quoniam enim Angelus dixerat illud esse ordiendum *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*, inde varii varia senserunt: *quidam* enim illud exordium ceperunt a tempore, quo Jeremias vaticinatus est cap. 23. fore aliquando tempus, quo Deus revocaret dispersos Israelitas in terram suam, his verbis: *Ait Dominus: et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero eos illuc: et convertam eam ad rura sua: et crescent et multiplicabuntur.* Ita censent Lyranus, Burgensis, etc. — *Nonnulli* putant illarum septuaginta hebdomadarum initium auspiciendum esse ab ipso tempore, quo Angelus Danieli hæc loquebatur. Ita Origenes, et Tertullianus lib. *contra Judæos* cap. 8. — *Alii* existimant illam supputationem incipiendam esse ab anno primo Cyri, quando fecit facultatem Judæis redeundi in patriam, et templum erigendi, ut le-

gimus lib. 1. *Esdræ* cap. 1. Ita Clemens Alexandrinus. — *Alii* ab anno secundo Darii Hystaspis, quando facultatem fecit Judæis, reædificationem templi inceptam sub Cyro, sed postmodum intermissam, continuandi, ut legimus *Esdræ* 6. Ita Eusebius, et Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 12. cui sententiæ adstipulantur plurimi Moderni. Omnes pene Recentiores volunt eas esse ordiendas ab anno 20. Artaxerxis Longimani: at verius dicendum arbitror, eas esse computandas tantum a 28. regni illius; quando scilicet executioni demandatum fuit illius decretum.

Observandum est 5. Quantum ad seriem Regum Persarum, diversos diversa sentire; quidam enim tantum *tres* numerant, ut Rabini apud Galatinum lib. 1. cap. 15. nimirum *Cyrum*, qui primus Persidis tenuit imperium: *Assuerum*, de quo fit mentio *Esdræ* cap. 4. quemque volunt fuisse maritum Esther, et *Darium*, qui victus ab Alexandro Magno perdidit Imperium, quem nonnulli eorum volunt esse Artaxerxem illum, cujus fit mentio 1. *Esdræ* cap. 7. — Alii *quatuor* numerant, ut Rabbi Salomo et Lyranus, tribus prædictis addentes Cyri filium nomine *Cambysem*: hanc autem sententiam esse pervetustam affirmat S. Hieronymus in cap. 7. Daniel. — Tertullianus lib. adversus Judæos *quinque* nominat, puta *Ochum*, qui alio nomine apud eum dicitur Cyrus; *Darium Hystaspem*, aut Medum, *Artaxerxem*, quem conjicere est esse Mnemonem, *Argum*, et *Darium*, quem ille vocat *Melam*. Alii Codomanum ab Alexandro devictum. — Genebrardus lib. 2. a pag. 240. sex statuit. Primus apud eum est *Darius* filius Assueri Hystaspis cognominati. Secundus, *Cyrus*. Tertius *Xerxes*, cujus mentionem vult fieri sub nomine Assueri. 1. *Esdræ* cap. 2. v. 6. et sub nomine Artaxerxis, ibidem v. 7. Quartus, *Darius Longimanus*, de quo contendit mentionem fieri sub nomine Darii 2. *Esdræ* 4. cap. et sub nomine Artaxerxis, cap. 7. Quintus, *Artaxerxes*, quem esse Mnemonem haud obscure indicare contendit. Sextus, *Artaxerxes Codomanus* ab Alexandro devictus: hos autem solum nominat, eo quod arbitretur eos vere regnasse: alios vero excludit, tamquam aut illegitimos, aut cum aliis regnantes, ut Cambyses cum patre Cyro. — Sanctus Isidorus libro 3. Etymolog. Metasthenes, ac Philo, *octo* referunt: puta Darium Medum, Xerxem, Artaxerxem Longimanum, Darium Nothum, Artaxerxem Mnemonem, Artaxerxem Ochum, Xerxem, et Darium Codomanum. — *Calvisius decem* statuit. Pererius autem tot demonstrat ex Scriptura sacra, quibus ex profanis adjiciens octo, numerat exinde quatuordecim Reges Persarum, quam sententiam suo firmat calculo S. Hieronymus in 7. caput Danielis dicens: Nos vero cum post *Cyrum*, qui regnavit annis 80. sciamus apud Persas regnasse *Cambysen* filium ejus: et *frater Magos*: et deinceps *Darium*, cujus 2. anno cœptum est ædificari Templum Jerusalem: quintum *Xerxem* filium Darii: sextum *Artabanum*: septimum *Artaxerxem*, qui appellatus est μακροχὲις: octavum *Xerxem*: nonum *Sogdianum*: decimum *Darium*: undecimum *Artaxerxem*, qui appellatus est μνήμων; duodecimum *Artaxerxem Ochum*: decimum tertium *Arsam* Ochi filium: decimum quartum *Darium* Arsami filium, qui ab Alexandro Macedonum Rege superatus est. — Quamquam autem hac in dirimenda controversia quidpiam certi vix statui possit, quotque sint capita, tot sensus, verius tamen

dicendum æstimo, quatuor dumtaxat extitisse Persarum Imperatores ab auspicato eorum regno per Cyrum, usque ad completam et consummatam templi ac civitatis Jerusalem restaurationem, eos videlicet, qui in libris *Esdræ*, et Nehemiæ referuntur, nempe I. *Cyrus*, qui septem imperavit annis, computando a primo generalis et universalis imperii sui anno. Nam ante initum Persarum regnum, imperavit in Græcia, ut diximus. II. *Assuerus*, quem Esdras *Artaxerxem*, et *Assuerum* appellat cap. 4. Josephus vero cum omnibus Græcis *Cambysem* Cyri filium, qui solus post mortem patris regnavit septem annis, et aliquot mensibus: quamquam etiam antea cum patre regnasset, maxime eo tempore, quo Cyrus bellum contra Scythas adorsus est. III. *Darius Hystaspis*, qui successit Magis, quorum imperii et dominationis nec Esdras nec Nehemias meminerunt; quoniam forte, dumtaxat per sex menses regnaverant: Darius autem regnavit 36. annis. IV. vero fuit *Artaxerxes Longimanus* dictus, quem Josephus Judæorum historiæ scriptor, tantum *Xerxem* nominat, qui ad minus Imperium tenuit per 32. annos: siquidem illius regni trigesimus secundus memoratur a Nehemia cap. 5. v. 14. et cap. 13. v. 6.

Difficultas moveri posset num *Assuerus*, cujus meminit Esdras 1. c. 4. v. 6. unus idemque sit, qui ab eodem v. 7. appellatur *Artaxerxes:* ait enim: *In regno autem Assueri, in principio regni ejus, scripserunt accusationem adversus habitatores Judæ, et Jerusalem, et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam Mithridates, et Thabeel, et reliqui, qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem Regem Persarum.* Verum facile colligi potest, unum, eumdemque Regem hoc duplici nomine fuisse appellatum, ut refert Josephus, qui eum *Cambysem* nominat. Enim vero, si præfata verba duplicem adversus Judæos continerent quærimoniam et accusationem, quarum una ad Assuerum, altera ad Artaxerxem directa fuisset, tamquam ad duos Reges distinctos, haud dubie Esdras, utriusque formatæ contra Judæos quærimoniæ eventum et successum narrasset: cum autem unius dumtaxat referat exitum, nempe quod ea non obstante concessa sit sibi, et Judæis comitibus facultas proficiscendi Jerosolymam, et illuc deferendi omnia dona, et vasa, quæ a Judæis in Provincia Babylonis degentibus oblata fuerant in ministerium domus Dei; signum est, quod unicus dumtaxat fuerit Rex, duplici nomine appellatus. *Adde quod*, si fuissent duæ adversus Judæos formatæ quærimoniæ, quæ duo edicta a diversis Regibus sequentia habuissent: verisimile est, quod ultimum edictum a postremo eorum Regum prioris edicti mentionem fecisset: et insuper Judaici populi adversarii non tacuissent illud edictum Assueri, ut ab Artaxerxe facilius assequerentur, quod adversus Judæos postulabant; quod cum ita factum non legatur, indicium esse debet nominibus Assueri, et Artaxerxis unicum Regem designari. Nec mirum videri debet, quod unus, idemque Rex in eodem capite, duplici nomine appelletur: hoc enim frequens erat apud Judæos, ut videre est in lib. *Judic.*, cap. 8. ubi unus idemque homo, et *Gedeon*, et *Jerobaal* appellatur duobus versibus immediate sequentibus, et lib. 1. *Esdræ*, cap. 2. idem qui *Nehemias* appellatur, etiam ibidem dicitur *Atersatha*. Non potest etiam negari Regem Xerxem, quem omnes auctores tam Græci, quam *Latini* affirmant immediate successisse Dario filio Hystaspis, alium esse Re-

gem ab Artaxerxe, cujus tantum meminerunt Esdras, et Nehemias: at possumus asserere ideirco Esdram, et Nehemiam solius dumtaxat Artaxerxis mentionem fecisse; quod cum Xerxes ejus pater in Græcos arma movisset, ipsum Artaxerxem designaverat Imperii socium et administrum: quapropter aliqui Auctores referunt ipsum regnasse 56. annis; tametsi aliunde constet eum solum regnasse dumtaxat 40. annis: unde mirum nemini videri debet, quod Judæi imperante Xerxe recursum habuerint ad ejus filium Artaxerxem; quoniam ipse tum Rex erat, et in absentia patris, supremus regni moderator.

His ita præmissis, probabilius existimo initium illarum hebdomadarum auspicandum esse ab anno vigesimo octavo Artaxerxis Longimani, quem simpliciter *Xerxem* appellat Josephus lib. 11. cap. 5. versus finem: Esdras autem, et Nehemias *Artaxerxem* nominant, nulliusque meminerunt Xerxis, quem profani Scriptores ante illum Artaxerxem, solum regnasse 20. annis referunt. Cujus quidem sententiæ veritas apparet primo; quia nulli alteri assertioni possunt quadrare præfata Prophetiæ verba. Enimvero stare non potest eorum sententia, qui volunt has hebdomadas computandas esse ab anno 4. Sedeciæ: eo scilicet tempore, quo Jeremias, sex fere annis ante captivitatem Babylonicam, prædixerat fore, ut populus universus captivus duceretur, et post septem annos reverteretur in patriam, murosque eversos repararet; alias non tantum 70. forent hebdomades usque ad eversionem civitatis, sed fere 86; nec tantum anni 490, sed 600 et amplius essent numerandi. — Nec etiam probabiliores videntur aliorum sententiæ, quorum aliqui volunt illas hebdomadas computari debere ab edicto Cyri: alii a facultate concessa Judæis per Darium Hystaspim ædificandi muri Jerusalem: cæteri ab anno 20. Artaxerxis, quo scilicet tempore Nehemias, ut legimus cap. 2. obtinuit auctoritatem restaurandi civitatem Jerosolymam, quæ tunc temporis, ut ibidem asseritur, adhuc erat dissipata: tria namque legimus in libris Esdræ edicta regia in favorem, et gratiam Judæorum: *Primum Cyri*, alterum *Darii Histaspis: Tertium Artaxerxis Longimani:* at Cyrus non dedit facultatem instaurandæ civitatis, sed tantum Templi reædificandi, ut colligitur ex fine libri 2. *Paralipomenon*, et 1. ac 6. cap. libri *Esdræ*. — *Nec obstat*, quod cap. 4. *Esdræ*, fiat sermo de urbis reædificatione; nam non dicitur ibi, quod Judæi ex edicto Cyri illam reædificarint. — *Non obstat* etiam, quod habetur Isaiæ 45. Cyrum ædificaturum civitatem, et dimissurum captivitatem: nam primo potest responderi non fuisse id dictum de Cyro, sed de Christo. Ita Hieronymus. *Secundo*, ibi civitatem ædificari, non significare materialem murorum structuram: sed tantum civilem ædificationem, quæ fit per civium coadunationem et cohabitationem, qualiter Judæi cum restaurarent templum, dici possunt soluta captivitate etiam restituisse, et ædificasse Jerusalem. *Tertio*, posito quod intelligatur de materiali murorum structura, dici a Cyro ædificatam civitatem, quia jussit forte, ut ædificaretur, neque ideo tamen potest ab hoc tempore supputationis hebdomadarum sumi initium; sed a solo tempore Artaxerxis Longimani, quia tunc prohibentibus in circuitu nationibus, quasi hoc Rex non jussisset, opus non est impletum, sed tentatum dumtaxat: absolutum vero fuit tantum a Nehemia. Denique Scriptura illi uni attribuit restaurationem urbis.

Ecclesiastici 49. *Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas, et seras, qui erexit domos nostras.*

Non etiam stare potest eorum sententia, qui volunt illas hebdomadas auspicandas esse ab edicto Darii Hystaspis, qui, ut refertur lib. 3. *Esdræ*, c. 3. et 4. Zorobabeli dedit epistolas ad omnes dispensatores, et præfectos, et purpuratos, ut ei manus darent, quatenus tam ipse, quam populus Israëliticus possent restaurare Jerusalem. *Primo*, quia ille tertius Esdræ liber inter canonicas Scripturas non computatur, subindeque non integra ei fides est adhibenda. *Secundo*, vix quidem stare possunt ea, quæ ibidem referuntur, nempe eodem anno hæc omnia fuisse peracta, nimirum decretum Darii, quo facultatem faciebat civitatis, et templi ædificandi: profectionem Zorobabelis, et ascendentium cum eo in Jerusalem: inceptionem ædificationis: impedimentum ejus a Tathanai, et cæteris ducibus, qui erant trans flumen: reversionem Zorobabelis in Babyloniam, ut Regis protectionem imploraret adversus repugnantes illos Principes: quæsitum in Bibliotheca Regis, quæ erat in Babylonia, Cyri decretum, quo concesserat facultatem ædificandi templi Jerosolymitani: novum ejusdem Darii decretum, quod legitur primo *Esdræ* cap. 6. et quo Darius præcipiebat Tathanai, et aliis ducibus, ne civitatis Jerosolymitanæ instaurationem impedirent, imo ex thesauro regio subministrarent sumptus necessarios ad ædificationem templi, et sacrificiorum celebrationem: regressum ipsius Zorobabelis cum isto decreto in Jerusalem: vaticinium Aggæi, et Zachariæ, qui, ut legimus 1. *Esdræ*, cap. 5. prophetaverunt adversus Judæos, quod habentes facultatem restaurandi Templum Domini, dumtaxat incumberent in suis privatis domibus extruendis: quis enim credet hæc omnia per unius anni secundi Darii spatium potuisse impleri? maxime cum longe distaret Babylonica civitas a Jerusalem, ut videre est 1. *Esdræ*, cap. 7. nam Esdras cum Israëlitico populo revertente Jerusalem egressus est Babylone primo die mensis primi, et pervenerunt Jerusalem dumtaxat primo die mensis quinti. Oportet igitur, quod ille Darius, a quo Zorobabel anno 2. regni illius obtinuit facultatem, fuerit vel Cyrus, vel Cambyses, qui forte non solum Artaxerxes et Assuerus, sed etiam Darius appellabatur. *Confirmatur*, quia Zorobabel, tempore illius Darii, a quo licentiam obtinuit ædificandi civitatem et templum Jerusalem, erat juvenis et adolescens, ut refertur lib. 3. *Esdræ*, cap. 3. v. 4. et cap. 4. v. 51. sed, regnante Dario Hystaspi, Zorobabel non poterat censeri adolescens: siquidem primo anno Cyri Regis Persarum, jam erat dux, et princeps inter Israëlitas, ut videre est lib. 1. *Esdræ*, cap. 2. et lib. 2. cap. 7. necnon et Aggæi 2. v. 22. Cyrus autem ad minus regnavit 7. annis. Cambyses ejus filius etiam totidem imperavit: post quem aliquo tempore imperium tenuerunt Magi, quibus Darius Hystaspis successit: oportet ergo, eo regnante, Zorobabelem natum fuisse ad minus 15. annis, qua certe ætate nec juvenis, nec adolescens poterat æstimari. *Adde quod* Darius ille, quisquis fuerit, licentiam non fecerit ædificandi Jerusalem, sed dumtaxat templum instaurandi, siquidem tantum innovavit concessionem Cyri, qua licentiam fecerat Judæis, ut ædificarent templum Hierosolymitanum, et in eo offerrent sacrificia. Quapropter Darius mandat Tathanai, et aliis ducibus, qui impediebant

illam templi instaurationem; *Dimitte fieri templum illud a duce Judæorum, et a senioribus, ut domum Dei illam ædificent in loco suo:* ut videre est non solum lib. 1. *Esdræ*, cap. 6. lib. 3. cap. 6. ubi edictum illud Darii refertur: sed etiam cap. 2. lib. 2. ubi legimus quod regnante Artaxerxe, qui Dario Hystaspi successerat, civitas Jerusalem adhuc erat dissipata. Nam Nehemias, qui ab Artaxerxe facultatem instaurandi muros obtinuerat, Judæos alloquens ait: *Vos nostis afflictionem, in qua sumus: quia Jerusalem deserta est, et portæ ejus consumptæ sunt igne; venite, ut ædificemus muros Jerusalem, etc.* Et subinde tunc temporis civitas Jerosolymitana nondum erat extructa: verba autem vaticinii non significant incipiendas illas 70. hebdomadas ab exitu sermonis, seu edicti, ut ædificaretur templum; sed ut ædificaretur Jerusalem: igitur ab illo edicto Darii Hystaspis 70. illæ hebdomadæ non sunt computandæ. — Idem ferendum judicium de illo decreto ejusdem Artaxerxis, quo anno 7. sui regni licentiam Esdræ fecit, ut ascenderet Jerusalem cum selectis ex filiis Israëlis ad absolvendum, et consecrandum templum, cujus jampridem instauratio incepta fuerat: siquidem decretum istud dumtaxat spectabat ad templi ædificium, non vero ad civitatis instaurationem; ut constat ex 3. *Esdræ*, capite 8. — Ex his itaque sequitur dumtaxat illas 70. hebdomadas ordiendas esse ab edicto ejusdem Artaxerxis, quo facultatem fecit Nehemiæ, anno 20. sui imperii, quatenus cum Judæis sibi comitibus posset ascendere Jerusalem, et ejus muros ac domos instaurare: hic enim primus est exitus sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, a quo exitu significat Angelus adhuc superesse 70. hebdomadas usque ad Christum ducem.

§ IV.

Verumtamen non censeo hebdomadarum exordium ducendum præcise esse ab illo anno 20. quo edictum illud sancitum est, sed dumtaxat ab anno 28. quo istud edictum executioni fuit demandatum. Quamquam enim Nehemias illud edictum anno 20. Artaxerxis exceperit, tamen (ut narrat Josephus lib. 11. cap. 5) non potuit Nehemias in Judæam proficisci ante annum 25. ejusdem Regis: quoniam totos illos pene quinque annos a suscepto edicto insumpserat, ut Judæos per Babylonicum regnum dispersos conveniret, ageretque cum eis; maxime vero cum familiarum principibus, ut juxta Regis indultum Babylonicam terram descerent, et in nativum solum reverterentur. Quod utique difficile fuit suadere hominibus jam Babyloniorum consortio ac familiaritate ita delinitis, ut vix ab eorum contubernio possent avelli, et terram uberrimam, in qua eorum plurimi nati fuerant, abjicere, ut aliam omnino vastatam et incultam, ac plurimis adversariis obsitam incolerent. Inde factum est, quod Nehemias, ut refert Josephus, pervenerit Jerusalem tantum circa annum 25. Artaxerxis, unde cum duos insumpserit annos in instaurandis muris et domibus illius civitatis, hinc est, quod hoc ingens et grande opus non absolverit, nisi circa 9. mensem 28. anni ejusdem Artaxerxis, quod adeo exacte non referret Josephus, nisi certa ac omni exceptione majora habuisset testimonia et instrumenta. Hic autem 28 annus regni Artaxerxis incidit in annum mundi 3527. a quo si nu-

meres 490. invenies 4017. quo certe anno crucifixus est Christus, ac subinde sic eventus exactissime prophetiæ respondet. — Quod autem illæ hebdomadæ incipiendæ sint potius ab executione illius edicti, quam ab ejus concessione et promulgatione, mihi non leve argumentum est: quia cum illud edictum non fuerit a Rege concessum, nisi ex divina inspiratione, sicque potius censeri debuerit edictum Dei, quam Regis: cumque Dei decreta infallibilem sortiantur effectum, juxta illud Psalmi: *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita:* manifestum est Angelum in isto vaticinio non tam illius edicti promulgationem, quam executionem significasse dum ait, *ab exitu sermonis:* unde etiam signanter non addit, ut fiat licentia ædificandi Jerusalem, sed, *ut iterum ædificetur Jerusalem.* Quibus significat se de reali et effectiva instauratione Jerusalem sermonem facere, et ab ea texere omnem sui vaticinii seriem et ordinem. Quod autem omnes illius vaticinii particulæ mirum in modum conveniant Jesu Nazareno, sic evinco 1. Messias ille repromissus dicitur, *Sanctus Sanctorum,* seu Hebraice *Sanctitas Sanctitatum,* vel *Sanctificatus Sanctificatorum.* Hæc autem apprime conveniunt Jesu Nazareno, tam secundum divinitatem, quam humanitatem, quæ in unione hypostatica superabundanti gratiarum, et omnium cælestium charismatum irriguo uncta est oleo lætitiæ præ participibus suis. Dicitur autem *Sanctus Sanctorum,* sicut ens entium, lux lucis, vita vitæ; quia omnis ab eo sanctitas effluit; unicuique enim nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, qui plenus est gratia, et veritate; de cujus plenitudine omnes nos accepimus.

Quæret hic forsan aliquis, qualiter Christus in morte sua dicatur unctionem Sancti Sanctorum suscepisse, quippe mors videtur potius unctionis destructio, quam conservatio. — Verum facile huic quæsito fit satis; quamquam enim Christus ante mortem, et ab instanti conceptionis suscepisset Divinitatis unctionem et delibutionem, ut ipsa et testatur Lucæ 4. sibi adaptans hoc Isaiæ vaticinium: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me:* attamen nondum susceperat hujus unctionis plenitudinem, majestatem, et manifestationem, ut revera contigit postquam a mortuis suscitatus est. Enimvero in resurrectione Divinitatis unctio, et immortalitatis unguentum descendit a capite istius mystici Aaron, ac summi hominum Pontificis, non solum in barbam, sed et in oram vestimenti ejus, hoc est, a superiori animæ portione, non solum in ejus animæ portionem inferiorem, sed etiam in ejus corpus. Unde merito Apostolus ad Rom. 1. Christi resurrectionem his verbis commendat: *Prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Cum igitur Christus mortuus fuerit, ut nostra deleretur iniquitas, sicut prædixerat Angelus: ita per resurrectionem unctus est Sanctus Sanctorum; nam, ut ait Apostolus Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.*

Secundo, is est in quo *consummata fuit prævaricatio:* Judæi enim mensuram Patrum suorum implentes, nedum justum Joseph vendiderunt, nedum commutaverunt gloriam Dei in similitudinem vituli aurei, et aliorum idolorum; nedum denique Prophetas, sed et ipsummet Dei Filium occiderunt: hoc autem est quartum eorum peccatum, quod

non ad tempus, sed usque ad mundi finem est puniendum. Ita enim intelligendus est Propheta Amos, dicens cap. 2. *Super tribus sceleribus Israël:* Hebraice *(Jerusalem transferam,* vel *convertam eos) et super quartum non convertam,* (Non transferam) *eos, quia vendiderunt justum pro argento.* Licet enim Judæi pro argento justum venditum intelligant Joseph filium Jacob a fratribus in Ægyptum pretio traditum deportandum: nihilominus Rabbi Samuel in Epistola sua ad Rabbi Isaac Magistrum Synagogæ, quæ est sub Hulmoza in Arotitan Regis, quæque a Patre Boni-homine Ordinis Prædicatorum, in antiqua Hispaniæ Bibliotheca reperta est, et ex Arabico idiomate Latine donata, et una cum Opusculis S. Antonii typis excussa, in qua quærit ab illo Rabbi sapientissimo, cur ea in captivitate, qua modo premuntur, nullus adesset Propheta, nullus sacrificandi ritus, nulla recuperandæ libertatis spes, sicut in prioribus captivitatibus per Prophetas facta promissio: inquirens pariter, quodnam esset illud gravissimum peccatum, ratione cujus tam dura, tamque diuturna captivitate premerentur; hæc habet cap. 4. *Ipsi etiam Christiani, quibus sacrorum librorum studium videtur esse traditum a Deo, respondent doctrinæ nostræ prædictæ, quod primum in quatuor sceleribus Israel, est venditus Joseph a fratribus suis: et secundum peccatum assignant, adorationem vituli in Oreb: et tertium fuit occisio Prophetarum: quartum scelus, fuit venditio Justi, scilicet Jesu. In vindicta primi patres nostri fuerunt in captivitate Ægypti. In punitionem secundi, plures perierunt in solitudine, et in ea degerunt exules per quadraginta annos. In tertii ultionem, innumeras a diversis passi sunt captivitates, potissimum Babylonicam per septuaginta annos. Cum autem Propheta Amos ponat expresse venditionem Justi, nullusque appareat venditus Justus, præter Jesum a Nazareth, mihi videtur, quod simus in illo quarto maximo peccato, et propterea in captivitate, de qua loquitur Deus, quod non reducet ultra. Jam enim sunt mille anni, a quibus nihil proficimus inter Gentes, nec est spes proficiendi amplius.*

Per eum *peccatum finem accepit, et deleta est omnis iniquitas;* lavit enim nos a peccatis nostris in sanguine suo, et semetipsum Patri in ara crucis immaculatam victimam obtulit, ut nos ab omni iniquitate redimeret, et fieret propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris tantum, sed et pro totius mundi criminibus. Per eum *adducta est justitia sempiterna,* vera nempe et interna, non legalis et figurativa, quæ non ad tempus, ut Mosayca, sed semper in cælis et in terra sit duratura; qui enim biberit ex aqua, quam Christus daturus venit, non sitiet iterum; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. In ipso tandem *impleta est omnis visio, et prophetia,* omnia namque fecit, dixit, et passus est, quæ de Messia venturo Prophetæ vaticinati sunt. Unde habet tres præcipuos per Messiæ adventum præstandos effectus, et fructus: 1. peccati emaculationem: 2. veræ justitiæ collationem: 3. Prophetiarum adimpletionem.

Tertio, passus est in medio ultimæ hebdomadis, anno videlicet 18. Tyberii.

Quarto, in Christi D. morte templum violatum fuit ac profanatum, quando scilicet velum templi scissum est a summo usque deorsum, saltem velum exterius, quo populus a Sacerdotibus sejungebatur, quasi

templum illud nihil jam haberet in arcanis, nihil reverentiæ, nihil religionis. Inde Sanctuarii aditus soli summo Sacerdoti licitus, idque singulis tantum annis in festo Expiationis, sub mortis interminatione si sæpius ingrederetur, ut notat Philo in libro *De legatione ad Cajum*; nedum patuit mille Sacerdotibus, quibus ab eo tempore licitum fuit ingredi in Sancta Sanctorum, ut scribit Josephus Gorionides lib. 3. v. 25. sed et ipsis Judæis, quando tempore Flori, Syriæ præsidis post Pilatum, orta seditione, cuncti Judæi confugerunt ad templum Dei; imo etiam ipsis Vespasiani temporibus, quando nedum ipsius statua in templo fuit collocata, sed et ejus milites templum ingressi illud spoliaverunt, et incenderunt. *Adde quod* in morte Christi collapsum fuerit superliminare templi magno terræ motu, auditæque fuerint Angelorum templi custodum voces in eo dicentium: *Migremus hinc*, ut ex Evangelio Nazareorum observat S. Hieronymus 9. Quamvis Josephus id referat ad festum Pentecostes, quinquaginta diebus post mortem Christi: verum potuit aberrare, vel incerto rumore, vel quia ignarus erat Mysteriorum nostræ Religionis; ac forte Christianis infensus. Itaque fuit in templo *abominatio*, cum in eo starent milites idola colentes; *desolationis*, quoniam illud omnibus suis vasis, et ornamentis nudaverunt, ac postea igne apposito in cineres, et favillas redegerunt, omnesque Judæos aut cruenta morte peremerunt, aut diversas in Provincias exules actos, perpetua, duraque captivitate manciparunt: sicut vaticinatus fuerat Christus Luc. 21. *Cum videritis ab exercitu circumdari Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio ejus: tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, et qui in medio ejus, discedant, et qui in regionibus, non intrent ad eam, quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia, quæ scripta sunt: et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes Gentes, et Hierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora Nationum.*

Conclusio tertia. — Probari potest Messiam advenisse, illis omnibus Scripturæ textibus, quibus designatur Messiæ Nativitas, illius vitæ status, ministerium, mortis genus, resurrectio, et in cælum receptio, quæ omnia mirum in modum in Jesu Nazareno completa videntur. Siquidem prædicitur Messias futurus ex familia David. Psal. 131. *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam:* quod equidem impletum est in adorando illo Jesu Nazareno, qui, ut prænuntiavit Angelus ipsius Matrem alloquendo, Lucæ primo, filius David fuit, et dedit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, ut regnaret in domo Jacob in æternum.

Secundo, Messias denuntiatur nasciturus ex Virgine, Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium*, etc. Jesus autem natus est ex Maria Virgine ante partum, in partu, et post partum: nam Lucæ primo: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro*, etc. Similiter Messias erat nasciturus in Bethlehem juxta illud Micheæ 5. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Jesus autem natus est in Bethlehem, ut legitur Lucæ 2.

Tertio, Messias futurus erat pauper et abjectus, juxta illud Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam:* Jesus autem pauperrimus fuit; nam, ut dicebat Lucæ 9. *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet:* unde egregie Bernardus ait, quod pauper fuit in nativitate, pauperior in vita, pauperrimus in morte; similiter *ascendit super asinam* in triumphali suo in Jerusalem ingressu, ut legitur Matthæi 21.

Quarto, Messias tradendus erat in mortem pro triginta argenteis. Zachariæ 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis.* Morte turpissima erat moriturus, Sapient. 20. *Morte turpissima condemnemus eum.* Cruci affigendus, et flagellis laniandus: Psalm. 21. *Foderunt manus meas, et pedes meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea.* Illius vestes sorte erant distribuendæ: ibidem: *Super vestem meam miserunt sortem.* Ejus ossa, et corporis membra non erant confringenda, juxta illud Exodi 12. *Os non comminuetis ex eo.*

Quinto, prædicitur ejus Resurrectio. Psal. 56. *Exurge gloria mea,* inquit Pater cælestis; cui Filius: *exurgam diluculo.* Ascensurus in cælum, Psal. 62. *Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem.* Missurus Spiritum sanctum, Joëlis secundo: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Exterminaturus idola, Zachariæ 13. *Erit in die illa, dicit Dominus, disperdam nomina eorum in terra, non memorabuntur ultra.* Conditurus legem alteram, Baruch secundo: *Et statuam illis alterum Testamentum sempiternum.* Repudiandus a populo Judæorum, Jeremiæ 5. *Negaverunt Dominum, et dixerunt: non est ipse.* Hæc autem omnia, ut constat ex Historia Evangelica, impleta sunt in Jesu Nazareno: igitur ille verus erat Messias.

His adde, quod, ut prænuntiaverat Angelus Danielem alloquens, post occisum Messiam repudiandi erant Judæi, civitas, et Sanctuarium dissipanda a Duce venturo, omnis Judaica natio vastanda, et illius desolatio in finem perseveratura; at Judæi non possunt negare, post occisum Jesum a Nazareth, vastatam fuisse Civitatem Jerosolymam sub Ducibus Vespasiano, et Tito, templum solo æquatum, omnia sacrificia extincta, Judæi per orbem dispersi, sub dura captivitate gementes: unde eleganter S. Hieronymus Epistola ad Dardanum ait, Judaicam nationem alloquens: *Quomodo clementissimus quondam Deus, qui nunquam tui ante oblitus fuit, nunc per tanta spatia temporum non adducitur, ut solvat captivitatem, et ut verius dicam, expectatum tibi mittat Anti-Christum? ob quod facinus, et tam execrabile scelus, avertit a te oculos suos? Ignoras voces parentum tuorum: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros? Et: Hic est hæres, venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas: et: Non habemus Regem, nisi Cæsarem? Habes quod elegisti, usque ad finem mundi serviturus es Cæsari; donec Gentium intret plenitudo, et quæ quondam eras in vertice, verteris in caudam.*

Objiciunt Judæi, multa esse vaticinia Prophetarum de futuro Messiæ adventu, quæ nullatenus in Jesum Nazarenum quadrare possunt: ergo ex his, quæ protulimus, non potest evidenter colligi ipsum esse verum Messiam. Ut probent *antecedens,* multos proferunt Scripturæ textus. Primo quidem, quod tempore Messiæ, ut legimus Isaiæ c. 11. *Habi-*

tabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit, vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Item Isaiæ 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium:* inde colligunt tempore Messiæ Templum Jerosolymitanum, et montem, in quo fundatum erat, supra omnes montes fore elevandum, etc. — **Verum respondeo**, Judæos his in proferendis et explicandis textibus turpiter hallucinari, et duplici errore laborare: quorum primus est, quod plurima, quæ de adventu Messiæ ænigmatice, spiritualiter, aut metaphorice dicta sunt, litteraliter velint intelligi, quales sunt textus mox laudati: secundus eorum error est quod duos non distinguunt Messiæ adventus: alium ut Salvatoris ad liberandos homines, alterum ut judicis ad judicandos; illum in humilitate, hunc in majestate et gloria. Hinc enim factum est, ut in conciliandis oraculis de futuro Messia multum laborent, nec tamen exitum inveniant: nam quædam vaticinia ipsum divitiis affluentem gloria et honore coronatum, omnium nationum sceptrum et imperium tenentem ac moderantem exprimunt: alia vero oracula eum designant futurum pauperem, abjectum, novissimum virorum, ab omnibus despectum: quocirca coguntur Judæi duos distinguere Messias, quorum unus sit pauper et humilis, alius dives et præpotens. — *Verum* quam hæc inania sint, et absque fundamento, satis colligitur ex Scriptura sacra, quæ unius Messiæ meminit: sed duplicem in eo distinguit adventum. Quod ita eleganter prosequitur S. Augustinus: Tractatu 1. in Joannem, expendens illud Psalmi: *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit:* ubi ait: *Siluit, ut judicaretur: non silebit cum cœperit judicare. Non diceretur, Manifeste veniet, nisi primo venisset occultus: nec diceretur, Non silebit, nisi quia primo siluit. Quomodo autem siluit? Interroga Isaiam: sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram eo, qui se tondet, fuit sine voce: sic non aperuit os suum. Veniet autem manifestus, et non silebit: quomodo manifestus? Ignis ante ipsum præibit, et in circuitu ejus tempestas valida.*

Adde quod apertissime revinci possit illa Judæorum pervicacia, et gravissimus error de duplici Messia ex cap. 35. Isaiæ, ubi prædicitur Messiæ nativitas, contemptus, persecutio, occisio, gloriosa resurrectio, et omnium populorum ad ipsum conversio, ut appareat eumdem Messiam esse, qui pauper et dives, abjectus et sublimis, et subjectus et omnium Dominus prænuntiatur, ut diximus supra.

Non expendimus hic rationes, quibus probatur Messiam Deum, et hominem esse debere: congruentiori namque ordine ista discutiemus, et resolvemus Disputatione secunda, demonstrando Incarnati verbi dignitates et præcellentias.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE UNIONE HYPOSTATICA.

Eam difficultatem nunc solvendam auspicamur de duarum conjunctione naturarum, quæ est velut forma, aut causa formalis Incarnationis, in qua caput et cardo vertitur omnium controversiarum, quæ in hoc mysterio agitari possunt, ut præclare advertit Leontius lib. 3.

Contra Nestorium et Eutichen, subtilis ac disertus Theologus his verbis : « Quandoquidem, *inquit*, universum bellum motum est de « modo Unionis, quem plerique ignorant, et idcirco omnibus in du- « bium venit, de hac unione philosophari oportet, ut scire possimus, « utrum de hoc ipso dissentiamus : an vero nobis de hoc consentien- « tibus quæstio sit, quid efficiat unio ; et utrum de rebus ipsis sit con- « troversia, an de vocibus res ipsas significantibus : sic enim quæstione « distincte habita, et veritate rerum ostensa, qui imperite, aut impie « contradicit, patefiat vel corrigendus, vel in judicio vituperandus. « Unionem autem divinitatis cum humanitate, alii secundum substan- « tiam factam esse affirmarunt ; alii secundum energiam ; alii secundum « voluntatem. Sunt autem, qui nimiam reverentiam in Deum vel haben- « tes, vel simulantes, nullo ex his modis factam esse dixerunt : sed « ineffabilem esse, et carere nomine, affirmarunt : sive ita haberent, « sive non, metuebant autem ne impietatis arguerentur. » Quibus signi- ficare videtur hæreticorum tergiversationem, qui ea ratione in conjun- ctione Divinitatis cum humanitate pia dogmata diligentius inquiren- dum esse vetabant, ut argumenta quibus redarguerentur, effugerent ; sola credulitate nos ea in re contentos esse debere affirmantes. — Verum nihil hæc prohibere possunt, quominus de unione ista laudabiliter, et fructuose disputent Catholici Theologi ; non ut eam penitus exploratam, perfectamque tenere se posse confidant : sed ut tantum assequantur, quantum per Scripturas, et Ecclesiæ magisterium doceri, et intelligere nos Deus ipse voluerit. Hoc autem imprimis venit in controversiam, quid sit ipsa Unio, seu assumptio, secundum se spectata ; demum quid præstet persona assumens : tandem quid spectandum sit ex parte naturæ assumptæ ; quæ ut distinctius, et evidentius appareant, de his instituendus est sermo tribus in sequentibus Sectionibus.

SECTIO PRIMA.

DE UNIONE HYPOSTATICA SECUNDUM SE SPECTATA.

Horum nominum, quibus ambarum in Christo naturarum conjunctionem Theologi Veteres explicare solent, ut Græcis usitata vocabula missa faciam, Latinis frequentia sunt hæc : *Unio, unitio, adunatio, consertio, sociatio, concordia, fœdus, fœderatio, confœderatio, confibulatio, connexio, contentio, concretio, conventio, mixtio, commixtio, mixtura, coaptatio, conversio, conjugatio* ; qua voce usus est Augustinus lib. 1. *De consensu Evangelistarum*, cap. 30. cum dixit : *Tamquam sponsus processit de thalamo suo, idest, conjugatum Verbum carni humanæ processit de utero Virginali.* Tamen *Unionis* vocabulum frequentius usurpatur a Theologis Scholasticis. — « Unio autem, inquit Euthymius Panopl. titulo 7. est rerum disjunctarum concursus in « mutuam communionem. Fit autem decem modis : vel *temperatione*, « ut in liquidis, velut vino et aqua ; vel *accumulatione*, ut in aridis « tritico et hordeo : vel *maceratione*, ut in humido et sicco, velut « terra, et aqua : vel *commixtione*, ut in diversis farinis : vel *confu- « sione*, ut in his quæ liquefiunt, velut auro et argento, cera et pice :

« vel quoad *augmentationem*, ut in lapidibus : vel *appositione*, ut in « tabulis : vel *substantia*, ut in individuis, Petro et Paulo, et equis « aut bobus aliquibus, atque animantibus cæteris : vel *habitudine*, ut « in amicis, et in animis in eamdem voluntatem conspirantibus : vel « *compositione*, ut in anima et corpore : quæ autem *in hypostasi* fit, « ea soli, quæ in Christo est, divinitati et humanitati competit. » Hæc Euthymius, de quo postremo unionis modo omnium arctissimo ac præstantissimo præsens sermo faciendus est, inquirendo 1. Quid illa sit : 2. Qualis : 3. Quis ejus terminus 4. Tandem an omnium unionum sit arctissima et præstantissima.

QUÆSTIO PRIMA.

QUID SIT UNIO HYPOSTATICA.

Notandum 1. Quoad præsentem Quæstionem spectat, triplicem distingui posse unionem : vel per appositionem, vel per compositionem, vel per sustentationem. Unio *per appositionem* unius ad alterum fit tripliciter, ut observat noster Alensis qu. 7. art. 1. Quia, inquit, aliquando unum unitur alteri per appositionem, ita quod ab ipso nec denominationem nec proprietatem contrahat; sic lapis apponitur lapidi in acervo, et fit unum ex ipsis per aggregationem, et tamen unus lapis ab altero denominationem non trahit, nec proprietatem. Aliquando vero ita unum apponitur alteri, ut ab ipso proprietatem excipiat, non vero denominationem ; sic flores, et res aromaticæ ac odoriferæ suum odorem manui imprimunt, ita quod ab eis manus contrahat proprietatem, nempe odorem, non vero denominationem ; quoniam manus dicitur quidem odorifera a flore, non tamen dicitur flos. Aliquando vero ita unum alteri conjungitur, ut hoc ab illo denominationem percipiat, non vero proprietatem : sic cum quis vestem induit, recipit denominationem a veste, et dicitur hoc aut illo modo vestitus : sed ab ea nullam proprietatem recipit secundum quam physice afficiatur.— Unio *per compositionem* fit maxime duobus modis, ratione duplicis formæ, vel substantialis, vel accidentalis, secundum quam fit unio. *Unio* enim *substantialis* ea dicitur, qua duæ substantiæ invicem uniuntur per modum actus et potentiæ, hoc est, per modum materiæ et formæ. Quod etiam fit dupliciter : nam aliquando in illa unione servatur natura utriusque extremi, eaque omnino distincta, sive interim fiat ex eis aliquod tertium, sicut ex unione animæ rationalis cum corpore humano fit tertium, nempe homo ; manente tamen utroque unito distincto, puta corpore et anima, quæ in homine distincta sunt : sive tertium aliquod ex unitis non resultet, sicut cum insertione surculi piri cum pomo, v. g. non resultat tertium, videlicet arbor aliqua, quæ nec sit pirum, nec pomum : aliquando vero non servatur utriusque natura : sed transeunt in tertiam entitatem ; et fit tertium aliquod ab extremis distinctum. *Accidentalis* unio est, qua vel accidens unitur substantiæ, ut albedo parieti, vel accidens accidenti, ut albedo quæ inest quantitati Eucharisticæ, vel substantia alteri substantiæ per modum aliquem accidentalem, ut materia formæ per unionem, quæ est relatio. — *Denique* unio per *sustentationem* ea est, qua natura aliqua,

vel rationalis assumitur in unitatem personæ, vel irrationalis assumitur in unitatem supposiți, vel accidentalis in unitatem subjecti sustentantis.

Notandum 2. Actionem unitivam duo extrema invicem sociare tripliciter: *Primo modo*, producendo totum compositum, simulque cum illo producendo utramque ejus partem : talis est creatio cæli, per quam tam materia, quam forma concreantur, et inter se uniuntur. *Secundo*, producendo tantum unum extremum, et illud jam alteri præexistenti uniendo. Talis est actio, qua educitur forma materialis de potentia materiæ : est enim productiva, et unitiva simul talis formæ cum materia. *Tertio modo*, actio est tantum unitiva, non vero productiva extremorum : sed solius compositi, quod ex conjunctione utriusque resultat; qualis est actio unitiva animæ cum corpore in resurrectione. Certum est autem Incarnationem non esse unitionem productivam utriusque extremi ; quippe Verbum æternum est, nec temporaneæ productioni obnoxium ; non etiam est productiva humanitatis ; quia actio qua producitur humanitas, alia est, ab unitiva ejusdem cum Verbo, ut patebit infra. — Difficultas est igitur, an illa actio, qua Verbum unitur humanitati, sit productiva alicujus termini formalis, tam a Verbo quam ab humanitate distincti, quo mediante humanitas illa cum Verbo uniatur. Circa cujus resolutionem variant auctores : nam Gregorius Ariminensis in 3. dist. 28. qu. 2. cui subscribit Gregorius a Valentia in 3. part. disp. 1. qu. 2. puncto 5. et plures alii, contendunt per hanc actionem unitivam, nihil fuisse productum in humanitate distinctum ab ea, per quod Verbo divino uniretur formaliter. — *Secunda* vero sententia est Gabrielis in 3. dist. 30. qu. 1. existimantis per actionem incarnandi produci quamdam qualitatem absolutam et supernaturalem, qua uniatur humanitas Verbo, eamque qualitatem appellat *Gratiam unionis*. — *Tertia* sententia est Suaris disp. 8. sect. 2. et Gabrielis Vasquezii disp. 18. cap. 3. asserentium formalem terminum prædictæ actionis unitivæ esse modum aliquem substantialem ; non realiter, sed ex natura rei dumtaxat ab humanitate distinctum, qui modus est fundamentum relationis, quæ intercedit inter humanitatem et Verbum. *Quarta* denique sententia est Doctoris in 3. dist. 1. qu. 1. n. 3. docentis per actionem incarnandi produci terminum formalem, nempe unionem, quæ est relatio extrinsecus adveniens, qua humana natura dicitur formaliter unita Verbo.

Notandum 3. Seu repetendum potius ex Logicis, quantum ad præsens institutum spectat, relationem categoricam dividi in *intrinsecus* et *extrinsecus* advenientem. Prior est, quæ resultat ex positis fundamento et termino, nihilque extrinsecum desiderat ad sui resultantiam : ut similitudo, quæ exurgit inter duo alba ; nam eo ipso quo alba sunt, similia sunt : posterior vero non exurgit præcise ex positione et existentia fundamenti et termini, sed insuper desiderat aliquid extrinsecum, sine quo non exurgeret : sic licet ignis et lignum comburendum existant, nullus tamen exurget respectus inter ignem transmutativum, et lignum transmutabile, nisi fiat utriusque approximatio. *Insuper*, relatio subdividitur in mutuam, et non mutuam. *Mutua* est, quæ habet relationem sibi correspondentem in termino, ad quem refertur. Sic paternitas habet filiationem sibi correspondentem. *Non mutua*, est quæ

talem correlationem non habet in suo termino. Sic scientia, quatenus terminatur ad scibile, non agnoscit in eo correlationem. Denique relatio mutua distribuitur in relationem *æquiparantiæ*, et *disquiparantiæ*, Prima est, quæ habet relationem ejusdem rationis et nominis in utroque extremo. Sic fraternitas in utroque fratre habet idem nomen, et eamdem rationem fundandi, puta originem ab eodem patre. Secunda vero similem in altero extremo relationem non agnoscit.

His ita prælibatis tria maxime sunt impræsentiarum discutienda: *Primum*, an unio hypostatica sit aliquid reale creatum, ab humanitate et Verbo realiter distinctum: *Secundum*, an sit quid substantiale vel accidentale, idque vel absolutum vel respectivum: *Tertium*, an ex hypothesi, quod sit relatio, illa sit mutua vel non mutua, æquiparantiæ vel disquiparantiæ.

Conclusio prima. — Unio hypostatica est ens reale creatum, realiter ab extremis distinctum. Hæc Conclusio tres partes continet, quarum duæ priores satis superque patent, et apparebunt evidentius ex probatione tertiæ.

Prima quidem constantissima est: illud enim est ens reale, per quod humanitas a Verbo assumpta realiter distinguitur ab aliis humanitatibus non assumptis: sed per unionem hypostaticam humanitas assumpta ita distinguitur ab aliis, quippe personaliter unitur Divinitati, cui cæteræ non ita sociantur, et habet dependentiam personalem a Verbo ipsam personante, quam non habent cæteræ humanitates, quæ suis propriis subsistentiis, et personis subsistunt: igitur, etc.

Secunda pars etiam clara est: illud enim est creatum, quod cœpit in tempore: sed hypostatica unio incœpit in tempore, sicut et ipsa humanitas assumpta: igitur est quid creatum. *Deinde*, illud revera creatum est, quod est effectus omnipotentiæ divinæ: at, ut supra diximus, unio hypostatica præstantissimus est effectus omnipotentiæ divinæ: igitur est ens creatum. *Denique*, quidquid increatum est, Deus est vel realiter, vel personaliter, vel formaliter: hæc autem unio non est Deus essentialiter, neque etiam personaliter, quia licet fiat per unionem Verbi cum humana natura, attamen ipsa natura humana sic unita non est Deus: sed vera creatura: igitur ex ipsius parte unio est quid creatum.

Probatur tertia pars: Omni actioni productivæ debet assignari terminus, qui per illam producatur: nam producere et produci sunt correlata: atqui unio hypostatica est effectio seu actio productiva: ergo debet habere aliquem terminum: sed ille terminus non potest esse alius, quam unio copulans Verbum cum natura humana. Nam vel terminus ille esset Verbi subsistentia, vel humanitas assumpta: at *non primum*; quippe Verbi subsistentia increata est, et ab æterno existens. *Non etiam secundum*, quia, ut dicemus infra, humanitas producta fuit per actionem distinctam ab actione assumptiva seu unitiva; quippe actio productiva humanitatis fuit generatio, ad quam Virgo Deipara suum præbuit concursum; quæ tamen non influxit præcise in actionem unitivam humanitatis cum Verbo: ergo illa actio unitiva seu productiva in Incarnatione non potuit habere alium terminum, quam ipsam unionem: terminus autem productus realiter distinguitur

ab extremis non productis : ergo unio producta realiter distinguitur a Verbo, et ab humanitate.

Reponunt Adversarii, duplicem esse actionem, aliam quidem productivam termini, aliam vero dumtaxat unitivam : et quidem priorem semper habere terminum aliquem ; posteriorem vero minime, ut constat ex variis rebus naturalibus, puta unione animæ ad corpus, formæ ad materiam ; etc. quæ se ipsis immediate, et sine ulla entitate media de novo producta inter se uniuntur. Unde cum hæc actio, de qua loquimur, sit tantum unitiva, non requirit terminum de novo productum. — **Contra** *primo* falsum est, et gratis asseritur animam cum corpore, et formam cum materia immediate uniri ; quippe sociantur invicem mediante ipsa unione, quæ est relatio extrinsecus adveniens, qualis etiam est unio hypostatica, ut mox dicemus. Deinde, etiamsi hæc vera essent, non tamen valeret paritas, nam extrema unionis illarum rerum naturalium sunt ejusdem ordinis, habentque naturalem et intrinsecum ordinem ad se invicem, proindeque majorem affinitatem et facilitatem, ut invicem immediate socientur : at vero extrema unionis hypostaticæ sunt omnino diversi ordinis, neque ex natura sua habent intrinsecum ordinem ad se invicem ; quare ut inter se socientur, et ex illis fiat quid unum, debet produci aliquis formalis terminus, quo invicem uniantur.

Reponunt secundo, per actionem incarnati Verbi non produci quidem Verbum, nec humanitatem, nec etiam unionem ipsam, sed dumtaxat Christum, compositum videlicet ex humanitate et divinitate : sicut, proportionaliter loquendo, terminus productus per humanam generationem, neque est anima rationalis, cum illa fiat per creationem ; neque corpus, quia supponitur generationi, cum solam importet materiam, ut radicem quantitatis ; sed terminus generationis est ipsum suppositum humanum. — **Contra**. *Primo*, minus verum est per generationem non produci corpus substantiale, est enim revera terminus partialis illius actionis, ut probavimus in Physicis. Secundo, licet Christus Dominus sit terminus *qui*, seu totalis actionis unitivæ, non tamen est ejus terminus formalis : actio autem illa unitiva non solum debet habere terminum totalem de novo productum, sed etiam terminum formalem, quo scilicet extrema invicem socientur : etenim non potest intelligi quomodo terminus *qui*, seu totalis producatur, nisi per productionem termini formalis : ergo si actio unitiva terminum *qui*, seu totalem producat, etiam producet terminum *quo*, seu formalem : non enim posset intelligi qualiter per actionem aliquid producatur, nisi aliquid habeat esse existentiæ, quod antea non habebat ; nam per productionem res transit a non esse existentiæ ad illud esse : at per actionem unitivam, neque Verbum, neque humanitas transeunt a non esse existentiæ ad esse existens ; quippe Verbum præexistebat ab æterno, et humana natura saltem prius prioritate naturæ existebat, quam assumeretur : igitur per illam actionem productivam debuit aliquid distinctum ab humanitate, et Verbo produci, quod accipiat esse, quo prius carebat.

Probatur secundo: Per incarnationem humanitas fit dependens a supposito Verbi, et per aliquid de novo formaliter fit dependens ; non enim potest intelligi qualiter ex non dependente fiat de novo depen-

dens, nisi interveniat aliqua ratio formalis hujus dependentiæ: illud autem non potest esse aliud ab ipsa unione, quatenus distincta ab utroque extremo: nam illud per quod de novo humanitas dependet a Verbo, vel est quid distinctum ab ipso Verbo, vel non: si sit, habemus intentum: si non, quomodo fieri potest, ut illa duo extrema dicantur invicem uniri, magis quam erant antea? quippe idem manens idem, semper facit idem, et eamdem sortitur appellationem: igitur non potest intelligi quomodo humanitas, quæ prius non erat unita, fiat unita Verbo, nisi accipiat aliquid in unione, quod antea non habebat. *Deinde*, actualis illa unitio humanitatis cum supposito Verbi divini, vel dicit solam indistantiam Verbi ab humanitate, vel dicit aliquid aliud in ea receptum, et ipsi superadditum, quo licet æque sit indistans ab aliis divinis personis, tamen potius censetur unita Verbo, quam Patri, et Spiritui sancto. Primum dici nequit: quia Verbum divinum non magis est indistans a sua humanitate, quam a nobis omnibus: Deus enim Cælum et terram implet immensitate suæ divinitatis. *Adde quod* talis indistantia est communis tribus divinis personis, quippe fundatur in attributo illius divinæ immensitatis: nec tamen omnes divinæ personæ sunt unitæ hypostatice humanitati: igitur actualis unitio cum Verbo non dicit indistantiam humanitatis ad Verbum divinum: ergo dicit aliquid aliud in ipsa humanitate receptum, et de novo productum: ergo, etc. *His adde quod* si Deus impediret ne propria subsistentia promanaret ab aliqua natura humana singulari, quamtumvis Verbum ab ipsa foret indistans, non propterea diceretur subsistere ejus subsistentia: igitur ut talis dicatur, debet habere aliquid de novo receptum, quod antea non habebat.

Dices 1: Ex Symbolo S. Athanasii, *sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus:* atqui corpus et anima rationalis uniuntur seipsis immediate, et non aliquo medio, quod in eis producatur: ergo natura humana unitur Verbo seipsa immediate. — **Nego minorem**: falsum enim est, quod anima rationalis et corpus invicem immediate uniantur: nam earum unio se habet quemadmodum reliquæ uniones, quæ fiunt per compositionem physicam, ad quas requiritur aliquod agens extrinsecum, quod efficienter conjungat extrema: licet enim materia et forma, idem dicendum de corpore et anima, ut sunt actus, et potentia, seipsis uniantur in genere causæ materialis et formalis, tamen in genere causæ efficientis conjunguntur invicem efficienter per causam productivam, quæ causat ipsam unionem: hinc est, ut probavimus in Physicis, quod totum realiter distinguatur a partibus simul sumptis, et unitis. Idem dicendum de unione Verbi cum natura humana; quia licet natura humana habeat potentiam obedientialem ad subsistendum subsistentia Verbi, et in Verbo sit virtus, ut reddat illam subsistentem: tamen cum subsistentia Verbi adveniat naturæ humanæ Christi personaliter, et ab extrinseco, requirit actionem agentis supernaturalis, quod utrumque conjungat aliqua unione, qua posita, personalitas Verbi illabitur naturæ humanæ, et per modum causæ formalis influit in illam, ut subsistendi ei virtutem conferat.

Dices 2: Si unio esset aliquid medium inter naturam humanam, et Verbum, sequeretur quod esset simul creata, et increata, corporea et spiritualis; creata quidem ratione humanitatis, increata vero ratione

Verbi; corporea ratione partium corporis, quibus Verbum unitur, et incorporea ratione animæ: at hoc repugnat: igitur, etc. — **Respondeo**, unionem illam non posse dici increatam, utpote cum non sit realis ex parte Verbi, ut mox dicemus; sed duntaxat creatam, quæ ut sic potest esse spiritualis et corporea, extensa et inextensa; ratione scilicet partium unitarum; cum enim illa unio sit relatio, ut statim dicemus, has omnes appellationes potest sortiri, non ratione sui, sed ratione extremorum, quæ referuntur, relatio enim ex se neque est materialis, neque spiritualis, extensa aut inextensa, sed duntaxat ratione extremorum, quæ refert.

Dices 3: Si necessaria esset unio inter humanitatem, et Verbum, maxime quia extrema realiter distincta nequeunt actu uniri sine aliquo medio reali ab utroque extremo realiter distincto: sed hæc ratio nulla est: exinde enim sequeretur dari processum in infinitum in unionibus: nam si extrema realiter distincta nequeunt actu uniri sine medio reali, et realiter distincto, modus unionis distinctus realiter ab humanitate et Verbo, non posset etiam illis sine aliquo vinculo realiter distincto copulari, de quo eadem recurreret difficultas: et rursus de alio, et sic procederetur in infinitum. — **Nego minorem**: nec enim nostra assertio, qua contendimus realiter distincta non posse invicem uniri sine aliquo distincto realiter, intelligenda est universaliter, de quibuscumque realiter distinctis, sed de illis solum, quæ ita sunt realiter distincta, ut unum eorum non habeat pro ratione essentiali esse alteri conjunctum: modus autem unionis cum habeat pro sua ratione essentiali, quod sit nexus duorum extremorum, atque ita sit ipsi essentiale alteri connecti, ut *quo*, hinc non exigit copulari extremis per aliud vinculum a se distinctum: sed immediate per seipsum, quod enim est essentialiter tale, nequit fieri tale per aliquid a se distinctum; sicut enim essentiale est accidenti, subjecto inhærere, non indiget aliquo medio realiter distincto, ut inhæreat.

Dices 4: Per illud Verbum divinum unitur actu et formaliter humanitati assumptæ, per quod exercet in ea rationem termini, et ultimi complementi: sed illud exercet formaliter per suam personalitatem, absque aliquo alio intermedio: ergo per illam formaliter absque aliquo etiam modaliter distincto illi unitur. *Major* est evidens: cum enim Verbum uniatur naturæ humanæ per modum termini ultimi, et complementi, necesse est ut id per quod illi unitur, sit ipsum actuale exercitium terminandi. *Minor* vero probatur: nihil creatum potest esse actuale exercitium, sive actus secundus virtutis terminativæ personalitatis Verbi ad extra: ergo Verbum divinum exercet formaliter rationem termini naturæ humanæ per solam suam personalitatem. — **Distinguo majorem**: per illud Verbum divinum unitur actu per quod exercet rationem termini *quod*, nego: termini *quo*, concedo. *Minorem* similiter distinguo: per suam personalitatem exercet rationem termini *quod* absque ullo medio, quia scilicet ipsa sit, quæ terminat communicationem naturæ humanæ, concedo: termini *quo*, nego: nam terminat illam communicationem ratione unionis sui ipsius cum illa: unio autem illa non est terminus formaliter, sed ratio, qua mediante Verbum terminat illam communicationem.

Dices denique: Subsistentia propria unitur seipsa, et nullo alio

medio propriæ suæ naturæ: igitur multo magis subsistentia Verbi unitur immediate humanitati. — **Nego consequentiam**; et ratio disparitatis est, quod subsistentia propria resultat necessario ab ipsa natura particulari, nisi aliunde præpediatur; subsistentia autem Verbi advenit ab extrinseco, idcirco requirit unionem, ut humanitati conjungatur.

Conclusio secunda. — UNIO HYPOSTATICA EST RELATIO EXTRINSECUS ADVENIENS. Ita Doct. in 3. dist. 1. qu. 1. num. 3. ubi ait: *Dico quod ista unio non dicit per se aliquid absolutum: quia quocumque absoluto intellecto in altero extremo non intelligitur perfecta ratio unionis, quia unio non intelligitur ad se; sive igitur concomitetur absolutum in uno extremo, sive in duobus, cum non sit nihil, saltem dicit unio relationem, etc.* Quibus Doctor aperte docet unionem esse relationem, relatio enim est, cujus totum esse est ad aliud se habere: atqui unio tota est ad aliud: igitur est relatio. *Major* constat ex Logicis. *Minor* probatur: nam sicut concipi nequit relatio, nisi per ordinem ad id cujus est relatio: ita nec potest concipi unio, nisi per ordinem ad ea, quorum est unio. — *Deinde*, quocumque absoluto concepto in extremis, non tamen concipitur extremorum unio: ergo illa non est quid absolutum. Patet *antecedens*, quia absolutum concipitur per ordinem ad se: unio autem concipi nequit, nisi per ordinem ad extrema, quæ uniuntur. — *Denique*, illa entitas dicenda est pura relatio, quæ non potest concipi, nisi per modum determinationis actualis unius ad aliud, et nullum aliud habet munus: sed entitas superaddita extremis unitis non potest concipi, nisi per modum determinationis actualis unius extremorum ad aliud, neque est aliud munus reperiendum in ista unione; prorsus igitur est pura relatio. *Major* constat: siquidem similitudo est pura relatio, et non involvit formaliter aliquid absolutum, quia non potest aliter intelligi, quam per modum determinationis unius subjecti, v. g. ad aliud. *Minor* etiam apparet: quia non aliud cogitari potest munus unionis, quam ut unum extremum determinet ad aliud, ut cum ipso unum efficiat: igitur hac ratione est pura relatio. — *Confirmatur:* si unio non sit relatio, maxime quia vel debet esse qualitas supernaturalis humanitati superaddita, ut vult Gregorius; vel modus aliquis substantialis, ut docet Suarez: sed neutrum potest affirmari. Non quidem *primum:* tum quia, ut docet Doct. mox laudatus num. 12, illa qualitas supernaturalis maxime requireretur per modum dispositionis, ut natura humana fieret proxime apta ad unionem cum Verbo: at hoc est frustraneum; quia cum sit in potentia obedientiali ad illam unionem seipsa unibilis est, itaque nullam requiret qualitatem dispositivam; tum quia unio in suo conceptu formali dicit intrinsece ordinem ad duo: igitur vel est relatio, vel illam intrinsece includit; nam totum esse unionis est in ordine ad aliud: sed illa qualitas neque est relatio, neque illam includit intrinsece; igitur non potest habere rationem unionis. *Secundum etiam dici nequit;* quia vel talis modus substantialis admittitur, ut Verbum, et natura humana invicem dicantur uniri; vel ut sit fundamentum unionis: sed nullum horum recte affirmatur. Non primum, tum quia idem modus substantialis admittendus esset in cæteris unionibus, puta inter materiam et formam, quod falsum est; nam Aristoteles non cognovit talem

modum; sed in composito tria tantum distinxit, scilicet materiam, formam, et compositum; tum quia talis modus substantialis esset aliquid præter humanitatem, et Verbum, et sic esset assumptus a Verbo, vel non: si sic, ergo est aliquid assumptum a Verbo præter humanitatem: si non, ergo est aliquid in Christo, quod non est assumptum: utrumque autem hoc est absurdum. Non etiam secundum, quia natura humana est sufficiens fundamentum illius relationis, et unionis sui ipsius cum Verbo: igitur modus ille substantialis videtur inutilis.

Dices 1: Quod spectat ad complementum substantiæ creatæ est ens substantiale, et absolutum: atqui unio hypostatica spectat ad complementum substantiale humanitatis a Verbo assumptæ, quippe supplet vim illius personalitatis: igitur, etc. — **Respondeo distinguendo majorem**: Quod spectat ad complementum substantiale per modum alicujus intrinseci est ens substantiale et absolutum, concedo: quod spectat ad complementum per modum alicujus extrinseci est ens absolutum et essentiale, nego. *Minorem* similiter distinguo: unio hypostatica spectat ad complementum humanitatis per modum alicujus intrinseci, nego: extrinseci, concedo: itaque hypostatica unio denominari quidem potest substantialis extrinsece, et per ordinem ad extrema quæ dicuntur uniri, et quorum est vinculum: non autem per respectum ad propriam entitatem, quippe cum illa sit relatio, est pariter accidens. *Respondeo 2.* Negari posse *minorem:* siquidem, ut probavimus in Metaphysicis, suppositum non est modus aliquis substantialis, et absolutus, sed tantum negatio duplicis communicabilitatis, ut *quo,* et ut *quod:* igitur falsum est, quod hac ratione sit de complemento substantiali humanitatis.

Dices 2: Ex Aristotele 5. Physicorum, ad relationem non datur motus: sed unio hypostatica producitur quasi per motum: igitur non potest esse relatio. — **Respondet Doctor** in 3. dist. 1. qu. 1. nu. 15. Philosophum esse intelligendum de relationibus exorientibus ex positione extremorum, ad quas non est necessaria aliqua actio, ut resultent: non autem de relationibus extrinsecus advenientibus. Triplex enim, inquit, relationis genus distingui potest; nam aliæ identificantur fundamento, quales sunt omnes illæ, sine quibus fundamentum nequit existere, ut sunt dependentiæ creaturæ ad Creatorem: aliæ non identificantur quidem fundamento, quia hoc sine illis esse potest; sed necessario resultant ex posito termino et fundamento, ac ratione fundandi, ut sunt similitudines inter duo alba; denique sunt quædam relationes, quæ nec identificantur fundamento, nec ab ipso necessario sequuntur; sed præter fundamenti et termini existentiam, requirunt adhuc aliquam conditionem extrinsecam: sic requiritur approximatio ignis ad lignum, ut fiat relatio agentis ad passum; Philosophus autem loquitur de relationibus primo et secundo modo sumptis; non autem de extrinsecus advenientibus; nam, inquit Doctor, *Philosophus ibidem admittit motum ad Ubi, et tamen Ubi nullam formam absolutam dicit, sed tantum respectum in corpore circumscripto ad locum circumscribentem.*

Dices 3: Non potest res aliqua aliter se habere in ordine ad aliud, nisi prius aliter se habeat in ordine ad se: sed natura humana per unionem hypostaticam aliter se habet in ordine ad Verbum ratione unionis, qua ad ipsum refertur: igitur debet etiam aliter se habere in

ordine ad se. At non potest aliter se habere in ordine ad se, nisi aliquod absolutum recipiat quod antea non habebat: ergo non potest habere unionem, qua mediante aliter se habet ad Verbum, quam ante, nisi habeat in se aliquod absolutum, quod antea non habebat. — **Distinguo majorem**: Nisi prius aliter se habeat in ordine ad se, quando se habet ad aliud per relationem primi, aut secundi generis, concedo: per relationem tertii generis, seu extrinsecus advenientem, nego. Per hanc enim potest aliquis optime se aliter habere ad aliud de novo, quin aliter se habeat in ordine ad se, per aliquam formam distinctam ab ipsa relatione, quia ipsa relatio ipsi advenit ab extrinseco, et per causam efficientem.

Dices 4: Unio hypostatica non est accidentalis, sed substantialis, ut determinatum est in Concilio Ephesino Canone 2: igitur unio illa debet esse quid substantiale, non vero accidens: at omnis relatio est accidens: ergo unio hypostatica non est relatio. — **Respondeo**, unionem hypostaticam appellari *substantialem*, non quod ipsa unio non sit accidens, sed quod sit substantialis, et intrinseca conjunctio personæ Verbi cum natura humana, ita ut illa unio non fiat dumtaxat per affectum, et gratiam sanctificantem, ut volebat Nestorius, sed fiat substantialiter ex eo, quod personalitas Verbi seipsa substantialiter reddat humanam naturam Christi subsistentem; vel inquantum in personalitate Verbi, quæ est substantia, unitur natura humana cum divina; quod utique sufficit ad solvenda Conciliorum oracula; non enim aliud intendunt, quam quod Verbum substantialiter unitur humanitati, et quod ipsa substantia naturæ humanæ subsistit per istam substantialem Verbi subsistentiam; sicut natura divina eadem subsistentia Verbi subsistit, et ipsa media utraque natura divina, et humana invicem substantialiter sociantur.

Petes: ad quodnam e sex ultimis prædicamentis hæc relatio unionis hypostaticæ revocanda sit? — *Respondeo*, verisimilius esse ipsam esse revocandam ad prædicamentum *Passionis*; nam per actionem unitivam natura humana veluti transmutatur, dum recipit illam unionem sui cum Verbo: ergo unio est in humanitate per modum termini relationis transmutati ad transmutans; in qua relatione consistit ratio prædicamenti passionis.

Dices: Unio est terminus Incarnationis effective, seu quatenus est actio: sed passio non est terminus actionis, sed transmutationis: igitur unio non est passio. — **Respondeo**, quod quemadmodum in calido producto ab igne est duplex relatio, una quidem producentis ad calidum productum, quæ est intrinsecus adveniens, quia resultat ex posito fundamento, et termino; altera subjecti transmutati, v. g. ligni ad ignem transmutantem, quæ est relatio extrinsecus adveniens, qua formaliter subjectum dicitur uniri calori: ita in persona Christi constante duabus naturis est duplex relatio: una producti ad producens, quam dicit Christus; vel unio ipsa per ordinem ad totam Trinitatem; et hæc relatio est intrinsecus adveniens, quæ est posterior unione, et Christo, posterioritate videlicet naturæ: alia est transmutati ad transmutantem, per quam humanitas, quæ est veluti subjectum, refertur ad Trinitatem unientem, et ad Verbum, ut ad terminum, et extremum unionis, quæ

relatio est extrinsecus adveniens, et est vinculum, quo humanitas denominatur unita Verbo.

Conclusio tertia. — UNIO HYPOSTATICA FORMALITER ET PROPRIE SUMPTA EST RELATIO NON MUTUA, ET DISQUIPARANTIÆ. — Ita Doctor loco supra laudato, ubi ait: *Saltem dicit unio relationem, non autem communem, quæ sit ejusdem rationis in utroque extremo, qualis est similitudo, quia non est habitudo ejusdem rationis in natura assumpta, et persona assumente; persona autem assumens nullam habet relationem realem ad naturam creatam,* ex dist. 30. lib. 1. *e converso autem nisi natura ita assumpta haberet relationem ad assumentem, nihil intelligeretur per se per istam unionem: nec illa relatio in natura assumpta est tantum res rationis, quia tunc ipsa unio non esset realis. Est igitur ista unio relatio disquiparantiæ realis in uno extremo: cui in altero nulla relatio correspondet, vel saltem nulla realis.* Ita Doctor. Quibus aperte docet, *primo* quidem relationem illam non esse mutuam, quia non habet correlationem realem ex parte Verbi: *secundo*, esse relationem disquiparantiæ, quia si aliqua sit correlatio ex parte Verbi, illa nec est realis, nec ejusdem rationis cum relatione, qua humana natura refertur ad Verbum.

Probatur autem prima pars, nempe quod relatio sit realis ex parte naturæ humanæ, non autem ex parte Verbi. Est, inquam, realis ex parte naturæ humanæ, quia Verbum, et humanitas sunt realiter unita: ergo per unionem, et relationem realem: sed relatio non potest esse realis ex parte Verbi, ut mox dicemus; ergo saltem realis censeri debet ex parte naturæ humanæ, cui unitur. *Adde quod* natura humana in Incarnatione fuit capax recipiendæ novæ entitatis, per quam realiter se haberet aliter quam antea, et præexistebat prius natura ad ipsam unionem: sed per nullam entitatem absolutam potuit sic realiter mutari; quippe nulla potest excogitari talis entitas, quæ esset mutationis principium: igitur talis mutatio, vel affectio, refundenda est in ipsam relationem realem unionis. Quod autem similis relatio realis non sit petenda ex parte Verbi, constat: *tum* ex eo quod Verbum est Deus, subindeque ob suam immutabilitatem est incapax omnino novæ entitatis; reciperet autem novam entitatem si unio illa realis esset ex ipsius parte: ergo, etc. *Tum quia* omne relativum reale in relationibus mutuis dependet a suo correlativo; quippe correlativa simul sunt natura et cognitione: Verbum autem, cum sit Deus, est etiam summe independens: igitur nullam potest habere rationem relationis dependentis, nec subinde aliquam correlationem realem. *Tum denique* quia Deus est ens summe necesse esse: ens autem summe necesse esse non exigit aliud a se, sed sibi sufficientissimum est: hoc autem relationi reali competere nequit; quippe fundamentum et terminum necessario exigit, tum ut sit, tum ut conservetur.

Probatur secunda pars, nempe quod illa relatio sit *disquiparantiæ*: etenim illa relatio est disquiparantiæ, quæ non est ejusdem rationis et denominationis in extremis: sed ita est de relatione unionis hypostaticæ, nam in natura humana vocatur relatio dependentis, et personati; in Verbo autem relatio independentis, et personantis; hæ autem denominationes et relationes diversæ sunt: igitur relatio unionis hy-

postaticæ est relatio disquiparantiæ. *Minor* patet; nam natura humana dependet a Verbo tamquam a proprio sustentante: cum enim ipsa careat propria subsistentia, omnem vim suam subsistendi mutuatur a Verbo.

Dices *contra primam partem:* Tam realiter Verbum dicitur unitum humanitati, quam humanitas Verbo: igitur si relatio unionis sit realis ex parte relationis humanæ, talis pariter erit ex parte Verbi. — **Respondent aliqui**, equidem unionem esse realem ex parte Verbi, nec propterea illud mutari per Incarnationem, quoniam ab æterno præhabuit illam unionem propter continentiam eminentialem, qua Deus cuncta continet. *Verum* hæc responsio difficultatem majorem ingerit: sequeretur enim, quod si per illam continentiam eminentialem Verbum dici posset unitum realiter, quod esset incarnatum ab æterno; quippe habuit ab æterno continentiam eminentialem illius realis unionis; quod cum falsum sit, quia necessum fuisset, ut fieret transitus a continentia eminentiali ad formalem, ut formaliter diceretur unitum; sicque hac ratione fieri mutationi obnoxium; idcirco *respondeo* distinguendo *majorem:* tam Verbum dicitur realiter unitum humanitati, quam humanitas Verbo, in ratione terminantis, concedo: in ratione subjecti, nego. Realiter enim Verbum terminat per suam subsistentiam communicabilitatem naturæ humanæ, eamque reddit incommunicabilem personaliter; et ratione illius terminationis dicitur personaliter unitum humanitati, quia easdem vices gerit, ac gereret hypostasis propria: non autem dicitur realiter unitum subjective, quia illa relatio realis unionis non subjectatur in ipso, sicut in natura humana.

Instabis: Non solum terminative, sed etiam formaliter Verbum est unitum humanitati; igitur necessario debet habere in se formalem unionem; nihil enim denominatur formaliter, nisi a forma inexistente: ergo si Verbum sit formaliter unitum, necessum est, quod habeat in se formalem unionem, hoc est relationem unionis. — **Distinguo antecedens:** Illud dicitur formaliter unitum, quatenus *formaliter* significat substantialem, et personalem unionem naturæ humanæ cum divina, mediante persona Verbi, sive interim illa unio resideat subjective in Verbo, sive tantum terminative, concedo: dicitur formaliter unitum, quatenus *formaliter* petitur a forma inexistente subjective in ipso Verbo, nego. Nec mirum videri debet, quod interdum aliquid denominetur formaliter tale a forma in alio existente, et dumtaxat ad se terminata: quippe id commune est relationibus tertii generis: sic enim Deus dicitur formaliter Creator ratione relationis creaturæ ad ipsum terminatæ. *Adde quod*, unio hæc sit singularis, et prorsus ineffabilis; nec illius clarissimum exemplum natura referat.

Petes: ad quod genus causæ, vel efficientis, formalis, aut materialis, reducenda sit relatio dependentiæ, et unionis naturæ humanæ ad Verbum? — **Respondet Doctor** loco laudato, solutionem hujus quæsiti esse difficilem, quia assignari non potest aliqua similis dependenti in rerum natura; attamen dicit illam posse congrue revocari ad *causam efficientem*, quia dependentia particularis naturæ humanæ assumptæ a Verbo est distinctæ rationis ab omni dependentia effectus ad causam, quippe omnis dependentia effectus ad causam fundatur in entitate accepta a causa; at humanitas non solum a Verbo, sed a Patre, et Spi-

ritu sancto dependet secundum suam entitatem, et etiam secundum unionem suam effectivam; quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. *Adde quod* Verbum divinum gerit vices proprias suppositi ipsius naturæ humanæ: suppositum autem non terminat naturam cujus est suppositum in genere causæ efficientis: ergo nec suppositum Verbi terminabit dependentiam naturæ humanæ in genere causæ efficientis. Non etiam revocari potest ad genus causæ formalis, quia Verbum non potest habere rationem formæ respectu humanitatis; siquidem forma est pars compositi; Verbum autem non potest habere rationem partis, quippe pars est ens incompletum dicens ordinem ad aliam partem per cujus unionem compleatur et perficiatur. Igitur restat, ut dependentia naturæ humanæ a Verbo assimiletur dependentiæ accidentis a causa materiali, non quatenus illa est receptiva accidentis, sed quatenus est illius sustentativa in ratione subjecti. Nam, inquit Doctor, accidens ad substantiam, sive ad subjectum suum duplicem habet habitudinem: unam tamquam ad subjectum, quod informat, et perficit, et sine quo non haberet completam rationem formæ: aliam vero tamquam ad subjectum, a quo sustentatur, et sine quo non existeret. Prin a ex his duabus dependentiis arguit imperfectionem, non solum in accidente, sed etiam in subjecto; quia arguit potentialitatem in subjecto ad accipiendum accidens, a quo informetur et perficiatur; altera vero dependentia non arguit imperfectionem in subjecto; quia sustentare aliud, aut terminare ejus dependentiam, præcise non dicit imperfectionem. Possumus igitur asserere dependentiam naturæ ad Verbum assimilari huic secundæ dependentiæ accidentis ad subjectum, non vero primæ: quia hæc imperfectionem sonat, quippe connotat necessitatem, quam subjectum habet, ut perficiatur ab accidente; illa vero non ita: imo significat virtutem inesse subjecto, qua terminare possit, et sustentare accidens.

Quæres: *an* creatio *animæ Christi,* generatio *illius humanitatis, et ejusdem* unio *cum Verbo, sint tres actiones distinctæ realiter?*

Affirmo contra quosdam Thomistas, contendentes actionem productivam, et unitivam humanitatis esse eamdem; ita quod unio illa sit productiva humanitatis non in se, sed in Verbo; quod idcirco asserunt, ut excludant existentiam creatam ab humanitate Christi, astruantque illam existere existentia Verbi. Ita præ cæteris Cabrera in 3. part. art. 11. disp. 2.

Probatur nostra assertio: Distinctio realis et specifica actionum petitur ex reali et specifica distinctione terminorum: sed creatio animæ Christi, humanitatis generatio, et ejusdem unio cum Verbo, habent distinctos terminos: ergo sunt actiones realiter diversæ. *Majorem* admittunt Thomistæ: *Minor* probatur: terminus creationis est ipsa anima Christi producta e nihilo: terminus formalis generationis est humanitas secundum se spectata: terminus autem unionis, seu actionis unitivæ, est ipsa unio, qua duæ illæ naturæ dicuntur formaliter unitæ: sed illi termini sunt distincti; nam humanitas plus dicit, quam sola anima: et similiter Christus, quatenus constans duabus naturis invicem unitis, plus dicit, quam dicant illæ duæ naturæ seorsim spectatæ: igitur actiones illæ sunt realiter diversæ. — *Deinde*, actiones illæ sunt diversæ, quæ sunt diversi ordinis: at tales sunt præfatæ: nam creatio

animæ Christi, et generatio illius humanitatis, sunt ordinis naturalis, unio vero ejusdem humanitatis cum anima est ordinis supernaturalis: unde creatio animæ solum Deum habet principium, ut auctorem naturæ, generatio vero habet etiam beatam Virginem, ut causam saltem minus principalem: unio vero hypostatica solum Deum agnoscit principium, ut auctorem gratiæ et ordinis supernaturalis: igitur actiones illæ sunt diversæ. — *Denique*, actio creativa distinguitur realiter ab ea, quæ non est creatio: sed productio animæ Christi est actio creativa: generatio vero humanitatis non est creatio, sed generatio: similiter unio hypostatica non est etiam creatio, nec generatio, sed extremorum jam existentium unio: igitur sunt actiones diversæ.

Objicies 1. SS. Patres docentes humanitatem Christi simul fuisse productam, et unitam Verbo. Sic S. Leo Epist. 11. quæ est ad Julianum Episcopum Coënsem: *Natura nostra*, inquit, *non sic assumpta est, ut prius creata postea assumeretur: sed ut ipsa assumptione crearetur.* Similiter S. Fulgentius lib. *De Incarn. et gratia*, cap. 3. *Ipsa acceptio carnis fuit conceptio Virginalis.* — Respondeo, SS. Patres non agere de unitate, aut distinctione, sed tantum de coexistentia, aut concomitantia illarum actionum: docent quippe contra hæreticos non prius animam fuisse creatam, nec humanitatem prius tempore genitam, quam fuerit unita Verbo: sed eodem instanti temporis formatam, et unitam fuisse, ut ipsimet aperte tradunt: nam S. Leo agit contra Eutychen, quem arbitratur renovare Origenis dogma, quod anima Christi prius fuerit in cælo collocata, quam de Virgine nasceretur. Hinc post præfata verba subdit: *Unde quod in Origine merito damnatum est, qui animarum, antequam corporibus insererentur, non solum vitas, sed et diversas fuisse asseruit actiones, necesse est, ut etiam in isto* (Eutyche) *nisi maluerit sententiam abdicare, plectatur.* Igitur sententiam nostram non impugnat, imo propugnat, nam subdit: *Nativitas enim Domini secundum se, quamvis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendat: sive quod solus ex sancto Spiritu ab inviolata Virgine sine concupiscentia carnis est conceptus, et natus; sive quod ita e visceribus matris est editus, ut et fœcunditas pareret, et Virginitas permaneret: non alterius tamen naturæ erat ejus caro, quam nostra, nec alio illi, quam cæteris hominibus, anima est inspirata principio.* Igitur animæ, et humanitatis Christi formatio idem fuit principium, et consequenter eadem actio productiva, qua et nos producimur, nempe vera creatio, et generatio. Et subinde SS. Patres dumtaxat excludunt præexistentiam temporis, non vero naturæ, ut evidenter significat S. Fulgentius ibidem his verbis: *Hanc ergo carnem tunc ex se natura Virginis concipientis exhibuit, cum in eam Deus concipiendus advenit. Non est igitur aliquod intervallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium, et concipiendæ majestatis adventum.*

Instabis: Si humanitas non fuit prius natura producta quam unita Verbo, igitur per eamdem actionem fuit unita et producta. *Probatur antecedens:* si Christi humanitas prius esset producta quam unita Verbo, beata Virgo non esset vere nominanda Mater Dei: quia illius generatio prius terminaretur ad humanitatem, quam assumeretur a Verbo; et sic nullatenus concurreret ad illam unionem: si enim aliquod agens produceret calorem, v. g. et aliud calorem subjecto uniret, prius agens

produceret quidem calorem, non vero calidum efficeret: ergo si actio generativa et unitiva humanitatis Christi sint diversæ, B. Virgo dicenda erit quidem mater hominis, quem generavit; non vero Mater Christi, seu hominis-Dei, quippe ad illud compositum resultans ex unione naturæ divinæ cum humana nullo modo concurrit. — **Nego antecedens**, et *majorem* probationis illius: nam ut B. Virgo dicatur genuisse Deum, sufficit quod ejus conceptio activa terminata sit eodem instanti temporis ad personam Verbi, quod ipsius humanitatis communicationem terminavit; tunc enim suppositum Verbi censetur ultimate complere, et terminare actionem generativam B. Virginis; maxime cum illud præstet personalitas Verbi, quod præstitisset propria personalitas si resultasset. Ad exemplum agentis producentis calorem dico, quod esset paritas, si agens illud ex se esset unitivum caloris cum subjecto: licet enim divina virtute substitueretur aliud agens, quod talem calorem uniret, tamen prius agens non minus diceretur efficere calidum; secus vero si non haberet vim unitivam caloris, quem produceret. At B. Virgo, quæ habet vim productivam humanitatis, habet etiam vim unitivam talis humanitatis cum subsistentia, quæ ex humanitate genita resultaret, nisi præpediretur virtute divina per substitutionem alterius subsistentiæ.

Dices 3: Cum educitur forma corporea de potentia materiæ, et accidentalis de potentia subjecti, eadem est actio qua educitur, et unitur: ergo a simili, etiamsi substantia humanitatis, vel animæ sit distincta ab unione earum cum Verbo, nihilominus poterunt fieri per eamdem actionem. *Probatur antecedens:* quando forma educitur de potentia subjecti, illa actio eductiva vel fit cum concursu subjecti, vel non: si non, ergo fit independenter a subjecto, et sic ex nihilo; ac proinde est creatio, quod nullus dixerit: si sic, ergo illa actio pendet a subjecto, et productio formæ fit in eo, ac proinde ipsi unitur: non enim forma potest esse naturaliter in subjecto, et non uniri subjecto: igitur eadem actione, qua forma producitur, etiam unitur. — **Respondeo**, quidquid sit de *antecedente*, negando *consequentiam*. Et ratio disparitatis est, quod non solum entitas animæ, humanitatis, et unionis hypostaticæ, sunt ex natura rei distinctæ, sed etiam sunt diversi ordinis: unde inter humanitatem et Verbum non est naturalis conjunctio, sicut est inter formam et subjectum, a quo educitur; unde non potest esse eadem actio productiva, et unitiva utriusque.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN UNIO HYPOSTATICA FACTA FUERIT IN UNITATE NATURÆ, AUT PERSONÆ, IDQUE PER VERAM, ET PROPRIE DICTAM COMPOSITIONEM, AN PER UTRIUSQUE COMMIXTIONEM.

Revocanda sunt ea quæ diximus in præludio hujusce Tractatus, duos olim fuisse circa hypostaticam unionem errores extreme oppositos: quorum primus fuit *Nestorii* Patriarchæ Constantinopolitani, contendentis in Christo duas fuisse personas, sicut et naturas, creatam videlicet seu humanam, et increatam seu divinam; ac proinde Christum esse personam creatam, atque purum hominem, cui Verbum di-

vinum unitum erat unione dumtaxat accidentali: *primo* quidem secundum inhabitationem et præsentiam; in quantum scilicet in ipso habitabat plenitudo Divinitatis corporaliter, tamquam in sacrario et templo: idque modo specialiori, quam in aliis justis: *secundo*, secundum conformitatem voluntatum et affectuum, quatenus videlicet voluntas illius hominis erat semper conformis voluntati Verbi divini: *tertio*, secundum operationem; quia, inquiebat, humanitas Christi erat velut instrumentum, quo Verbum divinum utebatur in mirandis suis operationibus eliciendis: *quarto*, secundum participationem quamdam honorificæ dignitatis, quatenus videlicet honor exhibitus Verbo redundabat in ipsum hominem sibi unitum, propter ipsius intimam unionem cum Filio Dei. — Secundus error capitalis fuit *Eutychetis* Monachi Constantinopolitani, qui asserebat unionem hypostaticam factam fuisse in unitate naturæ: ita quod quamvis ante unionem duæ distinctæ omnino fuissent naturæ, nimirum divina et humana, in unione tamen coierunt in unam naturam, idque *vel* per conversionem humanitatis in Divinitatem, ut de Eutychete referunt S. Leo Papa Epistola 10. ad Flavianum, et Flavianus ad ipsum: Virgilius lib. 1. et 2. *contra Eutychen*, et Augustinus Hær. 90; *vel* per conversionem Divinitatis in humanitatem, ut ante ipsum Eutychen docuerat Apollinaris; imo etiam ante Apollinarem nonnulli hæretici, ut constat ex S. Irenæo, qui in *Expositione fidei* sic illos errores carpit his verbis: *Vos qui ad Baptismum aspirare fingitis, qui ut tollatis duas naturas, quæstiones tales proponitis: qui mixturam, confusionem, et mutationem in Deitatem ex corpore, ut hæc confundatis, comminiscimini: qui nunc in carnem Verbum versum asseritis, nunc carnem in Verbi essentiam, et hac mentis depravatione nihil vos sapere ostenditis, etc.* Vel denique contendebat illam unionem fieri, non per transmutationem alicujus naturæ in aliam; sed per compositionem ex duabus naturis unam resultasse, utraque natura in suo esse integra manente, solumque in unione mutatione facta, eo scilicet modo, quo ex anima et corpore una natura consurgit; cujus asserti erroris meminit Justinus Imperator in Edicto fidei ad Joannem 2. et noster Castro, verbo *Christus*, Hær. 4. Igitur ut capitales illos errores præcludamus, tria veniunt hac in Quæstione resolvenda: *Primum*, utrum unio hypostatica facta fuerit in unitate naturæ: *Secundum*, an facta fuerit in unitate personæ: *Tertium*, an illa unio dicenda sit proprie compositio, vel commixtio. Quæ ut evidentius appareant,

Notandum 1. Quod etsi *naturæ* nomen primitus dictum fuerit a *nascendo*, et impositum ad significandam ipsam generationem nascentium, et inde translatum ad designandum principium generationis; inde tamen derivatum est nomen naturæ ad significandum quodlibet principium intrinsecum motus, quocirca a Physicis post Aristotelem, *Natura* dicitur *principium motus, et quietis ejus in quo est, primo, et per se, et non per accidens*. Hoc autem principium est materia, vel forma: unde aliquando forma dicitur natura, et aliquando materia; quoniam autem forma, et materia constituunt essentiam rei naturalis, translatum est nomen *naturæ* ad significandam essentiam cujuscumque rei existentis, suis adæquatis principiis intrinsecis completæ ac constitutæ: et de natura sic usurpata, quatenus videlicet significat essentiam undequaque completam, quærimus, an in Mysterio Incar-

nationis per unionem duarum naturarum, divinæ scilicet et humanæ, facta fuerit unica natura.

Notandum 2. Suppositum, seu personam esse ultimum complementum naturæ substantialis, qua fit incommunicabilis alteri, definiturque: *Substantiæ individualis incommunicabilis existentia, ut quod, et ut quo;* idest, tamquam superius inferiori, quemadmodum communicantur naturæ universales; et ut forma subjecto, quemadmodum formæ substantiales et accidentales suis subjectis communicantur; ita quod natura personata non possit alteri naturæ communicari ut superius inferiori, nec ut pars alteri parti, ut cum illa faciat unum per se. Conveniunt autem Philosophi Christiani, naturam et suppositum in creatis invicem distingui realiter, sive distinctione majori et actuali, ut volunt Subtilis Doctoris discipuli; sive distinctione reali minori et dumtaxat virtuali, ut cæteri contendunt, de qua controversia actum est in Metaphysicis, nec præsentis est loci de ea disputare; sed solum resolvere, an unio hypostatica facta fuerit in unitate personæ, hoc est, an per illam unionem natura divina et humana sic fuerint invicem unitæ, ut in unica dumtaxat persona fuerint subsistentes; an vero quælibet natura suam subsistentiam propriam et nativam habuerit.

Notandum 3. Præter varios modos assignatos in primo Notabili præcedentis Quæstionis, quibus contingit plura invicem adunari; tres, quantum ad præsens institutum spectat, præcipuos assignari, videlicet *per compositionem,* vel *per commixtionem,* vel *per transubstantiationem:* per compositionem, inquam, quando scilicet partes unitæ invicem coëunt naturali ordine, et habent quatuor sequentes conditiones: *primo,* quod se habent tamquam actus, et potentia: *secundo,* ut perfectibile, et perfectivum: *tertio,* quod habent naturalem inclinationem ad invicem, ita quod unum naturaliter postulet informare, et aliud informari, ut eorum naturalis appetitus plane satietur, et sint in esse quieto: *denique,* ut id quod ex duobus extremis unitis resultat, sit quid nobilius utroque extremo seorsim sumpto. Unio per *mixtionem* fit quando fit aliquod tertium ex partibus deficientibus secundum substantiam et naturam, remanentibus tamen secundum suam virtutem, sicut mixtum fit ex elementis, quæ virtualiter in eo perseverant. *Denique* per *transubstantiationem,* dum tota substantia desinit, et in aliam transit. His ita præmissis, determinandum est, qualis fuerit unio humanitatis cum Verbo.

Conclusio prima. — Unio hypostatica non est facta in unitate naturæ, ac proinde Christus Dominus duabus naturis constat, divina scilicet, et humana. Hæc est de fide definita in Concilio Ephesino primo, et præsertim Chalcedonensi Actione 5. et in V. Synodo Actione 1. Collatione 8. et in VI. Synodo Actione 11. necnon et in aliis sequentibus generalibus Conciliis. Constat etiam hæc veritas ex Symbolis, quibus Christus verus Deus ac verus homo affirmatur: perspicue vero ex Symbolo Athanasii his verbis: *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens: qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus: unus autem non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Eamdem veritatem docuerunt sancti Patres

quotquot in Eutychianum dogma pugnaverunt; præsertim S. Leo Epist. 12. ad Flavianum; Vigilius summus Pontifex, Damascenus lib. 3. *De Fide,* cap. 3. Boëtius libro *De Duabus naturis,* etc.

Probatur primo ex Scripturis affirmantibus, Christum Dominum verum esse Deum, verumque hominem: illius enim Divinitas aperte traditur Matth. 3. ubi Pater æternus ait: *Hic est Filius meus dilectus:* Joan. 10. *Ego, et Pater unum sumus:* Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Illius pariter humanitas asseritur Joan. 8. *Quæritis me interficere hominem, qui veram locutus sum vobis.* Joan. 9. *Ille homo qui dicitur Christus.* Psalm. 44. *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Ex quo S. Damascenus mox laudatus cap. 17. infert in Christo duas naturas, alteram unctam quæ est humana, alteram ungentem scilicet divinam. Constat etiam ex *Deuteron.* 18. ubi Moyses Christum venturum promittit Israëlitico populo, dicitque: *Dabit tibi Dominus Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis.* — *Confirmatur* ex Scripturis, quæ docent Christum esse æqualem Patri, et minorem Patre, propter formam Dei, et formam servi. Sic S. Paulus ad Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei esset*, idest, cum in divina natura subsisteret, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit:* non quidem amittens naturam Dei; sed *formam servi accipiens,* idest, naturam humanam, per quam est *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Constat similiter ex illis testimoniis, in quibus Christus nunc dicitur æqualis Patri, nunc minor Patre: hæc enim propter diversas naturas dici necesse est, non enim secundum naturam humanam potest esse æqualis Patri, nec secundum divinam minor Patre: oportet ergo duas complectatur naturas. — *Probatur* etiam illis textibus, quibus affirmatur, Christum esse Mediatorem Dei et hominum, primæ ad Timoth. 2. nam, inquit S. Leo Epist. 11. *Non esset Dei, hominumque mediator, nisi idem Deus, idemque homo in utroque, et unus esset, et verus.* — Constat similiter illis omnibus oraculis, quibus divina et humana attributa de Christo asseruntur, nempe virtus et infirmitas, immortalitas et morti deditio; unde concludendum est cum S. Leone cap. 3. Epistolæ ad Flavianum: *Salva proprietate utriusque naturæ, et in unam coëunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: et ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili, ut quod nostris remediis congruebat, unus, atque idem mediator Dei et hominum homo Jesus Christus et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero.*

Suffragatur etiam ratio; si enim unio per Incarnationis mysterium facta fuisset in unitate naturæ, oporteret vel unam naturam conversam fuisse in aliam, vel ambas simul desiisse et interiisse, ut ex iis tertia altera consurgeret, sicut fieri solet in mixtione; vel denique ambas simul remansisse, quæ tamen concurrerent ad aliquod tertium componendum, quemadmodum ex anima et corpore simul actu existentibus resultat unus homo: sed nullum istorum recte potest affirmari. *Non quidem primum,* si enim illa unio facta fuisset per conversionem, maxime vel naturæ divinæ in humanam, vel humanæ in divinam. *Primum* dici nequit, tum quia natura divina transmutari non potest, aut corrumpi, cum sit omnino immutabilis et incorruptibilis; nec enim,

inquit S. Leo Epist. 11. *Verbum aut in carnem, aut in animam aliqua sui parte conversum est, cum simplex, et incommutabilis natura Deitatis tota sit semper in sua essentia, nec damnum sui recipiens, nec augmentum.* Tum quia quando aliqua plurimum distant, ita ut unum in virtute potentius sit altero, non potest illud in inferius commutari; constat enim, quod parum aquæ dolio vini superinfusæ non vinum in aquam convertit, sed ipsa in vinum transmutatur. Tum denique quia quod æternum est, temporaneæ mutationi non potest esse obnoxium. — Non potuit etiam fieri illa mutatio *per conversionem humanæ naturæ in divinam*, tum quia inde sequeretur Christum non fuisse verum hominem, sed solummodo Deum, si natura humana in illo esse desiisset, impossibile enim est rem existere, aut manere actu absque sua essentia, et natura: Scripturæ autem aperte testantur Christum fuisse verum hominem, ut mox dictum est, et vere illi humanas attribuunt operationes et passiones: dicitur enim ipsum esse natum, jejunasse, manducasse, laborasse, passum, mortuum, sepultum, et palpandum ante, et post resurrectionem se præbuisse: quæ omnia verum in ipso corpus, veramque humanitatem probant. Tum denique quia contradictionem implicat, aliquid mutari et converti in Deum, quia illa conversio, aut esset solum partialis, et quoad formam, remanente materia, et communi subjecto, sicut fieri assolet in mutationibus physicis, cum ex semine fit arbor, ex ligno ignis; vel esset conversio totius in totum, quoad materiam et formam simul, quæ dicitur transubstantiatio: at uterque ille modus conversionis in Deum simpliciter repugnat; primus quidem, alioqui oporteret Deum constare materia et forma, actu et potentia; ac proinde jam non esset ens simplicissimum nec incorporeum: oporteret etiam Deum mutari reipsa, et incipere substantialiter esse aliquid, quod antea non erat; quia nempe dum aliquid in aliud convertitur, debet fieri mutatio, non solum in termino *a quo*, sed etiam in termino *ad quem;* et sicut terminus *a quo* per illam mutationem vere desinit, ita terminus *ad quem* e contrario vere incipit: at impossibile est Deum vere incipere esse absolute, vel aliter se habere, quam antea, quia æternus est et incommutabilis. — Posterior etiam mutatio, nempe *per transubstantiationem* in Deum fieri nequit, quia transubstantiatio fieri non potest, nisi inter ea, quæ subjiciuntur virtuti agentis transmutantis; quia quod habet esse utriusque plene sibi subjectum, potest unum in aliud convertere: divina autem natura virtuti nullius agentis subjecta est, et ideo neque ipsa in aliud, neque aliud in ipsam transmutari potest. *Deinde*, sequeretur etiam exinde, quod Deus substantialiter inciperet existere aliter, quam erat; enimvero transubstantiatio est positiva actio et realis: ergo debet habere terminum realem ac positivum; implicat enim dari aliquam actionem absque termino, vel actionem qua nihil fiat, et productionem qua nihil producatur: atqui in tali conversione substantiali non produceretur humanitas, ut constat; quia per transubstantiationem illa desineret esse: ergo superest ut produceretur vel tota Divinitas, vel aliquid Divinitatis, aut saltem quod Deus aliter se haberet, quam habebat antea, quemadmodum per transubstantiationem Eucharisticam vel reproducitur corpus Christi, ut volunt aliqui Theologi, vel saltem adducitur et constituitur sub speciebus Eucha-

risticis modo Sacramentali, et præsentia diversa ab ea, quam habet in cælo: hæc autem omnia Deum omnino incommutabilem dedecent: igitur unio humanitatis cum Divinitate fieri non potuit per conversionem unius naturæ in aliam. — Neque etiam fieri potuit per *desitionem utriusque naturæ:* nam si humana natura in Christo non desierit, nec fuit omnino consumpta, multo minus ambæ destructæ fuerunt. *Adde quod* si vel utraque, vel aliqua earum naturarum in Christo desiisset, non fuisset verus Deus, nec verus homo, nec esset æqualis Patri secundum Divinitatem, nec minor Patre secundum humanitatem. — *Denique*, illa unio non potuit fieri *per commixtionem*, nec *per compositionem* illam, qua ex duabus partibus manentibus integris fit aliquod tertium, a partibus componentibus distinctum. Non quidem *per commixtionem*, quia necesse est in commixtione aliquam naturam desinere substantialiter: elementa namque non remanent in mixto secundum propriam substantiam; hinc formaliter mixtum non potest dici aqua, vel ignis: humana autem et Divina natura perseveraverunt substantialiter in Christo, quia fuit verus Deus, et verus homo. Non etiam *per compositionem* proprie dictam: quia quando totum tertium fit per compositionem, necessario debet fieri ex partibus incompletis, et dicentibus ordinem ad invicem, ut uniantur: at natura Divina et humana non possunt habere talem rationem partis per respectum ad se invicem: omnis enim pars necessario est imperfecta, eo quod sit propter totum, et minor ac ignobilior toto: natura autem Divina cum sit simplicissima, et actus purus, et in se omnes pertectiones contineat, nullatenus potest habere rationem partis componibilis cum altera: igitur unio hypostatica non potuit fieri per compositionem. *Nec Verbum igitur in carnem*, inquit S. Leo Epist. 11. *nec in Verbum caro mutata est: sed utrumque in uno manet, et unus in utroque: non diversitate divisus, non permixtione confusus:* vel, ut loquitur S. Fulgentius lib. *De Incarnatione, et gratia Jesu Christi*, cap. 3. *Verbum cum caro fieret unitione mirabili suam naturam fecit, quam ex nobis accepit: in qua tamen unitione Deifica, et omnino mirabili Verbi Divinitas mutata non est in carnem, veraque Verbi humanitas naturalem prorsus tenuit nostri generis veritatem.*

Objiciebant 1. Eutychiani: Unum fieri aliud est unum converti in aliud, ex modo loquendi Scripturæ, ut constat ex illo Joan. 2. *Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam*, idest in vinum conversam: sed ex Joannis 1. *Verbum caro factum est:* ergo reali mutatione ac conversione sui ipsius in carnem. — **Distinguo majorem:** Significat unum converti in aliud, semper, nego: aliquando, concedo. Etenim quamvis particula illa *factum* aliquando significet mutationem substantialem unius rei in aliam: non tamen semper illam conversionem substantialem designat: sed interdum significat acquisitionem, vel assumptionem alicujus de novo, ut cum dicitur *Genes.* 20. *Factus est in animam viventem:* et ad Hebr. 7. *Christus factus est Pontifex:* unde S. Gregorius lib. 4. Epist. 61. ait: *Verbum carnem factum dicimus, non immutando quod erat, sed assumendo quod non erat:* seu, ut loquitur S. Athanasius, *non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Quapropter etiam Evangelista postquam dixit, *Verbum caro factum est,* statim subdit: *et vi-*

dimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Quibus designat Divinitatem in Christo cum humanitate impermixtam perseverasse, nec aliud sane verbum illud, seu particula, *factum,* significat frequenter in Scriptura sacra; alias dicendum esset, quod Christus conversus fuerit in peccatum, et maledictum, quia ad Corinthios 5. legimus: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et ad Galatas 3. *Christus nos redimit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Unde S. Ambros. lib. *De Incarnat.*, cap. 6. *Desinant,* inquit, *dicere, naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam, ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati.*

Objiciebant 2. S. Irenæum lib. 3. cap. 21. et Cyprianum lib. *De Vanitate idolorum,* qui incarnationem appellant *mixturam Dei et hominis:* atqui mixtio est unio in natura; igitur incarnatio facta est in unitate naturæ. — **Respondeo,** sanctos Patres non loqui de propria et vera mixtione; sed tantum de impropria, quo tamen nomine utuntur ad designandam intimam et singularem unionem hypostaticam naturæ humanæ cum divina; quamvis enim illa unio non sit essentialis, tamen ita est immediata et interna, ut major inter Deum et creaturam cogitari non possit: quippe hæc unio, ut infra dicemus, est omnium unionum perfectissima.

Objiciebant 3. illud S. Athanasii in Symbolo, *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus:* sed anima et caro constituunt unam integram hominis naturam: ergo similiter Deus et homo per unionem hypostaticam in unam naturam coalescunt. — **Respondeo,** exemplum istud non in omnibus valere, nec ab eo petendam esse omnimodam similitudinem inter unionem animæ cum corpore, et unionem naturæ Divinæ cum humana: alioquin hæc non esset *mirabiliter singularis, et singulariter mirabilis,* ut loquitur S. Bernardus: unde exemplum istud tantum valet ad insinuandum, quod sicut corpus et anima, quamvis diversæ sint naturæ, in unam tamen naturam coëunt: sic licet natura divina longe præcellat humanam, tamen in unitate personæ sociantur in Christo: seu, ut loquitur S. Augustinus Epist. 3. quæ est ad Volusianum: *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit, ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit.* Vel, ut addit S. Leo Epist. 11. *Cur inconveniens, aut impossibile videatur, ut videlicet Verbum, et caro, atque anima unus Jesus Christus, et unius Dei hominis sit Filius, si caro, et anima, quæ dissimilium naturarum sunt, unam faciunt etiam sine Verbi incarnatione personam, cum multo sit facilius, ut hanc unitatem sui, atque hominis Deitatis præstet potestas, quam ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas?*

Objiciebant 4. quasdam S. Cyrilli sententias, quas pro clypeo velut inexpugnabili usurpabant: quarum unam petebant ex priore Epistola ejusdem ad Successum, ubi modum incarnationis ita declarat, ut naturas duas inter se convenisse dicat indivisa unitione citra confusionem et conversionem, etc. *Verum post unitionem,* inquit, *non dividimus naturas a se mutuo, neque in duos secamus Filios, illum qui unus est et individuus, sed unum dicimus Filium, et quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Verbi Dei incarnatam.* Idem in 2. ad Successum Epist. cum Orientales dictum illud impro-

bassent. magno id studio propugnat asseverans, *Ut hoc prima mente, et intellecto in naturali proprietate eo modo, quem verbis explicare, effarique non possumus, unitum Dei Verbum unam nobis ostendisse Filii naturam, sed incarnatam.* Et in *Commonitorio* ad Eulogium: *Nos,* inquit. *postquam illa copularimus* (nempe Verbum et carnem) *unum Christum, unum Filium eumdem, unum Dominum confitemur, et unam postremo Dei naturam incarnatam.* Et lib. 1. *De recta fide ad Reginas: Non duas naturas, unam quæ adoratur, et unam quæ non adoratur: sed unam naturam Verbi Dei incarnatam, et adorabilem cum carne sua una adoratione confitemur.* Porro quinta Synodus idem Cyrilli dictum admisit, dum Justiniani professionem contra tria capitula recepit, in qua similis locutio usurpatur. Imo etiam plurimi e SS. Patribus eodem modo quo S. Cyrillus unam Christi naturam incarnatam dixerunt; hinc Ephremius Patriarcha Antiochenus, apud Photium scribit: *Hæreticos objicere solitos Gregorium Neocesareæ Episcopum, Athanasium, Julium, Cyrillum, et Erechthium, unam naturam Dei Verbi incarnatam dixisse:* quapropter prima Synodus Lateranensis, consultatione quinta, Canone 5, damnat anathemate: *Si quis secundum SS. Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam, anathema sit.* — **Respondeo 1.** Cum S. Ephremio in libro, quem de ista Cyrilli sententia scripsit, nomen *naturæ* a Cyrillo pro *hypostasi* usurpatum fuisse: nam frequens erat apud Patres usurpatio vocabuli ἔκνω pro ὑποστάσι. Qua ratione idem Ephremius scribit Athanasium in Epist. ad Imperatorem Julianum. *dicere unam esse confitendam Verbi naturam, et hypostasim incarnatam;* cui concordat Anastasius Synaita in ὁδηγῷ cap. 10. ubi scribit Cyrillum alibi seipsum explicantem docere, *Unam Christi naturam incarnatam sic accipi, ut sit una persona sanctæ Trinitatis incarnata.* Adstipulatur etiam Justinus Imperator in professione fidei contra tria Capitula, ubi putat Cyrillum quoties *unam Verbi naturam incarnatam* dixit, *naturæ* nomen pro *hypostasi* sumpsisse. — *Respondeo* 2. Sanctum Cyrillum exponi in quinta Synodo generali, Canone octavo, his verbis: *Si quis unam naturam incarnatam Verbi dicens, non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quia ex divina natura et humana, unio est secundum subsistentiam facta, sed ex talibus vocibus naturam unam, sive substantiam Divinitatis, et carnis Christi introducere conetur, talis anathema sit.* Porro sanctus Cyrillus eo loquendi modo usus est, ut moneret cavendum esse ab hæresi Nestorii, qui contendebat in Christo duas esse naturas completas, suas proprias subsistentias habentes, ac proinde in ipso duas esse personas. — *Respondeo* 3. Verissimum esse, quod una tantum in Christo sit natura incarnata, scilicet Divinitas; quia humanitas non fuit incarnata, sed assumpta; et sic verum est, quod Cyrillus dixit, unam esse naturam incarnatam; quia divinitas non esset incarnata, nisi humanitati esset conjuncta.

Instabis: Qui negat divisionem, distinctionem, et pluralitatem naturarum in Christo non censet post unionem integras in eo naturas perseverare: sed Sanctus Cyrillus hæc negat in Christo, nam Epist. 1. ad Successum ait: *Ex duabus naturis concursionem esse factam in unitatem; post unitionem vero naturas easdem a se mutuo non dividi; sed unam esse naturam incarnatam.* Et *Commentario in Joannem*

lib. 7. *Non est*, inquit, *duplex: unus est solus Christus, tametsi ex duabus intelligatur, ac differentibus rebus in unitatem individuam contractus.* Ergo S. Cyrillus censet in Christo non esse rerum, et consequenter naturarum pluralitatem et divisionem. — **Nego minorem**: negat enim dumtaxat pluralitatem personarum, non vero naturarum: duas enim in Christo naturas profitetur differentes ad invicem: non autem divisas et separatas, quia adunantur in unitate personæ. Hinc in Commonitorio ad Eulogium scribit, se in invidiam vocatum esse apud quosdam Catholicarum partium, quod assensus esset expositioni fidei, in qua naturas duas confitebantur, id enim videbatur Nestorio favere, quasi duas naturas in Christo admittendo, duplicem etiam personam admisisset; quippe numerus omnis unitatibus constat, quæ a se multo diversæ ac divisæ videntur. Hinc factum est, ut refert Vigilius summus Pontifex in calce libri secundi contra Eutychen, quod *plerique Orthodoxorum sensum utrarumque naturarum cum catholice exponunt, catholice retineant: ideo tamen nolunt dicere duas naturas, ne secundum Nestorium duas putentur fateri personas: a confessione utriusque naturæ voce, sed non corde tantummodo recedentes,* quod maximam præbuit ansam dissensionis inter Catholicos: nam, ut subdit, *Qui nolunt duas ore fateri naturas, quas fidei expressione defendunt, Eutychianistæ reputantur, cum jam sint, qui duas unius Christi naturas publice profitentur, Nestoriani putantur esse cum non sint: et rideas nos luctuosis quibusdam, et omni lamentatione dignis insultationibus hæreticorum nomine se invicem accusare:* nihilominus revera neuter hæreticus erat censendus; quippe qui asserebant in Christo dualitatem naturarum, distinctionem significabant: qui vero negabant, personæ unitatem profitebantur. — Porro, quod ad Cyrillum spectat, qui post unionem amplius *non esse duo* in Christo scripsit; hoc illius dictum interpretatur sanctus Maximus in *Opusculis adversus Monothelitas*, eorumque parentes *Monophysitas*, dicens nihil eum aliud velle, nisi illa, ex quibus compositio fit tam in homine nostri simili ex anima et corpore constante, quam in Incarnationis Christi Mysterio, quod ex Divinitate et humanitate conficitur, duo quidem esse ratione substantiæ; quandoquidem diversa manet substantia: verum eadem illa in unitate et entitate per se cohærentia duo constitui nullo modo fidei dogma permittere.

Objiciunt 5. Unio Incarnationis est omnium unionum maxima, et consequenter major unione animæ hominis cum corpore: sed ex unione animæ cum corpore fit una natura: igitur multo amplius per unionem divinitatis et humanitatis una exurget natura. — **Distinguit majorem** Rusticus Diaconus in disp. contra Acephalos: unio Incarnationis est omnium maxima, idest, strictior, negat: idest præstantior, concedit. *Tanto enim*, inquit, *unitio Deitatis, et humanitatis, quæ in Domino Christo facta est, et ipse effectus unitionis, illam, quæ fit in homine superexcellit, quanto longius a se distant unita: multum namque, et quantum dici non potest superat, ut Deitatis et humanitatis solum una possit esse persona, quam ut ex anima, et carne non solum una persona sit, sed et ut una quoque natura:* non est autem intimior ratione unitatis in quam duo distincta coalescunt: *Quia*, inquit, *non necesse est a majore unitione majus aliquid effici: alioquin*

quanto amplius aliqua uniuntur, tanto potentiore vi uniuntur: sed ea, quæ confunduntur, ultra ea, quæ minime confunduntur, amplius uniuntur, ut humentia, etc. igitur negat unionem hypostaticam non esse omnium maximam ratione unitatis, quia strictius uniuntur, et coalescunt, quæ sociantur per mixtionem, quam per compositionem.

Conclusio secunda. — INCARNATIO FACTA EST IN UNIONE DIVINITATIS CUM HUMANITATE SECUNDUM UNITATEM PERSONÆ. Hæc est de fide determinata in plurimis Conciliis: maxime vero in Ephesino contra Nestorium, in Chalcedonensi in *definitione,* et in VI. Synodo generali *Actione* 4.

Probaturque ex Scriptura sacra, illis videlicet omnibus textibus, quibus Christus verus Deus ac verus homo affirmatur; Deus enim non appellatur metaphorice, nec improprie, sicut Moyses dictus est Deus Pharaonis, sed stricte ac proprie: ergo substantialiter ac realiter; igitur vel secundum essentiam, vel personam: non secundum unitatem essentiæ, ut dictum est in præcedenti Conclusione: ergo necessum est, ut sit talis secundum unitatem personæ.

Confirmatur: Per Mysterium Incarnationis, Deus, et homo de se invicem prædicantur: istæ enim propositiones, *Deus est homo,* et *homo est Deus,* verissimæ sunt: non secundum essentiam, quia in Christo est duplex natura, divina et humana: ergo necessum est, quod illæ veræ sint secundum unitatem personæ. *Consequentia* patet; nam duæ naturæ non possunt in concreto de se invicem prædicari, nisi ratione unitatis suppositi, in quo conveniunt; non enim verum est dicere, quod album sit dulce, nisi quia dulcedo et albedo eidem subjecto inexistunt. — *Deinde,* Christus ut homo aliqua de se protert, quæ ipsi convenire nequeunt, nisi ratione Divinitatis, ut cum affirmat Joan. 8. *Amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum.* Joan. 6. *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi, etc.* At hæc non possunt intelligi de humanitate formaliter sumpta; constat enim illum plusquam duobus annorum millibus posteriorem fuisse Abrahamo: superest igitur, ut intelligamus de humanitate secundum personam et hypostasim Verbi, quam habebat in Christo; quemadmodum revera pronomen *Ego* est personale, et denotat personam loquentis: Ego sum. — *Denique,* Christus dicitur descendisse de Cælo, et ascendisse in Cælum. Ephes. 4. *Qui descendit, ipse est et qui ascendit:* at Christus non descendit secundum corpus, ut fabulabatur Valentinus, neque secundum animam, ut delirabat Origenes: ergo descendit secundum unionem Divinitatis cum humanitate: similiter non ascendit secundum Divinitatem, sed secundum humanitatem, quia, ut ait S. Lucas, Actorum 10. *Videntibus illis, elevatus est:* ergo ascendere in cælum secundum naturam humanam, et descendere de cælo secundum divinam, eidem Christo convenit, subindeque ratione ejusdem personæ, in qua duæ illæ naturæ sociantur.

Confirmatur iterum: Illa unio naturæ divinæ cum humana necessario fieri debuit secundum unitatem personæ, si illi omnes modi, quos excogitavit Nestorius, aperte sint insufficientes, et Sacræ Scripturæ repugnantes: at ita est: igitur, etc. *Probatur minor:* unio divinæ naturæ cum humanitate in Christo ita est propria ipsi humanitati, ut

eadem ratione cæteris hominibus non competat: ita pariter peculiaris est Verbo, ut personæ Patris, et Spiritus sancti non congruat: sed modi unionis, quos excogitabat Nestorius, nec peculiares sunt humanitati assumptæ, nec Verbo. Non quidem peculiares humanitati assumptæ: *Primo* namque *unio inhabitationis* convenit omnibus justis, quos Dei templum Scriptura appellat, juxta illud 1. Corinth. 3. *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei inhabitat in vobis? si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et 2. Corinth. 6. *Vos estis templum Dei viri, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos.* Similiter *unio operationis* etiam omnibus justis congruit: nam 1. Corinth. 12. *Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Maxime vero per justos, et viros sanctos, in quibus habitat, miranda, et stupenda opera patrat, juxta illud Joan. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.* Denique *unio affectus,* dignitatis, et excellentiæ, etiam viris sanctissimis, necnon et virtute ac auctoritate eximiis, attribuitur; juxta illud Psalm. 81. *Ego dixi, Dii estis, et Filii Excelsi omnes.* Nec valet reponere, Deum nobiliori modo existere in Christo per ampliorem gratiæ largitionem, et uberiorem divinorum charismatum communicationem, quam in cæteris justis: quia major aut minor ejusdem beneficii communicatio non mutat speciem, nec efficit diversum modum existendi. — Non etiam modi illi unionis Dei cum humanitate peculiares sunt Verbo: quippe tribuuntur tribus adorandæ Trinitatis personis: testatur enim Christus Joan. 14. *Si quis diligit me, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Adde quod si illa inhabitatio sufficeret ad rationem Incarnationis, Spiritus sanctus dicendus esset incarnatus: nam plenissime in homine Christo inhabitabat juxta illud Lucæ 4. *Jesus plenus Spiritu sancto egressus est e Jordane.* Hoc autem nullus fidelium dixerit: igitur, etc.

Dices 1: Humanitas Christi appellatur templum divinitatis; nam Christus Joan. 2. Judæis dicebat, loquens de sua humanitate: *Solvite templum hoc,* etc. sed non idem templum, et qui templum inhabitat: ergo non sunt idem suppositum Dei, et suppositum Christi hominis. — **Respondeo**, Humanitatem dici templum Dei, non quidem proprie, sed metaphorice, eo modo, quo corpus nostrum appellatur domus animæ nostræ atque tabernaculum; juxta illud 2. ad Corinth. 5. *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, etc.* Unde sicut non licet colligere ex eo quod anima est in corpore velut in tabernaculo, in eodem homine duas esse personas; ita etiam ex eo quod Christus suam humanitatem templum appellet, non licet inferre in illo duas esse personas. *Vel* dico, quod si proprie dicatur *Templum,* non ita appellari ratione Verbi, cui est hypostatice unita, sed ratione Divinitatis, quæ in ipsa humanitate habitat, non solum per gratiam et efficientiam, ut volebat Nestorius, sed vere et realiter, ut explicat Apostolus ad Coloss. 2. ubi ait: *In ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter,* idest, *vere, et substantialiter,* ut explicat S. Augustinus, Epistola 55. ad Dardanum.

Dices 2: Ubi est aliud, et aliud, ibi sunt duæ personæ et duo supposita: sed S. August. in *Enchiridio,* cap. 36. dicit quod in Christo

sit aliud, et aliud; ait enim: *utramque naturam, divinam et humanam in Christo esse unum Dei Filium, sed aliud propter hominem:* igitur agnoscit in Christo duas personas. Similiter S. Leo Epist. 10. *de Christo* ait: *Aliud coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis:* igitur, etc. — **Nego majorem**: Quamvis enim ubi est *alius*, et *alius* adjective, sint diversa supposita, quia nomen adjectivum præcipue personam denotat; non tamen ubi est *aliud*, et *aliud* substantive: siquidem substantiva nomina primario ac præsertim connotant personam: igitur solum voluit August. hoc loquendi modo duas in Christo agnoscere naturas: divinam, secundum quam æqualis est Patri, et humanam, ratione cujus est inferior Patre. Porro S. Augustinus eodem libro unionem duarum naturarum in eodem supposito Verbi divini agnoscit: ait enim cap. 35. *In unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, et caro.* Et cap. 36. *Ut quemadmodum una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis, et caro: ita Christus una persona Verbum, et homo.* Quantum ad S. Leonem, constantissimum est eum unicam in Christo personam agnovisse; utpote qui præcipuus fuerit illius catholicæ veritatis assertor et vindex.

Dices 3: In Deo idem est realiter essentia ac persona: sed Incarnatio non est facta in unitate naturæ: ergo neque in unitate personæ: nam idem reale non potest censeri unum, et non unum. — **Distinguo majorem**: Idem sunt realiter natura et persona secundum identitatem veram et realem, concedo: secundum formalem, nego: nam, ut diximus in *Tractatu de Trinit.* relationes constitutivæ divinarum personarum distinguuntur formaliter ab essentia: quæ distinctio cum sufficiat ad instituendam diversitatem personarum in divinis, licet in eis sit essentiæ identitas, sufficiet etiam ad instituendam unionem hypostaticam, seu in persona, primario et immediate, licet secundario ac consequenter unio fiat in natura.

Dices 4: Ubi sunt duæ generationes passivæ, ibi debent esse duæ personæ: sed in Christo duæ sunt generationes passivæ, nempe divina et æterna, qua Verbum a Patre gignitur in splendoribus sanctorum; alia autem temporalis et humana, qua natus est ex Maria Virgine: ergo in illo sunt duæ personæ. *Major* constat; omnis enim generatio terminatur vel ad suppositum, vel ad personam: ergo duplex generatio ad duplex suppositum terminari debet. — **Nego majorem**, et illius probationis nego *consequentiam:* unum enim et idem suppositum ratione duplicis naturæ potest terminare duplicem generationem: quia suppositum terminat quidem ut *quod*, natura vero terminat ut *quo*, et per modum termini formalis, ac specificativi: ergo cum idem suppositum Verbi duplex sit virtualiter, quia virtutem habet terminandi duas naturas, etiam potest esse terminus generationis duplicis.

Dices 5: Persona est rationalis naturæ individua substantia, sed Verbum assumpsit naturam humanam in individuo, seu *in atomo*, ut asserit sanctus Damasc. lib. 3. *De Fide*, cap. 11; ergo assumpsit eam propria persona subsistentem. — **Respondeo**, in definitione personæ particulam *individua* idem significare ac singulare, seu unum unitate numerica: non vero idem ac substantia completa per se subsistens incommunicabilis alteri tamquam supposito. Priori modo Verbum assumpsit naturam humanam in individuo, idest singularem, non

autem universalem; et unam tantum, non omnes ac singulas: at posteriori modo eam non assumpsit.

Dices 6: SS. Patres, plerumque affirmant Verbum Divinum assumpsisse hominem: sic SS. Ambrosius, et Augustinus in hymno *Te Deum, etc.* ajunt: *Tu ad liberandum susceppturus hominem, etc.* hæc autem vox *homo,* suppositum connotat: igitur Verbum assumpsit suppositum hominis; ac proinde duo sunt supposita in Christo. — **Respondeo,** SS. Patres hoc loquendi modo concretum usurpavisse pro abstracto, et loco humanitatis, vel humanæ naturæ, dixisse hominem; cum enim nondum exorta esset Nestoriana hæresis, liberius et securius loquebantur. Unde merito reponi posset Nestorianis, quod olim Pelagianis reponebat S. Aug. lib. 1. *Contra Julianum*, qui S. Chrysostomi auctoritate nitebantur suum errorem defendere: *In Ecclesia Catholica non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione enim nullus pulsabatur: vobis nondum litigantibus, securius loquebatur.*

Conclusio tertia. — Persona Christi vere potest dici composita; non tamen propria et vere dicta compositione. Hæc Conclusio duabus partibus constat; quarum

Probatur prima pars: idque primo auctoritate quintæ Synodi Œcumenicæ, quæ in Canone, seu anathematismo quarto, dicit anathema neganti, *Unionem Verbi cum humana natura secundum compositionem, hoc est, secundum hypostasim.* Idem definitur in sexta Synodo, actione quarta, in Epistola Agathonis Papæ ad Imperatorem Heraclium, et Actione 11. in Epistola Sophronii approbata a toto Concilio, ubi Christus vocatur persona composita ex incontuso constans temperamento. — *Probatur* item auctoritate sanctorum Patrum. Imprimis Dionysii libro *De Divinis nominibus,* cap. 1. ubi scribit: *Deum cum nostris rebus vere, et ex toto communicasse in una suarum hypostaseon, revocantem ad sese, attollentemque extremitatem humanam, ex qua inexplicabili modo simplex Jesus compositus est.* Ubi nomen *hypostasis* non naturam, sed personam significat. Eodem modo plurimi loquuntur e Patribus; nam S. Ephremius Antiochenus Patriarcha, apud Photium, ait: *In unitione, quæ est secundum hypostasim, merito compositionem pia fides profitetur: at compositam essentiam nemo dicere ausus, præter Appollinarem. Porro Dominus ostendens hypostasim suam esse compositam, non autem naturam, etc.* Cyrillus in lib. *De Incarnatione,* dicit: *Mediatorem Dei, hominumque compositum esse ex humanitate nostra secundum propriam rationem perfecta, et ex eo qui ex Deo Patre prodiit, secundum naturam Filius, hoc est, ex unigenito.* Damascenus lib. 3. *De Fide,* cap. 3. *In Domino Jesu Christo,* inquit, *duas naturas agnoscimus, unam autem hypostasim ex utraque compositam.* Idem frequens est loquendi modus apud cæteros sanctos Patres.

Probatur secunda pars, nempe quod *illa compositio non sit proprie dicta:* quia compositio vera et proprie dicta debet esse ex actu et potentia, sicut ex materia et forma, vel ex duobus potentialibus, qualia sunt ista, quæ apud Philosophum dicuntur elementa, et integrantia naturam totalem, ut loquitur Doctor in 3. dist. 6. q. 3. n. 2. sed Christus non componitur ullo ex his modis, quippe natura divina

non potest habere rationem neque actus neque potentiæ, quia esse potentiale repugnat Deo, qui est ens actualissimum et necesse esse. Repugnat etiam ratio actus, quia hoc est proprium formæ creatæ; igitur etiam repugnat vere et proprie dicta compositio. *Deinde,* omnis compositio vere dicta fit ex partibus: sed natura divina in Christo non potest habere rationem partis, quia omnis pars est ens incompletum dicens ordinem ad alteram compartem, ut ab unione cum ipsa compleatur: hinc S. Augustinus, contra Maximinum Arianum, cap. 10. negat Deum esse partem Christi, his verbis: *Porro autem Christus una persona est geminæ substantiæ, quia et Deus, et homo est, nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest, alioquin Filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, non erat totus, et crevit cum homo divinitati ejus accessit. Denique,* omne compositum perfecte, secundum se, est præstantius quocumque ex componentibus seorsim sumptis: sed Christus non est quid perfectius natura divina, aut personalitate Verbi: ergo Christus non est quid compositum ex natura divina, et humana, seu potius ex humanitate et subsistentia Verbi. — Igitur quando Christus dicitur compositus ex humanitate et subsistentia, debet sic exponi, inquit Doctor; « quod ita vere est ibi tam natura humana, quam « divina, ac si componerent personam: sed non componunt, nec ali- « quod tertium fit ex eis; sed distincte, et confuse manent, ut S. Da- « mascenus dicit lib. 3. cap. 3. his verbis: *Si secundum hæreticos unius « naturæ compositæ Christus extitit, ex simplici natura versus est in « compositum, et neque Deus vocatur, neque homo: quemadmodum ex « anima, et corpore hominem aimus, vel ex quatuor elementis corpus, « et neutrum componentium est.* Debet ergo exponi, et dici, personam « compositam, propter unionem duarum naturarum, in quibus subsi- « stit; sed verius negari potest compositio: quia una non perficit aliam, « nec ex eis est aliqua natura tertia ». *Ita Doctor.* Quibus aperte indicat personam Christi dici quidem posse compositam; non tamen propria compositione, quæ fit ex partibus quarum una habeat rationem actus alia vero rationem potentiæ; sed tantum compositione imperfecta, qua nempe ex pluribus unum fit, idque unione substantiali, seu accidentali, ratione suppositi, per quod duæ naturæ unitæ invicem subsistunt: quem utique compositionis modum sic explicat S. Athanasius, in libro *De Uno Christo,* si tamen illius sit auctor: ubi introducens hæreticos objicientes Christum non esse compositum, quoniam ex eo sequeretur partem Verbi esse corpus, eoque compleri hypostasim Filii Dei: hoc argumentum dissolvens, ait: *Ita Deum et hominem unam esse hypostasim et unam personam, ut non sit expletivum corpus hypostaseos; id enim impium esset, quandoquidem Deus imminutionis capax non est, utpote uniformis, et non compositus, nec in partes dividitur,* etc.

Omniâ, quæ adversus hanc Conclusionem solent objici facile diluuntur, affirmando Christum dici quidem compositum impropria compositione, quæ tantum significat unionem duarum naturarum in una hypostasi; non vero propria, quæ postulat fieri ex partibus incompletis, quarum una habeat rationem actus, altera rationem potentiæ; una sit perfectibilis, altera perfectiva, ut diximus in tertio Notabili.

QUÆSTIO TERTIA.

QUIS SIT TERMINUS UNIONIS HYPOSTATICÆ.

Notandum 1. Duplicem solito distingui terminum actionis productivæ: unum videlicet totalem et adæquatum, alium vero formalem. *Terminus totalis* nihil aliud est, quam ipsa res tota, quæ fit per actionem: sic in generatione humana terminus totalis est homo genitus, in dealbatione est album. *Formalis* vero est illa forma, qua mediante terminus ille totalis completur et perficitur: seu forma, quæ est ratio cur ipsa actio terminetur ad terminum totalem et adæquatum: sic in dealbatione albedo producta est ratio formalis, seu forma, qua fit album. Prior terminus etiam dicitur terminus *qui*, nempe qui totaliter, et adæquate actionem terminat; posterior vero dicitur terminus *quo*; quia ipso mediante actio terminatur: sic in generatione substantiali terminus *qui*, seu totalis, est suppositum, seu compositum ex natura et subsistentia: terminus vero *quo*, seu formalis, est ipsa forma substantialis, qua compositum habet esse.

Notandum 2. Nullam, aut saltem levem controversiam moveri apud Theologos, de termino totali actionis unitivæ, seu assumptionis humanitatis ad Verbum: omnes namque conveniunt talem terminum esse Christum, seu personam compositam ex natura divina et humana; nempe *Deus-homo*, hoc est, Verbum Divinum in humanitate subsistens; quippe ille est terminus totalis et adæquatus Incarnationis qui habet esse per Incarnationem: Christus autem habet esse per Incarnationem; ac subinde est illius terminus. Sed gravis, eaque multum intricata movetur difficultas, maxime apud recentiores Theologos, quisnam sit terminus formalis *quo*, seu *ad quem* unionis hypostaticæ; circa cujus controversiæ resolutionem variant Auctores, et maxime in quatuor sententias scinduntur: *Prima* est eorum, qui sustinent terminum formalem *quo*, seu *ad quem* Incarnationis, esse personalitatem Verbi. Ita Alvarez disp. 13. conclus. 3. *Secunda* sententia ait terminum formalem *ad quem* hujus actionis esse modum substantialem unionis, quo Verbum Divinum humanitati assumptæ copulari dicitur. Ita Suarez disp. 8. sect. 2. *Tertia* sententia contendit ipsum terminum esse humanitatem, ut unitam Verbo, ita quod unio sit conditio prærequisita ad illam terminationem. Sic docet Vasquez disp. 19. cap. 2. *Quarta* denique sententia contendit, quod cum unio hypostatica possit diversimode considerari, nimirum, vel quatenus est communicatio subsistentiæ divinæ, vel quatenus est assumptio naturæ humanæ, vel prout est unio naturæ divinæ cum humana, licet Incarnatio sit una, eademque actio in re; tamen secundum has diversas considerationes etiam diversos terminos habet; quæ utique sententia, utpote probabilior et verior, ut probetur evidentius

Notandum 3. Quod etsi Incarnatio, seu actio unitiva naturæ divinæ cum humana in unitatem personæ, sit actio simplex et indivisa, tribus adorandis Personis ex æquo communis; tamen secundum diversam habitudinem et relationem sui ad diversa, etiam varias sortitur appellationes, ratione quarum dici potest multiplex. Enimvero si spectetur per respectum ad principium per quod fit, dicitur *unitio*

si per respectum ad divinam naturam, quæ humanitati sociatur, appellatur *communicatio*, seu transfusio, qua Divinitas intimiori ac peculiari modo illabitur humanitati assumptæ, quam cæteris entibus, quibus fit præsens dumtaxat per illapsum immensitatis, qua cælum et terram implet, non autem per vinculum personalitatis, qua naturam divinam cum humana sociat: si denique consideretur Incarnatio per ordinem ad naturam assumptam, dicitur *humanatio*, seu *incarnatio*, qua Deus humanitatem in consortium suæ Divinitatis evocans, illam arctissimo ejusdem personæ fœdere in perpetuum copulavit. Quibus prælibatis sit

Conclusio prima. — Terminus totalis et adæquatus actionis unitivæ et copulativæ Verbi cum humana natura, est Christus, seu Deus-homo. Ita communiter omnes Theologi, et

Probatur: Terminus totalis et adæquatus actionis unitivæ duorum extremorum est compositum ex illis resultans: sed Christus, quatenus *Deus-homo* subsistens in unitate personæ, est compositum resultans ex actione unitiva Divinitatis cum humanitate: igitur est illius actionis unitivæ terminus totalis et adæquatus. *Major* constat per inductionem, quippe terminus totalis et adæquatus vel generationis, vel compositionis, vel resurrectionis, alius non est, quam ipsum compositum ex partibus unitis resultans; nihil enim aliud intenditur per actionem unitivam, quam compositum resultans ex unione extremorum. *Minor* etiam constat ex dictis: siquidem Christus est ipsum Verbum subsistens in humanitate nostra secundum unitatem personæ, per quam natura divina et humana invicem sociantur et subsistunt.

Dices: Terminus totalis Incarnationis debet esse aliquid creatum: sed Christus non est aliquid simpliciter creatum: igitur non est terminus totalis incarnationis. *Major* apparet, quia omnis actio, quæ fit in tempore, productiva est alicujus temporanei: Incarnatio autem facta est in medio temporum: igitur terminus per eam productus temporaneus est: omne autem temporaneum creatum est, ac proinde terminus actionis incarnativæ est quid creatum. *Minor* etiam est vera: quippe cum Christus connotet naturam Divinam, quæ longe præstat humana, et suppositum Verbi, quod est infinitum et increatum, etiam dici debet aliquid increatum; siquidem a nobiliori parte petitur denominatio: et consequenter alius est assignandus terminus totalis et adæquatus actionis incarnativæ, quam Christus. — **Respondeo**, terminum totalem et adæquatum considerari posse dupliciter: vel materialiter et disjunctive, ratione extremorum ex quibus coalescit; vel formaliter et copulative, ratione conjunctionis et unionis utriusque extremi. Priori modo dici potest quid increatum et creatum, æternum et temporaneum, ratione scilicet naturæ humanæ, et divinæ, ac suppositi Verbi: posteriori vero simpliciter appellari potest quid creatum, quippe unio illa creata est, si creationis nomen late usurpes, non quidem pro re, quæ nihil supponit, nam revera unio supponit naturam divinam et humanam, sed quatenus significat actionem, per quam fit aliquid, quod antea non erat; Christus enim factus est in tempore per actionem unitivam Divinitatis cum humanitate in unitate personæ: unde cum compositum, seu terminus totalis alicujus unionis substan-

tialis, non denominetur a partibus secundum se sumptis, sed ab earum unione simul, ut constat exemplo hominis, qui dicitur mortalis, licet animam immortalem habeat, Christus absolute dici potest quid creatum et temporaneum, quoniam unio Divinitatis cum humanitate facta est in tempore; *increatum* enim dicit omnem negationem inceptionis et desitionis, et proinde si terminus ille adæquatus sic diceretur increatus in ratione termini, negaretur ista unio hypostatica facta fuisse in tempore, quod aperte falsum constat ex illo Joannis: *Verbum caro factum est*, necnon ex Symbolo, quo dicitur Christus conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, et homo factus. *Nec refert* quod nec Verbum, neque natura divina, quæ præcipuum in Christo locum tenent, sint quid increatum et æternum: quippe ad hoc ut aliquod compositum dicatur factum formaliter, non est necesse, quod per actionem, ex qua resultat, producta fuerint extrema; sed sufficit quod invicem fuerint copulata; si quis enim albedinem præexistentem separatam uniret subjecto, vere produceret album, quamvis extrema ante unionem extitissent: igitur licet per unionem humanitatis ad Verbum non fiat ipsum Verbum, nec ipsa natura divina, non minus propterea Christus resultans ex illa unione dici debet productus et temporaneus, quia extrema ista per actionem unitivam copulata sunt in tempore.

Conclusio secunda. — Incarnatio considerata ut Communicatio substantiæ divinæ habet pro termino personalitatem Verbi: ut Humanatio seu Incarnatio, ejus terminus est humanitas: ut Unitio, terminus ejus formalis est unio.

Patent tres hujus Conclusionis partes. *Prima* quidem, nam terminus formalis *ad quem* communicationis est id quod communicatur: sed suppositum Verbi est id quod formaliter communicatur naturæ humanæ: igitur secundum hanc considerationem, suppositum Verbi est terminus formalis incarnationis. *Secunda* pars etiam fit clara, nam terminus formalis incarnationis, ut est humanatio, est id quod in termino totali habet quasi rationem formæ: sed id a quo Christus habet formaliter, quod sit homo, est ipsa humanitas: ergo illa est terminus formalis. *Tertia* denique pars itidem constat, nempe quod unio sit terminus formalis productionis, nam terminus formalis actionis productivæ, ut talis, est id quod producitur per ipsam actionem, sed id quod producitur per unitionem est ipsa unio: igitur illa est terminus formalis incarnationis, quatenus ipsa est unitio naturæ divinæ cum humana.

Dices: Illud habet rationem termini formalis in incarnatione, quod maxime habet rationem formæ perfectivæ: sed Verbum Divinum habet rationem formæ perfectivæ, nam est actus terminans et perficiens humanitatem, quæ est quasi materia terminata et perfecta per personalitatem Verbi: igitur terminus formalis est ipsa Verbi personalitas. — **Distinguo majorem:** Quod habet rationem formæ perfectivæ, in ratione communicationis, concedo: in ratione unitionis, aut humanationis, nego. Et similiter distincta *minore*, nego *consequentiam*. Fateor equidem Verbum Divinum posse dici terminum formalem incarnationis, quatenus illa dicitur communicatio naturæ divinæ et personalitatis Verbi, non vero quatenus est humanatio aut productio.

Instabis: Verbum Divinum idem præstat quod præstaret personalitas creata si adesset: sed si personalitas creata adesset, revera esset forma actuans humanitatem, quatenus humanitas est: igitur Verbum est terminus formalis ipsius humanitatis, et consequenter incarnationis quatenus illa est humanatio. — **Respondeo,** Incarnationem spectari posse, vel quatenus tendit ad esse personale præcise et formaliter, vel absolute quatenus tendit ut Deus sit homo. Priori modo possumus dicere, quod personalitas est terminus formalis, quippe illa est, quæ dat esse personæ: at vero absolute, et quatenus per incarnationem Deus fit homo, personalitas præcise dici nequit illius terminus formalis, quippe actionis creatæ, et mutationis, Verbum Divinum, æternum, et immutabile, non potest dici terminus formalis.

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM UNIO HYPOSTATICA SIT IMMEDIATA, ET OMNIUM UNIONUM MAXIMA.

Notandum 1. Unionem illam dici immediatam, qua duo aliqua invicem sociantur sine medio: nomine autem *medii* hic intelligo id sine quo prævio unum extremum non conjungeretur alteri. Duplex autem medium tale assignari potest: unum quidem intrinsecum, aliud autem extrinsecum. *Medium intrinsecum* illud est, quo res aliqua intrinsece copulatur cum alia, per unionem scilicet substantialem aut essentialem; et illud ut plurimum est pars aliqua, vel integralis, vel essentialis unius extremi: sic cor vel cerebrum in corpore humano, cum sit ratio unionis animæ cum illo, sine quo anima non uniretur corpori, dicitur medium intrinsecum. *Medium* vero *extrinsecum* est illud, quo scilicet extrema uniuntur dumtaxat accidentaliter: sic qualitas disponens unum extremum ad unionem ejus cum altero, puta siccitas, vel calor ad introductionem formæ ignis ad subjectum, dicitur medium extrinsecum. Porro medium hoc extrinsecum est in duplici differentia: aliud enim dicitur *necessitatis*, quod ita necessarium est ad duorum aliquorum unionem, ut eo non posito, non sequatur unio, et eo sublato dissolvatur: sic calor nativus in corpore humano est medium necessarium ad unionem et conservationem animæ cum corpore: aliud vero dicitur medium *congruitatis*, sine quo absolute quidem fieri possit unio; attamen non decet illam fieri sine illo: talia sunt merita respectu unionis beatificæ creaturæ rationalis cum Deo per visionem et fruitionem: Deus namque posset aliquem adultum beare sine meritis, non tamen id decet illius justitiam, nec præscriptum a divina providentia ordinem, quo statuit beatitudinem largiri vel ut hæreditatem filiorum, vel ut mercedem laborantium, vel ut coronam vincentium.

Notandum 2. Ex Seraphico Doctore in 3. dist. 6. q. 2. unionem posse considerari dupliciter: *Vel* quatenus duo conveniunt in natura; *vel* quatenus conveniunt in persona. « Priori modo possumus asserere, « quod talis unitas in Christo quodam modo est nulla, quodam modo est « magna; quodam modo est parva, quodam modo est summa. Si enim « comparemus divinam naturam ad humanam, sic in Christo nulla est « unitas naturæ, quia istæ duæ naturæ non possunt simul in unam

« concurrere naturam : si autem loquamur de natura Christi ex parte « corporis, sic parva est unitas, propter partium multiplicitatem : si « autem loquamur de unitate quantum ad animam, sic est in eo unitas « magna propter animæ simplicitatem : si autem loquamur de eo quan- « tum ad divinam naturam, sic summa est in eo unitas propter illius « naturæ simplicitatem excellentissimam. » — Si vero fiat sermo de unitate, qua aliqua dicuntur unum per convenientiam in persona, movetur controversia inter Auctores, an illa unio sit omnium unionum maxima.

Notandum 3. Aliqua duo uniri in aliquo tertio dupliciter : *Primo*, tamquam in termino producto et composito ex illis extremis; sic materia et forma uniuntur in composito : *Secundo*, tamquam nexu et vinculo communi : sic duæ tabulæ uniuntur in glutine, et duæ partes quantitatis in termino communi. Priori modo, eo major est unio, et unitas, quo minus extrema distant inter se secundum entitatem, vel essentiam. Posteriori vero, eo major unio censenda est, quo nexus ille est simplicior et indivisibilior; et sic magis uniuntur duæ partes quantitatis in termino communi indivisibili, quam duæ tabulæ in glutine. Quibus prælibatis, duo sunt determinanda : *primum* quidem, an unio hypostatica sit immediata : *secundum*, an sit omnium unionum maxima, tam ratione extremorum, quam ratione vinculi.

Conclusio prima. — Unio hypostatica est immediata per exclusionem omnis medii extrinseci. Hæc colligitur ex iis, quæ diximus in præcedenti Articulo, in quo probavimus per unitionem, seu actionem incarnativam nihil aliud produci, quam relationem extrinsecus advenientem, qua extrema dicuntur uniri formaliter.

Probatur insuper : si quod medium esset in unione naturæ divinæ cum humana, illud maxime inesset humanitati, hæc enim dumtaxat est susceptiva accidentis : sed ita non est. Probo : si quod medium intuisset humanitati antequam assumeretur a Verbo, illud fuisset vel gratia, vel aliquod aliud accidens : at non solum tale medium non intuit humanitati, sed nec adesse potuit : igitur nullum fuit. *Major* patet. *Minor* probatur : quod est de complemento substantiali naturæ creatæ prius est in ea, quam quodlibet accidens : sed suppositum Verbi, utpote gerens vices suppositi creati, est de complemento substantiali humanitatis assumptæ : ergo prius ipsi unitur, quam quodlibet accidens recipiat. *Major* est certa : siquidem prius est subjectum aliquod esse completum in ratione subjecti, quam sit susceptivum cujusvis accidentis ; non completur autem substantia in ratione subjecti, nisi habeat suum complementum substantiale.

Dices 1: Materia et forma non uniuntur sine prævíis dispositionibus, quæ sunt media extrinseca : ergo pariter desiderantur aliquæ dispositiones ex parte humanitatis, ut fiat apta ad unionem hypostaticam. — **Nego paritatem** ; siquidem in humanitate unienda cum Verbo non sunt dispositiones contrariæ, quæ debeant expelli per qualitates contrarias ; uti sunt in materia informata forma aquæ, vel ligni, v. g. respectu formæ ignis suscipiendæ. Nulla enim est repugnantia ex parte humanitatis, ut terminetur per Verbi personalitatem : nam si quid esset repugnantiæ, maxime propria personalitas, quæ cum non adsit, non potest officere isti unioni hypostaticæ.

Dices 2: Ad unionem beatificam animæ cum Deo prærequiritur in anima aliquod medium extrinsecum; puta lumen gloriæ in intellectu, et habitus charitatis consummatæ in voluntate; igitur pari ratione requiritur aliquod medium extrinsecum ad unionem hypostaticam ex parte naturæ assumptæ, quo illa capax fiat illius unionis, et assumptionis. — **Nego paritatem**: quia unio beatifica fit per operationem facultatum intellectus, ac voluntatis, ad quam operationem necessario prærequiritur, quod facultates illæ sint completæ in ratione operantis, et proportionatæ objecto supernaturali; quales esse nequeunt absque medio accidente eas facultates complente in actu primo, et sublimante ad statum supernaturalem: tale autem medium non requiritur ex parte naturæ assumptæ; sed satis est quod illa sit in potentia obedientiali respectu Verbi illam assumentis: si enim prærequireretur aliquod accidens supernaturale, quo sisteretur in statu supernaturali, et proxime apto ad illam assumptionem, daretur processus in infinitum; siquidem ad illud medium naturale recipiendum, præparari deberet per aliud medium, quod utique nullus admiserit.

Conclusio secunda. — Unio hypostatica ex parte extremorum unitorum non est omnium maxima: talis vero potest appellari ratione vinculi, seu suppositi Verbi, per quod naturæ illæ invicem sociantur. Hæc est communis quoad utramque partem. Utramque docet Doctor in 3. dist. 6. n. 9. q. 1. ubi respondens ad auctoritatem S. Bernardi docentis unionem hypostaticam esse omnium maximam, ait primo: *Hic non est maxima unitas: quia maxima est hic distinctio naturarum. Secundo modo potest concedi maxima unitas post unitatem Trinitatis, quia una ipsa in se unitas est perfectissima, quia unum est infinitum, et alterum est substantia perfecta in se, et ex unione ejus ad reliquum est perfectissimum per communicationem idiomatum, quia est Deus.* — Quibus Doctor dicit *primo*, illam unionem non esse omnium maximam ratione extremorum; quia tanto minor est unio aliqua ex parte extremorum, quanto magis extrema illa distant ab invicem; ideo enim minor est unio accidentis et subjecti, quam materiæ et formæ, quia subjectum et accidens magis distant, et minorem habent proportionem, quam materia et forma: sed natura divina et humana minorem ad invicem habent proportionem; quippe cum nullam habeant inclinationem ad unionem hypostaticam, et magis invicem distent, quam materia et forma: igitur hac ratione unio hypostatica non est maxima et strictissima omnium unionum. *Deinde*, unio illa est eo minor, quo extrema illius magis recedunt ab identitate et unitate: sed natura divina et humana magis recedunt ab identitate et unitate in Christo, quam materia et forma in composito physico: quippe duæ illæ naturæ omnino distinctæ secundum suam entitatem distinctas habent facultates, et proprietates in Christo: non sic autem materia et forma, quæ in tertiam entitatem coalescunt. *Denique*, unio illa est minor, quæ facit extrema inter se minus unita: at hæc unio facit extrema sua, divinam scilicet naturam et humanam, minus unita inter se, quam unio substantiæ cum sua propria subsistentia, quia in hac extrema sunt quasi eadem inter se

realiter; in illa vero sunt omnino realiter distincta inter se: igitur unio hypostatica ratione extremorum non est omnium maxima.

Secundam partem sic probat Seraphicus Doctor supra laudatus, nempe, quod unio hypostatica ratione personæ in qua duæ naturæ, divina et humana conveniunt, sit omnium maxima. Probat, inquam, quadruplici ratione; videlicet propter illius personæ *simplicitatem*, quia unio est in persona Verbi, quæ quidem est simplicissima. 2. Propter *unibilium dignitatem*, quia tam natura assumens, quam assumpta, inter cætera, quæ sunt, habet excellentiam. 3. Propter *inseparabilitatem*, quia tanto vinculo fortificata est illarum naturarum unio, ut numquam fiat, nec possit fieri separatio; natura enim illa inter cæteras naturas adhæsit æterno Verbo, quo portatur, et sustentatur omne, quod est sub eo. 4. denique propter *singularitatem*, quia numquam ulla unio fuit huic similis. Quod utique confirmat S. Bernardus lib. 5. *De Consideratione*, cap. 8. ubi cum novem recensuisset modos unionis, concludit unionem Trinitatis maximam esse, et illi proximam adjungi unionem incarnationis: *Inter omnia*, inquit, *quæ recte unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis: qua personæ tres una substantia sunt: secundo loco illa præcellit, qua e converso tres substantiæ una in Christi persona sunt.* Quare idem Bernardus subjungens asserit fortiorem fuisse Divinitatem in conjungenda sibi carne, quam animam corpori, quia anima separatur a carne per mortem, non sic caro a Christi divinitate per passionem, quod enim Verbum semel assumpsit, numquam dimisit. Hinc S. Leo serm. 17. *De Pass. In tantam unitatem Dei et hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.*

Dices 1: Quæ maxime distant sunt minime unibilia, et quæ minime sunt unibilia minime faciunt unum: sed divinitas et humanitas maxime distant: ergo minime sunt unibiles; et consequenter unio, quæ est in Christo, est in infimo gradu omnium unionum. — **Distinguo majorem**: quæ maxime distant, tam secundum entitatem, quam secundum influentiam, erunt minime unibilia, concedo: secundum entitatem dumtaxat, nego. Ad *minorem* dico Deum equidem infinite distare a creatura secundum essentiam; non tamen secundum influentiam, et creaturæ sustentationem; nam hac ratione maxime ipsi approximatur, et ideo maxime potest esse unitas inter Creatorem et creaturam, secundum rationem sustentantis, qualis est in unione personali.

Dices 2: Quanto aliquid ex paucioribus constat, tanto magis est unum: sed in Christo reperitur major naturarum pluralitas, quam in quolibet alio ente, sive creato sive increato: ergo in eo minor est unitas, quam in cæteris entibus. — **Distinguo majorem**: tanto magis est unum unione, quæ fit per partium compositionem, et constitutionem, concedo: aliter, nego. Unitas autem, quæ est in Christo, ex naturarum compositione, et partium constitutione non resultat; sed tantum ex earum sustentatione per idem indivisibile, et simplicissimum suppositum Verbi; et subinde Christi unitas non est minima.

Dices 3: Magis est unum, quod est unum in natura et persona, quam quod in persona tantum: sed quilibet homo habet unitatem in natura et persona: Christus autem habet unitatem in natura tantum: ergo major unitatis perfectio est in quolibet homine, quam in Christo.— **Distinguit majorem Seraphicus Doctor**: quando unitas personæ se-

quitur unitatem naturæ, concedit: tunc enim compositio in natura facit etiam compositionem in persona: secus, negat. In Christo autem unitas personæ antecedit unitatem naturæ assumptæ: hinc nullam inducit compositionem natura assumpta cum Verbo assumente, saltem compositionem proprie dictam et perfectam, ut diximus supra.

SECTIO SECUNDA.

DE PERSONA ASSUMENTE.

Constantissimum est apud Catholicos, ex divinis personis solam Filii personam humanitatem assumpsisse, ut apparet non solum definitione Conciliorum, maxime quintæ Synodi Collatione 8. Canone 14. et Concilii Lateranensis sub Martino I. in definitione Fidei, Canone quarto, et alterius ejusdem nominis sub Innocentio III. capite *Firmiter*, etc. sed etiam aperte colligitur ex omnibus Scripturæ locis, in quibus Dei Filius specialiter dicitur incarnatus, a Patre nobis datus, et pro nobis morti traditus: quæ de Patre, aut de Spiritu sancto pari ratione non efferuntur, quod haud dubie Deus in omnibus ad salutem nostram providendam silentio non dedisset, si Pater, aut Spiritus sanctus, eadem ratione, qua Filius, humanitatem assumpsissent. Hinc merito dictum est anathema hæreticis dictis Patripassianis, qui, ut refert Socrates lib. 2. cap. 19. totam Trinitatem incarnatam fuisse dicebant; adversus quem denuo suscitatum errorem acerrime pugnavit S. Anselmus libro *De Incarnatione*, quem eum ob finem scripsit. Non est igitur cur diutius immoremur in hac probanda constanti veritate; idcirco quatuor dumtaxat proponimus hac in Sectione Quæstiones, quarum *Prima* aperiet qualiter totus Filius humanam naturam assumpserit et terminaverit; *Secunda*, utrum tres Divinæ Personæ simul assumere possint unam naturam, et plures naturæ ab eadem persona assumi: *Tertia*, an Deus, seu natura divina, ut communis tribus personis ratione subsistentiæ absolutæ, possit alienam naturam assumere, illique immediate uniri: *Quarta* denique, an persona creata, saltem de potentia Dei extraordinaria, possit terminare naturam alienam.

QUÆSTIO PRIMA.

QUALITER, ET PER QUID VERBUM DIVINUM NATURAM HUMANAM TERMINAVERIT ET ASSUMPSERIT.

Notandum 1. Quod etsi conveniant omnes Theologi, solam secundam sanctissimæ Trinitatis Personam humanitatem assumpsisse, eamque hypostatice terminare *ut quod*, nihilominus controvertuntur invicem de ratione formali primaria, per quam Verbum primo et formaliter humanitatem terminat; an videlicet per subsistentiam absolutam, et communem tribus divinis personis, vel per relativam personalem ac propriam; diximus enim in tractatu *De Trinitate*, in Deo tres esse subsistentias relativas, quibus divinæ personæ in esse personali constituuntur, et ab invicem realiter distinguuntur. Diximus pariter, præter illas subsistentias relativas et incommunicabiles, dari in Deo secundum se considerato et ut præintellecto ad personas, subsistentiam absolutam et personalem, per quam natura divina per se subsistit, non quidem

incommunicabiliter, eo modo quo personæ, sed communicabiliter, ut ipsamet essentia : quia Deus, ut præintellectus relationibus, ac personis, operatur *ut quod;* nam dicitur: Deus creat, gubernat, conservat : unde cum operationes non sint nisi subsistentium, Deus, ut sic consideratus, debet habere subsistentiam.

Notandum 2. Naturæ divinæ aliquo modo convenire rationem assumendi ; ita namque docent plurimi ex sanctis Patribus. Augustinus lib. 1. *De Trinitate: Forma,* inquit, *Dei assumpsit naturam servi,* ubi nomine *formæ* naturam significat. S. Leo sermone 5. *De Nativitate : Salva igitur proprietate utriusque substantiæ, et in unam coëunte personam, suscipitur a Majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas : et ad rependendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili. Deusque verus, et homo verus in unitatem Domini temperatur, ut quod nostris remediis congruebat, unus, atque idem Dei, hominumque Mediator, et mori posset ex uno, et resurgere ex altero.* S. Damascenus lib. 3. cap. 6. *Dicimus naturam Dei incarnatam esse, secundum SS. Athanasium et Cyrillum.* Cum autem assumptio naturæ duo significet, nempe principium actionis, et ejus terminum, conveniunt Theologi, naturæ divinæ secundum seipsam convenire esse principium radicale et remotum assumptionis humanitatis ; quippe ex ea tamquam ex radice oritur tota vis proxima, et immediata terminandi, quæ reperitur in subsistentia relativa Verbi Divini, quia essentia divina secundum suam subsistentiam absolutam est radix et principium ipsius personalitatis Verbi. Sed difficultas est an etiam ipsi subsistentiæ absolutæ, proprie et immediate conveniat terminare humanitatem assumptam, circa cujus difficultatis resolutionem variant Theologi.

Notandum enim 3. Triplicem maxime assignari capitalem Theologorum sententiam, circa præsentis difficultatis resolutionem : *Prima* est Durandi in 3. dist. 1. q. 2. contendentis unionem hypostaticam immediate factam esse ad subsistentiam absolutam Dei, et primam rationem terminandi unionem esse subsistentiam, non relativam et personalem Verbi, sed essentialem et absolutam divinæ naturæ : cui ex parte subscribunt Capreolus in 3. dist. 1. q. 1. Marsilius in 1. q. 2. art. 1. Franciscus Victoria, ac Dominicus Soto, docentes Verbum terminare unionem humanitatis ratione subsistentiæ absolutæ, non præcise sumptæ, sed ut modificatæ proprietate relativa Filii : ita quod subsistentia absoluta sit ratio formalis terminandi, ipsa vero relatio seu personalitas Verbi, solum conditio sine qua non : eo proportionali modo quo potentia generativa in Patre constituitur per Essentiam Divinam, quæ tamen requirit tamquam conditionem, relationem Paternitatis, per quam modificatur. *Secunda* vero sententia negat rationem terminandi esse proprietatem relativam vel absolutam, sed, ut ita dicam, totam entitatem Verbi, quæ utramque rationem includit. Ita docet Ochamus in 3. q. 1. art. 2. cui aliquatenus consentit Gabriel dist. 1. notabili 5. *Tertia* tandem est omnium aliorum Theologiæ principum, Alex. Alensis 3. p. q. 4. membro 1. Sancti Bonaventuræ in 3. dist. 1. art. 1. q. 2. Sancti Thomæ 3. p. q. 3. art. 2. Doctoris Subtilis dist. 1. q. 5. et omnium eorum Discipulorum, quibus ut subscribamus, sit

Conclusio prima — Ratio formalis proxima et immediata, per quam Verbum Divinum terminat humanitatem, non est subsistentia absoluta et communis, sed relativa, et personalis.

Probatur primo auctoritate Concilii Toletani sexti, et undecimi in confessione fidei his verbis: *Incarnationem Filii tota Trinitas operata est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, in id quod proprium est Filii, non quod Trinitati commune:* sed si humanitas primo fuisset unita subsistentiæ absolutæ, revera Filius suscepisset humanitatem in id quod commune est Trinitati, quippe talis subsistentia absoluta, sicut et Essentia Divina, tribus personis communis est: igitur secundum definitionem Concilii asserendum est humanitatem non fuisse immediate unitam subsistentiæ absolutæ et communi, sed relativæ et personali, per quam Filius constituitur in esse personæ, et distinguitur a Patre et Spiritu sancto. *Confirmatur* ex 6. Synodo generali Actione 8. ubi sub finem dicitur solum Verbum esse Incarnatum, *Quia Pater, et Spiritus sanctus nihil in incarnatione habent commune, nisi benignissimam voluntatem:* at si humanitas unita fuisset immediate subsistentiæ Dei absolutæ et communi. Pater et Spiritus sanctus communicassent cum Filio non solum in voluntate, et in omni operatione, sed etiam in terminatione humanitatis; siquidem terminatio illa tribus personis fuisset communis: igitur juxta sententiam Concilii, humanitas non fuit primario et immediate unita subsistentiæ communi et absolutæ, sed subsistentiæ relativæ et personali Verbi.

Probatur secundo auctoritate sanctorum Patrum; et imprimis S. Dionysii lib. *De Divinis nominibus* cap. 2. cujus testimonium laudatur in Synodo mox dicta: ait enim: *Discretum est autem in divinis operibus in nos benigne manentibus, quod secundum nos atque ex nobis integre et vere substantiam sumpsit supersubstantiale Verbum; eaque gessit et pertulit quæ sunt humanæ ipsius assumptionis electa, atque præcipua: his enim neque Pater, neque Spiritus ulla ratione communicant, nisi forte quis asserat, benignitate, clementiaque, et communicatione voluntatis, atque in omni supereminentissima, et ineffabili operatione divina, per quam homo pro nobis factus immutabilis, profecto Deus, et Dei Verbum, illos quoque accessisse consortes.* Eamdem sententiam ab ipso desumptam profert S. Damascenus lib. 3. *De fide,* cap. 6. At si humanitas non tantum fuit unita Verbo Dei ratione proprietatis personalis, sed etiam ratione communis subsistentiæ, idque primario, ut opinatur Durandus, non sola voluntate, et efficacitate sua, sed etiam aliquo modo unionis realis, Pater et Spiritus sanctus communicassent mysterio Incarnationis: quod aperte negat S. Dionysius: igitur, etc. — His adstipulatur S. Anselmus lib. *De Incarnatione,* cap. 1. ubi disputans contra quosdam qui dicebant, incarnato Filio Dei, necesse fuisse incarnari Patrem, et Spiritum sanctum, nisi persona distingueretur a natura realiter, ait: *Qui recte suscipit ejus Incarnationem, credit eum non assumpsisse hominem in unitatem naturæ, sed in unitatem personæ: hic autem* (nempe ille contra quem scribebat) *somniat, hominem a Filio Dei magis esse assumptum in naturæ unitatem quam in personæ unitatem: si enim hoc opinaretur, non diceret, magis esse necessarium Patrem cum Filio incarnatum, quam esse possibile illum simul*

non esse incarnatum quia plures sunt personæ. Quibus aperte concludit Anselmus unionem naturæ humanæ factam fuisse in eo, quod proprium est uni personæ, ne cogamur asserere factam fuisse in natura, ac proinde cum omnibus personis.

Ex his auctoritatibus conclusionem etiam ratione evinco, quam Subtilis Doctor n. 5. sic expendit: si proprietas personalis non sit ratio terminandi immediate naturam assumptam, id præstabit absoluta Dei subsistentia: sed falsum *consequens*, ergo et *antecedens*. *Major* constat, siquidem duplicis dumtaxat generis in Deo est subsistentia: videlicet absoluta ac essentialis, et relativa ac personalis. *Minor probatur:* si ratio formalis et proxima, per quam Verbum terminat humanitatem, esset Dei subsistentia absoluta, sequeretur tres personas sanctissimæ Trinitatis terminare unionem naturæ humanæ, ac proinde dici posse incarnatas; sed hoc militat in fidem, et definitionem Conciliorum ac doctrinam SS. Patrum: igitur, etc. *Probatur sequela majoris:* illud terminat formaliter, in quo est ratio formalis terminandi: suppositum enim Verbi non terminat, nisi quia habet rationem formalem terminandi: sicut non creat, nisi quia convenit ei formaliter ratio creandi, etc. Sed subsistentia absoluta est formaliter in tribus personis; siquidem unaquæque earum est formaliter Deus: ergo si illa ratio formalis et proxima terminandi unionem humanitatis sit ipsa subsistentia essentialis quæ est formaliter in tribus personis, etiam in eis erit ratio formalis terminandi, ac proinde humanitatem assumptam terminabunt; igitur cum incarnari nihil sit aliud quam terminare naturam assumptam, tres personæ revera dici poterunt incarnatæ, quod est absurdum. — *Confirmatur*, ideo persona Filii est immediate unita naturæ humanæ, quia in illa datur ratio hypostatice terminandi immediate naturam humanam: sed si illa ratio terminandi immediata sit subsistentia absoluta, ut vult Durandus, cum hæc conveniat omnibus personis ex æquo, nam absoluta et essentialia communia sunt toti Trinitati, consequens est quod non minus Pater, et Spiritus sanctus dicendi sint homo, quam Verbum; quippe tam Pater, et Spiritus sanctus habent rationem formalem terminandi naturam assumptam, quam ipse Filius.

Reponit Durandus *consequentiam* non valere. Ut enim, inquit, personæ dicantur incarnatæ, seu humanitati substantialiter unitæ, requiritur duplex unio ipsius humanitatis: *Prima* quidem ad subsistentiam absolutam et communem: *Secunda* vero ad proprietatem personalem et relativam: unde cum humanitas Verbo unita fuerit, non solum secundum subsistentiam absolutam et communem, sed etiam secundum proprietatem relativam et personalem, aliis vero personis dumtaxat uniatur secundum subsistentiam absolutam et communem; hinc est quod solus Filius dici possit incarnatus, non vero Pater, aut Spiritus sanctus. — **Contra**, id quod convenit naturæ divinæ secundum se, et ratione sui, tribus etiam divinis personis convenit, et de ipsis prædicatur: ergo si divinæ naturæ conveniat primario, et per se terminare humanitatem quatenus est communis tribus personis, idipsum ipsis personis ex æquo conveniet. *Antecedens* constat; quoniam enim creare convenit naturæ divinæ, quatenus est hic Deus, etiam ex æquo convenit tribus personis. *Deinde*, assumptio humanitatis sumpta active, seu pro principio unitionis naturæ divinæ cum humana, indivisim convenit tribus personis,

quia primario, et per se convenit Deo, quatenus est hic Deus subsistens subsistentia absoluta: ergo si terminare immediate naturam divinam ita competat primario naturæ divinæ, simili ratione convenit tribus personis. *Denique*, inauditum est duas admittere uniones in Christo: unam mediatam, qua humanitas unitur proprietati personali Verbi Divini: alteram immediatam, qua ipsa humanitas naturæ divinæ sociatur: atqui ex hypothesi, quod unio fiat immediate in essentia divina, seu subsistentia absoluta, erit duplex unio, altera in essentia, altera in personalitate Verbi divini: ergo, etc. *Major constat*: siquidem hujus duplicis unionis, quam gratis fingit Durandus, nulla fit mentio nec apud sanctos Patres, nec apud Concilia: imo constantissime patet ex eis, unicam dumtaxat in Christo esse unionem, qua humanitas Verbo et essentiæ divinæ sociatur.

ReponES, idem argumentum in nos militare; nam si humanitas primario terminetur ad Verbum, et secundario ad naturam divinam, admittenda erit duplex unio; altera primaria inter humanitatem et personalitatem Verbi; altera vero secundaria, ipsius humanitatis ad naturam divinam: igitur in nostram sententiam militamus. — **Nego antecedens**: nam quando statuimus primario humanitatem terminari personalitate Verbi, et secundario natura divina, in hoc non distinguimus duplicem unionem, sed unicam dumtaxat. Dicendo enim, quod natura divina sit secundus terminus, non intelligimus, quo sit aliqua unio terminata primario ad personalitatem Verbi, et alia media, quæ secundario terminetur ad naturam; sed dumtaxat, quod eadem prorsus unio duplicem habeat terminum: unum quidem immediatum, nempe personalitatem Verbi: alterum vero mediatum, puta naturam divinam: qua ratione similitudo inter duo alba primario terminatur ad albedinem, seu concretum albi; secundario autem ad substantiam, cui albedo inest.

Conclusio secunda. — Verbum divinum non terminat humanitatem immediate per subsistentiam absolutam, ut modificatam per suam proprietatem personalem tamquam per conditionem sine qua non. Ita Doctor ibidem num. 6. quam utique veritatem sic

Probat: nullum suppositum potest esse conditio requisita ad hoc, ut essentia divina sit in ipso ratio formalis proxima et immediata ad aliquid præstandum, ita quod non sit ejusmodi in aliis suppositis, nisi quia illud suppositum, in quo habet quod sit talis ratio formalis, præcedit terminum, ad quem producendum vel acquirendum ipsa ratio formalis ordinatur. V. g. suppositum Patris non esset conditio requisita ad hoc, ut essentia divina esset in eo ratio formalis, et actualis generandi Verbum, nisi quia suppositum Patris præcedit origine terminum istius divinæ generationis, scilicet Verbum: sed quælibet divina persona præcedit unionem hypostaticam: ergo si essentia divina sit in aliquo supposito ratio formalis terminandi, erit similiter in aliis duobus suppositis divinis. *Major constat*, quia ideo Pater, et Filius spirant Spiritum sanctum, et spiratio activa, quæ fit per voluntatem tamquam per principium formale *quo*, procedit ab utroque, quia voluntas est in utroque prius origine, quam Pater, et Filius habeant

relationem ad Spiritum sanctum, et sic in eis ratio formalis spirandi præcedit origine terminum productum; et e contra licet per circumincessionem vis generativa sit in Filio, et spirativa in Spiritu sancto, tamen neque Filius generat, neque Spiritus spirat, quia ratio formalis generandi et spirandi non concipitur esse in eis antequam termini generationis et spirationis activæ concipiantur producti. Ideo autem tres personæ indivisim creant et operantur ad extra, quia scilicet omnipotentia, quæ est ratio formalis producendi, et principium agendi ad extra, est ex æquo in tribus personis antequam fiat illa productio, et terminus producendus existat: ergo a simili, cum ratio formalis subsistentiæ divinæ sit in tribus divinis personis antequam fiat assumptio humanitatis, si illa sit ratio immediata terminandi talem assumptionem, etiam ex æquo tribus personis conveniet.

Deinde, si Filius terminaret humanitatem, non per propriam et personalem subsistentiam, sed per absolutam et communem, ut appropriatam Verbo, non posset persona Verbi, ut distinguitur a Patre, et Spiritu sancto, dici terminare humanitatem: sed hoc est erroneum, et damnatum in Concilio Toletano III. supra laudato, ubi dicitur, quod solus Filius assumpsit humanitatem in eo quod est proprium Filii: ergo, etc. *Sequela majoris* patet: quia enim virtus creandi, v. gr. communis est tribus personis, non potest Filius per illam virtutem sibi appropriatam, seu ad se determinatam per relationem filiationis, aliquid producere, quin idipsum producat Pater, et Spiritus sanctus: ergo cum subsistentia absoluta sit communis tribus personis, non poterit Filius per illam specialiter terminare humanitatem, quamtumvis ad se sit modificata, et determinata per subsistentiam personalem.

Denique, si Verbum divinum dumtaxat terminaret humanitatem per subsistentiam absolutam, modificatam per suam subsistentiam personalem, sequeretur, quod humanitati assumptæ non communicaret personalitatem propriam, sed dumtaxat subsistentiam communem et absolutam. *Probatur:* idcirco Pater communicando essentiam Filio, non communicat ipsi paternitatem, quia essentia, in qua est primaria vis generandi, tantum requirit Paternitatem ut conditionem sine qua non fieret generatio divina: ergo a simili si ratio formalis et proxima terminandi humanitatem in Filio sit subsistentia absoluta, et proprietas seu relatio personalis Filii solum interveniat tamquam conditio, consequens erit, quod Filius communicabit humanitati dumtaxat subsistentiam absolutam, non vero personalem.

DICES 1: Per illam rationem convenit Verbo terminare formaliter unionem hypostaticam, per quam virtualiter continet perfectionem suppositi creati, et capax est terminare potentiam obedientialem creaturæ: sed hæc ipsi conveniunt ratione subsistentiæ absolutæ, non vero personalis, igitur Verbum primario terminat per subsistentiam absolutam, non vero per relativam. — **Negat majorem** Doctor, quia, ut diximus alias ex ipso, ratio formalis terminativa in Verbo non petitur ex continentia virtuali; sed dumtaxat ex independentia in ratione suppositi; quippe Verbum divinum non terminat humanitatem per modum causæ efficientis et producentis, sed dumtaxat per modum suppositi terminantis, cui virtus terminativa competit præcise, quia in se et ex se habet rationem suppositi omnino independentis.

Dices 2: Per illud divinæ personæ convenit esse terminum assumptionis naturæ humanæ, per quod ei competit subsistere: atqui convenit personæ divinæ subsistere per subsistentiam absolutam, non vero per relativam: ergo Verbum terminat humanitatem primario et immediate per subsistentiam absolutam. — **Distinguo majorem**: per quod convenit ei subsistere essentialiter, nego: personaliter, concedo; per id enim terminatur humana natura, per quod ultimo constituitur in esse personæ. Similiter distincta *minore*, nego *consequentiam*.

Dices 3: Personalitas Verbi est quid idem cum natura divina: ergo non magis immediate terminat humanitatem per subsistentiam propriam, quam per subsistentiam communem et absolutam. **Distinguo antecedens**: idem est realiter, concedo: formaliter, nego: unde neganda est *consequentia*: sicut enim distinctio formalis, quæ est inter paternitatem, et Essentiam divinam, sufficit ut essentia communicetur Filio, non communicata personalitate; ita formalis distinctio filiationis a natura divina est sufficiens, ut filiatio immediate terminet humanitatem, licet eadem immediatione Essentia divina non terminet.

Dices 4: Ex unione immediata humanitatis cum divinitate non sequitur unio personalis cum tribus divinis personis, nec consequenter tres divinas personas esse incarnatas: ergo nulla est ratio, qua maxime duæ præcedentes Conclusiones stabiliuntur. *Consequentia* patet. *Antecedens* probatur: quia si hoc sequeretur, maxime vel ratione connexionis personarum in una essentia, vel ex habitudine personarum inter se: at non primum, quia personæ divinæ sunt unitæ in essentia, et tamen una non est alia, nec in alia, nisi ratione essentiæ: non etiam secundum, quia illa habitudo est oppositionis, seu distinctionis, qua una persona distinguitur ab alia, quia ipsi relative opponitur: hæc autem habitudo potius arguit naturam humanam uniri posse uni personæ, et non alteri: igitur, etc. — **Nego antecedens**: inde namque revera sequitur naturam humanam uniri substantialiter tribus personis, quia uniretur illis in vinculo communi substantiali, scilicet subsistentia: unde etiam sequeretur tres personas esse incarnatas, quia tres personæ sunt unus Deus, quippe uniuntur in una essentia, ut in communi vinculo, licet una non sit alia, nec in alia nisi ratione essentiæ. Quocirca sicut tres personæ sunt unus Deus, quia uniuntur in una Essentia divina communi, sic tres personæ essent homo, quia unirentur in humanitate assumpta ad essentiam, et existentiam communem. *Nec valet* paritas unionis relationum divinarum cum Essentia divina, quin idcirco personæ divinæ propter illam unionem non sunt idem, quia Essentia divina cum illis relationibus non habet oppositionem, et ideo cum ipsis potest identificari, illæ vero relationes invicem opponuntur, et propterea constituunt distinctas personas. Cum ergo humanitas oppositionem cum proprietatibus relativis non habeat, recte infertur, quod si immediate uniretur subsistentiæ absolutæ et communi, etiam uniretur saltem mediate tribus personis.

Dices denique: Quando Verbum divinum assumpsit humanitatem, vel illi tribuit esse absolutum et essentiale, vel duntaxat esse relativum: si primum, ergo per subsistentiam absolutam; nam absolutum, et essentiale non potest tribui per relativum: posterius autem dici nequit, quia persona humana est quid absolutum; et subinde non poterat

suppleri per aliquid respectivum. — **Respondeo.** Verbum divinum tribuisse humanitati subsistentiam suam relativam; nec id officere: quippe humanitas quidem subsistit absolute, quando habet propriam subsistentiam, non vero quando habet alienam; tunc enim induit rationem ipsius subsistentiæ sibi communicatæ: unde persona Christi dici posset relativa; quia persona illa non aliud est, quam filiatio, quæ formaliter est relatio.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM SUBSISTENTIA DEI ABSOLUTA ET COMMUNIS TRIBUS PERSONIS POSSIT NATURAM HUMANAM ASSUMERE, ILLIQUE IMMEDIATE UNIRI.

Notandum 1. Certum esse, quod si Deus non esset trinus in Personis, sed in unica dumtaxat persona existens, uti existimant Judæi, et alii infideles, qui mysterium Trinitatis negant, posset alienam naturam assumere, illique immediate uniri; nam in ea hypothesi haberet omnipotentiam, necnon et personalitatem absolutam, qua constitueretur in ratione personæ: quæ cum esset infinita in subsistendo, et terminando, haberet vim terminandi, et subsistendi id omne, quod sustentabile et terminabile est, quia non esset minor illius virtus in terminando, quam sit modo in personalitate et subsistentia relativa Verbi, cujus infinita virtus terminativa procedit a subsistentia absoluta, tamquam prima radice, quæ imbibitur in subsistentiis relativis et constitutivis divinarum personarum. Solum ergo difficultas et controversia est inter Theologos, an subsistentia absoluta, qua individuum Deitatis, seu hic numero *Deus*, qui subsistit in tribus personis, quatenus præscindit a subsistentiis relativis, posset assumere naturam humanam, et ipsi immediate uniri. Quæ ut evidentius dissolvatur,

Notandum 2. Duplicis generis in Deo subsistentiam admitti: unam quidem absolutam et communem; alias vero relativas et personales; quales sunt subsistentiæ Patris, Filii, et Spiritus sancti. De posterioribus subsistentiis nulla est controversia apud Theologos, cum enim sit de fide tres divinas personas realiter ab invicem esse distinctas, consequens est, ut earum quælibet habeat propriam subsistentiam, per quam in suo esse personali constituatur, et ab alia distinguatur. Verum nonnulli Theologi negant in Deo subsistentiam aliquam absolutam et communem, quæ naturæ divinæ ita conveniat, ut revera illam efficiat per se subsistentem, quatenus præscindit a personis divinis. Porro nobilior ac communior Theologorum sententia est illam subsistentiam absolutam esse admittendam, ut probavimus in tract. *De Trinitate:* siquidem per subsistentiam absolutam nihil aliud intelligimus, quam modum illum essentiæ divinæ, quo, ut præscindit a personis, est substantia completa per se existens, hoc est independenter a subjecto, a quo sustentetur, et ab aliqua parte, a qua compleatur, necnon incommunicabilis ulli extrinseco complemento a se realiter distincto: at nemo negare potest naturam divinam, ut præscindit a personis, esse substantiam completam per se existentem, et incommunicabilem ulli extrinseco complemento a se realiter distincto: igitur non debet esse dubium, quin detur id quod intelligimus per nomen *subsistentiæ absolutæ*. Quo etiam nomine eam designat S. Augustinus lib. 7. *De Trinit.*

cap. 4. dum dicit: *Divinam naturam ad se subsistere* (idest subsistentia absoluta subsistere): *Nam omnis*, inquit, *substantia ad seipsam existit, quanto magis Deus?* Hinc Agatho Papa in Epistola decretali, quæ habetur 6. Synodo art. 4. ait: *Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, non tres Deos, sed unum Deum; non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum unam substantiam*, quibus verbis non negat subsistentiam relativam et personalem, de qua maxime tunc temporis erat controversia.

Notandum 3. Duo posse considerari et distingui in subsistentia creata: unum quod compleat ipsam naturam, quæ sine personalitate esset incompleta et imperfecta: alterum quod ipsam reddat incommunicabilem ulterius, ita quod sit ultimus ipsius naturæ terminus: quæ duo ita conjunguntur in creatis, ut nihil creatum possit causare unum, quin alterum etiam efficiat. Secus autem est in divinis, nam essentia divina, ut præintellecta divinis personis, cum sit infinita, est omnimode completa in ratione naturæ, non tamen est incommunicabilis; quippe tribus adorandis personis communicatur; unde subsistentia absoluta divinam quidem naturam significat completam et infinite perfectam; redditur autem personaliter incommunicabilis per subsistentias relativas ac personales: unde merito Doctor in 3. dist. 5. q. 1. n. 2. ait, quod si de ratione assumentis sit, quod efficiat naturam incommunicabilem, Deus per subsistentiam suam absolutam non potest esse terminus naturæ humanæ, nec eam assumere immediate, quippe cum per illam subsistentiam non possit eam reddere incommunicabilem. Igitur tantum remanet solvenda difficultas, an Deus per illam absolutam subsistentiam possit ita immediate assumere naturam humanam, ut ejus terminet dependentiam quoad sustentationem, eamque perfecte completam efficiat.

Conclusio unica. — Natura Divina, ut præscindit a personis, et subsistit subsistentia absoluta, potest terminare dependentiam naturæ creatæ: eamque reddere subsistentem. Ita Doctor loco mox laudato, et dist. 1. q. 2. n. 6. ubi ait: *Quod autem ipsa essentia per se existens posset esse terminus proximus illius unionis, videtur, quia illa nullum habet esse a persona, sed est prius naturaliter, quam sit persona, et dat esse personæ: est enim natura de se hæc, et per se subsistens: licet non incommunicabiliter. Videtur autem, quod incommunicabilitas non sit necessario ratio propria terminandi istam dependentiam, sed subsistentia singularis.* Ex quibus Conclusionem sic

Probo: *Primo,* Essentia divina sic spectata habet omnia requisita ad assumendam et uniendam sibi naturam humanam: igitur eam sibi unire potest et assumere. *Probatur antecedens:* ens per se subsistens subsistentia absoluta, et omnino independenti ab alio ut compleatur, ac proinde habens virtutem illimitatam et infinitam in ratione subsistendi, habet id omne quod requiritur ad assumendam et uniendam sibi naturam alienam, et ad efficiendam eam subsistentem: atqui Essentia divina sic spectata est hujusmodi; nam infinita est in ratione existendi et subsistendi, et omnino independens ab alio, sive ut in ipso existat tamquam in subjecto, sive ut ab alio tamquam a parte

compleatur; igitur habet virtutem infinitam, et omnino independentem ad existendum et subsistendum. *Minor* patet. *Major* etiam constat, non enim alia ratione diximus Verbum Divinum posse per suam subsistentiam relativam assumere et sibi unire naturam humanam, quam quia habet virtutem infinitam et omnino independentem in ratione subsistendi, saltem infinitate identica, quatenus videlicet illius subsistentia imbuitur et identificatur cum subsistentia absoluta, quæ omnino infinita est; igitur pari ratione hæc subsistentia absoluta poterit naturæ humanæ dependentiam terminare, eamque complete subsistentem reddere.

Probatur secundo: Si quid obstaret quominus illa subsistentia absoluta posset efficere naturam absolute subsistentem, maxime quia cum hæc absoluta subsistentia sit communicabilis tribus personis, sicut et essentia, non posset illam naturam assumptam incommunicabilem efficere: sed hæc ratio non officit. *Primo,* quia subsistentia creata tantum reddit naturam incommunicabilem suppositis a seipsa distinctis: sed illa subsistentia absoluta divina est incommunicabilis suppositis a se realiter distinctis; quippe personæ Patris, Filii, et Spiritus sancti, quibus hæc natura cum subsistentia absoluta communicatur, non distinguuntur realiter ab essentia et subsistentia absoluta divina, sunt enim unus Deus: igitur illa subsistentia absoluta reddere potest naturam incommunicabilem alteri supposito realiter a se distincto; et consequenter eam efficiet incommunicabilem ea incommunicabilitate, quæ sufficiat ad rationem subsistentiæ, et suppositi. — *Deinde,* subsistentia propria id maxime habet peculiare, quod reddat naturam independentem actu ab aliquo supposito immediate, in qua independentia immediata maxime consistit illius incommunicabilitatis ratio: sed eo ipso quo dependeret natura humana totaliter a subsistentia absoluta, non posset dependere ulterius immediate a divinis personis; sed duntaxat mediate: ergo hac ratione non minus redderetur incommunicabilis per absolutam subsistentiam, quam per propriam. His adde, non esse nostram sententiam, quod subsistentia absoluta possit seipsa supplere omnem effectum, quem præstat suppositum, et personalitas; sed solum, quod præstare possit illius effectum primarium, qui consistit in complemento naturæ; ita quod natura subsistens reddatur omnimode completa et perfecta substantialiter, nec indigeat ulteriori complemento: hoc autem complementum præstare potest ipsa subsistentia absoluta: igitur potest efficere naturam aliquam subsistentem; et subinde potest illam assumere.

Confirmatur: Complementum enim, quo indiget natura humana singularis, et quod recipit a personalitate propria, vel aliena, est complementum prærequisitum ad actiones; unde illud vulgare: *Actiones sunt suppositorum:* sed natura divina, ut præintelligitur et præscindit a personalitatibus, habet omne complementum prærequisitum ad actiones, tam ad intra, quam ad extra: ergo ut sic potest complere naturam creatam non minus quam propria personalitas creata. *Probatur minor* quantum ad actiones *ad extra:* certum est enim, quod Deus, ut unus sine ulla multiplicatione personarum, et consequenter sine ulla personalitate relativa Paternitatis, Filiationis, ac Spirationis activæ et passivæ, posset mediante subsistentia absoluta operari, ac produ-

cere quidquid producit ad extra: Deus enim non agit ad extra ut trinus, sed ut unus. Patet etiam eadem *minor* quantum ad operationes *ad intra:* illæ enim non præsupponunt necessario personalitatem; nam actio productiva Filii, nimirum generatio activa Patris, et ejus Paternitas, est ipsamet personalitas Patris, nec præsupponit aliquid præter Essentiam divinam singularem, ut per se existens est: ergo Essentia divina singularis habet ex se omne complementum prærequisitum ad actiones ad intra, nec completur per personalitates divinas, sicut natura creata completur per personalitatem creatam: quod utique maxime verum est in sententia Doctoris docentis personalitates, et relationes divinas non importare formaliter perfectionem; quod enim non dicit formaliter perfectionem non potest formaliter complere, aut perficere naturam divinam.

Objicies 1. Essentia divina, ut præscindit a relationibus, non habet subsistentiam absolutam: ergo ut sic non potest terminare unionem naturæ humanæ. *Probatur antecedens: Primo,* quia natura divina habet a sua existentia id omne quod habere posset ab ulla subsistentia absoluta ipsi superaddita: ergo frustra et sine ullo fundamento admittitur illa subsistentia absoluta. *Secundo,* si haberet Essentia divina subsistentiam absolutam, sequeretur, quod in Deo daretur suppositum absolutum, et persona absoluta, et consequenter sic essent quatuor personæ in Deo: quod est hæreticum. *Tertio,* subsistentia est ultimus terminus naturæ, quam afficit: sed Essentia divina, ut præintelligitur ad personalitates, nihil habet quod sit ejus ultimus terminus, alioquin esset incommunicabilis tribus personis; igitur non habet subsistentiam absolutam; et consequenter ruit principale argumentum nostræ assertionis. — **Nego antecedens**: et ad ejus *primam probationem* dico, quod si verum sit illius antecedens, existentia absoluta Essentiæ divinæ erit ipsiusmet subsistentia, quod certe nullatenus nobis adversatur. Quantum autem ad rei veritatem, et conformiter ad doctrinam Subtilis Doctoris, existimo non distingui alio modo subsistentiam absolutam Essentiæ divinæ ab ejusdem existentia, quam vel solo nomine, vel sola distinctione rationis ratiocinantis; nam Doctor locis supra laudatis asserit Essentiam divinam, ut per se existentem, posse terminare unionem naturæ humanæ; et consequenter subsistentiam pro existentia usurpat. *Ad secundam probationem,* nego *sequelam majoris:* nam per suppositum et personam communiter intelligitur id quod est omnino incommunicabile; cum autem natura assumpta per illam subsistentiam absolutam non esset omnino incommunicabilis, sed ulterius posset communicari personis divinis, et ab eis ultimo terminari, ideirco proprie non posset dici persona, sed tantum substantia singularis completa substantialiter. *Ad tertiam probationem: Distinguo majorem:* de ratione subsistentiæ est quod sit ultimus terminus, quatenus est subsistentia creata vel divina personalis et relativa, concedo: de ratione subsistentiæ, ut sic, aut quatenus est subsistentia divina absoluta, nego. Itaque nego, quod de ratione subsistentiæ, ut sic, sit esse complementum formale naturæ, quia oporteret omnem subsistentiam complere naturam substantialiter, et sic subsistentia divina personalis ac relativa compleret naturam divinam, quod falsum est, quia ex se, et per se est omnimode completa in ratione naturæ. Nec etiam de ratione

ejus subsistentiæ, ut sic, est quod sit ultimus terminus incommunicabilitatis naturæ, quia alias subsistentia absoluta efficeret naturam omnino incommunicabilem. Unde non existimo posse dari aliquem unum conceptum determinatum subsistentiæ ut sic, qui conveniat univoce omni subsistentiæ tam relativæ, quam absolutæ.

Instabis: Doctor Subtilis in 3. dist. 1. qu. 1. docet ideo personam posse assumere, quia est incommunicabilis: naturam vero divinam non posse, quia communicabilis est: igitur ejus sententia est, subsistentiam absolutam non posse esse terminum naturæ assumptæ. *Deinde,* idem dist. 6. qu. 1. affirmat naturam assumptam non posse existere per existentiam Verbi: sed, ut mox diximus, subsistentia et existentia absoluta idem sunt: igitur si non possit illa natura existere per existentiam absolutam, nec etiam poterit per subsistentiam absolutam subsistere. — **Respondeo** *ad primum,* non eam esse mentem Doctoris, ut fingit *Lorca,* qui existimat Subtilem Doctorem nostræ assertioni adversari: siquidem eo loci tantum contendit Doctor non bene probari a Varrone, et S. Thoma, quod persona divina possit supplere defectum personalitatis propriæ, ex hoc quod contineat in se virtualiter perfectionem cujuslibet personæ creatæ. Quia, inquit Doctor, non magis persona divina continet virtualiter quamcumque personam creatam, quam natura divina contineat virtualiter quamcumque naturam creatam: sed ex eo quod natura divina contineat virtualiter naturam creatam, non sequitur, quod possit cum ea uniri in unitate naturæ, neque efficere ut loco naturæ humanæ faciat unum per se cum personalitate humana: ergo nec ex continentia virtuali personæ divinæ sequitur quod possit ita supplere defectum personalitatis humanæ, ut ejus vice et loco possit facere unum per se cum natura humana. *Ad secundum,* dico nihil contra sententiam nostram evinci, nam ex eo quod natura humana dicatur assumi per subsistentiam absolutam, non sequeretur quod illa deberet existere per existentiam absolutam, quia antecedenter ad illam assumptionem et unionem, qua uniretur isti subsistentiæ absolutæ, deberet necessario præintelligi existens propria existentia: et consequenter licet subsistentia, et existentia absoluta sint unum et idem, non sequeretur quod natura illa existeret existentia absoluta; sicut per subsistentiam absolutam subsisteret.

Objicies 2. cum Vasquez disp. 27. c. 2. hanc nostram assertionem adversari SS. Patribus, et Conciliis: SS. Patribus quidem, quia SS. Patres non cognoverunt unionem aliam naturæ creatæ cum Deo, nisi vel in natura, vel in persona, quam solam admittunt; sed unio cum natura divina ratione subsistentiæ absolutæ non est unio nec in natura, nec in persona: igitur nostra assertio SS. Patribus adversatur. *Minor* apparet: non enim fit unio naturæ humanæ cum divina in unitate naturæ. Neque etiam illa unio fieret in unitate personæ; siquidem subsistentia absoluta non habet rationem personæ. *Minorem probat* Vasquez, *Primo,* quia nullius alterius unionis usquam mentionem fecerunt. *Secundo,* quia Concil. Toletanum II. aperte dicit: *Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ; in id quod proprium est Filio, non quod commune Trinitati. Tertio,* S. Anselmus quæst. præcedenti a nobis laudatus diserte docet, *Eum qui recte suscipit Incarnationem, credere Verbum*

non assumpsisse hominem in unitatem naturæ, sed in unitatem personæ. Quibus verbis S. Anselmus arguit adversus hæreticum, qui dicebat, quod, incarnata divina persona, necessarium erat tres simul incarnari: quem errorem, ut revincat Anselmus, infert eum hæreticum sentire unionem fuisse factam non in persona, sed in natura: at si præter unionem in natura, vel in persona, possibilis esset unio cum homine-Deo, ut communis tribus personis ratione subsistentiæ absolutæ, illatio S. Anselmi non valeret; quippe ex unione naturæ humanæ cum subsistentia absoluta et communi, verum esset quod si illa unio tribueretur uni personæ, etiam tribuenda esset duabus aliis: igitur etc. — **Nego majorem**, et ad ejus *primam probationem* dico, quod etsi SS. Patres et Concilia non meminerint alterius unionis, quam ejus quæ fit vel in unitate naturæ, vel in unitate personæ, non sequitur, quod aliam impossibilem judicaverint: locuti sunt enim de unione actu, non vero de possibili; quia agebant contra hæreticos Eutychianos, vel Nestorianos: quorum illi asserebant unionem Verbi factam fuisse in unitate naturæ: hi vero negabant eam fuisse peractam in unitate sive naturæ, sive personæ. *Ad secundam* dico, eos dumtaxat docere unionem Verbi cum natura humana factam fuisse non in natura, sed in persona: seu in id quod proprium est Filio, non quod est commune toti Trinitati; non tamen negata unione in natura, inferunt necessario illam debuisse fieri in persona, sicut contendit Vasquez. *Adde quod* loquuntur de unione ut actu peracta est, non vero de ea quæ fieri posset. *Ad tertiam* probationem dico, Sanctum Anselmum non necessario concludere, quod si unio non sit facta in unitate personæ, necessario et absolute fieri debuerit in unitate naturæ; quasi non esset alius modus unionis Deo possibilis; sed dumtaxat, quod duo illi modi, nempe in unitate naturæ, et personæ, solum erant actu: scilicet unio in unitate naturæ in creaturis, quæ componuntur ex diversis partibus in unam naturam coalescentibus; aliam vero in unitate personæ, qua natura divina et humana invicem sociantur.

Instabis: Si uniretur natura divina naturæ humanæ, ut subsistens subsistentia absoluta, vel uniretur in unitate naturæ, vel in unitate personæ: quippe illa esset unum singulare: ergo vel idem realiter cum natura divina, per quam subsisteret: vel completa per personam: sed neutrum dici potest. Non quidem primum, quia alias esset idem natura assumens, et natura assumpta: vel ex natura divina et humana fieret una aliqua natura, quod est absurdum. Non etiam in unitate personæ, quia natura divina, cui uniretur immediate, non est persona: igitur unio illa non est possibilis. — **Nego majorem**: non enim tunc assumptio aut unio naturæ humanæ fieret in unitate vel naturæ, vel personæ, sed dumtaxat in unitate unionis naturæ divinæ cum natura humana: ex qua sequeretur, quod natura humana dependeret a natura divina, et esset ipsi intime unita, sicut de facto dependet a Verbo, quia ipsi intime unitur.

Urgebis: Ex eo quod persona est terminus immediatus unionis naturæ ad Verbum, sequitur quod natura sit unita in unitate personæ: ergo ex eo quod natura divina esset terminus immediatus unionis naturæ humanæ, consequens esset quod illa unio fieret in unitate naturæ. — **Nego consequentiam**, quia conjungi seu assumi

in unitate personæ nihil aliud denotat, quam naturam quæ assumitur conjungi immediate cum persona, et esse subsistentem in illa persona: sed uniri, seu assumi in unitate naturæ, significat, quod natura assumpta vel identificetur naturæ assumenti, vel faciat cum ipsa compositionem, constituendo cum ea tertiam aliquam naturam, quod utique omnino Deo repugnat. Unde si valeat hæc consequentia: *Natura humana est assumpta a divina persona,* ergo *ad unitatem personæ;* hæc tamen non valeret: Est *assumpta a natura:* ergo *ad unitatem naturæ.* Quia, inquit Doctor dist. 1. qu. 2. circa finem, in priori enthymemate, ex vi constructionis verborum, significatur subsistentiam personæ divinæ communicari naturæ humanæ, absque eo quod identificetur cum ea, aut aliquam cum ea compositionem efficiat: significatur enim solum naturam humanam subsistere in persona divina: in posteriori vero enthymemate, ex vi constructionis verborum, significatur naturam communicari naturæ vel per identitatem, vel per compositionem; cum enim dicitur natura assumi ad unitatem naturæ, satis declaratur non amplius duas, sed unicam ex duabus naturam coalescere: quod utique Deo repugnat.

Objicies 3. Illa subsistentia absoluta non impediret resultantiam personalitatis propriæ: ergo id fieri non potest. *Consequentia* patet: alias enim cum natura simul assumeretur persona. Quod sit impossibile, patebit infra. *Antecedens* vero probatur: illud solum potest impedire resultantiam personalitatis creatæ, quod ei tribuere potest id omne, quod haberet a propria personalitate: atqui subsistentia communis non potest conferre naturæ assumptæ incommunicabilitatem, quam ei tribueret propria natura: igitur non potest impedire resultantiam illius personalitatis. — **Nego antecedens**: ut enim subsistentia absoluta impediat in natura assumpta propriam personalitatem, sufficit quod tribuat illi naturæ existere per se, et esse completam essentialiter, etiamsi non conferret illi incommunicabilitatem, quæ desideratur ad rationem subsistentiæ; nam cum ratio existendi per se sit prior in persona, quam incommunicabilitas, quæ dumtaxat ex illa sequitur, consequens est, quod si impediatur resultantia propriæ personalitatis, quatenus illa est modus existendi per se, et complete essentialiter, etiam impediet ex consequenti illius resultantiam, quatenus esset modus existendi incommunicabiliter. *His adde,* quæ diximus supra, vel quod incommunicabilitas non sit de ratione subsistentiæ: vel quod illa subsistentia absoluta redderet naturam assumptam incommunicabilem supposito a se realiter distincto: vel denique, quod licet natura illa assumpta non haberet immediate a suo termino, nempe a subsistentia absoluta, omnimodam incommunicabilitatem, illam tamen obtineret a terminis mediatis; puta a personalitatibus divinis, a quibus mediate et concomitanter aut consequenter illa natura sic assumpta terminabitur, sicut terminatur, et fit incommunicabilis ipsa subsistentia absoluta.

Objicies denique: In ea hypothesi, *hic Deus* esset *hic homo:* sed hic homo est persona: ergo natura sic assumpta assumeretur in unitate personæ. — **Nego minorem**: Sicut enim persona non significatur per hunc terminum, *Deus;* ita neque significaretur per hunc terminum. *homo:* unde licet *hic homo* sit nomen suppositi ac personæ ordinarie

loquendo: tamen non ita foret in præsenti hypothesi, quia nempe *hic homo* dumtaxat subsisteret per subsistentiam, quæ non esset personalis, sed tantum, quæ efficeret naturam ultimo completam communicabiliter, non vero incommunicabiliter, quia hæc natura assumpta sicut et subsistentia, per quam subsisteret, esset communicabilis tribus personis.

Instabis: Eo in casu vel quælibet ex divinis personis esset homo, vel non: utrumque autem videtur absurdum: ergo, etc. — **Respondeo**, quod quælibet foret homo, quippe humanitas cum ipsa subsistentia absoluta tribus personis communicaretur; neque inde ullum apparet inconveniens, si enim superficies, v. g. cui inest albedo, simul existeret in Petro et Paulo, revera Petrus et Paulus forent albi: ergo pari ratione, si unio naturæ divinæ cum humana communicaretur tribus personis una cum ipsa subsistentia absoluta, haud dubium quod quælibet ex illis personis esset homo, sicut est hic Deus per se subsistens.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM PLURES PERSONÆ DIVINÆ POSSENT ASSUMERE EAMDEM HUMANITATEM, ET EADEM PERSONA PLURES HUMANITATES.

Notandum 1. Theologos convenire tres personas divinas posse simul assumere et terminare eamdem humanitatem terminatione mediata: si nempe subsistentia absoluta et communis illam naturam immediate assumeret et terminaret: quia, ut dictum est in præcedenti Quæstione, eo ipso quod talis subsistentia communis illam naturam terminaret, et sibi uniret, terminaretur etiam a subsistentiis relativis personarum, quibus illa subsistentia absoluta communicaretur. *Conveniunt* insuper, quamlibet ex divinis personis posse naturam humanam assumere, et illam sibi hypostatice unire; siquidem assumptio naturæ competit personæ, vel active ratione omnipotentiæ, quæ est illius assumptionis principium effectivum; vel passive ratione personalitatis, quæ est illius assumptionis terminus: sed quælibet ex divinis personis habet per omnipotentiam, et personalitatem omnino independentem infinitam vim in terminando: igitur quælibet potest naturam humanam assumere, et incarnari. Nec inde sequeretur ulla personarum confusio, licet Pater, si incarnaretur, appellaretur Filius; nam eadem persona potest dici Pater, et Filius diverso respectu: illa autem divina persona diceretur Pater, quatenus est principium generationis æternæ Verbi: diceretur autem Filius, quatenus esset terminus generationis temporalis ex Virgine: unde non esset Filius Dei, sicut Verbum, sed dumtaxat Filius Virginis.

Notandum 2. Certum esse tres divinas personas peculiari et nobiliori modo residere in humanitate Christi, quam in omnibus creaturis. Quam utique veritatem eleganter docet S. Augustinus Sermone 3. *De Tempore*, ubi ait: *Filius suscepit carnem, et non deseruit Patrem, nec se divisit a Patre. Suscepit, inquam, Filius carnem in proprietate: sed tamen Pater, et Spiritus sanctus, non defuit maje-*

state. In divinitate æqualitas, in carne sola Filii proprietas, non tamen ab eo Patris, aut Spiritus sancti recessit aliquando divinitas. Cum ergo una sit Deitas, una sit divinitas, implevit quidem carnem Christi, et Pater, et Spiritus sanctus: sed majestate, non susceptione, etc. Hæc autem nobilior et peculiaris residentia colligitur ex connexione, vel potius identitate essentiali, quæ est inter divinas personas; ita quod, si per impossibile tres adorandæ personæ in omnibus creaturis non existerent, tamen propter unionem unius personæ cum humanitate, duæ aliæ etiam in illa residerent: *Quemadmodum enim* (inquit sanctus Basilius Epist. 43.) *in catena, qui unius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul alterum insertum attrahit: ita et hic qui Spiritum trahit, per ipsum Filium, et Patrem una simul attraxit. Et si quis vere Filium apprehenderit, habebit et ipsum utrumque, hinc Patrem illius, illinc Spiritum sanctum una compactum.* Non est igitur difficultas de præsentia reali et personali trium divinarum personarum in eadem humanitate: sed dumtaxat de earumdem unione hypostatica, an videlicet tres simul eidem naturæ individuali possint uniri hypostatice.

Notandum 3. Circa præsentem Quæstionem duas principes esse sententias: *Primam* quidem affirmantem tres divinas personas posse simul eamdem naturam assumere: quam tuetur S. Thomas 3. p. q. 3. art. 6. quem sequuntur ejus discipuli, qui in suas partes etiam ex nostris advocant Alensem q. 2. memb. 4. S. Bonaventuram in 3. dist. 1. art. 1. q. 3. Ochamum item in 3. dist. 1. et nonnullos alios. *Secundam* vero sententiam tuetur Subtilis Doctor in 3. dist. 1. quæst. 2. num. 5. cum suis omnibus discipulis, quibus ut subscribamus, sit

Conclusio prima. — Plures divinæ Personæ non possunt eamdem numero naturam assumere, illamque propriis subsistentiis immediate terminare.

Probatur primo, auctoritate S. Anselmi lib. 2. *cur Deus homo* cap. 9. ubi ait: *Plures personæ nequeunt unum, eumdemque hominem assumere in unitate personæ: quare in una persona tantum hoc fieri necesse est.* Et libro *De Incarnatione Verbi*, cap. 4. *Filio incarnato, non est necesse alias quoque personas incarnari, sed impossibile.*

Nec valet reponere cum S. Thoma, ejusque discipulis, S. Anselmum ibi *hominem* accipere pro natura singulari personata propria personalitate; non vero pro natura, quæ nondum intelligitur affecta sua personalitate. — **Hæc enim responsio** aliena est prorsus a mente S. Anselmi: quippe ejus intentum erat investigare in quanam trium divinarum personarum facta fuerat hypostatica unio; supponit autem non fuisse peractam in tribus divinis personis, imo nec fieri potuisse, ut inde colligat in una tantum persona, nempe secunda, illam unionem fuisse factam: et revera quidem, nam si per hanc particulam, *hominem*, S. Anselmus intelligeret humanam naturam affectam sua personalitate, nihil plane concluderet; quia æque implicat hypostasim assumi ab una persona, atque a tribus. *Adde quod* paulo post asserit, *Verbum assumpsisse hominem*, quo significat, vocabulo *hominis* nihil aliud denotari, quam naturam humanam secundum se spectatam.

Probatur secundo: Si tres divinæ personæ possent simul assumere

eamdem numero naturam, sequeretur naturam illam esse infinitam: at repugnat naturam aliquam creatam infinitam esse: ergo pariter repugnat illam a pluribus personis assumi. *Minor* constat. Probatur *major:* idcirco natura divina concluditur esse infinita, quia ipsa eadem numero potest esse indivisim in tribus suppositis divinis: ergo pari ratione si natura humana in tribus suppositis existeret, censeretur infinita. Patet *antecedens,* quia qua ratione illa natura potest esse in tribus personis divinis sine ulla sui divisione, eadem ratione posset esse in infinitis, sicque haberet vim existendi infinitam; quia in infinitis personis posset existere. *Consequentia* etiam patet, quia natura humana singularis, qualis est assumpta a Verbo Divino, de se non est limitata potius ad tria supposita, quam ad centum, aut mille, si tot essent in divinis: ergo quantum est de se, si possit esse in tribus suppositis, poterit etiam esse in infinitis, si darentur.

Reponunt Thomistæ, falsam esse illam *sequelam:* ideo namque, inquiunt, natura divina censetur infinita, non quia communicatur tribus suppositis, sed maxime quia communicatur suppositis a se realiter indistinctis, quæ connaturaliter exigit, et sibi identificat: secus autem est de natura humana assumpta, quæ nec identificaretur illis suppositis, sed esset ipsis adventitia; nec illa connaturaliter exigeret, sed dumtaxat ad illa determinaretur per potentiam obedientialem. — **Contra,** infinitas et illimitatio non oritur ex sola illa identitate unius rei ad alteram, sed ex sola aptitudine, qua res aliqua potest infinite se communicare: si enim daretur aliqua albedo, v. g. quæ ex se posset infinitos parietes afficere et dealbare, licet ab eis esset distincta realiter, et solum adventitia, non minus tamen censeretur infinita, quia contineret virtutem et perfectionem infinitarum albedinum: ergo pari ratione, si natura humana communicari posset infinitis suppositis, quamvis eis foret adventitia, et ab eis realiter distincta, non minus censeretur infinita.

Probatur tertio: Natura humana affecta propria subsistentia et personalitate non potest assumi a Verbo Divino: ergo ubi affecta est personalitate Verbi non potest amplius assumi a Patre, nec a Spiritu sancto. *Consequentia* patet a paritate rationis; idcirco enim natura affecta propria personalitate non est amplius assumptibilis hypostatice, quia est omnimode completa et terminata substantialiter: at etiam talis est per suppositum Verbi: igitur, etc.

Negant paritatem Thomistæ, et rationem disparitatis hanc proferunt, quod aperta sequeretur contradictio si natura subsistens, et terminata per propriam personalitatem, rursus terminaretur per aliam; sequeretur enim, quod illa subsisteret in se, et in alio: et sic subsisteret in se, et non subsisteret; quod est contradictorium: secus autem est si subsisteret in tribus personis, quia tantum subsisteret in alio. — **Contra,** non aliunde potest esse contradictio, quod natura subsistat in se, et in alio, quam quia, ut subsistit in se, est totaliter et adæquate terminata ac substantialiter completa, ex quo fit ut non possit amplius terminari et compleri: atqui eadem ratio contradictionis sequitur ex eo, quod natura sit terminata, per personalitatem Verbi, quia subsistentia Verbi non minus perfecte, imo longe perfectius terminat et complet substantialiter illam naturam, quam terminare ac complere

possit proprium suppositum; igitur par utrobique ratio. *Adde quod* gratis supponant esse contradictionem, quod natura subsistat in se, et quod subsistat in alio; nam omnis contradictio debet esse penes unum et idem respectu unius et ejusdem: et in eo casu, natura humana non esset in se, et in alio respectu unius et ejusdem, quia esset in se respectu et ratione propriæ subsistentiæ; in alio autem, ratione subsistentiæ alienæ: igitur non solum nulla est eorum replica, sed etiam minus recta locutio.

Probat tertio Doctor: Non potest unum et idem a pluribus adæquate pendere: at si natura creata tribus personis divinis uniretur, a pluribus totaliter et adæquate penderet: ergo repugnat unam et eamdem naturam a pluribus personis divinis assumi. *Major* videtur certa, eamque colligit Doctor per inductionem. Primo quidem ab exemplo causæ efficientis totalis: nam alias sequeretur, quod illæ causæ essent totales, et non essent totales. Essent totales, ut supponitur tam a nobis, quam ab adversariis: non essent autem totales, quia cum de conceptu intrinseco causæ totalis sit quod totum effectum et totaliter producat, eo ipso quod alia causa simul cum ipsa illum produceret, sequeretur quod vel partialiter cum ipsa produceret illum effectum, et sic non esset illius causa totalis; vel totaliter produceret, et sic alia causa nihil influeret in effectum, quippe supponeret illum a priori causa totali productum. Colligit etiam ab inductione in aliis generibus causæ, maxime vero in accidentibus, quæ cum essentialiter pendeant a subjecto, unum et idem pendere non potest a duobus subjectis primis in suo genere. *Minor* vero suadetur; id enim ab altero totaliter et adæquate dependet, quod existit illo posito, cæteris etiam quibuscumque seclusis: sed natura creata per quamcumque ex tribus divinis personis assumpta, revera subsisteret per se, et esset completa substantialiter, etiamsi non assumeretur ab aliis personis, sicuti est de facto a solo Verbo assumpta: igitur si a tribus assumeretur, a qualibet earum personarum totaliter et adæquate penderet. — *Confirmatur:* quia duæ causæ efficientes totales et ejusdem ordinis non possunt producere eumdem numero effectum; quia, ut mox dictum est, simul essent totales, et non totales; ergo a simili, duæ causæ formales extrinsecæ, quales essent prædictæ personæ respectu terminationis illius naturæ humanæ, non possent illam terminare, quia illarum quælibet totaliter terminaret, et non totaliter.

Huic rationi varie respondent Thomistæ; sed communior eorum solutio ea est, quam tradit Cajetanus dicens, quod licet non possit unus et idem effectus pendere a duobus dependentia causali, quæ est stricta; potest tamen ita pendere dependentia non causali, sed terminativa, quæ est dependentia non stricta: discrimen enim inter utramque dependentiam est, quod effectus productus a causa totali eatenus totaliter ab ea pendet, quatenus habet esse ab una causa, non relinquitur in eo capacitas, per quam censeatur pendere ab alia, quia nullum ab illa esse mutuatur, ratione cujus censeretur ab ea dependere: natura vero terminata subsistentia aliena non accipit suum esse ab ea, sed solum modum quemdam unionis, per quem dicitur ab ipsa sustentari et terminari. Cum igitur natura sit capax triplicis modi unionis, et diversi, quia tribus personis successive saltem potest uniri; dum habet unum

modum, et ratione illius unitur uni personæ, non manet expleta secundum extensionem capacitatis, qua terminari potest ab alia; quare accedere potest alia persona tribuens alium modum unionis; non quidem ex indigentia, sed ex sola capacitate. Hinc illa natura per unam subsistentiam terminaretur adæquate, adæquatione quidem intensiva, non autem extensiva; sicut pater in creatis ex vi ejusdem relationis, qua ad unum filium refertur, et ab illo adæquate intensive terminatur, dum generatur alter filius ad ipsum denuo terminatur adæquatione extensiva. — **Verum contra** *primo:* quemadmodum effectus productus a causa efficiente totali suum esse ab ea mutuatur totaliter, ita natura aliqua singularis suam sustentationem et terminationem totalem accipit a suo termino totali: cum hoc solo discrimine, quod effectus accipiat esse simpliciter a causa; natura vero solum habeat esse modificatum a subsistentia: igitur quemadmodum acceptio esse totalis ab una causa totali excludit aliam quamcumque causam totalem ejusdem ordinis, ita acceptio esse modificati, scilicet sustentationis totalis, ab una subsistentia totali excludere debet quamcumque aliam subsistentiam totalem. *Insuper*, natura esset adæquate terminata et completa extensive per propriam subsistentiam: igitur etiam talis est per subsistentiam Verbi, quæ non minorem habet virtutem terminandi naturam ac illius capacitatem explendi, quam propria subsistentia. *Ad exemplum* de relatione, dico illud esse falsum: sicut enim in quolibet individuo hominis geniti est diversa differentia individualis diversimode determinans naturam specificam, ita etiam est adæquata ratio terminandi relationem diversam filiationis: quapropter gratis asseritur, quod multiplicatis filiis non multiplicentur relationes: quippe cum sint diversæ rationes fundandi, et omnes conditiones ad multiplicationem relationum desiderandæ ibi reperiantur.

Objicies 1. In mysterio Incarnationis *tota ratio facti est potentia facientis*, inquit S. Augustinus Epistola 3. quæ est ad Volusianum: igitur in hoc mysterio magis attendenda est virtus personæ assumentis, quam conditio personæ assumptæ: at Omnipotentiæ divinæ non repugnat tres personas unicam naturam assumere: igitur id possunt exequi. *Major* patet. *Minor* probatur: divinæ personæ possunt eamdem naturam assumere si non sese excludant a consortio ejusdem naturæ: at ita est; quippe in eadem natura divina subsistunt: igitur etiam subsistere possunt in eadem natura humana. — **Distinguo majorem:** attendenda est magis potentia facientis, quam ratio facti in his, quæ contradictionem non implicant, concedo: quæ implicant, nego. Implicat autem, ut diximus, quod eadem natura terminetur totaliter a pluribus terminis totalibus et adæquatis. *Ad probationem minoris*, dico non esse parem rationem de subsistentia divinarum personarum in natura divina, et in humana; tum quia natura divina est infinita, et sic ei non repugnat esse in pluribus; tum quia personalitates divinæ non tribuunt rationem subsistendi naturæ divinæ, quia illa a se subsistit per suam subsistentiam absolutam, sed tantum personis, quæ inter se sunt realiter distinctæ: at vero naturæ creatæ personalitas tribuit subsistere, quod nequit a pluribus totalibus et adæquatis subsistentiis conferri.

Objicies 2. Humanitas secundum se assumptibilis est a quacumque

divina persona: ergo omnes simul eam possunt assumere. *Antecedens* constat, quia, ut diximus, quælibet ex divinis personis potest naturam humanam assumere. *Probatur consequentia:* in illo instanti, quo una ex divinis personis naturam assumit, aliæ duæ personæ divinæ possunt agere secundum ultimum potentiæ suæ, ut eamdem naturam assumant; quo in casu, *vel* illa natura a tribus assumetur, et sic habetur intentum; *vel* a nulla, quod est absurdum; quippe Deus agendo secundum omnimodam potentiam suo non potest frustrari effectu; *vel* ab una tantum, quod dici nequit, cum non sit potior ratio, cur assumatur ab una, quam a multis, cum tres divinæ personæ sint æqualis virtutis, et natura assumptibilis sit in potentia obedientiali, ut assumatur a qualibet divinarum personarum: igitur; etc. — **Respondet Doctor** num. 7. negando, quod tres divinæ personæ suam possint impendere virtutem ad assumptionem simultaneam ejusdem naturæ, propter earum incompossibilitatem in terminatione ejusdem naturæ; Deus enim suam virtutem non exerit circa impossibilia, et ea quæ contradictionem important, qualis est illa assumptio simultanea. Possunt equidem, inquit Doctor, tres divinæ personæ simul agere ad assumptionem ipsius naturæ ab aliqua persona ex illis, ita quod licet tres agant, unicat dumtaxat naturam assumat, et terminet: *Et si dicas*, inquit Doctor, *quod potest simul agere quælibet persona ad uniendam illam naturam sibi, nego: quia impossibile est, ut simul uniatur pluribus: quia impossibile est totaliter dependere dependentia ejusdem rationis ad plures personas, cum sit nata terminari ad unam personam, et ad incompossibilia non possunt personæ simul agere.*

Instabis: Id præstare possunt tres divinæ personæ quod est in potentia obedientiali per ordinem ad quamlibet ipsarum: sed natura creata est in potentia obedientiali, ut assumatur a qualibet ex divinis personis: igitur tres simul possunt illam assumere. *Major* constat. Probatur *minor:* antequam assumeretur natura a Filio, potuit assumi a Patre: ergo etiam postquam assumpta est a Filio. Probatur *consequentia:* ideo fuit assumptibilis a Patre antequam assumeretur a Filio, quia ad illam assumptionem habebat potentiam obedientialem: sed illam eamdem potentiam habet, dum est assumpta a Filio, neque enim eam potuit perdere, cum sit ipsi realiter identificata; igitur eam conservat. *Confirmatur:* quia potentia obedientialis, quam habebat in ordine ad Patrem, non habuit suum actum, neque impleta fuit per sui ipsius assumptionem a Filio; siquidem illa potentia obedientialis ordinabatur ad unionem naturæ cum Patre: unio autem cum Patre est diversæ rationis ab unione cum Filio, sicut personalitas Patris est diversæ rationis, aut saltem numero distincta a personalitate Filii: igitur unio quæ fieret cum Patre distingueretur numero ab unione quæ fieret cum Filio; et consequenter potentia naturæ, quatenus respicit personalitatem Patris est vel diversæ rationis, vel diversa numero a potentia respiciente unionem cum Filio; atque adeo unio cum Filio non reducit ad actum illam potentiam obedientialem naturæ, quatenus ordinatur ad Patrem; ergo non obstante ipsius naturæ unione cum Filio, habet adhuc potentiam obedientialem, ut uniatur cum Patre, et consequenter potest adhuc uniri. — **Distinguo majorem:** quod est in potentia obedientiali, nec ullam habet repugnantiam, ut reducatur

ad actum, concedo: quando illam habet repugnantiam: nego. *Ad minorem* dico: natura assumpta a Filio adhuc habet potentiam obedientialem ad Patrem, ut cum ipso uniatur in sensu diviso, concedo: in sensu composito, nego: hoc est, secundum se spectata posset quidem uniri cum Patre; id vero non potest quatenus assumpta et terminata est per Filium, quia jam omnimode est completa substantialiter, et totaliter terminata. *Ad confirmationem* similiter nego *ultimam consequentiam:* quamvis enim illa potentia obedientialis non habuerit actum quatenus ordinatur ad Patrem, non sequitur, quod illum possit habere, quando jam terminata est, et reducta ad actum per personalitatem Filii, propter incompossibilitatem terminationis totalis, quæ fieret per personalitates Patris, et Filii; quam utique veritatem clare demonstrat Doctor respondendo ad præfatum argumentum, ab exemplo parietis, qui licet habeat potentiam ad albèdinem et nigredinem, tamen ubi reducitur ad actum per præsentiam et adhæsionem albedinis, non potest reduci ad actum illa potentia, quam habebat ad nigredinem, propter incompossibilitatem nigredinis cum albedine: « Sic, inquit « Doctor, natura nunc personata a Verbo, si dimitteretur ab eo, posset « assumi a Patre; sed stante actuali assumptione a Verbo, licet sit in « potentia assumptionis a Patre, non potest tamen reduci ista potentia « ad actum, propter incompossibilitatem illius actus ad istum; hoc « est, personalitatis Verbi ad personalitatem Patris in eadem natura « assumpta ».

Urgebis: Natura unita Verbo habet inclinationem ad personalitatem propriam: ergo et ad quodcumque potens illam personalitatem supplere: sed personalitas Patris potest illam supplere: igitur dicit inclinationem ad personalitatem Patris. — **Distinguo sequelam majoris:** habet inclinationem ad id omne quod potest propriam personalitatem supplere, si aliunde non sit impedimentum et repugnantia, concedo: si sit, nego. Et similiter distinguo *minorem:* personalitas Patris potest illam supplere, in sensu diviso, et ex hypothesi quod non esset aliunde assumpta, concedo: in sensu composito, ubi semel assumpta est, nego. *Adde quod* retorqueri potest argumentum, quia quamvis natura assumpta a Verbo conservet inclinationem ad proprium suppositum, ut supponitur, non tamen potest simul cum unione ad Verbum habere personalitatem propriam: ergo licet ut unita Verbo haberet inclinationem ad suppositum Patris, non sequitur, quod possit cum unione ad Filium habere unionem cum Patre.

Objicies 3. Idem accidens potest esse in duobus subjectis: ergo eadem natura in duobus suppositis. Probatur *consequentia* a paritate rationis. *Antecedens* etiam constat, quia possunt esse simul duo corpora, unum gloriosum, alterum non gloriosum, in eodem loco ergo possunt habere unum *ubi:* ubi autem est accidens ipsorum: ergo unum accidens potest esse in diversis subjectis. Quod autem eadem duo corpora habeant idem ubi, patet, quia correspondet ipsis idem locus, et consequenter eadem circumscriptio activa: ergo etiam habent eamdem circumscriptionem passivam: sed circumscriptio passiva est ubi: ergo illa duo corpora habent idem ubi. — **Respondet Doctor** negando *antecedens*, ad cujus *probationem* dicit illa duo corpora non habitura idem ubi, sed diversa. Et ad *probationem* respondet, locum illum, in quo continerentur

duo corpora, habere duas circumscriptiones activas in eadem superficie, et consequenter duæ erunt circumscriptiones passivæ in illis corporibus, quia superficies ambiens est fundamentum sufficiens fundandi plures circumscriptiones activas in pluribus corporibus circumscriptis, sicut una albedo sufficit ad fundandas plures similitudines albi in pluribus albis. *Verum*, quoniam hic videtur Doctor supponere, quod unum accidens non possit esse in pluribus subjectis, cujus oppositum ex ipso docuimus in Philosophia, ideo *respondeo* negando *consequentiam*. Et ratio disparitatis est, quod non sequatur contradictio, ex eo quod unum accidens ponatur in pluribus subjectis, quia hoc solum designat multiplicationem præsentiæ, et informationis, quod non repugnare docuimus in Physica; repugnat autem eamdem naturam subsistere pluribus subsistentiis. Ad Doctorem autem dico, ipsum negavisse accidens posse pluribus subjectis inesse, eo modo quo de facto unico subjecto inest: de facto enim ita est in uno subjecto, ut per se et adæquate dependeat ab illo, quo certe modo nequit existere in pluribus subjectis: sed in illis potest esse, ita ut tantum partialiter ab uno dependeat: simile autem dici nequit de subsistentiis: quia quælibet subsistentia tribuit totum esse completum substantiale, et est ultimus ejus terminus.

Objicies denique: Si simultanea terminatio ejusdem naturæ a tribus divinis personis repugnaret, illa repugnantia peteretur vel ex parte naturæ terminabilis, vel ex parte personarum terminantium: sed ex neutro capite potest hæc repugnantia, seu contradictio reperiri. Non quidem ex parte personarum terminantium, quia illæ non se excludunt a convenientia et terminatione ejusdem naturæ creatæ. Non etiam ex parte naturæ, quia illa dicit potentiam obedientialem ad omnes personas divinas: igitur illa simultanea terminatio a tribus personis divinis non repugnat. — **Nego minorem**: illa namque repugnantia petitur tum ex parte personarum assumentium, quæ cum sint termini totales respectu naturæ assumendæ, non possunt suam virtutem simul exercere circa eamdem naturam: repugnat etiam ex parte naturæ, quæ cum sit omnimode completa per unam subsistentiam, non habet unde compleatur per alteram. *Ad probationem* dico, non eamdem esse rationem terminationis divinæ, ac humanæ; tum quia cum natura divina sit infinita, potest esse in pluribus suppositis: tum quia illa natura non completur in suo esse substantiali per subsistentias relativas, sicut compleretur natura humana; nam subsistentiæ relativæ non dant esse substantiale naturæ divinæ, quæ jam supponitur undequaque completa per subsistentiam absolutam, sed dumtaxat eam naturam divinam determinant ad constituendas personas: unde non est paritas inter terminationem utriusque naturæ.

Conclusio secunda. — Unica persona divina potest plures naturas creatas assumere. Ita Doctor in 3. distinct. 1. qu. 3. ubi Conclusionem sic

Probat. Plures naturas simul assumi a Verbo non repugnat, neque ex parte Verbi, neque ex parte naturarum: ergo potest illas assumere. Probatur *antecedens*, primo quidem ex parte Verbi, quia habet virtutem infinitam terminandi, et subinde non potest exhauriri per ter-

minationem unius naturæ. Adde quod per illam terminationem tantum ponuntur in ipso Verbo plures relationes rationis, vel Verbum ipsum per suam subsistentiam terminat plures relationes reales naturarum assumptarum. Neutrum autem repugnat Verbo. Non primum, quia multiplicatio relationum rationis nullam arguit in Verbo mutationem, aut dependentiam realem. Non etiam secundum, quia Deus, et tota Trinitas terminat omnes relationes creaturarum: igitur Verbum potest plures ex illis relationibus terminare. Non etiam repugnat ex parte creaturarum, quia omnes sunt in potentia obedientiali, et dependent æqualiter a persona divina assumente: ergo qua ratione una potest assumi, etiam et altera; actualis enim dependentia unius naturæ non repugnat dependentiæ alterius naturæ, inquit Doctor.

Dices 1: Si Verbum assumeret plures naturas, aut esset unus homo, aut plures homines: at neutrum dici potest. Non primum, quia haberet plures humanitates, et consequenter esset multiplex homo. Non etiam secundum quia esset unicum suppositum; ubi autem est unicum suppositum, est unicus homo, licet plures sint formæ, qui enim plures habet scientias propter unitatem supposití, non dicitur plures scientes, sed unus scieus. — **Respondet Richardus** negando *sequelam*, dicendo nempe quod in eo casu nec esset unus homo, nec plures. *Verum* responsionem impugnat Doctor: *primo* quia unum et multa sunt opposita immediate dividentia ens: ergo nullum est ens, de quo non possit dici, quod sit unum ens, vel multa entia: igitur de illo ente, quod est homo, verum erit dicere, quod sit unus homo, aut multi homines. *Secundo*, quia de quolibet ente necessario debet dici, quod sit unum, aut non unum: ergo etiam de quolibet ente, quod dicitur homo, potest dici, quod sit unus homo, aut non unus homo: sed si dicatur, quod non sit unus homo, debet dici, quod sit plures homines, ubi enim negatur unum, affirmantur multa; in affirmatione scilicet, quæ fit per positionem. — *Respondet S. Thomas* quæst. 3. art. 7. quod esset unus homo propter unitatem supposití, sicut dicitur unus sciens, licet plures habeat scientias. Quam responsionem impugnat Doctor, quia, inquit, si concretum hominis deberet non multiplicari, quando suppositum esset unum, sequeretur, quod ad multiplicationem supposití, concretum deberet multiplicari: sed falsum *consequens*, quia alias tres personæ divinæ deberent dici tres dii. — Unde *respondet Doctor*, pluralitatem concretorum non esse petendam ex sola pluralitate suppositorum, ut vult sanctus Thomas, sed etiam ex pluralitate formarum: ita quod quantumcumque sint plura supp sita, non sequatur pluralitas concretorum, si unica sit forma. V. g. ex pluralitate suppositorum divinorum non sequitur pluralitas Deorum, quia in divinis est unica tantum divinitas. *Deinde*, ly *homo* est terminus adjectivus respectu personæ divinæ, ut docet Doctor dist. 7. qu. 1. et ideo numerari non potest, nisi numeratis suppositis. Et si teneatur, quod sit terminus substantivus, et dicatur substantive de proprio supposito, tamen dicitur adjective de supposito Verbi, saltem quoad modum prædicandi: cum autem quodlibet adjectivum ultimate dependeat et terminetur ad substantivum, non potest ipsum adjectivum esse ratio terminandi significatum alterius adjectivi per se, ideoque cum hæc dictio *homo* sit adjectiva, non poterit terminare dictionem numeralem, *duos*, ratione sui, quia

adjectivum reducitur ad suum substantivum, nec censetur multiplicari, nisi ipso multiplicato. Mitto fusiorem hac de re discussionem magis grammaticalem, quam theologicam, rectiusque hoc in casu censerem Verbum non appellandum unum hominem, nec plures, sed unum dumtaxat suppositum habens plures humanitates.

Dices 2: Si naturæ distinctæ speciei assumerentur simul a Verbo, sequeretur non solum duo contraria, sed etiam duo contradictoria posse enuntiari de eodem: sed falsum consequens: ergo, etc. Probatur *major:* nam si Verbum assumeret ignem et aquam simul, sequeretur calorem et frigus, quæ contraria sunt, simul existere: similiter si assumeret simul hominem et columbam, sequeretur unum et idem suppositum esse simul rationale et irrationale, quæ sunt contradictoria. — *Nego majorem:* nam si Verbum aquam et ignem assumeret, solum sequeretur ignem et aquam esse simul simultate suppositi et terminantis, non autem simultate existentiæ et veluti penetrationis naturarum assumptarum. Similiter, si assumeret naturam hominis et columbæ, nulla sequeretur contradictio, quæ solum intercedit inter negationem et affirmationem penes unum et idem: quare sequeretur quidem unum et idem ens esse rationale et irrationale, non respectu ejusdem, sed respectu diversorum.

QUÆSTIO QUARTA.

AN PERSONA CREATA POSSIT ALIENAM NATURAM TERMINARE ET ASSUMERE.

Notandum 1. Ex Doctore in 3. distinct. 1. qu. 4. num. 2. naturam cogitari posse duobus modis a persona creata assumi: scilicet vel effective, vel terminative, seu formaliter. *Effective* quidem, uniendo videlicet ipsam naturam cum natura creata, cujusmodi tota Trinitas univit naturam humanam cum Verbo, et illam unionem conservat, *Terminative* autem, nimirum illam unionem et naturæ communicationem terminando, quemadmodum Verbum Divinum terminat et sustentat humanam naturam sibi unitam. Certum est autem nullam naturam creatam posse alterutrum præstare propria virtute; tum quia subsistentia seu personalitas creata limitatur ac determinatur per propriam naturam; tum quia unio hypostatica unius naturæ cum altera, est opus miraculosum; nulla autem creatura propria virtute patrare potest miracula, ideoque nec alienam naturam assumere et terminare. An autem alterutrum, aut utrumque divina et extraordinaria Dei virtute fieri possit, non conveniunt Auctores. Etenim Ochamus in 3. dist. 1. qu. 1. ad 13. et 11. docet personam creatam posse divinitus alienam naturam, non quidem assumere effective, sed terminative: cui subscribunt plurimi ex nostris: illi maxime, qui docent personalitatem creatam esse formaliter aliquid positivum. Thomistæ vero quamplurimi negativam partem amplectuntur. Doctor vero Subtilis utramque sententiam probabilem existimat, quapropter utriusque solvit fundamenta. Quid autem verius existimemus, ut innotescat apertius

Notandum 2. Seu revocandum ex iis, quæ docuimus in Metaphysica, quod *persona creata est naturæ rationalis incommunicabilis existentia ut quo, et ut quod.* Quæ definitio, ut evidentius pateat, sciendum

est, quod duplex est communicabilitas, quantum ad præsens attinet: *prima* est, qua aliquid communicatur alteri, ut forma, vel ut pars: qualiter anima communicatur corpori, humanitas Petro, et brachium toti integrali, et hæc dicitur communicabilitas *ut quo*, quia quod sic communicatur, est quo aliquid est tale, v. g. corpus animatum, Petrus homo. *Secunda* est, qua aliquid alteri communicatur per identitatem, puta natura communis suis inferioribus: et hæc dicitur communicabilitas *ut quod*, quia quod sic communicatur, est idem realiter cum altero, cui communicatur: sic homo communicatur Petro et Paulo, et Essentia divina tribus personis. Negatio primæ communicabilitatis tam actualis, quam aptitudinalis, est id quo constituitur persona in ratione personæ: hinc anima separata non est persona, quia licet actualiter non communicetur, habet tamen aptitudinem, ut iterum uniatur, et communicetur suo corpori: similiter humanitas Christi non potest dici persona, licet sit actualiter et aptitudinaliter incommunicabilis et incommunicata, *ut quod*, quippe non potest prædicari de multis: tamen est communicabilis et communicata, *ut quo*, tamquam forma totalis supposito et personæ Verbi.

Notandum 3. Quod ex istis duabus negationibus posterior oritur ex individuatione naturæ specificæ, quia ideo persona non est communicabilis *ut quod* pluribus individuis actualiter et aptitudinaliter, quod per hæccceitatem et differentiam individualem determinata et contracta sit ad esse individui: unde etiamsi hæc sit personata aliena personalitate, ut contingit in humanitate Christi, tamen secum habet hanc negationem. *Altera* vero negatio communicabilitatis, nempe *ut quo*, oritur non ex aliqua entitate positiva individui, vel personæ, sed ex defectu actionis agentis extrinseci non unientis ipsam naturam cum aliena persona: ex eo enim quod aliquod agens extrinsecum non causaverit unionem inter naturam individuam cum aliqua personalitate extranea, natura individua remanet sine unione cum personalitate extranea, unde manet in se personata propria personalitate.

Quibus præmissis, duo sunt impræsentiarum determinanda: *Primum* quidem, an per divinam potentiam persona creata possit effective assumere, et sustentare naturam alienam: *secundum* vero, an saltem terminative id præstare queat.

Conclusio prima. — Persona creata non potest ex se effective assumere naturam alienam, nec eam sibi hypostatice unire. Ita Doctor loco laudato, eamque sic

Probat: Natura creata ab eo solum assumi potest effective ad unionem hypostaticam, respectu cujus habet potentiam obedientialem: sed nulla natura habet potentiam obedientialem ad aliquam creaturam: alias illa potentia non diceretur obedientialis, sed naturalis, prout naturalis potentia opponitur obedientiali: ergo nulla persona creata potest effective assumere naturam alienam. *Major patet:* cum enim illa assumptio naturæ vires excedat, ut dictum est in primo Notabili, et propterea mysterium Incarnationis dicitur miraculorum omnium maximum, et opus dexteræ Excelsi, evidens est, quod connaturaliter fieri non possit, sed ad id exigat virtutem omnes naturæ conatus excedentem. *Minor* etiam constat, quippe potentia obedientialis in creatura respicit

solam efficientiam primæ causæ, cui tamquam omnium efficientium principi subordinatur et subjicitur. — *Deinde*, nulla creatura particularis potest evertere, destruere, aut impedire id, quod ex se pertinet ad ordinem universalem rerum primæ causæ immediate subditum: at subsistentia propria alicujus naturæ, et illius fluxus, seu emanatio pertinet ad dictum ordinem: ergo nulla creatura potest illum invertere, nec consequenter impedire, ne illa subsistentia fluat ab ipsa natura individuali, et subinde non poterit illam ad se effective sumere. *Denique*, suppositum creatum, secundum sententiam probabiliorem, dicit formaliter negationem: sed negatio non potest habere virtutem effectivam, partialem aut totalem, respectu illius positivi: igitur, etc.

Dices 1: Tam persona creata potest unire naturam aliquam alieno supposito, quam potest eamdem unire cum proprio illius supposito: atqui postremum nedum fieri potest, sed et quotidie fit. dum enim pater aliquis producit filium, sicut videtur attingere unionem corporis cum anima, ita etiam videtur unire naturam sui filii cum illius supposito, quia producit illam naturam subsistentem, et suppositatam: ergo posset etiam vel ipse, vel saltem Angelus illam naturam effective unire cum alieno supposito. — **Respondeo** *primo*, negando *minorem*: falsum enim est proprie loquendo, quod qui producit naturam singularem, uniat illam cum proprio supposito: sicut nec proprie illam unit cum suis proprietatibus, quæ potius dicuntur ex natura producta fluere, quam ipsi uniri. *Respondeo secundo*, negando *majorem*: tum quia dato quod producens naturam uniat illam cum proprio supposito, tunc non invertit, imo sequitur ordinem universalem rerum; ad hoc autem, ut illam uniret cum alieno supposito, invertendus esset rerum præscriptus ordo, quod utique causa secunda præstare nequit: tum quia sicut non potest pater unire corpus filii sui cum anima alia ab ea quæ est filio propria, ita dicendum de natura respectu proprii suppositi.

Dices 2: Agens superioris ordinis quod continet perfectionem inferioris potest illius virtutem, et effectum supplere: sed persona angelica, v. g. est superioris ordinis respective ad humanam, omnemque hominum perfectionem virtualiter continet: igitur potest humanam personam supplere, ejusque vices præstare, et consequenter potest naturam humanam sibi hypostatice unire. — **Negat minorem Doctor nu. 4**: sicut enim Angelus non continet potentiam visivam, ita ut possit supplere defectum ejus, quamvis habeat potentias longe superiores facultati visivæ, ita licet in ratione personæ formaliter sit præstantior, quam persona humana, non sequitur necessario, quod possit supplere defectum, et præstare vices personæ humanæ. *Adde quod* negari possit, quod persona Angelica in ratione personæ sit præstantior personalitate humana.

Conclusio secunda. — Probabilius est per extraordinariam Dei potentiam, quod personalitas creata possit terminare alienam naturam, et ipsi hypostatice uniri.

Probatur primo ex S. Hieronymo in caput 1. Aggæi: ubi postquam recensuit quorumdam opinionem dicentium Malachiam, Aggæum, et S. Joan. Bapt. fuisse Angelos in assumptis corporibus, subdit ipse:

Non mirum esse hoc de Angelis credi: cum pro salute nostra Dei Filius ipse carnem assumpserit. Idem antea docuerat Tertull. lib. 3. *Contra Marcionem* cap. 9. Hinc evidenter colligitur assertum in Conclusione esse saltem possibile, etsi forte revera nunquam hoc fieri contigerit.

Probatur secundo: Id omne tribui debet divinæ potentiæ extraordinariæ, quod manifestam contradictionem et repugnantiam non importat; sed nulla apparet repugnantia, quod personalitas creata altra propriam naturam, etiam alienam terminet: ergo, etc. *Major* constat. *Minor* vero patebit ex solutione omnium rationum, quas pro negativa sententia proferunt Adversarii.

Objiciunt itaque primo: Suppositum terminans naturam alienam debet esse omnino independens: sed suppositum creatum quodcumque non est independens: igitur alienam naturam non potest terminare. *Minor* patet: quidquid enim est creatum eo ipso est dependens. *Major* vero probatur: tum quia hac ipsa ratione probavimus Verbum divinum idcirco terminare naturam humanam, quia est independens in ratione personæ; tum quia cum natura sustentetur per suppositum, idque duntaxat per unicum, necesse est quod illud suppositum sit omnino primum, et independens. — Respondet Doctor, non esse ita verum, quod suppositum debeat esse omnino independens, ad hoc ut terminet: licet enim ea sit ratio cur Verbum terminet naturam humanam, tamen fieri posset, quod alia ratione suppositum creatum terminaret dependentiam alterius naturæ, si assumeretur a Deo ad id præstandum. *Adde quod* substantia creata terminat adæquate dependentiam accidentis in ratione subjecti, et tamen non est simpliciter independens: imo ipsa personalitas propria terminat dependentiam naturæ propriæ: cum tamen illa non sit simpliciter independens.

Objiciunt 2. Duæ naturæ creatæ non sunt unibiles in eodem supposito, nisi una se habeat per modum actus, altera vero per modum potentiæ: at in unione hypostatica, de qua nunc loquimur, non fieret talis unio naturarum, quoniam naturæ debent remanere impermixtæ: naturæ autem quæ uniuntur ut actus et potentia, non permanent impermixtæ sed ex illis fit tertia entitas, et compositum: igitur non possunt invicem in unico supposito creato convenire. — Respondet Doctor, negando *majorem*: nam si propter assignatam rationem duæ naturæ haberent incompossibilitatem in supposito creato, eamdem haberent in supposito increato: et consequenter essent incompossibiles, quia naturæ illæ subsistentes per suppositum increatum, ut fit revera in Incarnatione, non habent rationem actus et potentiæ: ergo si hoc non obstante natura creata terminari possit per personalitatem Verbi, etiam poterit terminari per personalitates creatas: si enim duæ naturæ, puta divina et humana, subsistere possint per suppositum Verbi, absque eo quod una sit actus, alia vero potentia, quidni idipsum fieret, si duæ naturæ creatæ in eadem personalitate creata subsisterent?

Objiciunt 3. Si duæ naturæ possent per suppositum, aut personalitatem creatam terminari, Incarnatio Verbi non foret mysterium singulare, et sine exemplo, nec per consequens mirabile: at consequens est absurdum: ergo, etc. — Nego majorem: quamquam enim forte non esset æque mirabile ac nunc est, non minus tamen omni admi-

ratione dignum esset: quid enim mirabilius fingi potest, quam quod, ut ait Apostolus, ille qui est splendor gloriæ, et figura substantiæ Patris æterni, ei per omnia coæqualis, semetipsum tamen exinaniverit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus?

Objiciunt 4. Si posset subsistentia creata terminare dependentiam naturæ humanæ, et eam reddere formaliter subsistentem, haberet ex natura sua virtutem id faciendi: sed hoc est falsum: quia inde sequeretur, quod posset naturaliter talem effectum præstare; quod enim præstare potest ex natura sua intrinseca, id præstat naturaliter: sequeretur etiam quod connaturaliter id præstare exigeret, et concursum omnem ad id faciendum haberet requisitum. — **Nego majorem**: si enim esset verum, sequeretur pariter, quod Verbum divinum peteret connaturaliter terminare dependentiam, et unionem hypostaticam naturæ humanæ, quod est absurdum. Sequeretur etiam, quod anima naturaliter postularet recipere habitus supernaturales, et earum inhæsionem terminare, quia ex natura sua intrinseca absque aliquo superaddito potest illos habitus recipere. *Adde quod* licet omnis potentia naturalis possit reduci ad actum naturaliter, non tamen id verum est de potentia obedientiali, qualis esset illa, quam haberet suppositum creatum ad terminandam unionem alterius naturæ.

Objiciunt 5. Subsistentia terminans plures naturas debet esse infinita: sed nulla subsistentia et personalitas creata est infinita: ergo non potest plures naturas terminare. *Minor* patet: tum quia omne creatum finitum est: tum etiam quia subsistentia creata limitatur ab illa natura cujus est complementum et terminus. *Major* vero probatur: subsistentia terminans plures naturas supplet vices subsistentiarum, quæ sunt propriæ illis naturis: sed non potest illarum vices supplere, nisi contineat eas eminenter, et consequenter nisi sit infinita. *Adde quod*, qua ratione posset terminare unam naturam, posset ibidem terminare infinitas, si darentur: ergo, etc. — **Negat majorem Doctor**, quippe personalitas Verbi formaliter loquendo non est infinita, sed tantum realiter, et tamen sustentat ac terminat alienam naturam. Et ad probationem *respondeo*, quod sit manifesta petitio principii, dum dicitur, quod una subsistentia creata non contineat virtualiter pertectionem alterius, quantum requiritur ad complendam naturam, ac reddendam ipsam aptam, ut tam facile suas operationes exerceat, quam si afficeretur propria subsistentia. *Ad confirmationem* dico, revera quidem subsistentiam creatam posse terminare infinitas naturas, si darentur, nec tamen propterea censeretur infinita, quia illimitatio extrinseca, et sincategorematica, qualis esset illa quæ peteretur ex terminatione naturarum, non infert infinitatem, sed solum illimitatio intrinseca, et categorematica: hinc albedo, quæ posset terminare infinitas similitudines, si darentur, non propterea censeretur intrinsece infinita.

Objiciunt 6. Una natura creata non potest simul terminari a pluribus personis: ergo neque una persona creata potest simul plures naturas assumere. — **Nego paritatem**, et ratio disparitatis est aperta, ideirco enim una natura creata non potest simul terminari a pluribus personis, quia, ut diximus, quælibet earum est causa totalis personandi, seu terminandi naturam: at vero una persona creata respectu diver-

sarum naturarum non causat eamdem terminationem, sed diversam, quod utique non repugnat: sicut non repugnat, quod una causa efficiens producat diversos effectus, vel quod unum punctum, quod ex sua natura ordinatur ad terminandam unicam lineam, possit terminare, et de facto terminet omnes illas, quæ a circumferentia ducuntur ad ipsum.

Objiciunt 7. Subsistentia est modus naturæ: sed implicat modum unius rei modificare aliam: implicat enim me sedere per sessionem alterius, et unam accidens inhærere per alterius accidentis inhærentiam: ergo implicat naturam creatam per subsistentiam alienam terminari. — Respondeo primo negando *minorem*: nam subsistentia divina formaliter spectata est modus Essentiæ divinæ, quemadmodum, ut volunt aliqui, subsistentia creata est modus naturæ singularis creatæ; et tamen potest terminare subsistentiam naturæ creatæ, et eam efficere subsistentem: ergo aliquis modus potest tribuere suum effectum formalem alteri, quam rei cujus est modus. *Respondeo secundo, majorem* esse veram de modificatione intrinseca, quæ fit per inhæsionem; non vero de extrinseca, quæ fit per terminationem, qualis est modificatio, quæ fit per subsistentiam. Adde quod *major* forte sit vera de modis positivis, non vero de negativis, qualis est ratio formalis subsistentiæ.

Objiciunt ultimo: Ratio formalis terminandi dependentiam et communicationem naturæ debet esse quid reale et positivum: atqui secundum nostram sententiam, persona creata non constituitur per aliquid reale et positivum, sed dumtaxat per duplicem negationem communicationis, et communicabilitatis: igitur non potest alienam naturam terminare. *Major* constat: tum quia relatio humanitatis assumptæ a Verbo terminatur ad aliquid reale et positivum, nempe ad ejus subsistentiam: tum quia terminus relationis realis et positivæ debet esse quid reale et positivum. — Respondeo, quod in eo casu, relatio naturæ assumptæ terminaretur ad aliquid positivum, scilicet ad illius personæ creatæ naturam singularem, non quidem nude sumptam, sed cum adjuncta sibi duplici negatione communicabilitatis, per quam videtur esse sufficiens ad sustentandam alienam naturam, eamque reddendam incommunicabilem in sensu composito: sicque illa relatio unionis realis non terminaretur ad negationem, quæ est personalitas, tamquam ad terminum *qui*, sed tamquam ad terminum *quo*. Non est autem inconveniens, quod relatio realis habeat pro termino formali *quo* aliquam negationem; quia relatio solum requirit extrema positiva; non vero requirit, quod rationes formales extremorum sint positivæ; nam relationes diversitatis, quæ pertinent ad primum genus relativorum, fundantur in carentia identitatis, quæ carentia et negatio est ratio formalis *qua* terminandi illas relationes.

SECTIO TERTIA.

DE UNIONE HYPOSTATICA EX PARTE NATURÆ ASSUMPTÆ.

Notum est creaturarum alias esse substantiales, alias accidentales: substantialium, alias esse totales, alias partiales: totalium alias intellectu prædilas, ut homines, et Angeli; alias vero destitutas, et rationis expertes, ut bruta, plantæ, et mixta, ac elementa. Quantum ad

naturam humanam, citra dubium est illam esse assumptibilem a Verbo divino, et a qualibet alia persona, quippe quod factum est in uno individuo naturæ humanæ assumpto a Verbo, idipsum fieri potest in cæteris. Neque enim audiendus est error Wicleffi, quem refert Waldensis lib. 1. *Doctrinalis fidei antiquæ*, cap. 41. qui asseruit nullam aliam humanitatem fuisse a Verbo assumptibilem præter illam singularem, et individuam, quam assumpsit, quod plane absurdum est; non enim potior est ratio, aut repugnantia in assumptione unius individui ejusdem speciei, quam in assumptione alterius. Ideo S. Augustinus lib. 13. *De Trinit.*, cap. 18. supponit, ut per se notum, potuisse Verbum assumere humanitatem aliunde, quam ex stirpe Adæ: hinc lib. *De Prædestinatione Sanctorum*, cap. 15. dixit ex sola gratuita electione, et non ex alicujus meritis factum esse, ut illa potius humanitas, quam alia, Verbo jungeretur. Omissa ergo disquisitione de assumptibilitate humanæ naturæ, solum superest examinanda difficultas de natura, vel superiori, ut est Angelica: vel inferiori, ut est irrationalis, vel insensibilis natura. Quapropter tria maxime veniunt hac in Sectione determinanda: *Primum*, an quælibet natura substantialis, sive inferior homini, totalis vel partialis possit assumi a Verbo divino. *Secundum*, an quodlibet accidens sit etiam assumptibile. *Tertium*, qualiter totam humanitatem, et ejus partes Verbum divinum assumpserit.

QUÆSTIO PRIMA.

AN NATURA TAM ANGELICA, QUAM IRRATIONALIS, SIT ASSUMPTIBILIS A PERSONA DIVINA.

Notandum 1. Naturam aliquam *assumptibilem* denominari posse dupliciter: *Primo* quidem denominatione extrinseca petenda ab omnipotentia Dei; cui ex parte creaturarum solum respondet potentia obedientialis, seu non repugnantia. *Secundo modo* denominari potest assumptibilis denominatione extrinseca fundata in quadam congruentia a proprietate ipsius naturæ, quæ ex se, et secundum facultates et operationes naturales magis capax est obeundi munia deservientia ad finem Incarnationis: qua ratione, humana natura maxime videtur assumptibilis; non quidem secundum capacitatem naturalem, (hoc enim modo nulla natura assumptibilis putatur) sed secundum congruentiam ad unionem, quæ ex duplici capite consurgit: nimirum ex dignitate intellectualis, seu rationalis naturæ, quæ sit capax ipsius Dei, et per operationem ipsum attingat: deinde ex necessitate, et indigentia redemptionis; quæ duo in sola natura humana ita concurrunt, ut eam maxime assumptibilem efficiant: de quo quidem assumptionis modo hic non est tam futurus sermo quam de posteriori.

Notandum 2. Omnes Theologos convenire, naturam humanam potiori jure a Verbo divino assumptibilem esse, ac assumi debuisse, quam Angelicam, propter egregias rationes, quas ex sanctis Patribus deprompsimus, et declaravimus in 1. Articulo præsentis Disputationis. An autem Angelica natura absolute possit ad unionem hypostaticam a divina persona assumi, non ita concordant omnes. Nam *Albertus Magnus* in 3. dist. 2. id negare videtur, ex eo quod censeat in Angelis

idem esse naturam et personam; et consequenter cum natura non possit assumi simul cum persona, idcirco existimat Angelicam naturam non esse assumptibilem. Cujus tamen contrarium merito tuentur cæteri Theologi.

Notandum 3. Partium substantialium alias esse integrales, alias essentiales: hasque esse vel metaphysicas, vel physicas. De essentialibus et metaphysicis hic non est sermo, quia cum illæ in re non habeant entitatem distinctam, nec inter se, nec a toto, non aliter possunt assumi, quam in tota natura. Partes autem physicæ, puta corpus, et anima in viventibus, spectari possunt vel conjunctæ in toto, vel ut realiter separatæ. *Insuper* partes integrantes, aliæ heterogeneæ, aliæ homogeneæ, puta vel diversæ, vel ejusdem rationis. Item spectari possunt quatenus ut existunt in toto, vel ut actu sunt ab eo separatæ, et divisæ. De illis hoc utroque modo spectatis quærimus, an sint assumptibiles.

Conclusio prima. — Natura Angelica potest assumi hypostatice a persona divina. Ita omnes ferme Theologi.

Probaturque primo ex verbis Pauli ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ:* cum enim intentum Apostoli sit commendare erga homines Dei charitatem, quod naturam humanam, non vero Angelicam assumpserit, debet necessario supponere possibilem fuisse naturæ Angelicæ assumptionem; alioqui nullum omnino esset illius argumentum, siquidem facile responderi posset, mirum non esse, quod Deus, relicta natura Angelica, humanam assumpserit, quandoquidem ipsa natura Angelica non erat assumptibilis.

Probatur secundo: Naturam Angelicam assumi non repugnat nec ex parte Dei, nec ex parte Angeli: ergo illa simpliciter est assumptibilis. Patet *antecedens*, primo quidem *ex parte Dei*, quia cum suppositum divinum sit absolute, et per se independens, terminare potest dependentiam cujuscumque naturæ, et supplere vices cujuslibet suppositi. Non etiam repugnat *ex parte Angeli:* quippe cum sit eadem ratio de natura Angelica, ac humana, nam non alia ratione natura humana est capax assumptionis, nisi quia distinguitur realiter a sua personalitate, et consequenter potest illa vel destructa, vel non effluente, terminari per subsistentiam Verbi, in qua propria personalitas eminenter continetur: at idem dicendum de natura Angelica, quæ realiter a sua personalitate distinguitur: ergo qua ratione natura humana est assumptibilis, etiam Angelica assumi potest.

Objicit Albertus: In Angelis non distinguitur realiter personalitas a natura: sed sublata illa reali distinctione, natura non est assumptibilis: igitur natura Angelica non potest a Deo assumi hypostatice. Probat *majorem* ex Aristotele 7. *Metaphysicorum*, cap. 6. *In his, quæ sunt per se, idem est quod quid est, et id cujus est,* hoc est, ut ipse explicat, in substantiis separatis, idem est natura, et persona. — **Nego** majorem, et ad illius *probationem* dico, Aristotelem dumtaxat velle, *vel* quod definitio et definitum idem sint in substantiis, secus vero in accidentibus: nam in definitione accidentium cum illa fiat per ordinem ad aliquid extrinsecum, scilicet ad subjectum, non est idem *quod quid est, et id cujus est,* quia subjectum et accidens non sunt

idem. *Vel* si ejus verba usurpentur de natura et supposito, dico eum significare, quod natura et suppositum sint ejusdem prædicamenti; ad differentiam accidentium acceptorum in concreto, hoc est cum subjecto sustentante, quia spectant ad diversa prædicamenta; siquidem subjectum spectat ad prædicamentum substantiæ, accidens vero pro sui diversitate diversum prædicamentum instituit.

Objicit 2. Angelus est incorruptibilis: sed si Verbum assumeret naturam Angelicam, non esset incorruptibilis, nam illius personalitas periret, et corrumperetur: igitur non potest assumi. — **Respondeo** *primo*, quod si Angelus assumeretur in primo instanti suæ productionis, in quo propria personalitas resultare deberet, illa non corrumperetur, sed non pullularet. *Secundo* dico, quod Angelus est quidem incorruptibilis per ordinem ad agens creatum, non vero per ordinem ad Deum: unde Deus servando naturam Angelicam facili negotio posset illius personalitatem extinguere, et supplere per suam propriam, quod utique non officeret Angelicæ dignitati, et naturæ, imo illam infinite perficeret et compleret.

Conclusio secunda. — Natura quicumque irrationalis, tam animata, quam inanimata, assumi potest a Deo ad unionem hypostaticam.

Probatur 1. ex Tertulliano lib. *De Carne Christi*, cap. 4. ubi disputans contra Marcionem, qui negabat Christum habuisse veram carnem, quia hoc erat Deo indignum nasci ex muliere, ait: *Si vacca de lupa aut sue, aut vacca, et de quovis corpore indutus regnum cælorum prædicare voluisset, tua opinor censura illi præscriberet, indignum id Dei Filio: stultum etiam id præberet: sit sane stultum, si de nostro sensu Deum judicemus: sed tamen circumscripte, quod stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* Idem docet S. Gregorius Nyssenus *Oratione Catechetica*, cap. 27. ubi retellendo eos, qui putant turpe et indecorum esse, quod Deus carnem, et terrestre corpus assumpserit, ait: *Non fuisset tolerabilior turpitudo suscipiendo figuram cælestis corporis, quam terrestris, quia omnis creatura ex æquo distat ab illo, qui est Altissimus, et omnia ei æqualiter subjecta sunt, nec terra est remotior a suprema ejus dignitate; nec cælum ei propinquius: nec Deus proprie respicit sursum, aut deorsum, sed omnia ex æquo illi subjecta sunt, qui præest omnibus: quare si terrestris natura existimetur indigna, quæ cum Deo conjungatur, nec ulla unquam inveniatur digna: quod si æqualiter omnia indigna, Deum autem decet benefacere indigenti, nihil certe eo indignum credimus, dum confitemur, ubi erat morbus, ibi medicam potestatem adhibuisse.* Addunt aliqui sententiam S. Augustini lib. *De Vera religione*, cap. 16. ubi docet Verbum divinum potuisse in aliquo corpore æthereo visibiliter hominibus apparere: sed illa doctrina non est ad præsens institutum: non enim loquitur de apparitione, quæ fieret per unionem hypostaticam, sed solum de ea, quæ esset sensibilis eo modo, quo Angeli apparuerunt in Veteri Testamento.

Probatur secundo ratione: Omnis substantia creata completa habet id omne quod requiritur, ut sit assumptibilis a Deo: ergo ita fieri potest. Probatur *antecedens:* nam ut talis sit, solum requirit, quod sit apta existere in supposito realiter a se distincto, cujus vices suppleat

possent per aliud suppositum: sed talis est omnis natura irrationalis, quia non est magis determinata ad proprium suppositum, quam natura intellectualis, suppositum enim irrationale non sustentat perfectius naturam quam afficit, quam suppositum rationale. *Adde quod* in natura irrationali nulla appareat ratio, quæ repugnantiam, aut contradictionem inducat, ut ita assumatur.

Repones, repugnantiam assumptionis talis peti ex ejus indecentia; indecens enim, et indecorum Deo videtur, naturam irrationalem in concreto de ipso prædicari, ipsumque belluam, equum, suem, aut bovem denominari. — **Verum respondeo**, quod si quæ sit indecentia, illa tantum erit negative, et comparative, idest, minus decens, quam quod naturam rationalem assumat; non autem positive, et absolute, cujusmodi indecens esse deberet, ut divinitus fieri non posset. *Adde quod* si solius rationis naturalis ductum sequamur, non minus apparet indecens majestati divinæ Filium Dei nostram carnem assumere, et in ea nasci, laborare, cruciari, et mori, quam si quamlibet alteram naturam corpoream assumeret. Unde dicendum est cum Tertulliano lib. citato *De Carne Christi*, cap. 5. *Quodcumque Deo est indignum, mihi expedit, salvus sum, si non confundar de Domino meo: Qui me, inquit, confusus fuerit, confundam et ego eum. Aliam non invenio materiam confusionis, quæ me per contemptum ruboris probet bene impudentem, et feliciter stultum: natus est Dei Filius, non pudet quia pudendum est: et mortuus est Dei Filius, prorsus credibile est quia ineptum est, etc.* Igitur a pari etsi humano sensu judicetur indecens, quod Deus naturam belluinam assumeret, non tamen id foret absolute, quia non deessent Deo rationes gravissimæ propter quas isti naturæ sic uniretur. — *Confirmantur* hæc omnia ex eo, quod Verbum divinum in triduo mortis erat unitum corpori Christi: sed tale corpus post mortem erat natura irrationalis, et insensibilis: ergo natura irrationalis et insensibilis est capax unionis hypostaticæ.

Reponeres forte, disparitatem esse, quod corpus Christi in triduo mortis aliquo modo fuerit rationale, scilicet per participationem, quia dicebat ordinem ad animam rationalem, cui poterat iterum uniri: sicque erat in potentia pars rationalis naturæ, et ex hoc erat capax unionis hypostaticæ: secus vero est de natura irrationali, quæ cum nec actu, nec potentia sit pars rationalis naturæ, idcireo est incapax assumptionis. — **Contra**, ordo corporis ad animam rationalem non constituit illud in esse rationali, sed illud relinquit in esse irrationali: igitur cum per illum ordinem corpus dumtaxat dicatur rationale extrinsece, non plus constituitur formaliter, et actu rationale, quam lapis, aut brutum. *Deinde*, falsum est corpus Christi mortuum dicere ordinem ad animam rationalem; cum enim reunio animæ cum corpore supernaturalis sit, non potest exigi a corpore ab anima separato.

Objicies 1. Implicat contradictionem idem esse simul personam, et non esse: sed si natura irrationalis assumeretur, esset simul persona, et non esset. Esset quidem, quia haberet personalitatem Verbi; non esset autem, quia persona est rationalis naturæ individua substantia: ergo cum hæc natura sit irrationalis, non potest esse, nec dici persona. — **Nego minorem**: illa enim natura non censeretur persona; nam, ut docet Doctor, unio hypostatica non est nata esse

personatio, nisi id quod assumitur, capax sit personari: natura autem irrationalis non est capax rationis personæ, seu dumtaxat rationis suppositi: ergo Verbum divinum illam naturam irrationalem assumptam non constitueret personam, sed dumtaxat suppositum.

Objicies 2. Natura quæ non potest elevari ad videndum Deum, et ipsum amandum, non est capax unionis hypostaticæ, quia operari sequitur esse, et ipsum esse est propter operari: sed nulla natura irrationalis potest elevari ad videndum, et amandum Deum, ut constat: igitur nec ad unionem hypostaticam. — **Nego majorem**: cujus contrarium apparet in corpore Christi, quod unitum fuit divinitati in triduo mortis, licet tam per se, quam per animam a se separatam tunc temporis esset incapax amoris et cognitionis Dei. *Ad probationem* dico, illud axioma *operari sequitur esse*, verum quidem esse de esse essentiæ, vel potentiæ, quia talis est actio, quale est principium formale, vel radicale illius: essentia autem est principium radicale, et potentia est principium formale actionis: at non est verum de esse termini ultimi substantiæ, quale est suppositum: alias omnes operationes Christi essent supernaturales et divinæ, sicut et illius suppositum; quod nemo dixerit.

Instabis: Cui non potest communicari minus, non potest communicari majus: sed visio beatifica est quid minus unione hypostatica: ergo cum hæc communicari non possit naturæ irrationali, etiam nec unio hypostatica communicari potest. — **Respondeo**, *majorem* esse veram quando majus et minus sunt ejusdem ordinis, non vero quando sunt diversi ordinis; sic communicari potest homini scientia, non autem volatus; et animæ communicari potest ratio, non albedo: et homo potest producere hominem, non vero lupum.

Objicies 3. Ea tantum creatura potest assumi hypostatice, quæ est capax sanctitatis, quia unio hypostatica est sanctificans: sed natura irrationalis est omnis sanctitatis incapax: ergo et incapax assumptionis. — **Respondeo**, *majorem* esse veram generaliter de sanctitate personali, quæ consistit in intima, eaque singulari unione, præsentia, vel habitudine ad aliquam personam divinam; non vero de sanctitate accidentali, quæ fit per gratiam habitualem, qualis sanctitas solum communicatur naturæ rationali, quatenus rationalis est; sic corpus Christi in triduo mortis habuit sanctitatem personalem, non autem accidentalem, quia anima in qua residebat habitualis et accidentalis sanctitas, ab eo erat separata. In forma distinguo *majorem*: quæ est capax sanctitatis vel personalis, vel accidentalis, vel utriusque, concedo: quæ solum est capax sanctitatis habitualis et accidentalis, nego.

Conclusio tertia. — Partes reales tam essentiales physicæ, quam integrantes, assumi possunt seorsim, sive existant in toto, sive extra totum, et per divinam subsistentiam subsistere.

Probatur: Quod habet subsistentiam propriam, potest per divinam subsistentiam terminari, et subsistere: sed illæ partes propriam habent subsistentiam, saltem partialem, ut probatum est in Metaphysicis: igitur sive illæ partes in toto, sive extra totum existant, possunt seorsim per divinam subsistentiam terminari, et subsistere.

Confirmatur: In triduo mortis corpus et anima Christi seorsim subsistebant subsistentia Verbi: ergo pari ratione aliæ partes possent etiam seorsim assumi: quippe major non apparet difficultas, ut Verbum divinum partem unicam assumat, non assumpta alia, quam ut utramque terminet, etiam dum ab invicem separantur.

Dices: Quod etsi verum appareat partes sejunctas posse terminari, et subsistere subsistentia divina, id tamen videri falsum de partibus conjunctis, tum quia partes transire videntur in entitatem totius, et consequenter subsistentiæ partiales pariter transeunt in subsistentiam totius, tum quia forma saltem ea quæ educitur de potentia materiæ non videtur habere propriam subsistentiam, sed tantum subsistere subsistentia materiæ, ideoque non potest subsistere subsistentia divina; quidquid enim non est capax subsistendi per se, seu subsistentiæ propriæ, non est etiam capax subsistentiæ alienæ: igitur Conclusio non est absolute vera de omnibus partibus physicis. — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* dico, partes actu remanere partes in toto, licet sint actu totum constituentes. Dico insuper illas habere suas partiales proprias subsistentias, ut maxime constat de materia, quæ cum sit subjectum transformationis, et eductionis formarum, requirit hunc modum per se existendi: id etiam negari non potest de forma non educibili e sinu materiæ: qualis est anima rationalis; sicut enim illa existere potest extra corpus, ita et independenter ab eo subsistere, et terminari. Idem denique constat de formis educibilibus: siquidem illæ subsistunt saltem per subsistentiam materiæ: at Deus illum modum subsistendi supplere potest conservando videlicet illas formas independenter a materia, maxime cum distinctam existentiam habeant, ut probavimus in Physicis: igitur, etc.

Dices 2: Illud non potest assumi hypostatice, quod non potest esse persona vel suppositum: sed partes neutrum esse possunt: ergo, etc. — **Distinguo majorem**: nihil potest assumi hypostatice, quod nequit esse persona vel suppositum, assumptione, quæ fiat per rationem personandi et suppositandi, concedo: quæ fiat per rationem terminandi et sustentandi, nego: partes quidem illæ nec personæ essent, nec suppositatæ, sed dumtaxat terminatæ ac sustentificatæ.

Dices 3: Divina personalitas non potest supplere vices subsistentiæ partialis: ergo partes illæ non sunt assumptibiles. Patet *antecedens*: Deus enim non potest supplere vices partis, cum de ratione partis sit esse quid incompletum, et imperfectum; Deus autem censeri non potest ens incompletum, imperfectum. — **Nego antecedens**, et ejus probationem distinguo: divina personalitas non potest vices gerere subsistentiæ partialis, quantum ad rationem partis, concedo: quantum ad rationem subsistentiæ, omni dempta imperfectione, et ratione partis, nego: sicut enim Deus uniri potuit animæ rationali a corpore separatæ, ut de facto Verbum divinum fuit unitum in triduo mortis, ita etiam terminare potest quamlibet partem.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN NATURA ACCIDENTIS POSSIT ASSUMI A PERSONA DIVINA.

Notandum 1. Certum esse quod accidens possit assumi, imo de facto fuerit assumptum mediate, hoc est, mediante natura substantiali a Verbo assumpta, quippe Verbum assumendo naturam humanam, assumpsit pariter accidentia ad ejus integritatem, et conservationem naturalem desideranda : qua ratione docent Theologi Verbum etiam assumpsisse omnes humanitatis defectus naturales, excepto peccato et ignorantia. Verum difficultas est, num accidens immediate, et per se assumi et terminari possit a persona divina. Negat noster Bassolis in 3. dist. 2. quæst. 1. et cum eo Suarez ac plurimi Recentiores : affirmat autem noster *De Rubione*, in 3. dist. 2. q. 2. cui subscribunt Vasquez, et plurimi ex modernis.

Notandum 2. Ex Doctore in 3. dist. 1. quæst. 1. num. 3. accidens duplicem habere habitudinem ad subjectum : unam quidem in ratione informantis ad informabile : alteram autem in ratione terminati et sustentati ad terminans et sustentans. *Prima* habitudo arguit imperfectionem tam in subjecto, quod requirit accidens, tamquam formam requisitam ad totalem sui integritatem et perfectionem : quam in ipso accidente, quod ea ratione est ens incompletum, et extra naturam subjecti. *Secunda* vero arguit quidem imperfectionem in accidente, quod existere non potest nisi sustentetur a subjecto : nullam vero denotat imperfectionem in subjecto, imo perfectionem in eo connotat, nempe virtutem sustentativam alterius entis.

Notandum 3. Ex eodem Doctore quæst. 19. *quodlibetica* art. 2. quod etsi accidens propter suam imperfectionem non possit habere per se suppositum, et consequenter non possit hypostatice intrinsece terminari ; tamen requirit suppositum intrinsecum subsistentiæ, ad quod ejus dependentia terminetur, tamquam ad suum suppositum, cui tamen non identificatur, nec cum eo fit per se idem, quia natura accidentis, et suppositum substantiæ sunt alterius generis : est tamen inter illa aliqua unio supplens (ut possibile est) vicem identitatis, quæ unio ex parte accidentis est actualis dependentia ejus naturæ : ex parte vero suppositi, est terminatio illius dependentiæ, quæ terminatio non est aliud, quam actualis sustentatio illius accidentis, ratione cujus conservatur accidens in suo esse.

Conclusio unica. — Natura Accidentis assumi potest a persona divina.

Probatur: Ea natura est assumptibilis a persona divina, cujus dependentia terminari potest : sed accidentis dependentia terminari potest a natura divina : ergo, etc. *Major* constat. *Minor* probatur : si quæ esset repugnantia quominus natura accidentis terminari posset a natura divina, peteretur vel ex parte personæ divinæ, vel ex parte ipsius naturæ accidentis : sed ex neutro capite repugnat. Non quidem ex parte personæ divinæ, quæ cum habeat vim infinitam, et independentem in ratione terminantis, potest terminare id omne quod est terminabile, eo videlicet modo quo terminabile est, ubi actualis illa terminatio

non est de intrinseco conceptu ipsius rei, quæ terminatur. Nec etiam implicat ex parte accidentis, quippe actualis terminatio accidentis a suo subjecto non est de intrinseco illius conceptu; nec ita naturalis et necessaria, ut constat in speciebus Eucharisticis, quæ non terminantur per subjectum; quippe cum ipsi non inhæreant.

Adde quod dependentia accidentis a sustentante non minus sit in potentia obedientiali respectu divinæ personæ, quam dependentia naturæ substantialis ab ipsa divina persona, per quam sustentari et terminari potest.

Dices 1: Terminari non potest accidens per subjectum, nisi quatenus hoc habet rationem potentiæ passivæ respectu accidentis, quod est illius forma informans: sed divina persona non potest habere rationem potentiæ passivæ respectu accidentis; quippe cum ab ipso non possit informari: ergo nec potest accidens terminare, et assumere. — **Nego majorem**: nam, ut diximus in 2. *Notabili*, duplex est habitudo accidentis ad subjectum cui inest; nempe in ratione informantis, et in ratione terminati: atque adeo duo hæc in subjecto distinguuntur, nempe esse potentiam passivam respectu accidentis et terminare illius dependentiam; hinc persona divina potest hoc ultimum munus præstare, quamvis primum efficere nequeat.

Dices 2: Nihil est capax terminari modo opposito suæ entitati, quandoquidem id quod terminat alienam entitatem supplet vices proprii ejus termini: sed esse subsistens et terminatum per subsistentiam divinam est modus oppositus modo connaturali accidentis, qui est inhærentia, nec enim terminatur accidens nisi per subjectum cui inhæret: igitur non potest ita assumi nec terminari. — **Distinguo minorem**: modus subsistendi per se, ea ratione qua subsistentia per se subsistit, est oppositus modo existendi accidentis, concedo: modus subsistendi non per se, sed ratione sustentantis et terminantis, est modus oppositus existentiæ accidentis, nego. Persona autem divina non tribueret modum existendi per se accidenti, quemadmodum ipsa per se subsistit, sed duntaxat modum sustentati, et terminati; ita quod accidens sic assumptum conservari posset absque omni subjecto, nec exigeret aliud subjectum a quo terminaretur.

Dices 3: Si persona divina assumeret accidens immediate, puta albedinem, sequeretur quod accidens in abstracto, vel in concreto, prædicari posset de persona divina, quemadmodum natura humana in concreto enuntiatur de Verbo, cum dicitur, *Deus est homo*: sed absurdum est personam divinam posse dici albedinem vel albam: ergo pariter est absurdum, accidens ab ea posse assumi. — **Nego sequelam majoris**: non enim accidens posset enuntiari de persona divina in abstracto quia non aliter enuntiari deberet accidens de persona assumente, quam enuntietur de subjecto cui inest: at nullum accidens enuntiatur de subjecto in abstracto; non enim dicitur *paries est albedo*. Non posset similiter enuntiari in concreto: quia nullum accidens enuntiatur in concreto, nisi de subjecto cui inest per modum inhærentis et informantis: at in tali hypothesi, albedo non inesset personæ divinæ per modum inhærentis et informantis, sed tantum per modum informati et terminati: igitur dici non posset, *persona divina est alba*, prædicatione scilicet concreti accidentalis de

suo subjecto, quamvis forte, ut dicit Marsilius) ita posset appellari ratione unionis, dicique posset, *persona divina est alba*, idest, habens albedinem, non per modum informati, sed per modum terminantis et sustentantis.

Advertendum autem Conclusionem intelligendam esse dumtaxat de illis accidentibus, quæ separabilia sunt a suis subjectis, et terminis: cum enim relationes v. gr. non possint ullatenus existere independenter a suis fundamentis et terminis, ita nec possunt a divina persona sustentari; similiter cum figura existere nequeat, et separari a suo subjecto, quippe est essentialiter terminus quantitatis diversimode se habentis, etiam illam inassumptibilem judico.

QUÆSTIO TERTIA.

QUALITER, ET QUO ORDINE VERBUM DIVINUM HUMANITATEM, ET EJUS PARTES ASSUMPSERIT.

Notandum 1. Certum esse, ac fide credendum, ut probabimus in sequenti Disput., Verbum divinum veram animam humanam, verumque corpus, et omnes illius partes integrantes, et ad corporis ornatum et necessitatem conducentes, assumpsisse. *Certum* pariter prioritate temporis, non prius aliquam hominis partem assumpsisse, quam alteram: siquidem fide constat animam et corpus simul tempore fuisse a Verbo assumpta, ita ut nec anima prius tempore quam corpus, nec corpus prius quam anima, sed simul, et in eodem instanti, in quo fuit producta in Virginis utero Christi humanitas, seu in quo fuit creata anima Christi, et unita carni, caro et anima fuerint assumptæ. Caro quidem, nam ut optime docet S. Damascenus lib. 3. *De fide*, c. 2. *Simul ut caro extitit, simul quoque Dei caro extitit: simul caro animata rationis, atque intelligentiæ particeps.* Vel ut loquitur S. Fulgentius lib. *De Incarnatione*, cap. 3. *Ipsa acceptio carnis fuit conceptio Virginalis..... Non est aliquod igitur interrallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium, et concipiendæ Majestatis adventum.* Idem dicendum de anima, quare Concilium quintum generale can. 2. proscribens errores Origenis, qui dicebat Christi animam fuisse cum cæteris animabus initio mundi creatam, atque suis operibus meruisse uniri hypostatice Verbo Dei, illique de facto fuisse unitam, pridem antequam corpori jungeretur, sic ait: *Si quis dicit, aut sentit animam Domini præextitisse, unitamque esse Deo Verbo ante Incarnationem, et Nativitatem ex Virgine, anathema sit.* Quapropter Leo Papa Epistola 11. *Contra Eutychem.* sic ait: *Arbitror alia proloquentem hoc habere persuasum, quod anima, quam Salvator assumpsit, prius in cœlis sit commorata, quam de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copulavit: sed hoc catholicæ mentes, auresque non tolerant.* Constat igitur tam humanitatem, quam corpus et animam eodem temporis momento fuisse assumpta. Sed difficultas solvenda remanet, an tria hæc, nempe humanitas, corpus, et anima, eadem simultate naturæ, aut eorum aliquod prioritate naturæ fuerit assumptum. Nam S. Thomas, 3. p. q. 6. art. 5. contendit partes prius fuisse unitas, quam totum: Doctor vero Subtilis in 3. dist. 2. q. 2. num. 5. docet prius humanitatem prioritate naturæ assumptam fuisse, quam partes.

Notandum 2. Ex eodem Doctore *ibidem*, aliquid dupliciter posse dici medium inter unum et aliud : primo quidem *ut quod* : secundo *ut quo*. Medium *ut quod*, seu medium *quod*, est id quod est res distincta medians inter unum, et alterum ; sic inter substantiam, et qualitates corporeas mediat quantitas, in qua immediate (ut communiter docetur) recipiuntur illæ qualitates corporeæ, et ea mediante substantiæ insunt. Medium *ut quo*, seu medium *quo*, est ratio formalis, qua agens potest agere, seu recipiens recipere ; sicut enim agens non posset agere, nisi haberet virtutem agendi, hinc dici potest, quod agat mediante virtute activa, quæ est medium *quo* agit : sic non potest subjectum recipere aliquid, nisi habeat in se virtutem seu potentiam receptivam, quæ dici potest medium *quo* aliquid recipit ; et sicut virtus agendi non est medium *quod* inter agens et effectum, ita nec virtus recipiendi dici potest medium *quod* inter recipiens et receptum. Ex quibus sequitur, quod aliquid dici possit assumi dupliciter : *Primo* quidem ut medium *quod*, idest quod vere et immediate assumitur, et ipso mediante aliud assumitur. V. g. vas, in quo aliquis liquor continetur, est medium *quod*, quia ipso mediante liquor assumitur et deportatur. *Secundo* potest aliquid assumi ut medium *quo*, quatenus est ratio, quare aliud assumitur : quod utique subdividitur in medium *quo* ex necessitate naturæ, idest, quod sit ratio orta solum ex necessitate naturæ, quare aliud assumatur, et medium *quo* ex congruentia, quod sit ratio orta solum ex congruitate, quare unum prius assumatur, quam aliud. Difficultas ergo præsens est, an partes humanitatis prius prioritate naturæ assumptæ sint, ut medium *quod*, quam ipsa humanitas, aut vice versa.

Notandum 3. Partes duobus modis considerari vel comparari posse, videlicet ad se invicem, seu in ordine ad habitudinem quam servant inter se : et ad humanitatem, seu in ordine ad earum unionem, et totius humanitatis constitutionem. *Prima comparatio* fit dum quæritur, an anima prius unita sit Verbo, quam corpus : *secunda* vero dum quæritur utrum partes fuerint prius unitæ Verbo, quam toti, vel vice versa. Hinc movetur quæstio, an per assumptionem totius, et per solam unionem Verbi ad totam humanitatem (ex hypothesi, quod illa sit prius assumpta, quam partes) resultaverit unio cum partibus per quamdam resultantiam naturalem : vel potius utrum posita unione cum tota humanitate, prius natura, quam cum partibus, necessariæ etiam fuerint speciales uniones ipsius Verbi cum ipsis partibus. Ratio autem hujus difficultatis in eo fundatur, quod si admittantur tres uniones, videntur entia multiplicari sine necessitate ; cum enim partes sint in toto formaliter et intrinsece, consequens videtur, quod ex unione totius ad Verbum, necessario resultet unio partium ad Verbum ; e contra vero si non admittantur tres illæ uniones, sequitur, quod destructo toto, etiam pereant uniones Verbi cum corpore et anima ; et sic ex destructa humanitate, ut factum est in triduo mortis, consequens esset, vel quod Verbum non permansisset unitum corpori et animæ, vel quod opus fuisset novas fieri uniones ipsius Verbi cum corpore et anima.

His ita præmissis, tria maxime veniunt determinanda : *Primum*, an partes humanitatis fuerint medium *quod*. *Secundum*, an fuerint

medium *quo* illius assumptionis. *Tertium*, an et quomodo anima fuerit medium *quo* assumptionis corporis.

Conclusio prima. — Partes non sunt medium quod respectu assumptionis totius humanitatis : neque ordine intentionis, neque ordine executionis. Hæc constat duabus partibus, quarum *Prima* communis est inter Theologos ; illud enim ordine intentionis prius natura fuit assumptum, cujus assumptio fuit per se prius intenta : at primo intenta fuit assumptio humanitatis, quam partium : in hoc enim mysterio id quod primo intenditur est quod Verbum fiat homo ; cum autem fieri non possit homo, nisi assumendo humanitatem, quæ ut vera sit, constare debet corpore et anima ; inde fit quod ordine intentionis tota humanitas prius assumitur ; deinde vero partes, quibus constat.

Secunda pars autem est contra Thomistas, quam sic probat Doctor: Illud est primo assumptibile a Verbo, ut medium *quod*, quod est in se primo personabile : sed tota humanitas est prius personabilis, quam partes : ergo, etc. *Major* constat, quia in eodem instanti tam temporis, quam naturæ, Verbum supplevit personalitatem creatam, quo ipsa exurgere debebat : unde si prius exurgere debuerit personalitas totius, quam partium, etiam tota humanitas prius debuit assumi, quam partes. *Minor* vero probatur, quia licet partes, etiam ut unitæ, habeant subsistentias partiales, tamen hac ratione dici non possunt prius natura assumptæ, quam totum : quia partes non debebant prius assumi, quam inter se unirentur ; neque enim assumptio earum habet ullam rationem causæ, aut conditionis ad earum unionem inter se : sed in eodem ipso instanti, in quo sunt unitæ, aut saltem in instanti naturæ immediate sequenti, tota natura est assumpta : prius ergo natura partes non fuerunt assumptæ, quam fuerint unitæ cum toto.

Deinde, personalitas Verbi divini est perfecta, et completa : ergo postulat prius natura communicari substantiæ completæ, qualis est tota humanitas, quam substantiæ incompletæ, qualis est anima rationalis, vel corpus ; et consequenter non debuit prius natura assumere corpus, aut animam, quam totam humanitatem.

Denique, Verbum est primaria sui unione homo: non est autem homo, nisi per id quod est assumptum : ergo per illud quod assumptum est fuit primo homo : at si prius natura partes assumpsisset, quam totum, non posset dici primaria sui unione homo ; quia aliquid dicitur primo homo per totam humanitatem ; non autem per partes : ergo primo assumpsit totam humanitatem.

Dices: Eodem modo communicata fuit subsistentia divina toti humanitati, et ejus partibus, quo eis convenit subsistentia humana ipsis connaturalis : sed subsistentia humana in ordine executionis prius natura convenit animæ rationali : deinde corpori, cui unitur per informationem; et denique toti humanitati ex utroque resultanti : ergo ordine executionis prius natura fuerunt assumptæ partes humanitatis, quam tota humanitas. *Major* patet, nullum enim est fundamentum invertendi in assumptione humanitatis ad Verbum modum et ordinem naturalem. *Minor* vero probatur, quia subsistentia humana prius natura convenit animæ rationali, quam toti humanitati ; nam anima rationalis fit per

creationem: ergo per illam accipit esse subsistentiæ: sed per hoc, quod unitur corpori, non deperdit illud esse, alias frustra produceretur a Deo per creationem: ergo prius natura subsistit, quam uniatur corpori, subindeque prius natura illi convenit subsistentia, quam toti humanitati. *Deinde confirmatur*, quia causa saltem prioritate naturæ antecedit effectum: sed partes sunt veluti causæ totius: ergo necessario totum antecedunt. — **Distinguo majorem:** subsistentia divina communicata fuit prius partibus, quam toti humanitati, seu partes humanitatis prius fuerunt assumptæ, quam tota humanitas, ut medium *quod*, nego: ut medium *quo*, concedo. Quia, inquit Doctor, sicut anima rationalis est medium *quo*, seu ratione cujus homo sit risibilis, non ipsa est risibilis, sed ipse homo, quia risibilitas non advenit, nisi ubi completa est humanitas: ita licet partes sint medium *quo* homo fit subsistens, et priores sint natura tota humanitate; tamen non sunt in se prius subsistentes saltem subsistentia completa: sed quod est subsistens est homo, cui non advenit subsistentia, seu personalitas, nisi ubi homo habet suum esse totale et completum.

Instabis: Pars est prior toto via generationis, seu in generatione prius pars producitur, quam totum: ergo etiam in assumptione prius assumitur pars, quam totum. — **Respondet** Doctor, permisso *antecedente*, negando *consequentiam:* non enim est consequens, quod si unum sit prius alio secundum ordinem generationis, sit etiam prius secundum ordinem subsistentiæ, et rationem personationis, quippe nulla est ratio, unde colligatur, quod talem debeant servare ordinem. *Deinde* personalitas est complementum ipsius naturæ compositæ; unde non debet prius competere alicui, quam eidem naturæ.

Dices 2: Illud est prius altero, a quo non convertitur subsistendi consequentia: sed non convertitur ab assumptione partium ad assumptionem totius, neque enim valet dicere: assumpsit partes: ergo etiam assumpsit totum: bene vero sequitur: assumpsit totum: ergo et partes: igitur prior est assumptio partium, quam totius. — **Distinguit majorem** Doctor; illud est prius secundum consequentiam, concedit: secundum causalitatem, negat. Et concessa *minore*, similiter distinguit *consequens:* neque enim omne, quod est prius secundum consequentiam, est prius secundum causalitatem, cujus Doctor profert exemplum; quia accidens, quod consequitur ad plura, ut calor, qui sequitur ab igne et sole, non infert necessario et determinate existentiam et præsentiam solis, aut ignis; nam bene quidem sequitur: est ignis, ergo est calor; est sol, ergo est calor: non vero sequitur: est calor, ergo est ignis. Unde calor est prior prioritate illa, a qua non convertitur subsistendi consequentia; et tamen est posterior causalitate. Aliud exemplum proferri potest, quia totum v. g. non potest esse in loco, quin partes etiam sint in loco, nec tamen sequitur, quod partes prius ponantur in loco, quam totum: ergo quamvis totum non possit assumi absque partibus, et partes assumi absque toto, non sequitur, quod prius assumi debeant partes, quam totum. — *Respondet* 2. distinguendo *minorem:* ab assumptione illa partium, quæ facta est pro omni tempore, quo assumptum est totum, negat *minorem:* ab alia assumptione, quæ fieret, concedit *mi-*

norem: et negat *consequentiam*. Quæ responsio in eo fundatur, quod dicat de facto non esse aliquam specialem unionem partium humanitatis cum personalitate Verbi, præter unionem ipsius humanitatis; quamvis possent partes uniri alia unione immediata, ut unitæ fuerunt in triduo mortis.

Dices 3: Si Verbum assumpsisset primo totam humanitatem, aliquando dimisisset quod semel assumpsit; quia in morte non habuit totam assumptam humanitatem; quippe illa dissoluta fuit per separationem corporis ab anima: sed *consequens* videtur militare in illud vulgare axioma theologicum ex sancto Damasceno depromptum: *Quod semel assumpsit numquam dimisit:* ergo, etc. — **Negat minorem** Doctor; siquidem, inquit, conveniunt omnes Theologi, quod Verbum in triduo mortis non habuerit assumptum totum: quia tunc non erat totum humanitatis, quod per mortem dissolutum fuerat; unde sanctus Damascenus solum voluit, quod nullam unquam partem humanitatis Verbum dimiserit, quam semel assumpsit.

Dices denique: S. Augustinus lib. *De Agone Christiano* cap. 18. dicit: *Incommutabilis veritas per spiritum animam et per animam corpus; et sic demum totum hominem assumpsit:* ergo prius assumpsit partes, quam totum. — **Respondet** Doctor, S. Augustinum esse intelligendum de medio *quo* congruentiæ: non vero de medio *quod:* quippe congruebat, ut anima prius assumeretur quam corpus, et corpus quam humanitas, ut demonstrabit

Conclusio secunda. — Partes fuerunt medium quo assumptionis totius humanitatis. Hæc est communis apud omnes, et probatur: illud est medium *quo* assumptionis alterius, quod est causa, vel ratio, cur illud sit assumptibile: sed partes humanitatis sunt causæ, cur illa sit assumptibilis: ergo, etc. *Major* constat. *Minor* probatur: illud est causa, cur aliquid sit assumptibile, quod est causa et ratio entitatis ejus, ac congruentiæ cur potius assumatur, quam aliud: sed id præstant partes humanitatis: ipsæ enim humanitatem constituunt, eamque aptam efficiunt, quæ potius assumatur, quam alia natura; corpus namque deservit ad finem Incarnationis, nempe hominum salutem per sacrificium mortis Christi operandam; anima vero, quia ipsa maxime inservit ad obeunda munia Doctoris et Legislatoris, etc.; igitur illæ humanitatis partes sunt medium *quo* assumptionis totius illius humanitatis.

Conclusio tertia. — Anima non est medium quod assumptionis corporis, sed tantum medium quo, non quidem necessario, sed congruenter. Hæc tribus partibus constat, quarum

Probatur prima, primo quidem: Si anima fuisset medium *quod* assumptionis corporis, necesse fuisset, quod in instanti mortis fieri debuisset nova corporis assumptio, nam in triduo mortis corpus Christi fuit Verbo unitum: non autem mediante anima, a qua erat sejunctum. — *Deinde*, de ratione personæ est incommunicabilitas: hæc autem magis competit naturæ quam formæ, quia in toto forma communicatur materiæ, ut dans esse: igitur sicut in natura in se personata magis appropriatur incommunicabilitas ista corpori, quia

corpus non communicatur alteri per modum formæ, sicut anima ipsi communicatur: ita quando personatur per alterum, debetur prius subsistentia corpori quam animæ; ergo tantum abest, ut dicatur corpus Christi assumptum per animam, tamquam per medium *quod*, quin potius dicendum esset assumptum, quam anima. — *Denique*, corpus natum est in se subsistere: non vero præcise per animam: ergo ex se postulat tam terminari per subsistentiam divinam, quam ipsa anima, adeoque eodem instanti, tam corpus, quam anima fuerunt assumpta a Verbo, nec unum dici debet medium *quod* in ordine ad assumptionem alterius.

Secunda pars sufficienter apparet ex dictis; quippe qua ratione Verbum divinum potuit assumere quamlibet naturam corpoream, etiam potuisset assumere corpus humanum anima rationali destitutum, et sic anima non est medium *quo* assumptionis corporis necessitate naturæ, sed dumtaxat ex convenientia; unde

Tertia pars est evidens: congruum enim fuit, ut assumeretur anima rationalis: ergo corpus informatum anima rationali. Hinc divinus Pater parvitatem sacrificia oblata ex victimis irrationabilibus, corpus adaptavit Verbo, in quo faceret satis pro peccatis: non decuit autem satisfactionem fieri per corpus anima rationali destitutum: igitur congruenter anima fuit medium *quo* assumptionis corporis.

Ex iis colligi partes humanitatis non fuisse assumptas per assumptionem totius, quasi per quamdam redundantiam ac resultantiam: tum quia sequeretur novas fuisse factas uniones in triduo, cum tunc partes non fuerint unitæ Verbo per totum: tum quia illis partibus debentur subsistentiæ partiales, quippe cum sejunctim et separatim possint existere: ergo debuerunt immediate et primo suppleri a Verbo: hinc dicendum, quod ultra unionem totalem dentur duæ partiales, una ad animam, altera vero ad corpus.

Petes: An in resurrectione producta fuerit nova unio humanitatis cum Verbo, an vero totalis illa unio potius resultaverit ex unionibus partialibus Verbi cum anima, et corpore?

Respondeo, mihi verisimile videri neutrum esse dicendum, sed reproductam fuisse eamdem, quæ prius inerat. Nec propterea dicendum est, quod in resurrectione reproducta fuerit incarnatio: quia incarnatio dicit unionem non solum cum toto, sed etiam cum partibus; unde cum in triduo mortis Verbum semper remanserit unitum animæ et corpori, non debet censeri reproducta incarnatio. Hic inquirunt Auctores, an Verbum assumpserit omnes partes corporis tam animatas, quam vitæ expertes. Verum ordine convenientiori huic disquisitioni faciemus satis in 2. *Disput. sequenti*, agendo de veritate humanitatis Christi.

Quæres 1. *Utrum natura creata cum sua propria personalitate assumi possit?*

Respondeo hujus quæsiti triplicem posse sensum accipi: *Primum* quidem, an personalitas ipsa immediate possit assumi sicut et natura. *Secundum*, an saltem natura affecta personalitate propria potuerit assumi, ita ut personalitas ipsa non destrueretur et periret. *Tertium*

denique, an natura existens cum propria personalitate, ita possit assumi, ut tamen illa personalitas pereat.

Dico ad primum, extra dubium esse, quod personalitas ipsa assumi non possit per se, et immediate ad subsistendum cum personalitate divina: tum quia subsistentia est naturæ ultimus terminus in ratione subsistendi: termino autem ultimo posito, ulterior terminatio absolute repugnat: tum quia personalitas non potest assumi nisi assumatur ad subsistendum: implicat autem personam assumi ad subsistendum, cum persona sit rationalis naturæ individua subsistentia, hoc est, incommunicabilis alteri: tum denique, quia etiam, ut pluries diximus, ratio formalis personæ creatæ consistit in duplici negatione communicabilitatis, ut *quo*, et ut *quod:* repugnat autem negationem assumi, et terminari per subsistentiam divinam.

Ad secundum dico, naturam affectam propria personalitate, sic potuisse assumi a persona Verbi, ut in instanti assumptionis non subsisteret, sed periret propria personalitas; tum quia non potest esse major repugnantia, quod natura propria personalitate illi conjuncta privetur, quam quod sine illa producatur: sed revera natura potest produci sine propria personalitate: igitur illa personalitas jam existens potest destrui. *Major* patet: quia non amplior requiritur virtus ad destruendam subsistentiam jam productam, quam ad impediendam ne producatur: sed divina virtus impedivit ne produceretur, et ne resultaret ex natura individuali eo ipso instanti quo producta fuit illa natura: igitur potuit etiam productam destruere. — *Confirmatur* a simili, Deus enim potest accidens prius inhærens subjecto privare modo inhærentiæ, destruendo videlicet subjectum, ut fit per transubstantiationem in conficiendo Eucharistiæ Sacramento; potest item humanitatem jam subsistentem in Verbo privare modo unionis, ita quod illa humanitas sibi relicta, nec per aliam personalitatem subsistens, jam per propriam incipiat subsistere: ergo e contrario posset Deus naturam spoliare propria personalitate, et extrinsecam illi conferre.

Ad tertium dico cum Doctore in 3. dist. 5. quæst. 2. ne quidem per divinam potentiam naturam affectam propria personalitate assumi posse ad unionem hypostaticam. Quod utique colligitur ex V. Synodo generali Coll. 8. Can. 5. ubi dicitur: *Si quis non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam unitum, et propter hoc unam ejus subsistentiam, seu unam personam, anathema sit.* Ex quibus sic argumentor: Concilium colligit in Christo esse unam dumtaxat personam, ex eo quod humanitas fuit assumpta ad subsistentiam Verbi: sed hæc illatio nulla esset, si natura creata, propria personalitate retenta, posset terminari per divinam, ut constat: ergo Concilium judicat hoc esse impossibile. *Idem convincit ratio,* quia personalitas est ultimum complementum et adæquatum naturæ creatæ: ergo natura habens illud complementum non potest ulteriori affici, alioquin prius complementum esset ultimum, et non ultimum. *Antecedens* constat: tum quia alias sequeretur, quod natura affecta propria personalitate adhuc esset incompleta, et ipsi deesset aliquod complementum substantiale: tum quia totum, quod potest habere natura a pluribus personalitatibus, potest habere ab unica: ergo una sola personalitas est adæquatum complementum naturæ. — *Deinde,* personalitas propria vel consistit in duplici negatione com-

municabilitatis actualis et aptitudinalis, ut contendimus cum Doctore; *vel* consistit in modo aliquo positivo, ut Thomistæ prætendunt: sed ex utraque sententia constat naturam sic affectam non posse ulterius personari. Non quidem *ratione primi:* quia inde sequeretur, quod natura conjungeretur et non conjungeretur, et quod esset incommunicabilis et communicabilis. Esset quidem incommunicabilis, quia jam esset personata personalitate humana; esset etiam communicabilis, quia ut personata alteri adhuc communicaretur. Idem etiam sequitur ex altera sententia, nam etsi personalitas consisteret in aliquo positivo, nihilominus ex se formaliter interre deberet duplicem incommunicabilitatem, ut *quo*, et ut *quod:* subinde ubicumque esset illa persona, sequeretur duplex incommunicabilitas. — *Denique*, si natura humana terminata propria personalitate esset assumptibilis a persona divina, consequens esset, quod Verbum divinum debuisset illam assumere et consequenter, quod illam assumpsisset: sed illud consequens est contra Fidem Catholicam, qua statutum est contra Nestorium, naturam humanam denudatam propria personalitate fuisse assumptam a Verbo: igitur et illud unde sequitur. *Major* patet: tum quia si propria personalitas humanæ naturæ esset compatibilis cum personalitate Verbi, longe convenientius fuisset illam assumere, quam naturam ipsa spoliata ..: quippe Verbum ex homine assumpsit quod ex homine assumi decuit: tum quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: majus autem esset miraculum a natura humana propriam auferre personalitatem, vel impedire ne illa ab ipsa flueret in instanti suæ formationis: igitur convenien ius fuisset naturam assumere una cum personalitate, quam ea denudatam.

Dices: S. Damascenus lib. *Cur ad imaginem sumus*, ait: *Dei Filius salutari Patris voluntate factus est homo, naturamque humanam sibi una cum humana voluntate, quæ ejus naturæ est, conjunxit; hominis autem hypostasim non conjunxit.* Cujus assertionis hanc rationem subdit: *ne naturæ humanæ voluntas, quæ naturæ attribuitur, voluntate ea, quæ hypostasim attingit, a divinæ voluntatis præscriptione discederet, sed ei sponte pareret in omnibus.* Ex quibus sic licet argumentari: S. Damascenus docet Verbum ideo naturam humanam, non autem hypostasim hominis, assumpsisse, ne fieret assumptio, cum qua staret peccabilitas: ergo supponit absolute et physice illam assumptionem esse possibilem. *Consequentia* patet: si enim assumptionem illam judicasset impossibilem, non ideireo diceret hypostasim non esse assumptam, ut peccabilitas vitaretur, sed quia impossibilis esset. — **Respondeo** S. Damascenum loco citato solum intendere, quod Verbum divinum naturam humanam, et ejus voluntatem sibi physice copulaverit per unionem ad subsistentiam divinam: cum autem subdit non sibi conjunxisse hypostasim hominis, loquitur de conjunctione, quam hæretici docebant: scilicet per affectum, et solum amorem; et hujus rationem reddit, ne voluntati hypostasis natura humana a Dei voluntate discederet: hæc autem conjunctio affectiva et moralis, licet revera excludatur contra Nestorium, tamen est possibilis. *Adde quod* si genuina hæc sint sancti Damasceni verba, vix intelligi potest quid intendat; quippe ibi distinguit duplicem voluntatem, alteram hypostasis, alteram naturæ, quod omnino fictitium est.

Quæres 2. *An hæc propositio,* Deus assumpsit hominem, *sit vera?*

Respondeo, eam interdum frequentari a SS. Patribus, et Conciliis. Siquidem S. August. lib. 9. *De Civit. Dei,* cap. 17. loquens de Deo, hæc habet: *Qui profecto incontaminabilis Deus, absit ut contaminationem timeret de homine, quo indutus est, aut ex hominibus inter quos conversatus est.* Similiter sanctus Anselmus libro *De Incarnatione Verbi,* cap. 23. non veretur asserere Deum assumpsisse hominem; non tamen personam hominis, nec hunc hominem. Insuper Concil. Toletan. primum in Confessione fidei dicit: *Credimus Filium Dei ex utero Virginis assumpsisse hominem.* Similia habentur in Toletano 6. cap. 1; item in Francofordiensi, in Epistola ad Episcopos Hispaniæ. Idque colligitur ex pluribus sanctis Patribus lib. 15. *De Trinit.* Damasceno lib. 5. fidei cap. 1. Leone magno serm. 2. *De Ascensione, et plurimis aliis. Denique,* hic loquendi modus usurpatur ab Ecclesia in Cantico *Te Deum laudamus,* ubi dicitur: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.* Quapropter Ludovicus Vives, in præfatum locum S. Augustini, irridet Theologos scholasticos oppositum asserentes, quasi ipsi rectius et sanius scirent qualiter sit loquendum de rebus divinis, quam SS. Patres: sed saniori judicio magis ipse irridendus, qui Grammaticus dumtaxat in Theologicam doctrinam, velut in alienam messem falcem mittens, de re sibi ignota insulsum et præceps tulerit judicium: nam, ut apparet, ista loquendi formula in proprietate sermonis stare nequit. Idcirco

Respondeo *secundo:* hæc propositio, *Deus assumpsit hominem,* in rigore sermonis non est probanda, quia inde sequeretur, quod Verbum assumpsisset non solam naturam humanam, sed et personam: at *consequens* est erroneum, nam inde sequeretur, quod in Christo essent duæ hypostases, et duo supposita, quia assumptum manet in assumente, ideoque si suppositum humanum fuit assumptum a Verbo, necessum est, quod in illo permaneat: igitur hæc propositio proprie non est asserenda. *Major* constat, quia quamvis *homo* de formali solam humanitatem significet, tamen in proprio sensu, sive formali, sive materiali, significat suppositum habens humanitatem, et pro illo supponit; nam si non supponeret suppositum habens naturam, istæ propositiones non essent veræ: *Petrus est homo, Paulus est homo.* Idcirco enim sequentes propositiones non sunt veræ: *Petrus est humanitas, Paulus est humanitas,* quia *humanitas* non supponit pro habente naturam, sed pro natura: ergo nomen *homo* non supponit pro natura, sed pro supposito habente naturam.

Ad formulam autem loquendi sanctorum Patrum, dico quod cum docent *Verbum assumpsisse hominem,* benigne sunt interpretandi; nempe quod usurpaverint partem pro toto, et concretum pro abstracto, quia nempe natura hominis est assumpta, et quia illius naturæ assumptio terminata est ad hoc, ut Filius Dei fieret homo.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CAUSIS INCARNATIONIS.

Declarata Incarnationis essentia ac dignitate, jam aperiendæ sunt illius causæ. Ex quatuor autem causis physicis, quæ solito ad effectum aliquem concurrere possunt, *materialis*, et *formalis* proprie hic non habent locum, quippe in unione hypostatica non fit compositio ex materia et forma, ut dictum est; licet extrema illius unionis, scilicet Verbum et humanitas, considerari possint ut ejus principia, ita quod Verbum sit tamquam actus et forma perficiens; humanitas vero tamquam materia actuabilis et perfectibilis. Igitur de duplici dumtaxat causa nobis est sermo, nempe de causa *efficiente finali*, et *morali*, seu *meritoria*: de quibus disserendum erit in tribus sequentibus Sectionibus.

SECTIO PRIMA.

DE CAUSA EFFICIENTE INCARNATIONIS.

Notum est causam *efficientem* dici ab *efficiendo*: *efficere* autem sumitur duobus modis: *Primo* quidem improprie, pro quolibet influxu causæ in id quod causatur: et sic quatuor causæ physicæ dici possunt efficientes, quia simul concurrunt ad effectum: *Secundo*, proprie pro illa causa, quæ per se primo agit, et influit in effectum, reali ac physico influxu, qualiter triplex solet distingui: nempe *principalis*, cui nimirum principaliter attribuitur actio; alia *instrumentaria*, quæ non operatur nisi virtute alterius; altera denique *dispositiva*, quæ removet obstacula impedientia productionem effectus, et sic quamdam facilitatem confert agenti, ut suam virtutem exerat in productione talis effectus: quamquam proprie loquendo dispositio non sit vere causa, sed dumtaxat manuductio ad causalitatem exercendam. Petitur autem, an, et quæ fuerint causæ efficientes, et instrumentariæ, quæve dispositiones prærequisitæ ad operandam Incarnationem: quam utique difficultatem duobus in sequentibus Quæstionibus proponimus solvendam.

QUÆSTIO PRIMA.

QUÆ FUERIT VEL ESSE POTUERIT CAUSA EFFICIENS ET INSTRUMENTARIA INCARNATIONIS.

Notandum 1. Certum esse causam principalem efficientem hoc mysterium, esse Deum, et tres divinas personas operantes ad extra. Id quippe definitum fuit in plurimis Conciliis, maxime Lateranensi sub Martino primo, Can. 2. et altero Lateranensi sub Innocentio tertio: item in Toletano 6. et 11. *in Confessionibus fidei*: quam utique doctrinam aperte docent omnes sancti Patres quotquot de divina Incarnatione peculiarem sermonem instituerunt: maxime S. Augustinus lib. 1. *De Trinitate*, cap. 1. et tract. 10. et 11. in Joannem. Colligitur pariter hæc veritas ex Scriptura sacra, in qua tam Patri, quam Filio, et Spiritui sancto tribuitur naturæ humanæ assumptio effectiva: Patri quidem, sic ad Gal. 1. *Misit Deus Filium suum*

factum ex muliere, etc. Filio vero ad Philip. 2. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Denique Spiritui sancto, qui hujus ineffabilis mysterii dicitur artifex, quod enim in Virgine *natum est, de Spiritu sancto est.* Quibus etiam theologica ratio suffragatur, quia cum opera ad extra procedant ab omnipotentia divina, quæ tribus personis indivisim communis est, non enim sunt tres omnipotentes, sed unus omnipotens: idcirco omnia Dei opera, inter quæ præstantissimum est opus Incarnationis, a tribus divinis personis procedunt, ut sunt unum unitate naturæ, voluntatis, et potentiæ, juxta illud Joannis 10. *Quæ Pater facit, hæc et Filius similiter facit.* Sed difficultas remanet, an Deus aliquam creaturam sublimaverit, aut sublimare potuerit ad illam dignitatem et excellentiam, ut esset ipsi concausa efficiens, vel instrumentaria in molitione et effectione hujus mysterii.

Notandum 2. Causam efficientem in hoc ab instrumentaria distingui, quod efficiens agat, et influat in effectum per propriam et intrinsecam suam virtutem: instrumentaria vero operetur duntaxat et influat in productionem effectus per virtutem sibi aliunde concessam, et ab efficiente mutuatam. *Insuper* causa efficiens habet quamdam proportionem et analogiam cum effectu producendo: quippe omnis causa productiva determinatam habet sphæram activitatis in productione sui similis, ad quod maxime ordinatur et tendit: instrumentaria vero, maxime quæ duntaxat habet potentiam obedientialem ad aliquod opus, nullam ex se proportionem habet cum effectu, sed tantum ad eum ordinatur et assumitur pro nutu et beneplacito principalis agentis. Quæritur autem impræsentiarum, an creatura aliqua assumpta fuerit, vel saltem assumi potuerit, ut instrumentum ad unionem hypostaticam operandam. Certum est autem nullam creaturam a Virgine distinctam assumptam fuisse ut instrumentum physicum ad hanc unionem efficiendam: quia de nulla suspicari potest, quod Christum effecerit hominem: nulli enim Scriptura, vel sancti Patres hanc virtutem et efficacitatem tribuunt, nam etiam ipsius Angeli Gabrielis præsentia in sola annuntiatione et propositione mysterii, et petitione virginei consensus terminata est; unde duntaxat remanet solvenda difficultas de beatissima Virgine, an videlicet elevata fuerit a Deo tamquam instrumentum ad efficiendam unionem hypostaticam.

Nota 3. Præsentem difficultatem moveri de prima effectione hujus mysterii: certum est enim quod fieri potuerit nova unio, saltem partialis Verbi ad partes substantiæ, quæ per nutritionem aggenerabantur corpori Christi per totum ipsius vitæ tempus: nam ex parte Verbi tota subsistentia divina cuilibet corporis parti unita erat; a quo autem physice fieret ista unio, an videlicet a Deo immediate, an per humanitatem tamquam per instrumentum physicum, quæ propria sua virtute disponeret materiam alimenti, et converteret illam in substantiam suam, ita ut prius natura quam materia alimenti informaretur anima, per actionem solius Trinitatis uniretur hypostatice subsistentiæ Verbi, in quam Christus statim in eodem instanti induceret formam suam: qualiter, inquam, id factum fuerit nihil certo definiri potest. Igitur duo duntaxat hic maxime veniunt resolvenda: *Primum*, utrum Beata Virgo assumpta fuerit ut instrumentum physicum ad unionem hypo-

staticam efficiendam. *Secundum*, an Verbum divinum habuerit aliquem principalem influxum physicum et realem in humanitatem assumptam, ad quem influxum aliæ duæ personæ non concurrerent.

Conclusio prima. — Beata Virgo non fuit elevata a Deo tamquam instrumentum physicum, ad unionem hypostaticam humanitatis in se, et ex se genitæ, cum Verbo divino.

Probatur 1. Illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Incarnatio soli Deo tribuitur, diciturque solius Dei opus singulare. Sic Habacuc 3. *Domine opus tuum in medio annorum ;* quem textum S. Augustinus, et alii sancti Patres solito explicant de opere Incarnationis : sed unio hypostatica non esset perfecte opus Dei singulare, si beata Virgo, aut aliqua creatura, illius productionis fuisset concors, et concausa ; ergo Beata Virgo nullam habuit efficientiam, etiam instrumentalem, respectu unionis hypostaticæ.

Deinde: Nulla creatura, ut probavimus in Physicis, potest assumi ut instrumentum creationis : ergo multo minus hujus unionis. *Consequentia* patet, quia sicut per creationem communicatur rei ipsum esse existentiæ, ita per hanc unionem communicatur ipsum esse subsistentiæ divinæ, quod certe longe præstantius est ac nobilius, quam solum esse existentiæ naturale.

Denique: Ille solus concursus tribui debet Beatissimæ Virgini, qui maxime requiritur et sufficit, ut vere sit et dicatur Mater Dei : sed ad id non opus est, quod Beata Virgo habeat concursum instrumentalem in ordine ad unionem hypostaticam : ergo iste non debet admitti. *Major* patet, ad quid enim aliud talis concursus assereretur ? *Minor* etiam constat, tum quia concursus matris in productione filii non est instrumentalis, sed principalis, sive sit dumtaxat per modum causæ materialis, vel subministrantis materiam, ut volunt aliqui, sive per modum causæ efficientis concurrentis effective ad formationem, et organizationem corporis, ut cæteris rectius sapere videntur.

Dices 1: Plurimi ex sanctis Patribus admittunt concursum illum instrumentalem in B. Virgine respectu unionis hypostaticæ : ergo ille est admittendus. Probatur *antecedens*, nam Hesichius Homil. 2. De Beata Virgine ipsam appellat *instrumentum Incarnationis :* similiter S. Ambrosius Epist. 82. *Per hominem*, inquit, *et mulierem caro ejecta est de Paradiso : per Virginem juncta est Deo.* Ad eumdem modum loquitur S. Bernardus Hom. 4. super *Missus est*, dum ait, Beatam Virginem illam esse mulierem, quæ tria illa tata Evangelica, carnem scilicet, animam, et divinitatem, tam bene fermentavit, ut nec divisione quidem facta carnis et animæ, caro vel anima a Deo divideretur. — **Respondeo**, Sanctos Patres dumtaxat intelligendos esse de concursu dispositivo, non vero de effectivo ; quippe beatissima Virgo dispositive censetur concurrisse ad unionem hypostaticam, quia purissimum sanguinem subministravit et præparavit ad formandam Christi humanitatem, quæ hypostatice fuit unita Verbo divino : unde dum illam instrumentum Incarnationis appellant, nomen *instrumenti* in ea propria significatione non usurpant, qua accipi solet a Philosophis, sed in latiori, qua instrumentum appellari solet quidquid ad productionem alterius quomodocumque concurrit.

Dices 2: Deus uti solet suis creaturis ut instrumentis, quando præsertim instrumentum est accommodatum effectui intento, maxime dum illud opus cedit in suæ suavis providentiæ commendationem, et creaturarum dignitatem, quas sublimare intendit: sed videtur longe major beatissimæ Virginis dignitas, ampliorque suavis Dei dispositionis commendatio, si beata Virgo concurrat instrumentaliter ad unionem hypostaticam, quam si dumtaxat id efficiat dispositive: igitur hoc est dicendum. — **Distinguo majorem**: Quando nulla exinde apparet contradictio, et repugnantia, concedo: secus, nego. Est autem contradictio, quod creatura aliqua elevetur ad creandum, multo magis ad hanc unionem efficiendam; quippe longius distant invicem Deus et creatura in ratione unibilium, quam productio existentiæ ipsius creaturæ ex nihilo; siquidem distantia commensuratur ratione terminorum: minus autem distat a virtute agentis naturalis esse pure creatum, quam esse partim divinum et creatum, quale est illud esse, quod fit per Incarnationem: igitur, etc.

Conclusio secunda. — Verbum divinum nullum habuit specialem influxum physicum erga formationem et conservationem sue humanitatis.

Probatur: Principium formale operandi ad extra est idem, et eodem modo se habens, quoad illas operationes in omnibus divinis personis; unde quidquid una persona operatur physice, etiam et alia operatur: igitur vel Verbum nullum habuit influxum in humanitatem Christi, quem non habuerint itidem Pater, et Spiritus S.; vel si quem habuit, eumdem pariter habuerunt cæteræ divinæ personæ. *Consequentia* patet: ideirco enim dicimus Spiritum S. procedere a Patre, et Filio indivisim, quia in Patre et Filio est idem et indistinctum principium spirationis: ergo cum principium operandi ad extra, nempe divina omnipotentia, sit eadem in tribus divinis personis, una earum non poterit aliquem habere influxum, quin cæteræ eumdem habeant.

Deinde: Si quid peculiare præstaretur a Verbo in humanitatem assumptam, illud totum refundi deberet in suam personalitatem, sed hæc non est activa, nec alicujus effectus productiva; ergo nihil peculiare efficit. Patet *antecedens*: quia in Verbo duo tantum sunt, nempe divina essentia, et personalitas Verbi: divinitas autem ipsi communis est cum cæteris personis. *Consequentia* probatur: totum munus personalitatis Verbi circa naturam assumptam est tantum, ut id præstet quod præstaret ei propria personalitas si adesset: at propria personalitas nullum habet influxum realem effectivum in humanitatem cujus est, sed solum eum terminat: igitur etiam Verbi personalitas nullam efficientiam erga humanitatem assumptam habuit.

Denique: Omnis realis effectionis dari debet aliquis terminus per illam productus; nulla enim datur actio productiva sine termino: at nullus assignari potest terminus efficientiæ Verbi circa humanitatem: ergo nullam habuit peculiarem efficientiam circa illam vel producendam, vel conservandam.

Dices 1: Assumere est ad se sumere: sed ad se sumere est agere: ergo cum assumere humanitatem sit proprium Verbi, consequens est, ut peculiarem actionem habeat circa naturam humanam, quam assum-

psit. — **Distinguo minorem**: Assumere est agere, quatenus *assumere* significat formationem humanitatis, et illius unionem cum divinitate, concedo: quatenus significat terminare ipsam naturam, et illam reddere de se et incommunicabiliter existentem, nego. Priori modo assumptio convenit toti Trinitati: posteriori vero soli Filio est propria. Priori modo assumptio est actio: posteriori est tantum terminatio.

Dices 2: Omne perfectissimum est activum: sed quidquid est in Verbo est perfectissimum: ergo et activum; subindeque illius personalitas est activa, et consequenter quamdam peculiarem efficientiam erga suam humanitatem habebit. — **Distinguo majorem**: Quidquid est præstantissimum in genere entis realis, concedo: formalis, nego. Et similiter distincta *minore*, nego *consequentiam*: certum enim est plura esse divina attributa, quæ ex se non sunt præcise activa, et producta: siquidem nec æternitas, nec immensitas ex se sunt productivæ alicujus effectus; eninvero quis ille esset? Igitur quod est formale in Verbo non est activum. *Adde quod* personalitas divina considerari possit tantum, vel ut est relatio constituens divinam personam, vel ut est subsistentia divinam naturam afficiens et terminans: at neutro ex his modis est operativa et productiva. Non quidem ut relatio est, quia relatio non est principium agendi per se: non etiam ut est subsistentia, quia hæc ex se non est principium physicum agendi, sed tantum terminandi. *Nec refert*, quod agere sit quædam perfectio: nam non omnis perfectio debet competere divinis personalitatibus prout sunt quid distinctum ab Essentia divina; ut sic enim non sunt quid imperfectum, aut perfectum, ut probavimus in Tract. *De Trinit.* sed satis est, quod omnem perfectionem includant, ut sunt idem realiter cum Essentia divina: alias cum intelligere, velle, et amare sint summæ perfectiones, deberent etiam competere personalitatibus ipsis, ut ab eadem essentia, imo ut ab intellectu et voluntate distinguuntur; quod certe nullus Theologorum admittet.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN ALIQUA FUERIT CAUSA MEDIA, SEU PRÆPARATIVA AD INCARNATIONEM PER MODUM EFFECTIONIS, ET DISPOSITIONIS, SEU PRÆPARATIONIS.

Notandum 1. Quod cum Incarnatio sit unio Verbi cum natura humana, necessum est quod ipsa natura præsupponatur existens, omnis quippe unio realis est inter extrema actu existentia; cum autem humanitas constet corpore et anima, hinc potest esse duplex difficultas de dispositione prærequisita in ipsa humanitate ad unionem hypostaticam: *Primo* quidem ex parte corporis, an videlicet Incarnationem præcedere debuerit perfecta corporis organizatio, idque prioritate temporis, vel naturæ; *Secundo* ex parte animæ, an illustrari debuerit dono aliquo supernaturali, puta gratia sanctificante, ut apta fieret ad ejusmodi unionem.

Notandum 2. Ex Doct. Subtili in 3. d. 2. qu. 2. duplex distingui posse medium extrinsecum requisitum ad unionem, aliud quidem medium necessitatis; aliud vero congruitatis. Primum est illud, sine quo res attingi non potest; secundum vero est id sine quo absolute

et simpliciter fieri posset, non tamen ita decenter, ac congrue. Hinc quærimus, an gratia habitualis, vel aliud donum supernaturale fuerit prærequisitum in anima Christi necessario, aut congrue ad unionem hypostaticam: ita quod Verbum divinum vel non absolute, vel saltem non ita decenter assumpsisset naturam humanam sine tali prævia dispositione. *Circa quam* difficultatem duæ sunt extremæ pugnantes Theologorum sententiæ, quarum altera talem dispositionem negat prærequiri; alia vero affirmat; idque *vel* necessario, ita quod hypostatica unio necessariam habuerit connexionem cum hujusmodi dispositione, quemadmodum unio animæ cum corpore necessariam habet connexionem cum ultima dispositione corporis, eamque necessario sequitur. Sic sentire videtur Gabriel in 3. dist. 2. *Vel* ut volunt aliqui cum Alex. Alens. 3. p. qu. 3. licet talem dispositionem non necessario sequatur Incarnatio, ita ut illa dispositione posita possit Incarnatio non sequi: tamen illa dispositio ita videtur necessaria, ut absolute debeat præsupponi tamquam aliqua qualitas reddens naturam capacem hujus unionis. Alii tandem volunt hujusmodi dispositionem requiri saltem tamquam congruum ornamentum humanitatis, ut per ipsam humanitas decenter præpararetur ad tam excellentem unionem, ut docet S. Bonaventura in 3. dist. 2. art. 3.

Notandum 3. In Incarnatione quatuor debere per ordinem considerari: *Primo* quidem ratione materiæ, nempe sanguinem purissimæ Virginis ad locum formandi corporis destinatum. *Secundo*, organizationem Christi corporis, quæ consistit in introductione formæ organicæ, seu corporeitatis, quam introductionem præcedit alteratio. *Tertio*, animationem ejusdem corporis, seu unionem animæ rationalis cum ipso. *Quarto* denique, unionem totius naturæ constitutæ cum Verbo. Quæritur autem utrum, et quomodo ista sese præcesserint. Hinc duplex in præsenti solvenda occurrit difficultas: *Prima*, utrum organizatio corporis Christi tempore, vel natura præcesserit unionem cum Verbo. *Secunda*, an anima Christi illustrari debuerit aliqua supernaturali qualitate, qua mediante præpararetur ad unionem hypostaticam.

Conclusio prima. — Organizatio non præcessit tempore animationem, nec unionem cum Verbo, sed dumtaxat natura. Hæc Conclusio tribus partibus constat: quarum

Prima patet, quia organizatio consistit præcipue in introductione formæ organicæ completæ, quæ ut sic est ultima dispositio ad animationem: sed ultima dispositio, et animæ rationalis infusio, de qua hic loquimur, sunt simul tempore, ut suppono ex Physicis: ergo organizatio tempore non præcedit animationem.

Secunda pars probatur: Si organizatio, et animatio corporis prioritate temporis præcessissent incarnationem, consequens esset, quod natura humana prius tuisset subsistens per propriam subsistentiam, quam per subsistentiam Verbi: sed consequens esset absurdum: ergo, etc. *Consequentia majoris* patet: natura enim humana aliquo reali instanti temporis existens, est etiam per se subsistens: ergo vel per alienam subsistentiam, vel per propriam: at si prius tempore extitisset, quam uniretur Verbo, non substitisset per subsistentiam alienam: ergo per propriam.

Dices contra primam partem: omnis substantia generabilis et corruptibilis, quæ non creatur, producitur per mutationem: sed tota natura assumpta a Verbo est generabilis et corruptibilis, nec immediate creata fuit, et consequenter mutabatur ad formam: igitur prius tempore fuit sub privatione opposita illi formæ, quia opposita privative non possunt simul tempore esse in eodem: et consequenter prius tempore erat corpus non animatum, quam animatum: subindeque organizatio tempore præcessit animationem. — **Respondet Doctor**, argumentum esse verum, quando forma producitur post productionem susceptivi ejus: secus vero, quando forma producitur simul cum susceptivo: tunc enim non est proprie mutatio ad formam illam, quia susceptivum non prius fuit sub privatione, quam sub forma; nec prius fuit aptum natum habere formam, quam illam habuerit. Igitur cum anima rationalis simul inducatur etiam in nobis cum esse perfecto corporis, consequens est, quod ad ipsam proprie non sit mutatio, sed tantum ad esse corporis organici, cujus mutationis subjectum est materia, quæ prius fuit sub forma sanguinis, quam sub formis organicis.

Tertia denique pars etiam constat, nempe quod corporis organizatio et animatio, saltem natura, præcesserit assumptionem: fundamentum enim relationis et unionis naturaliter præcedit relationem et unionem; quia quod nihil est in se, etiam nihil est in ordine ad aliud: sed natura humana complete constituta per animationem est fundamentum unionis cum Verbo: ergo naturaliter illam præcedit.

Ex his colligo, organizationem Christi corporis non esse factam per varias alterationes, quemadmodum fit organizatio corporum aliorum hominum spatio quadraginta sex dierum; sed in instanti, ut docet S. Damascenus lib. 3. *De Fide orthodoxa*, cap. 2. ubi ait: *Sacrosanctum corpus Christi non sensit ter dierum curriculo figuratum in utero Virginis, et effigiatum: proinde ac in nostra generatione masculi corpus quadraginta dierum spatio dicitur formari in utero materno, sed uno, ut ita dixerim, eodemque momento Virginis sacratissimæ protinus consensum sequente, sacrum Christi corpus omnino completum fuit.* Unde consequens est, quod Christi Domini corpus diutius manserit in utero Virginis, quam manere soleant aliorum infantium corpora, quia prius organizatum fuit, et animatum, quam animentur alia corpora.

Conclusio secunda. — Nulla fuit dispositio prærequisita ex parte animæ, qua mediante et existente Verbum humanitatem assumeret. Ita Doctor in 3. dist. 2. qu. 2. ubi conclusionem sic

Probat primo: Si quod fuisset tale medium, maxime gratia habitualis, aut aliqua supernaturalis qualitas animam afficiens, eamque præparans, ac capacem efficiens, ut a Verbo assumeretur: sed hoc est prorsus fictitium, et absurdum. Quod sic probat: Anima rationalis ex se prius natura subsistit, quam accidentaliter perficiatur: ergo anima Christi prius natura fuit subsistens in Verbo, quam ullam perfectionem accidentalem reciperet. *Antecedens* patet: primo, quia subsistentia est modus magis intrinsecus naturæ subsistenti, quam sit omnis forma

accidentalis, quia illa pertinet ad complementum ipsius substantiæ; hæc vero dumtaxat ad illius ornatum extrinsecum; prius autem est rem aliquam esse completam intrinsece, et substantialiter, quam extrinsece, et accidentaliter. *Consequentia* vero probatur, tum quia eo instanti natura humana fuit affecta subsistentia Verbi, quo propria subsistentia resultare debuerat: sed propria subsistentia ante omnem perfectionem accidentalem resultasset, nisi per Verbi subsistentiam fuisset præpedita: igitur natura humana prius fuit affecta subsistentia Verbi, quam ornata qualibet accidentali perfectione; ac subinde tantum abest, ut Incarnatio facta fuerit mediante gratia habituali, imo ista non fuit concessa, nisi intuitu, et beneficio Incarnationis. Quod utique probat Doctor ex illo Joannis 1. *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ, et veritatis;* quibus verbis S. Joannes significat, quod Christus habuerit plenitudinem gratiæ, quia erat unigenitus; ergo oportuit Christum prius natura fuisse unigenitum, quam habuisse gratiam, et consequenter gratia habitualis non fuit dispositio ad unionem hypostaticam.

Probat secundo: Si gratia habitualis esset medium ad unionem hypostaticam, maxime *vel* medium formaliter uniens extrema, *vel* disponens unum extremum, scilicet humanitatem ad illam unionem: sed neutrum dici potest. Non quidem *primum,* quia humana natura formaliter unitur per se et immediate Verbo, non autem mediante aliqua qualitate aut entitate creata absoluta. Non etiam *secundum,* quia si requireretur tamquam dispositio, maxime vel tamquam *dispositio moralis,* vel tamquam dispositio *physica:* neutrum autem potest affirmari. Non quidem tamquam dispositio *moralis,* quia non minus esset improportio entitativa naturæ et subsistentiæ divinæ ad naturam creatam posita illa gratia habituali, quam ea sublata: cum enim gratia illa esset qualitas creata, non tolleret distantiam infinitam, quæ est inter naturam divinam et humanam. Non etiam tamquam *dispositio physica*, quia quodcumque accidens præsupponit existentiam subjecti: ergo gratia præsupponit existentiam humanitatis: sed non prærequiritur aliqua dispositio physica ad personalitatem in natura, præter illam quæ requiritur ad existentiam ejus; nam eo ipso quo habet existentiam pro aliquo instanti, necessario debet habere aliquam personalitatem, alioquin posset esse natura existens sine ulla personalitate.

Dices: Natura humana non potest uniri Verbo unione beatifica sine habitu gratiæ sanctificantis, ex eo maxime quod tam unio ipsa, quam terminus illius excedit facultatem naturæ creatæ: ergo cum unio hypostatica sit adhuc excellentior, quia est summa gratia, ut loquitur S. Augustinus, lib. 13. *De Trinit.*, cap. 19. conferri non potest absque prævio gratiæ habitu. — **Respondet Doctor** negando *antecedens,* quatenus contendit, quod ratio ob quam visio beatifica nequeat conferri creaturæ, absque gratia habituali, sit quod visio beatifica excedat naturam; nam si hoc esset verum, sequeretur, quod gratia habitualis non posset dari naturæ, absque ulla gratia, aut dono supernaturali; excedit enim naturam: et consequenter daretur processus in infinitum. Illa ergo non est ratio, ob quam gratia præsupponitur visioni beatificæ, sed quia visio beatifica est operatio supernaturalis procedens

effective ab ipsamet natura, et quia natura non habet virtutem adæquatam ad producendam istam actionem, propterea necessum est, quod ipsi detur aliud comprincipium supernaturale, cum quo possit ipsam producere: at unio hypostatica non est operatio, neque aliquid potens effective produci partialiter a natura, quia illa nullatenus est capax producendi sui ipsius unionem cum Verbo, sed tantum illam recipiendi. Unde non debet admitti aliud principium supernaturale antecedens in natura, ut conferatur ipsi unio hypostatica; sed sicut natura potest immediate recipere habitum gratiæ, licet excedat ipsius virtutem, quia habitus gratiæ non petit a natura produci effective, sed tantum in ipsa recipi; ita a pari potest immediate recipere unionem hypostaticam.

SECTIO SECUNDA.

DE CAUSA MORALI, ET MERITORIA INCARNATIONIS.

Incarnationis causa meritoria intelligi potest, aut intra ipsum Christum existens, aut extra. Porro de utraque agendum est in præsenti, resolvendo videlicet, an Christus ipse suam promereri potuerit Incarnationem: similiter utrum Sancti veteris Testamenti: necnon et beatissima Virgo suis meritis Deum movere potuerint ad efficiendam illam unionem hypostaticam Verbi cum natura humana. Cum autem Incarnatio spectari possit, vel secundum substantiam, quatenus videlicet est unio naturæ divinæ cum humana in unitate suppositi, seu personæ; vel penes circumstantias, seu rationes aliquas extrinsecas, quæ illam antecedunt, comitantur, vel subsequuntur, qualia sunt v. g. maternitas Virginis, tempus Incarnationis, et beneficium videndi, ac annuntiandi Christum: inde triplex occurrit dubium: *Primum* quidem, an Christus per opera, vel antecedentia, vel subsequentia, unionem hypostaticam promeruerit, vel saltem mereri potuerit. *Secundum* an beatissima Virgo suis meritis, et præcellentiis digna extiterit, quæ mereretur fieri Mater Dei, et Christi. *Tertium* denique, an sancti Patres Veteris Testamenti mereri potuerint Incarnationem ejusque circumstantias; idque de condigno, vel de congruo.

QUÆSTIO PRIMA.

AN CHRISTUS PER OPERA PRIORA, VEL SUBSEQUENTIA UNIONEM HYPOSTATICAM, IPSAM POTUERIT PROMERERI, TAM SECUNDUM SUBSTANTIAM, QUAM SECUNDUM ALIQUAS CIRCUMSTANTIAS.

Notandum 1, tribus modis intelligi posse Christum unionem hypostaticam meruisse: *Primo* scilicet ut affirmetur prius tempore, quam ejus humanitas Verbo uniretur, fuisse aliquandiu purum hominem, postmodum vero provectum fuisse ob sua merita ad dignitatem Filii Dei naturalis, et unionem hypostaticam; *Secundo,* ut asseratur, Christum, quamvis ab initio suæ productionis semper potitum Verbi personalitate eique unitum, tamen ipsam promeruisse, *vel* per opera, quæ ab ipsa humanitate procederent prius natura, quam illa a divina personalitate terminaretur: *vel* per opera subsequentia Incarnationem, ita

quod Incarnatio secundum intentionem, seu prædestinationem, qua Deus ab æterno decrevit suum Filium incarnari, non potuerit quidem cadere sub merito, quia ante prædestinationem, quæ fuit primus actus, et causa Incarnationis, non potuit præcedere neque prævideri a Deo aliqua actio Christi, cujus intuitu decerneretur Incarnatio: at vero secundum executionem potuisse cadere sub meritum, quia ante executionem ipsius Incarnationis, jam prævidebantur futura Christi merita sicut et ipse Christus ex vi illius primi decreti, quo per modum intentionis Deus Incarnationem voluit: *Tertio* denique, concipi posset Christum fuisse promeritum suam incarnationem per opera subsequentia. De hoc autem triplici sensu difficultas movetur in præsenti.

Notandum 2, duplex solito meritum distingui, scilicet de condigno, et de congruo. Meritum *de condigno* dicitur illud, quod ratione gratiæ justificantis existentis in merente, et pacti divini, habet æqualitatem justitiæ cum præmio: meritum vero *de congruo* illud est, quod ob defectum alterius istarum conditionum solam habet proportionalitatem fundatam in amicitia divina cum præmio consequendo. Difficultas ergo est de utroque merito, num videlicet alterutro, aut utroque simul Christus Dominus per opera, vel antecedentia, vel subsequentia, meruerit substantiam, vel quasdam circumstantias Incarnationis.

Notandum 3, Incarnationis circumstantias proprie dici, quæ comitantur Incarnationem: ut sunt, quod tali tempore fiat, tali loco, tali modo, opere scilicet Spiritus sancti, et similia, quæ hoc mysterium exornant; possunt tamen etiam circumstantiarum nomine comprehendi quædam, quæ ipsam Incarnationem antecedunt, ut annuntiatio Angelica, consensus beatissimæ Virginis, ejusque dispositio, ac cooperatio. Quædam etiam sunt, quæ Incarnationem subsecuta, possunt circumstantiæ appellari, ut Angelorum illud mysterium manifestantium laudes, et cantus, Pastorum, et Magorum adorationes. De primis autem circumstantiis maxime hic est sermo.

Conclusio prima. — Christus Dominus, nec prioritate temporis, nec prioritate naturæ potuit mereri suam Incarnationem per opera antecedentia. Hæc est de fide quantum ad primam partem, nam determinatum est contra Nestorium et Faustinum, hæreticum esse, affirmare Christum per aliquod tempus ante unionem cum Verbo fuisse purum hominem, et in eo statu meruisse humanitatis suæ assumptionem a Verbo, ut constat ex omnibus Conciliis Disputatione sequenti laudandis, quorum oraculis probabimus. Christum fuisse Deum, et Verbo divino hypostatice unitum in primo instanti suæ formationis. Hinc Augustinus variis in locis confutat, ac proscribit istum errorem, aperte docendo ac demonstrando Christum D. non obtinuisse unionem cum Verbo suis meritis: nam sermone 8. De verbis Apostoli hæc habet: *Audebit ergo aliquis dicere, quia natura nostra in illo Mediatore primum per liberum arbitrium, promeruit Deum, et sic suscipi meruit, ut esset homo et Deus unus Christus Jesus?* Et in Enchir. cap. 36. *Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? quæ bona voluntas hujus boni propositi studium, quæ bona opera præcessere, quibus mereretur ille homo, ut una fieret per-*

sona cum Deo? Verum luculentius hanc veritatem explicat lib. *De correp. et gratia*, cap. 11. ubi post plura ita concludit: *Ista nativitas profecto gratuita conjunxit in unitate personæ hominem Deo, carnem Verbo, istam nativitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt.* Quibus verbis sanctus Doctor diserte affirmat, Christum non meruisse effici Filium Dei, sed jam ex utero, et ab ipsa conceptione fuisse Deum-hominem, ejusque humanitatem ad unionem hypostaticam cum Verbo fuisse sublimatam. — Idem dicendum de actionibus, quæ cogitari possent in primo Incarnationis momento elicitis, quibus diceretur humanitatem Christi illam unionem fuisse promeritam; nam idem S. Augustinus tr. 82. in Joannem absolute pronuntiat: *Neque illam susceptionem hominis ulla merita præcesserunt; sed ab illa ejus susceptione merita ejus juncta cœperunt.* Et lib. 2. *De peccatorum meritis*, cap. 7. *Neque enim, et ipse,* inquit de Christo, *ita Verbo Dei conjunctus, ut ipsa conjunctione unus Filius Dei, et idem ipse unus Filius hominis fieret, præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit. Unum quippe illum esse oportebat: essent autem et duo, et tres, et plures, si hoc fieri posset, non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitrium. Hoc ergo præcipue commendatur, hoc in sapientiæ, atque scientiæ thesauris in Christo absconditis, quantum existimare audeo, præcipue docetur, et dicitur.* Quibus verbis manifestissime docet omnia Christi merita Incarnationem fuisse secuta; nulla autem illam præivisse; ait enim, Christum ita se habuisse ad gratiam unionis, sicut nos cum paramur ad primam gratiam actualem: at gratia actualis non nobis confertur ob ulla merita, sed dumtaxat ex pura Dei misericordia: igitur unio hypostatica, quæ est divinarum gratiarum præstantissima, et cæterarum exemplar, advenit Christo ex pura Dei liberalitate; non vero propter ulla merita Incarnationem præcedentia prioritate temporis, aut naturæ. — *Confirmat* idem Sanctus Augustinus lib. *De præd. Sanctorum*, cap. 11. ubi ait: *Est præclarissimum lumen prædestinationis, et gratiæ ipse Salvator, ipse Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur quæso: Ille homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptæ, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?*

Probatur etiam ratione: Omne meritum fundatur in operatione: sed humanitas Christi, antequam intelligatur assumpta a Verbo, nullam habere potuit operationem: ergo nec ullum meritum. *Major* patet: meritum enim omne est actus Deo acceptus, et remuneratione dignus. *Minor* probatur: ibi nulla potest esse operatio, ubi nulla intelligitur subsistentia, quia actiones sunt suppositorum, seu rerum complete subsistentium; cum enim operari sequatur esse, res debet esse prius substantialiter completa, quam sit operativa: sed ante unionem hypostaticam nulla intelligitur in Christi humanitate subsistentia. Illa enim esset vel propria, vel subsistentia Verbi. Non primum, quia sic natura humana fuisset prius subsistens propria subsistentia, quam subsistentia Verbi, quod est erroneum. Non etiam secundum, quia in

illo priori illa natura non supponitur unita Verbo : ergo in illo instanti nec operari potuit, nec mereri. — *Deinde,* ad meritum requiritur non solum voluntatis, sed etiam gratiae sanctificantis concursus : sed, ut probatum est in praecedenti Quæstione, natura humana nullam potuit habere gratiam, nec ullum accidens priusquam intelligeretur unita Verbo, quia prius debuit compleri quantum ad esse substantiale, quam ad esse accidentale : igitur in illo instanti nullum potuit elicere opus meritorium. — *Denique,* principium meriti cadere non potuit sub merito : tum quia alias quilibet homo primam gratiam mereri sibi posset per opera ab ipsamet prima gratia procedentia : tum quia alias idem esset causa sui ipsius in eodem genere : Incarnatio enim in genere causæ efficientis est causa meriti, et meritum esset causa Incarnationis : quod causæ genus etiam ad efficientem revocatur : sed Incarnatio, cum sit omnis gratiæ, ac justitiæ fons, est etiam principium omnis operis meritorii, tam respectu nostri, quam respectu ipsius Christi : igitur illa cadere non potuit sub meritum.

Objicies 1. Illud Psalmi 44. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Sed per oleum lætitiæ S. Gregor. Nazian. Orat. 4. intelligit ipsam divinitatem, qua Christi humanitas uncta fuit per unionem hypostaticam, ait enim: *Opera manuum ejus veritas, et judicium, propter quæ divinitate delibutum est.* Simili modo S. August. explicat ea verba, in illum Psal. et S. Anselm. in cap. 1. ad Hebræos. — **Respondeo** 1. Sanctos Patres, qui præfatum locum de unctione divinitatis interpretantur, non accipere particulam *propterea* in sensu causali, sed finali, ut sit sensus, *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem,* et in hunc finem *unxit te Deus oleo lætitiæ :* unde ex hoc nihil evincitur contra nostram assertionem. — *Respondeo* 2. Locum illum aliter ab aliis sanctis Patribus accipi ; nam S. Hieronymus Epist. 140. per *oleum exultationis* intelligit exultationem resurrectionis et gloriam corporis resurgentis ; quam certum est Christum Dominum meruisse, ut mox dicemus : S. Ambrosius per *oleum lætitiæ* intelligit exhilarationem conscientiæ, quam Christus habuit, quia nullius peccati conscius erat.

Objicies 2. Illud Apocal. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, divinitatem, et honorem :* atqui divinitatem accepit per unionem : ergo illa dignus erat, ac subinde illam promeruit. — **Respondeo** 1. Non scribi particulam *quia* ut significetur, non esse sensum, quod dignus sit accipere divinitatem, quia occisus est. *Secundo,* dico mortem Agni fuisse causam divinitatis, non quidem acceptæ, sed manifestatæ, quia per mortem maxime enituit ejus divinitas, quia enim factus est obediens usque ad mortem, ideo Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Objicies 3. Christi humanitas prius natura extitit, quam uniretur Verbo, ut probavimus in præcedenti Quæst. ergo prius natura potuit operari, quam uniretur, ac proinde illam unionem promereri. *Consequentia* probatur : si quid impediret quominus in illo priori naturæ non posset agere, maxime quia actiones sunt suppositorum : at hoc non est absolute verum : nam Arist. 1. *Metaph.* cap. 1. unde colligitur illud axioma, habet in idiomate Græco, *Actiones sunt singularium.* Cum igitur natura humana individua præsupponitur assumptioni, non

videretur ratio, cur in illo priori non potuerit promereri sui unionem cum Verbo. — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* dico, non mirum esse, quod Aristoteles dixerit actiones esse singularium, cum enim nondum sciret subsistentiam ac personalitatem realiter a natura singulari distingui et posse separari, quæ veritas duntaxat per Mysterium Incarnationis patuit; inde non mirum si personæ singularitatem pro subsistentia usurpaverit, cum nesciret eas ab invicem realiter distingui. Quod autem revera actiones debeant esse suppositorum, idest, naturarum singularium habentium supposita, aperte constat ex dictis, quippe suppositum est ultimum complementum substantiale naturæ singularis; necessum est autem naturam singularem substantialiter compleri, priusquam apta censeatur ad operandum; siquidem prius est esse, quam operari.

Conclusio secunda. — CHRISTUS DOMINUS PER ACTUS SUBSEQUENTES UNIONEM HYPOSTATICAM, NEQUE DE CONDIGNO, NEQUE DE CONGRUO POTUIT MERERI SUAM INCARNATIONEM. Hæc est contra Suarez, qui disput. 20. sect. 1. concedit quidem Christum non potuisse mereri suam incarnationem secundum intentionem, et quatenus est a Deo definita, et decreta ab æterno: potuisse vero ipsam mereri secundum executionem, et ut facta est in tempore: idque per opera subsequentia ipsam incarnationem, quæ Deus prævidit; quod utique declarat exemplo militis, cui Deus daret arma, et equum in præmium eorum, quæ strenue acturus esset in bello.

Probatur autem *primo:* principium meriti non potest cadere sub merito operis procedentis ab ipso: sed unio hypostatica est principium omnis meriti Christi: ergo illa non potest cadere sub operibus meritoriis ab ipso procedentibus. *Minor* est clara, quippe principium meritorium Christi non est sola humanitas; sed etiam suppositum Verbi divini ipsam humanitatem afficiens, tum in ratione existentis, tum in ratione operantis. *Major* vero probata est in ultima ratione præcedentis Conclusionis. *Confirmatur* insuper, quia meritum vim quamdam habet conciliativam, et attractivam præmii, morali scilicet influxu; quia movet præmiantem ad conferendum id quod in præmium operis repromissum est: sed nulla ratione fieri potest, ut idem seipsum attrahat: ergo impossibile est, ut idem sit meritum sui principii, a quo habet vim merendi.

REPONES *majorem* esse veram de lege ordinaria, et attentis rerum naturis; secus vero de lege extraordinaria, et secundum absolutam Dei potentiam. Unde, licet Incarnatio non potuerit esse præmium meriti operum ab ipsa procedentium de lege ordinaria; bene tamen id fieri posset secundum extraordinariam, et absolutam Dei dispositionem. — **Contra**, quamquam revera causa efficiens moralis meriti possit aliquo modo cadere sub merito, qua ratione antiqui Patres, ut dicemus infra, per gratiam sibi concessam vi meritorum Christi venturi, quasdam illius Incarnationis circumstantias mereri potuerunt, saltem de congruo; tamen principium formale meriti non potest, etiam de potentia absoluta, cadere sub merito, cujus est formale principium: sed Verbum, ut unitum humanitati, est principium formale meriti procedentis ab humanitate unita hypostatice Verbo: igitur incarnatio,

etiam de potentia absoluta, non potuit cadere sub merito. *Minor* constat. *Major* probatur: si principium formale meriti posset esse ejusdem meriti, ac præmium, sequeretur tale meritum seipsum, ut meritum mereri, quia meritum formæ est etiam meritum effectus formalis ejusdem formæ; sicut causa efficiens formam, efficit etiam effectum formalem: ergo si opus meritorium, formam, aut veluti formam, a qua suum desumit valorem, nempe unionem hypostaticam, mereri potest; etiam poterit mereri seipsum, quatenus est meritum: sed hoc repugnat, idem namque a seipso dependere non potest, nec per consequens meritorie causari, nec remunerari seipso: ergo principium meriti nullatenus cadere potest sub merito.

Reponès 2, quod licet principium meriti, quando datur absolute, non possit cadere sub merito, bene tamen quando non datur absolute, sed tantum sub conditione futuri meriti, et dependenter ab illo, ut si Rex tribuat militi arma et equum, anticipata remuneratione, in stipendium futuri certaminis et victoriæ; per victoriam subsequentem illam donationem miles arma et equum revera merebitur; unde cum Deus potuerit conferre humanitati Christi beneficium unionis hypostaticæ ad Verbum, sub conditione meriti exercendi, et futuri, Christus per opera incarnationem subsequentia potest illam mereri. — **Contra**, quamvis illud, a quo meriti valor non provenit, possit alicui concedi intuitu et conditione meriti futuri, et ut sic possit aliquando cadere sub merito; secus tamen est quando meriti valor ab eo absolute dependet: cujus differentiæ ratio est, quia meritum postea subsequens potest habere rationem pretii respectu ejus, a quo totum suum valorem non excipit; tunc enim non sequitur, quod idem sit causa et effectus, respectu ejusdem secundum eamdem rationem, et in eodem genere et modo causæ; sicut id sequeretur si illud, quod est principium totale meriti, daretur intuitu, et sub conditione ejusdem principii, ut futuri: unio autem hypostatica est principium a quo totaliter derivatur meritum Christi, tam in esse physico, quam in esse moris, cum omnia Christi opera procedant ab ejus humanitate, ut affecta subsistentia Verbi, a qua maxime mutuantur summum suum valorem, quem in ratione meriti et satisfactionis habent. *Ad exemplum* autem militis equo et armis donati, per anticipatam solutionem futuri laboris et victoriæ, dico non esse paritatem, quia valor hujusmodi laboris et meriti non derivatur ab equo, et armis; sed a virtute, prudentia, et arte militis; valor autem meritorius in operibus Christi ab unione hypostatica procedit, et in aliis puris hominibus a prima gratia; unde cum homo per subsequentia bona opera non possit ipsam primam gratiam promereri, ita nec Christus per subsequentia sua bona opera potuit suam promereri incarnationem. *Adde quod* quando homines conferunt aliqua dona, possunt illa donare imperfecte, et donatione suspensa ac conditionata; unde qui sic illa dona accipit, suis bonis operibus efficere potest, et mereri, ut illa non amplius imperfecte et conditionate, sed absolute possideat: unio autem hypostatica non potest sic concedi, tantum quoad usum, et donatione suspensa ac conditionata; sed eo ipso quo datur, simpliciter et absolute conceditur: et sic Deus non potuit humanitati Christi beneficium unionis hypostaticæ ad Verbum conferre sub conditione meriti ab ea in Verbo subsistente exercendi.

Objiciunt 1. Principium meriti, de potentia absoluta, cadere potest sub merito operis ab ipso procedentis : ergo potuit Christus per opera subsequentia incarnationem ipsam mereri. Probatur *antecedens:* nam antiqui Patres meruerunt de congruo quasdam incarnationis circumstantias, ut probabimus infra : sed illorum gratia fuit effectus meritorum Christi, nedum in genere causæ finalis, verum etiam in genere causæ efficientis moralis ; ergo principium meriti potest cadere sub merito, saltem de congruo. — **Distinguo antecedens**: principium meriti pure effectivum potest de potentia absoluta cadere sub merito operis ab ipso procedentis, transeat : principium meriti effectivum simul et formale sic cadere potest sub merito, nego *antecedens*, et *consequentiam:* siquidem gratia unionis non solum est principium effectivum meritorum Christi, sed etiam formale, quippe Christi operationes procedunt a personalitate Verbi, tamquam a principio a quo velut a forma summam suam dignitatem, summumque valorem mutuantur. Hinc facile solvitur probatio illius *antecedentis*, merita namque antiquorum Patrum per Incarnationem Verbi non sunt constituta formaliter in ratione meriti ; sed tantum efficienter moraliter, seu meritorie ab illa fuere causata. *Adde quod* Christi merita fuerint præintellecta per gratiam collatam antiquis Patribus, per quam meruerunt: siquidem Christus est causa meritorum, et prædestinationis hominum: at non præintelliguntur futura ante decretum exequendi incarnationem; meritum enim executionis Incarnationis est illud dumtaxat, quod moraliter movet Deum, vel de condigno, vel de congruo, ad executionem decreti suæ Incarnationis: merita autem Sanctorum non moverunt Deum ad exequendam illam Incarnationem ; quippe intuitu illius futuritionis ipsis Patribus concessa fuit gratia, qua bene possent mereri, et operari.

Objiciunt 2. Christus mereri potuit executionem unionis hypostaticæ, si ejus merita, ut futura, prævideri potuerint a Deo prius prioritate naturæ, quam vellet exequi intentionem, quam habebat sese incarnandi : sed merita Christi, ut futura, sic potuerunt a Deo prævideri : ergo Christus mereri potuit executionem Incarnationis. *Major* constat : si enim Deus prius viderit Christi merita ut futura, quam incarnatio executioni esset demandanda, moveri potuit ab eis ad volendam executionem Incarnationis. *Minor* vero probatur: intentio quam habuit Deus sese incarnandi est prior decreto de Incarnatione exequenda : sed in illa intentione, ut priori decreto executionis illius Incarnationis, merita Christi prævideri potuerunt ut futura : ergo prius prioritate naturæ, quam Deus vellet executioni demandare intentionem suæ Incarnationis, potuerunt merita Christi a Deo prævideri. — **Nego minorem**, cujus *probationem* distinguo: intentio pure speculativa, quam Deus habuit sese incarnandi, et quatenus illa abstrahit ab intentione efficaci, est prior decreto illam exequendi, concedo: intentio quam habuit Deus sese incarnandi ut efficax, est prior decreto illam exequendi, nego *majorem:* sic enim spectata importat voluntatem executionis, subindeque non est prior illa : merita autem Christi ut futura prævideri non potuerunt a Deo, nisi in intentione efficaci Incarnationis, quæ, ut talis, cum non præcedat decretum suæ executionis, non potuit Deus, priusquam haberet intentionem efficacem Incarnationis, prævidere Christi merita ut futura.

Conclusio tertia. — CHRISTUS DOMINUS MERUIT, AUT SALTEM MERERI POTUIT, QUASDAM CIRCUMSTANTIAS SEQUENTES INCARNATIONEM; NON VERO PRÆCEDENTES, AUT CONCOMITANTES.

Prima pars est communis: illæ enim circumstantiæ non se tenent ex parte principii, sed ad illud sequuntur: igitur nihil obstat quominus cadere possint sub Christi merito. Hinc conveniunt omnes ipsum mereri potuisse, et de facto meruisse, quod a Pastoribus et Magis adoraretur, annuntiaretur ab Angelis, stella radiante manifestaretur, sicut et suæ humanitatis resurrectionem, divinitatis manifestationem, et corporis glorificationem: cum enim hæc omnia non necessario, et ex natura sequantur ad positionem incarnationis, sed ex gratuita et mera Dei liberalitate pendeant, cumque non habeant necessariam connexionem cum primario cujusque meriti principio, nempe cum ipsa incarnatione, sed dumtaxat illius sint quædam appendices et sequelæ, non apparet dubium, quin illas Christus Dominus per nativitatis exinanitionem, vitæ labores, et mortis passionem promereri potuerit.

DICES: Eadem fuit unio hypostatica totius humanitatis facta in resurrectione, ac quæ facta est in utero beatæ Virginis in instanti conceptionis Christi; eadem enim numero fuit humanitas, eadem Verbi subsistentia humanitati juncta, absque ulla de novo interveniente actione unitiva: ergo si Christus primam unionem non meruit, nec secundam. — **Distinguo antecedens**: eadem fuit unio continuata, nego: interrupta et discontinuata, concedo. Cum enim per mortem perierit humanitas, seu conjunctio animæ cum corpore, quæ per triduum ab invicem fuerunt separata, fuit etiam discontinuata unio Verbi Divini, cum ipsa humanitate totali, et formaliter accepta, quamquam Verbum revera permanserit unitum animæ et corpori Christi; unde licet Christus primam unionem non potuerit mereri, inde non sequitur, quod illam reunionem mereri non potuerit per opera quæ mortem antecesserunt.

Secunda pars est contra Vasquez, et plures alios modernos, qui contendunt Christum mereri potuisse omnes incarnationis circumstantias, non solum consequentes, sed concomitantes, et præcedentes. *Probatur:* si præcedentes aut concomitantes circumstantias potuisset mereri, et de facto meruisset, maxime suæ Matris maternitatem, et nativitatem ex ea: sed illam non meruit: ergo etc. *Major constat:* cum enim illa sit cæterarum circumstantiarum, quæ carnem antecesserunt aut concomitatæ sunt, præstantissima, consequens est, quod si aliquas meruisset, maxime istam. *Minor* vero probatur 1. auctoritate S. Aug. lib. *De prædest. SS.* cap. 15. ubi loquens de Christi conceptione ex Virgine, ait: *Neque retributa ista generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu, et Virgine nasceretur:* sed si illa nativitas fuisset præmium meriti Christi prævisi, fuisset retributa, non autem tantum tributa: ergo ex mente S. Aug. conceptio Christi ex Virgine, subindeque beatissimæ Virginis maternitas non fuit ex meritis Christi prævisi, ut miraculose operantis, et viventis. — *Confirmatur:* nam S. Aug. exemplo hujus conceptionis *ibidem*, probat contra Pelagianos, primam gratiam nobis non conferri ex meritis, sed dumtaxat ex gratuita Dei liberalitate: at prima gratia in nobis non solum non est ex meritis præcedentibus, sed neque ex sub-

sequentibus: ergo nativitas Christi ex Virgine non solum fuit gratuitum pure Dei beneficium per respectum ad merita præcedentia; sed etiam per ordinem ad subsequentia. *Deinde*, principium mediatum meriti non potest cadere sub merito illius actus, cujus est principium: sed beatissima Virgo fuit principium mediatum meritorum Christi: siquidem fuit principium humanitatis, quæ una cum Verbi subsistentia fuit immediatum principium omnium Christi meritorum: ergo illa maternitas non potuit esse alicujus meriti præmium.

Dices: Beata Virgo meruit fieri Mater Christi, et illum in se concipere, ut mox dicemus: ergo pariter Christus meruit Virginis maternitatem, suique nativitatem ex illa. *Antecedens* probabitur in sequenti Quæstione; *consequentia* vero suadetur: *Primo*, quia nulla dignitas est concedenda Virgini, quæ non attribuatur Christo, si aliunde non repugnet: at non videtur repugnans, quod Christus potuerit mereri illam Maternitatem: ergo hoc ipsi est retribuendum. *Secundo*, quia gratia per quam beata Virgo meruit Maternitatem Christi, fuit effectus meritorum Christi: sed quod est causa causæ est etiam causa causati: ergo cum gratia a Christo derivata fuerit causa meriti beatæ Virginis, Christus etiam censendus est meruisse Maternitatem, et nativitatem ex Virgine. — **Respondeo**, concesso *antecedente*, negando *consequentiam*: ad cujus *primam probationem* dico, non omnem dignitatem Virgini concessam, Christo Domino debere attribui, alias dignitas Maternitatis Dei, quæ est omnium maxima, esset ipsi attribuenda: solum ergo verum esse potest, quod omnis dignitas, quæ Matri convenit, debet attribui Filio, quando non est repugnantia ex parte ejusdem Filii: repugnat autem, quod Filius potuerit mereri Maternitatem istam; quia illa, ut mox dictum est, fuit principium saltem mediatum omnium meritorum Christi: principium autem mereri non potest esse sui ipsius effectus. *Ad secundam probationem* dico, istud effatum dumtaxat esse verum, quando quod est causa causæ infallibiliter infert entis effectum, est etiam causa ejusdem effectus: falsum autem quando non ita causa illa infallibiliter effectum infert: at merita beatæ Virginis non fuerunt causæ ab intrinseco infallibiliter inferentes nativitatem Christi ex Virgine, nec divinam illius Maternitatem: igitur quamvis Christus suis meritis fuerit moralis causa gratiæ, et meritorum Virginis, non sequitur, quod illius Maternitatem meruerit.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN ET QUALITER BEATA VIRGO MERUERIT ESSE MATER DEI.

Notandum 1. Omnes Theologos scholasticos invicem convenire quasdam circumstantias Incarnationis potuisse cadere sub merito hominum; inter autem tales circumstantias Maternitas Dei, nempe ut Christus talem Matrem haberet, et non aliam, primum locum obtinet, utpote quæ majorem inferat affinitatem alicujus puræ creaturæ cum Christo. Controversia tamen est, an beatissima Virgo dignitatem illam mereri potuerit, idque non solum merito digno, seu congruo, sed etiam merito de condigno: circa quam variæ sunt sententiæ Theologorum. Sunt enim qui existimant beatam Virginem de condigno promeritam fuisse divinam Maternitatem: quam sententiam probabilem

existimat Gabriel in 3. d. 1. art. 3. dub. 3. eamque aliqui Recentiores tuentur. *Secunda* vero sententia docet, B. Virginem meruisse merito quidem digno, non autem condigno esse Matrem Dei. Ita S. Bonav. in 3. d. 1. art. 2. distinguit enim triplex meritum, nempe condignum, dignum et congruum; meritum autem *dignum* appellat illud opus, quod ex se æqualitatem quidem, et dignitatem non habet correspondentem præmio; eam tamen obtinet ex benignitate Dei tale opus ad istud præmium acceptantis. *Tertia* vero *sententia*, quæ communior est, et tutior, contendit beatam Virginem illam dignitatem nec digne, nec condigne meruisse, sed dumtaxat congrue.

Notandum 2. Aliud esse mereri de condigno formam, seu dignitatem aliquam, aliud vero mereri dispositionem in subjecto requisitam, ut digne, decenterque recipiat talem formam, vel dignitatem; possunt enim hæc duo separari, maxime quando dispositio, et dignitas non sunt inter se necessario, et quasi physice connexæ; sed solum secundum quamdam proportionem moralem; tunc enim fieri potest, ut licet aliquis sit digne dispositus ad formam vel dignitatem suscipiendam, nihilominus illi ex justitia talis forma non debeatur, atque adeo ut illam de condigno non mereatur. Quæritur autem, an beata Virgo fuerit condigne disposita, ut seligeretur in Matrem Dei.

Notandum 3. Condignam dispositionem ipsius beatissimæ Virginis ad Dei Maternitatem, posse colligi ex variis donis, quibus illustrata erat: *Primo* quidem ex eximia sanctitate, et præcellenti gratia habituali, qua præventa fuit a primo suæ conceptionis instanti, cum omnibus donis et habitibus infusis: *Secundo*, hanc dispositionem mirum in modum illustrabant quædam privilegia perpetuæ innocentiæ, carentiæ fomitis; quæ licet in prima sanctificatione fuerint collata, tamen novum ac multiplicatum vigorem obtinuerunt per assiduum meritorum, ac virtutum exercitium: *Tertio* denique ad illam dispositionem maxime conferebat gratiæ ac virtutum incrementum, quippe ab ipso suæ conceptionis instanti, ut vult S. Bernardinus, vel saltem ab eo tempore, quo infantes donari solent libertate ac rationis usu, ad ipsum Christi conceptionis instans assiduo in dies meritorum ac virtutum incremento ad summum pietatis ac sanctitatis fastigium illam promovebat.

His ita præmissis, tria sunt determinanda: *Primum*, an B. Virgo Maternitatem divinam meruerit de condigno. *Secundum*, an saltem illam meruerit de congruo. *Denique*, an revera digna fuerit, quod, præ cæteris creaturis, in Dei Matrem seligeretur.

Conclusio prima. — Beata Virgo non meruit de condigno, ut esset Mater Dei.

Probatur primo: Duo præmia condigna inter se diversa non possunt respondere eidem merito: sed gloria æterna, quæ ut merces respondet operibus meritoriis, est præmium ipsis condignum, et est distincta ab Incarnatione: ergo beata Virgo, quæ per opera meritoria merebatur gloriam æternam, non poterat ex justitia aliud præmium exigere; nec consequenter per illa opera divinam Maternitatem promereri. *Confirmatur:* omnia merita beatæ Virginis procedebant ex gratia adoptionis, quæ ut sic solum respicit, et inclinatur ab obtinendam beatitudinem; non autem ad promerenda quæ sunt ordinis hyposta-

tici, ad quem pertinet Maternitas Dei, cum illa sit circumstantia intrinseca Incarnationi.

Deinde, ad meritum de condigno ultra excellentiam et dignitatem operis, necessario requiritur pactum et promissio ex parte præmiantis, qua seclusa promissione, quantumvis opus foret excellens, non teneretur præmians præmium concedere: quod maxime verum est in Deo, qui ad nullum beneficium conferendum moveri potest, nisi vel ratione bonitatis, vel justitiæ, aut potius fidelitatis servandæ in promissis: atqui nullum est pactum, nullaque promissio, qua divina Maternitas repromissa esset beatæ Virgini sub conditione illius bonorum operum; igitur merito de condigno Maternitatem illam non potuit obtinere.

Denique, si beata Virgo condigne meruisset esse Mater Dei, quæ est circumstantia mysterii Incarnationis, etiam SS. Patriarchæ, maxime Abraham, de facto meruisset, quod Christus oriretur ex suo semine; tum quia opera illius facta ex gratia, licet non fuerint tam insignia, quam opera beatæ Virginis, fuerunt tamen ejusdem naturæ, et ita ad idem genus præmii suapte natura referebantur; tum etiam quia si requiratur promissio ad rationem meriti condigni, ut de facto requiri mox diximus, illam promissionem sibi factam habuit Abrahamus, Genes. 8; similem autem non legimus factam beatissimæ Virgini respectu divinæ Maternitatis sibi conferendæ. Porro jam absurdum videtur omnibus Theologis asserere, quod Abrahamus condigne illam Incarnationis circumstantiam fuerit promeritus: ergo multo minus beatæ Virgini respectu divinæ maternitatis id tribuendum est, quæ longe sublimiorem infert dignitatem, propter intimiorem illius confœderationem cum Christo, quam fuerit Abrahami dignitas, quod Messias ex illius semine esset oriundus.

Dices 1: Beatissima Virgo condigne meruit id quod majus est ac præstantius Incarnatione, scilicet beatitudinem, et gratiæ seu justificationis augmentum: ergo etiam meruit id quod minus est: sed maternitas Dei est quid minus beatitudine æterna et gratiæ augmento: igitur potuit etiam illam maternitatem mereri. *Major constat:* quia qui potest majus efficere, potest etiam minus. *Minor* vero probatur: tum ex illo Matthæi 12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Quocirca Lucæ 11. mulier quædam extollens vocem, cum dixisset Christo: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti:* subjunxit Christus: *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud;* reponens nimirum sanctitatem vitæ dignitati maternitatis divinæ esse præponendam. Quapropter S. Augustinus exponens illa verba Tractatu decimo in Joannem, ait: *Mater mea, quam appellastis felicem, inde felix quia Verbum Dei custodivit, non quia in illa Verbum caro factum est.* Et lib. *De sancta Virginitate* c. 3. *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.* — **Nego consequentiam**: licet enim beatissima Virgo meruerit aliquid præstantius maternitate divina, inde tamen non sequitur, quod etiam illam maternitatem fuerit promerita; etenim qui potest majus, potest etiam minus, in his quæ sunt ejusdem rationis et ordinis; secus vero in his, quæ sunt diversæ rationis: nam majus est ratiocinari, quam volare; et tamen non sequitur: potest aliquis ratiocinari: ergo etiam vo-

lare potest, quia volare et ratiocinari sunt diversæ rationis: bene vero sequitur: potest aliquod agens producere quatuor gradus caloris; ergo etiam duos. Sic in præsenti, cum præmium vitæ æternæ, et augmenti gratiæ sit diversæ rationis a præmio maternitatis divinæ, non est consequens quod si beata Virgo potuerit mereri primum de condigno, etiam potuerit mereri secundum.

Dices 2: Si quid obfuisset quominus beata Virgo promerita esset condigne maternitatem Dei, maxime, *vel* quia Deus illius opera non acceptasset ad tantam dignitatem; *vel* quia illam ipsi non promisisset propter merita; *vel* denique quia non potuisset mereri illam circumstantiam Incarnationis, nempe maternitatem divinam, quin etiam promerita fuisset principium meriti: sed nihil eorum obfuit. Non quidem *primum*, quia beata Virgo ad hoc fuit creata et ordinata, ut esset Mater Dei; hinc ipsi attribuit Ecclesia ista verba: *Ab æterno ordinata sum;* similiter ista: *Elegit eam Deus, et præelegit eam;* nempe ut ex ea, et in ea dignum Filio suo habitaculum præpararet. Non etiam *secundum*, promissio namque illi non defuit; nam Isaiæ 7. dicitur: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium.* Non denique *tertium*, sicut enim ex parte principii nostrorum meritorum, et beatæ Virginis præintelligitur Mysterium Incarnationis; ita etiam præintelligitur humanitas Christi: non quidem in universum, sed singularis ex hac materia et forma composita: cum autem hanc materiam sui corporis sumpserit ex Virgine, ex parte principii, jam intelligitur dignitas Matris in Virgine; ac proinde talis dignitas non potest cadere sub ipsum meritum, cujus est principium. — **Nego minorem**, et ad *primam probationem* dico, Beatam Virginem electam quidem fuisse a Deo, et ordinatam, ut esset Mater Dei, ordinatione, vel antecedente illius merita, ac proinde omnino gratuita; vel consequente merita, quæ non erant de condigno; sed duntaxat de congruo. *Ad secundam* dico, promissum quidem fuisse populo Judaico, quod aliqua Virgo esset conceptura Messiam: verum illa promissio non erat facta speciatim beatissimæ Virgini, ac proinde nullum fuit divinum pactum de conferenda illi maternitate divina. *Ad tertium* dico, beatam Virginem non potuisse mereri illam circumstantiam Incarnationis, quin pariter Incarnationem meruisset, quippe meritum illud non fuisset respectu generandæ humanitatis in universum, sed illius humanitatis specialis et individuæ, quæ erat a Verbo assumenda.

Dices 3: Beata Virgo dicitur fuisse digna, quæ mereretur ut fieret Mater Dei: igitur de facto maternitatem divinam meruit. *Consequentia* patet. Probatur *antecedens*: *Tum* ex eo quod canit Ecclesia de ipsa beata Virgine in oratione post Completorium: *Ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, præparasti:* quid enim est aliud dignum esse habitaculum Filii Dei, quam dignam Matrem illius? Si autem digna Mater effecta est, utique bonis ac meritoriis operibus est effecta. *Tum quia* SS. Patres eadem loquendi formula utuntur, maxime vero S. Ambrosius lib. 2. *De Virginibus*, Damascenus lib. 4. *De Fide* cap. 15. Bernardus sermon. 1. *De Assumptione*. — **Respondeo**, illis aut similibus loquendi formulis significari quidem beatissimam Virginem fuisse dignam, quæ seligeretur in Matrem Dei; non tamen inde sequitur, quod illam dignitatem suis

bonis operibus fuerit promerita de condigno: nam modus ille loquendi, *dignus est re aliqua*, non semper denotat meritum condignum, sed dumtaxat, quod quicumque accipit beneficium a Deo, illius beneficii dignus videatur. Hac ratione Ecclesia dicit in oratione feriæ tertiæ post Dominicam Passionis: *Nostra tibi Domine sint accepta jejunia, quæ nos et expiando gratia tua dignos efficiant, et ad remedia perducant æterna.* Quis autem dicat per jejunia nos ita præparari, ut condigne mereamur gratiam Dei, qua expiamur a peccato?

Dices ultimo: Qui meretur de condigno dispositionem ad aliquam formam, videtur etiam mereri ipsam formam: sed beata Virgo de condigno promeruit illum sanctitatis gradum, quo ultimo fuit disposita ad maternitatem Dei: ergo pariter meruit de condigno suam maternitatem. — **Respondeo primo** negando *majorem*, quia contingere potest, quod dispositio ad aliquam dignitatem non excedat proportionem virtutis merentis; bene tamen ipsa dignitas: sicut v. g. si ut aliquis fieret Episcopus requireretur, quod esset Doctor, posset quidem illam dispositionem comparare ex se; non tamen consequens esset, quod itidem ex se posset ad Episcopatum promoveri; quippe ad illam dignitatem obtinendam opus esset nominatione Regis, et designatione ac collatione potestatis ex parte summi Pontificis. *Respondeo secundo, majorem* posse quidem esse veram de illis dispositionibus, quæ necessario inferunt formam: non vero de illis, quæ dumtaxat habent connexionem quamdam moralem, seu decentiam ac congruitatem cum forma inferenda. Sanctitas autem beatissimæ Virginis non fuit dispositio physica, et ex natura rei ad maternitatem divinam; sed dumtaxat moralis et congrua, quippe decens erat, ut quæ erat omnium Virginum purissima et sanctissima, assumeretur ad concipiendum Sanctum Sanctorum.

Conclusio secunda — Beatissima Virgo digna fuit, et de congruo meruit ut fieret Mater Dei. Hæc est communior, et verior,

Probaturque ex sanctis Patribus, qui diserte pronuntiant beatam Virginem fuisse dignam, quæ Dei Filium pareret, et ejus Mater fieret. Sic imprimis S. Ambrosius lib. 2. *De Virginibus: Quid*, inquit, *in singulis moror, quæ digna fuit, ex qua Filius Dei nasceretur?* Basilius homilia de humana Christi generatione: *Digna*, inquit, *Unigeniti divinitati conjugii fuit.* Chrysostomus homil. 43. in Joan. exponens illa verba: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* ait: *Propter hoc ipsum fieret: nam si cognovisses virum, non fuisses habita digna, ut huic mysterio deserrires.* Epiphanius hæresi 7. *Quomodo audent impetere impollutam Virginem, quæ digna facta est habitaculum fieri Filii Dei?* Damascenus lib. 4. cap. 15. illam appellat *Sanctum, admirabile, ac summo Deo dignum templum.* Tandem Bernardus serm. 1. *De Assumptione*, ait: *Nec in terris locus dignior uteri Virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam Filius ejus sublimavit.*

Quod vero illam dignitatem habuerit, partim ex divina gratia illam præveniente, partim per opera sua et merita de condigno, etiam significant sancti Patres; nam S. Augustinus serm. 2. *De Nativitate,*

ait: *Talis eligitur Virgo, quæ tantum in se haberet meritum, ut Dei Filium in se susciperet.* S. Gregorius lib. 1. Regum cap. 1. *Incomparabilibus illustrata meritis, Dei Unigenito, in quo recumberet, sæcrum præparavit uterum.* Petrus Damianus serm. 2. *De Assumptione: Singularis ejus sanctitas, et gratia hoc promeruit, quod susceptione Dei singulariter judicata est digna.* Fulgentius lib. *De Incarnatione, et Gratia*, cap. 7. *Sed ipsum Deum hominem factum, et concipere et parere, non humanis meritis, sed concepti, nascentisque ex ea summi Dei dignatione promeruit*, nempe beata Virgo. Quibus consonat Prudentius in hymno ante cibum, ubi ait: *Edere namque Deum merita, omnia Virgo venena domat.* Et Venantius Fortunatus in lib. *De æternis gaudiis* canit in hunc modum:

Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis.
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Ecclesia quoque canit in Antiphona tempore Paschali, *Regina cæli lætare alleluja, quia quem meruisti portare, resurrexit, etc.* Nec refert, quod sancti Patres interdum *meriti* nomen latius usurpent; nimirum pro eo, non quod significat actionem dignam præmio, sed solum quamdam correspondentiam unius ad alterum: in qua significatione Ecclesia canit in benedictione cerei Paschalis: *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!* id inquam, non obest: tum quia cum ipsum meritum tribuitur vitæ sanctitati, oportet, quod accipiatur in propria significatione, de qua nunc agimus: tum etiam quia plures ex sanctis Patribus hoc meritum attribuunt bonis operibus illius beatæ Virginis; unde pulchre S. Bernardus, sermone de aquæ ductu: *Quomodo*, inquit, *noster hic aquæ ductus fontem illum attigit tam sublimem? Quomodo putas, nisi vehementia desiderii, nisi fervore devotionis, nisi puritate orationis, sicut scriptum est: Oratio justi penetrat cælos? Et qui justus, si non Maria justa, de qua Sol justitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo illam inaccessam attigit Majestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo?* Hinc pariter S. Hieronymus Epistol. 22. proponit ibi Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, *ut Mater Domini esse mereretur.* Et S. Anselmus *De Laudibus Virginis*, cap. 8. *Sanctissima puritas, et purissima sanctitas pectoris ejus omnis creaturæ puritatem, et sanctitatem transcendens, incomparabiliter hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis plenissime fieret.*

Dices: Non potuit beata Virgo mereri de congruo, ut esset Mater Dei, quin etiam ipsam incarnationem mereretur: sed non potuit mereri incarnationem, ut dictum est in superiori Quæstione: ergo nec ipsam maternitatem: igitur etc. *Probatur major:* nam si beata Virgo meruit de congruo, ut esset Mater Dei, pariter meruit, ut ex illa Deus homo fieret: igitur meruit Christum Deum-hominem parere, ac producere; et subinde meruit, ut hoc compositum *Deus-homo* in rerum natura esset: sed hoc est mereri incarnationem: ergo si meruit de congruo fieri Mater Dei, etiam meruit incarnationem. — **Respondeo**, meritum de congruo dupliciter posse intelligi; *Primo* quidem absolute, et simpliciter, ac sine ulla suppositione: *Secundo*, potest intelligi hoc meritum solum, quasi sub conditione, seu facta suppositione, quod Deus sit futurus homo. Unde distinguo *majorem*: Beata Virgo non

potuit mereri merito de congruo maternitatem, quin meruerit pariter incarnationem, merito absoluto, et simpliciter, concedo: merito ex suppositione facta, et conditione posita, quod Deus sit futurus homo, nego. Sic enim acceptum Virginis meritum, respectu maternitatis, præscindere potest a merito incarnationis, quia præsupponit illam futuram. Quod utique hoc exemplo declaratur: si Rex decreverit in aliquam civitatem proficisci, et civis aliquis propter sua merita obtineat, ut potius in suam, quam in alterius domum divertat; recte intelligitur non mereri adventum Regis in civitatem simpliciter, et nihilominus mereri circumstantiam, nempe receptionem in suam domum, quæ accessum ad civitatem præsupponit.

Dices 2: Merita Virginis non solum existentia, sed etiam futura, prævisa fuerunt, et Deo præsentia in æternitate, post prævisa merita Christi: ergo ipse Christus fuit prius prævisus, ut existens, atque adeo ut conceptus, seu ut concipiendus ex Virgine, quam fuerint præordinata merita Virginis: igitur nullo modo potuit Beata Virgo mereri, quod Christus ex illa nasceretur. — **Respondeo**, ex illo dumtaxat argumento probari, merita beatæ Virginis non movisse Deum, ut ipsam eligeret in Matrem Filii sui secundum ordinem electionis, ac designationis æternæ; non tamen probatur illam non potuisse mereri secundum ordinem executionis eam dignitatem, quia revera prius habuit gratiam, et bona opera, quam ex ea Dei Filius incarnaretur; quamvis ipsam gratiam, et bona opera habuerit ex meritis ejusdem Filii sui prævisi in divina ordinatione ac prædefinitione.

Urgebis: Si ante omnia merita Virginis Deus præordinavit Incarnationem: ergo etiam præordinavit illam in hac humanitate, et consequenter in hac individua materia formatam: sed non meruit Virgo habere illam individuam materiam, ita sibi conjunctam, ut necessarium erat ad Filii conceptionem; quia hoc potius pertinebat ad ordinem effectuum, et causarum naturalium, quam ad rationem meriti: igitur etc. — **Respondeo** ad *minorem*, quod sicut temporalia possunt cadere sub merito in ordine ad spiritualia; ita Virgo potuit mereri, ut illa materia, ex qua Christus erat formandus, prius esset materialis pars sui corporis, seu sanguinis.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM SANCTI PATRES MERUERINT, AUT SALTEM MERERI POTUERINT DE CONGRUO, INCARNATIONEM EJUSQUE CIRCUMSTANTIAS.

Notandum 1. Nomine *sanctorum Patrum* hic intelligi viros illos sanctissimos, qui Christi adventum præcesserunt, sive legis naturæ, sive legis scriptæ, quibus futuri Messiæ facta fuerat specialis a Deo revelatio, aut promissio; de quibus quæritur, an vel ipsam Incarnationem, vel aliquas illius circumstantias, puta illius accelerationem, aut quod fieret eorum temporibus, *vel* quod Christus ex eorum stirpe et propagatione nasceretur, *vel* demum aliquos illius effectus, puta justificationem animarum, et cæli reserationem, meruerint, aut saltem mereri potuerint. Circa quam difficultatem tres maxime sunt Theologorum sententiæ. *Prima,* quidem sancti Bonaventuræ dist. 3. art. 2.

q. 2. ubi contendit sanctos Patres meruisse de congruo substantiam Incarnationis, non quantum ad effectum illius principalem, qui est animarum justificatio; sed quantum ad effectum minus principalem, qui est regni cælorum aperitio. *Secunda*, vero est Vasquez disp. 22. cap. 1. et aliorum Recentiorum, qui licet concedant meritum de congruo respectu Incarnationis, quantum ad acceleratione̅m, aliasque circumstantias; illud tamen negant respectu substantiæ Incarnationis, et omnium illius effectuum. *Tertia* denique non denegat sanctis Patribus aliquod meritum de congruo tam respectu substantiæ Incarnationis, quam respectu aliquarum illius circumstantiarum; cui sententiæ plurimi Thomistæ subscribunt.

Notandum 2. Præmii congruitatem spectari posse dupliciter: *Primo* quidem potest accipi pro congruitate fundata in pura Dei misericordia, sine aliquo jure, seu debito ex parte operis: *Secundo*, pro congruitate fundata in proportione amicitiæ, et in opere elicito in statu gratiæ ab amico: amicitia enim cum sit pars potentialis justitiæ, fundat aliquod debitum: non quidem strictum et rigorosum, sicut est meritum de condigno, sed tantum secundum quid, ita quod deceat bonitatem et sapientiam præmiantis, ut istud præmium largiatur amico, propter elicita opera sibi grata. De hoc autem merito inquirimus solum, an sancti Patres meruerint Incarnationem, aut aliquas illius circumstantias.

Notandum 3. Omnes Theologos convenire nullum ex sanctis Patribus meruisse de condigno mysterium Incarnationis secundum substantiam illius effectus; quod utique fuse demonstrat S. Paulus Epist. ad Rom. in qua potissimum intendit convincere Judæos, quod eorum Patres non fuerint promeriti, merito scilicet de condigno, ut Christus ex eorum stirpe nasceretur, sed hoc dumtaxat fuisse beneficium Dei seligentis potius semen Abrahæ, quam ullius alterius hominis. Hinc ad Titum 3. ait: *Apparuit benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit:* quod etiam colligitur ex aliis Scripturæ textibus; nam Psalmo 88. dicitur: *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam... misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Et Lucæ 1. *Suscepit Israël puerum suum recordatus misericordiæ suæ;* ubi mysterium Incarnationis dicitur *opus misericordiæ;* misericordia autem excludit merita, maxime condigna. *His adde,* quod Sanctorum gratia solum est principium condigne merendi illud, ad quod ex Dei ordinatione refertur; merita autem sanctorum Patrum ex Dei ordinatione referebantur dumtaxat ad vitam æternam: ergo solum fuerunt principia condigne merendi vitam æternam; non autem mysterium Incarnationis.

Conclusio unica. — Sancti Patres non meruerunt de congruo Incarnationem, quantum ad substantiam, neque quantum ad circumstantias intrinsecas, sed dumtaxat quantum ad circumstantias extrinsecas, puta temporis, loci et propagationis ex eorum stirpe. Hæc est Doctoris in 4. d. 2. q. 1. n. 11. ubi ait: « In universis operibus Dei, non fuit aliquod opus meræ gra-« tiæ, nisi sola Incarnatio Filii Dei, et hoc si ad illam nulla merita « præcesserunt ». Subdit: « Quod utique verum est in ordinatione divina

« de illa Incarnatione: quia si tempore conceptionis præcesserunt « aliqua merita Mariæ; tamen non erant bona absolute respectu In- « carnationis, sed forte accelerationis, ut impleretur illa Incarnatio « præordinata. Bene ergo, ait Augustinus 11. *De Trinitate* cap. 19. « *In rebus per tempus actis, illa summa est gratia, quod homo in uni-* « *tate personæ conjunctus est Deo.* » Quibus Doctor aperte docet, nec beatissimam Virginem, nec sanctos Patres meruisse ipsam Incarnationem : sed duntaxat quasdam circumstantias extrinsecas, videlicet, quod Incarnatio fieret tali tempore, loco et ex tali semine.

Probatur utraque pars: Prima quidem, quia principium meriti congrui non potest cadere sub merito : sed Incarnatio quoad substantiam, et circumstantias intrinsecas, est principium meriti sanctorum Patrum: ergo non potuerunt illi principium istud mereri. *Minor* constat : *Major* pariter; nam sicut meritum de condigno non poterat mereri condigne suum principium; sic neque meritum de congruo potest congrue promereri suum principium : quia si principium meriti posset cadere sub merito de congruo, effectus esset causa suæ causæ, ut supra diximus, et gratia prima antecedens daretur propter prævisum bonum usum illius : quod tamen damnat S. Augustinus tamquam Pelagianismum lib. *De Prædestinatione Sanctorum*, cap. 19. Quod utique probat ex 1. ad Ephes. *Qui prædestinavit nos in Christo, ut essemus Sancti:* notat enim Augustinus non dici, quia eramus futuri Sancti, sed ut essemus Sancti. — *Nec valet reponere*, Incarnationem non solum fuisse causam efficientem omnis gratiæ et meriti, verum etiam finalem respectu Patrum Veteris Testamenti, et ut sic cadere potuisse sub merito : illa, inquam, responsio non frangit vim argumenti, quia Patres illi non receperunt gratiam, ut fieret Incarnatio, sed e contra prædestinata est Incarnatio, ut ipsi inde reciperent gratiam. Habuit tamen Incarnatio similitudinem quamdam causæ finalis, quia operabatur, quando solum erat futura; operabatur tamen ut causa meritoria, quæ ut non existens, potest movere agens ad conferendum præmium, ut docet Doctor mox laudatus n. 10. ubi ait: *Quod etsi Passio Christi non sit nunc in effectu, est tamen in acceptione divina, et hoc sufficit, ut sit causa meritoria: patet enim quod nos conferimus multa propter aliquod bonum non præsens in se, sed præsens in memoria nostra, si sit præteritum, vel in opinione, si sit futurum.*

Probatur secunda pars, illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Patribus veteris Testamenti promittitur futura Incarnatio, *vel* ex eorum stirpe, *vel* in eorum patria, *vel* breviori tempore. Sic Psalmo 11. *Propter gemitum pauperum nunc exurgam.* Danielis 9: 70 *Hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, etc.* Quæ testimonia plurimi Patres explicant de abbreviatione adventus Messiæ. Patet similiter ex promissionibus factis a Deo ipsis viris sanctissimis, quod Messias ex eorum stirpe esset oriundus, propter præclara opera, quæ in Dei obsequium gesserant. Sic *Genes.* 22. Deus promittit Abrahæ Messiam nasciturum ex ejus semine his verbis: *Per memetipsum juravi: quia fecisti hanc rem, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum: et benedicentur in semine tuo omnes Gentes,* hoc est *in Christo,* ut exponit Apostolus ad *Gal.* 3. — Constat similiter ex illis omnibus orationibus, quibus enixe Deum deprecabantur, ut mitteret Messiam in mundum. Sic Isaiæ 16.

Emitte agnum Domine dominatorem terræ: et 45. *Rorate cæli desuper, et nubes pluant justum*, et 64. *Utinam disrumperes cælos, et descenderes!* David etiam Psalm. 84. pro Messia videtur orare, quando ait: *Salutare tuum da nobis*, et Psalm. 105. *Visita nos in salutari tuo:* quibus sancti Patriarchæ, ac Patres Veteris Testamenti exorabant, non quidem ut Deus decerneret Incarnationem Filii sui, quam jam per divinam revelationem acceperant esse decretam et futuram; sed dumtaxat, ut illud mysterium brevi tempore, et in eorum conspectu impleret; illæ autem preces et desideria habebant rationem meriti de congruo respectu adventus Filii Dei: tum quia congruum erat, ut Deus eos exaudiret, qui ipsi in omnibus obediebant: tum etiam, quia orationes de necessariis ad salutem merentur de congruo ea quæ postulantur: tum denique, quia instantes illæ preces et pia desideria disponebant sanctos illos Patres ad recipiendum Christum: sed illæ dispositiones morales habebant rationem meriti de congruo, quoad substantiam Incarnationis, seu adventus Filii Dei in mundum; hinc apud Malachiam legimus: *Ecce statim veniet ad Templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis.* Quibus significat Propheta, ideirco venturum esse Messiam brevi tempore, quia nempe eum sanctissimi viri quærebant, et summis votis exoptabant.

Dices: Tam decretæ sunt ab æterno circumstantiæ extrinsecæ Incarnationis, quam intrinsecæ: sed intrinsecæ non fuerunt decretæ dependenter ab aliquo hominum merito: ergo nec extrinsecæ. *Major* constat; eadem enim videtur esse ratio de circumstantiis extrinsecis, ac de intrinsecis, quippe quæ concernant eamdem humanitatem in individuo assumendam. *Minor* etiam est evidens, quia circumstantiæ intrinsecæ alicujus operis formaliter, et ut sic consideratæ, sunt ejusdem ordinis cum ipso: unde circumstantiæ intrinsecæ Incarnationis pertinent ad unionem hypostaticam sicut substantia illius: igitur si sancti Patres non potuerint mereri de condigno substantiam Incarnationis, eo quod opera illorum pertinerent ad ordinem gratiæ, qui est inferior hypostatico, ob eamdem rationem non potuerunt mereri de condigno circumstantias intrinsecas illius. — **Nego majorem**, etenim dici potest decretum divinum fuisse de sola substantia Incarnationis, absque prævisione meriti circumstantiarum, etiam si illæ circumstantiæ extrinsecæ decreto absoluto potuerint decerni intuitu meritorum sanctorum Patrum, quippe illæ circumstantiæ extrinsecæ nullatenus spectant ad entitatem et ordinem unionis hypostaticæ, sed omnino extrinsecæ sunt; tam enim potuisset Verbum incarnari ex alia stirpe, et nasci alio in loco, aliove tempore, ac originem duxit ex semine Abrahæ, ortumque habuit in Palæstina.

Ex iis colligе, quod sicut antiqui Patres non meruerunt mysterium ipsum Incarnationis, eodem modo non fuerunt promeriti effectus ipsius mysterii, nempe quod merita et satisfactio ipsius Christi D. applicarentur tam pro seipsis, quam pro universo genere humano. Idem dicendum de aliis effectibus; nam si antiqui Patres meruissent, quod Christus pro toto genere humano pateretur, et satisfaceret pro illo, etiam meruissent salutem totius generis humani, ac proinde suam ipsorum redemptionem, quod utique absurdissimum est: *tum quia*

hoc asserere idem est ac dicere eos meruisse suam primam gratiam, quam meritis Christi obtinuerunt pro redemptione sua, siquidem merita Christi pro seipsis habere meruerunt; tum quia si sanctissimi Patres promeriti fuissent mortem Christi pro sua redemptione, jam opus Incarnationis et mortis Christi fuisset antiquis Patribus, non opus misericordiæ, et primæ gratiæ, sed gratitudinis, et gratiæ secundæ, quæ est gratia pro gratia: pro aliis vero, qui fuerunt post Christum, fuisset opus solius misericordiæ; nam si propter merita antiquorum Patrum Deus Christum, ejusque passionem, ac illius fructus concessisset, ipsa Christi merita, quatenus fuissent beneficia antiquorum Patrum, habuissent rationem remunerationis; ac proinde fuissent data illis ex gratitudine: quod utique longe alienum est a doctrina ac modo loquendi sanctorum Patrum.

SECTIO TERTIA.

DE CAUSA FINALI, ET MOTIVA INCARNATIONIS.

Conveniunt omnes Doctores Catholici, Filium Dei hunc ob finem nostram induisse humanitatem, ut peccatum eluer·t, et divinæ justitiæ pro reis hominibus faceret satis: idque aperte testatur divina Scriptura; nam S. Paulus ad Gal. 4. diserte pronuntiat: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret*, et 1. ad Timot. 4. *Venit Christus in hunc mundum peccatores salvos facere:* quapropter ipsemet adorandus Salvator Matt. 18. et Lucæ 19. ait: *Venit Filius hominis quærere, et salvum facere, quod perierat.* Verum invicem disceptant in assignando primario fine illius adventus, utrum videlicet ita venerit ad delendum hominis peccatum, ut si nullum extitisset, perpetuamque ac stabilem innocentiam tam Adamus, quam ejus posteri servassent, nihilominus fuisset incarnatus. Quærunt etiam, utrum solo existente peccato originali, vel e contra solis existentibus actualibus, futura esset incarnatio. Quæ utique duplex controversia pro modulo nostro dirimetur duabus in sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM SI ADAMUS NON PECCASSET, FILIUS DEI NON MINUS ESSET INCARNANDUS.

Hic non est sermo de possibili, quippe certum est, quod etsi nullum extitisset hominis peccatum, quævis ex divinis personis humanam carnem potuisset induere; etenim Incarnatio nullam habet cum peccato necessariam et essentialem connexionem. Nec etiam movetur quæstio de altero decreto, quod Deus formasset circa futuram incarnationem ex hypothesi, quod homo non esset peccaturus; nam utrum in eo casu habuisset Deus decretum assumendi carnem, non propter remedium peccati, sed propter alia motiva, nil certo definiri pot·st; siquidem Scriptura sacra, per quam innotescunt quæ ex sola Dei voluntate pendent, nil circa hoc statuit. Solum ergo difficultas est, utrum vi decreti, quod habuit Deus ab æterno, Verbum esset incarnandum,

quamquam Adamus non peccasset; quæ difficultas ut faciliori negotio solvatur,

Notandum 2. Quod etsi Verbum divinum de facto incarnatum fuerit ob redemptionem et reparationem generis humani, hæc tamen unica non fuit illius incarnationis causa principalis, nec præstantius motivum: siquidem alias tanti mysterii causas sacra Scriptura aperit, nempe manifestationem divinarum perfectionum, quæ maxime (ut diximus in primo Articulo) in hujus mysterii revelatione et manifestatione elucent. Similiter complementum et perfectio totius universi; item humanæ naturæ sublimatio, et beatificatio completa, inde derivantur. Alios etiam fines ejusmodi adventus Christi Scriptura sacra commemorat, puta ut esset Doctor veritatis, sicut ipsemet testatur Joan. 18. *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Ut nobis esset virtutum exemplar: sic Joan. 13. ait: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Unde S. Aug. serm. 52. *De Diversis: Homo sequendus non erat, qui videri poterat: Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, qui videretur ab homine, et quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Fatentur ergo utriusque scholæ Theologi, peccati solutionem et expiationem, non fuisse unicum dumtaxat motivum incarnationis faciendæ. An autem fuerit præcipuum, ita ut eo cessante non fieret incarnatio ob alios fines, *affirmat* cum suis discipulis S. Thomas 3. p. q. 1. art. 3; *negat* vero Subtilis Doctor in 3. dist. 7. q. 3. cum Alensi 3. p. q. 2. memb. 13. B. Alberto Magno dist. 20. n. 4. et plurimis aliis etiam ex Thomistis.

Notandum 3. Quod etsi unicus ac simplicissimus sit actus divinæ voluntatis secundum se, et realiter spectatus, virtute tamen intelligitur multiplex, juxta nostrum concipiendi modum; ita quod in eo distinguatur ordo prioris et posterioris, sive ille sit solum ordo rationis, sive potius quasi naturalis præsuppositionis unius ad aliud; quatenus scilicet actus ille, qui in entitate sua infinitus est, correspondet plurimis actibus, quos successive eliceremus in aliqua re decernenda et producenda; quamquam ordo ille prioritatis et posterioritatis, qui reperitur in actibus divinis, potius refundi debeat in objecta secundaria, circa quæ versantur intellectus et voluntas divina, quam in ipsammet entitatem actus, qui secundum se revera simplicissimus et indivisibilis est. In his autem tam actibus, quam objectis assignari solent a Theologis quædam signa, seu instantia, ratione quorum unus actus dicitur prior aut posterior altero. Quos actus secundum illa diversa instantia, quantum ad propositum (nempe decretum Incarnationis Christi), sic distinguit Doctor in 3. dist. 39. q. unica n. 6. ubi ait: « Quod « incarnatio Christi non fuit occasionaliter prævisa; sed sicut finis im- « mediate videbatur a Deo ab æterno, ita Christus in natura humana, « cum sit propinquior fini, cæteris prius prædestinabatur, loquendo de « his qui prædestinantur. Tunc iste fuit ordo in prævisione divina: « *Primo* enim Deus intellexit se sub ratione summi boni: in *secundo* « signo intellexit omnes alias creaturas: in *tertio* prædestinavit hos « ad gloriam, et gratiam, et circa alios habuit actum negativum non « prædestinando: in *quarto* prævidit illos casuros in Adamo: in *quinto* « præordinavit, sive prævidit de remedio quomodo redimerentur per

« passionem Filii; ita quod Christus in carne, sicut et omnes Electi, « prius videbatur et destinabatur ad gratiam et gloriam quam præ- « videretur passio Christi: sicut medicus prius vult sanitatem hominis, « quam ordinet de medicina ad sanandum ». Hæc Doctor, quibus quinque distinguit signa, seu instantia rationis, in quibus actus divinæ voluntatis, quasi esset quintuplex, terminatur ad diversa subjecta, quæ Deus decreverit circa Christum, ejusque adventum.

Notandum 4. Quod quemadmodum Deus prius decernit res faciendas, quam illas producat, quippe decretum ejus est ab æterno, rerum autem effectio dumtaxat est in tempore: hinc duplex ordo prioris et posterioris distingui solet in operatione divina, alius videlicet *secundum intentionem*, alius vero *secundum executionem*; ita quod aliqua dicantur priora secundum intentionem Dei decernentis et statuentis productionem rerum; alia vero posteriora secundum executionem et operationem Dei res producentis, quemadmodum medicus v. g. secundum intentionem prius habet sanitatem restituendam, quam medicinam parandam: secundum vero executionem prius parat pharmacum, quam sanitatem restituat. Certum est autem Christum Dominum non fuisse destinatum a Deo producendum ante cæteras creaturas: quippe dumtaxat formatus fuit, et productus in medio tempore. Sed movetur difficultas, utrum a Deo prius destinatus fuerit secundum ordinem intentionis, quam cæteræ creaturæ, ac subinde ipse non minus esset formandus quamvis homines peccarent, vel non peccarent, quia destinatus erat producendus independenter a prævisione futuri peccati hominis.

His ita præmissis, duo maxime veniunt hac in Quæstione determinanda: *Primum* quidem, an Christus de facto veniret præcipue ad redimendos homines, et eluenda ipsorum peccata. *Secundum* autem, an vi præsentis decreti non minus esset venturus quamquam nulla forent hominum peccata.

Conclusio prima. — Verbum de facto carnem induit maxime propter salvandos homines, et expianda ipsorum peccata. Hæc est communis, et

Probatur primo ex Scriptura sacra, quæ aperte significat, Dei Filium præcipuam habuisse causam sui in mundum adventus redemptionem hominis a servitute peccati. Sic Matth. 18. et Lucæ 19. ipsemet adorandus Salvator testatur: *Venit Filius hominis quærere, et salvum facere, quod perierat.* Et Joannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et Lucæ 3. *Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent: non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* — Idem testatur S. Apostolus primæ ad Timot. 1. *Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere.* Quod utique motivum adventus Christi declaratur in Symbolo Nicæno his verbis: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis.*

Suffragantur etiam SS. Patres, imprimis S. Athanasius, libro *De Humanitate Verbi*, ubi ait: *Ut cognoscas nostram culpam illi dedisse occasionem ut descenderet, nostramque prævaricationem Verbi Dei*

humanitatem elicuisse, ut ad nos contenderet, inter homines appareret; illius enim incorporationis nos causam dedimus ob nostram salutem: ita humanus extitit, ut in humano corpore, et esse vellet, et apparere. Basilius homil. *De Humana Christi generatione*, q. 25. *Disce mysterium: propterea Deus in carne est, quia oportebat maledictam hanc carnem sanctificari.* Hinc definitum est in Concilio Toletano VI. *Solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, et nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda, a secreto Patris arcano prodiisse.* Quibus omnibus testimoniis aperte constat Christum Dominum idcirco maxime in mundum venisse, ut peccatores salvos faceret: quapropter egregie S. Augustinus serm. 9. *De Verbis Domini: Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, nulla est medicinæ causa.*

Non diffiteor tamen non unicum istud, sed plura alia incarnationis de facto peractæ motiva Verbum habuisse, puta manifestationem omnipotentiæ, sapientiæ, et bonitatis divinæ: exigentiam capitis proxime univoci, et proportionati cum Ecclesia; nam, ut inquit S. Chrysostomus sermone 1. *De Pentecoste: Deo chara est Ecclesia, propter Ecclesiam enim extensum est cœlum, diffusum est mare, extensus aër, fundata terra, etc.* Et paulo post: *Propter Ecclesiam pelagus scindebatur, findebatur petra, fluebat manna de cœlo... propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli, imo propter Ecclesiam Unigenitus Dei factus est homo.* Quibus aperte docet S. Chrysostomus, unum ex præcipuis motivis incarnationis peractæ, fuisse ut Ecclesia dignum sibi caput, nempe Dei Filium, obtineret in carne visibilem.

Conclusio secunda. — Ex vi præsentis decreti Verbum divinum carnem humanam assumpsisset, etiamsi Adamus non peccasset. Hæc Conclusio quadruplici fundamento nititur ac firmatur.

Prima probatio. — *Petita ex eo, quod Christus sit prius decretus, quam creaturæ.* — Christus volitus ac destinatus est a Deo ante præscientiam peccati hominum: ergo licet homo non peccasset, nihilominus Verbum divinum vi præsentis decreti carnem induisset. *Consequentia* patet: cum enim prius non pendeat a posteriori, si adventus Christi volitus est, et decretus a Deo ante præscientiam peccati hominum, evidens est quod independenter a tali peccato ejus adventus sit decretus; atque a Deo executioni fuisset mandatus, licet homo non peccasset. *Probatur antecedens:* Christi productio decreta prius est, quam productio creaturarum: sed decretum productionis creaturarum prius fuit decreto permittendi peccatum: ergo Christus volitus est ac decretus ante permissionem, subindeque ante præscientiam peccati hominum. *Minor* constat: non enim potuit prius Deus habere decretum permittendi peccata hominum, illaque præscire, ut futura, quam habere voluntatem ipsos producendi; siquidem operatio sequitur esse, et consequenter actio peccaminosa prævisa supponit existentiam prævisam hominis peccaturi. *Major* vero probatur plurimis Scripturæ textibus, quibus Christus dicitur prima omnium creaturarum. Sic Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam;* ubi nullam prorsus creaturam excludit; quem textum Con-

cilium Sardicense in Epistola ad omnes Episcopos, circa finem, exponit de Christo; ita quod illa verba, *Ego ex ore Altissimi prodivi*, significent illius generationem æternam quatenus est Dei Filius: cætera vero designent illius generationem temporalem decretam ante quamlibet creaturam. Quod utique confirmari potest ex S. Paulo ad Coloss. 1. ubi ait: *Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia: ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens:* sed Christus non est primogenitus omnis creaturæ secundum ordinem executionis temporalis; quippe dumtaxat formatus est et natus in medio annorum: ergo est primogenitus in intentione et destinatione divina: ac proinde illius incarnatio futura præcedit decretum productionis rerum, et consequenter præcedit decretum permissionis peccati. — *Confirmatur primo* ex Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret, nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.* Quæ singula hujus oraculi verba nostram sententiam mirum in modum confirmant. Siquidem illa verba de Sapientia incarnata, nempe Christo Domino, exponunt sancti Patres, maxime S. Clemens Romanus lib. 1. *Constitutionum Apostolicarum*, cap. 20. Basilius lib. 40. *contra Eroduum*. Athanasius serm. 3. *contra Arianos*, et Nazianzenus, oratione 4. *Theologica*, Cyrillus lib. 3. *Thesauri*, cap. 1. August. lib. 1. *De Trinit.* cap. 12. Epiphanius *Hæresi*, 69. n. 24. ubi ait hanc explicationem esse sanctorum Patrum. *Nonnulli*, inquit, *orthodoxorum Patrum locum illum Salomonis de incarnatione Christi interpretati sunt, Dominus possedit me, et fundavit, estque hic demum sensus pietati consentaneus.* Favet etiam versio Septuag. qui sic hunc locum efferunt: *Dominus creavit me initio viarum suarum*, quæ certe de Sapientia increata secundum illius generationem æternam non possunt intelligi: siquidem secundum illam sui productionem, *non est factus, nec creatus, sed genitus*, inquit S. Athanasius in Symbolo. Favet etiam S. Aug. qui loco mox citato ait: *Secundum formam servi dictum est: Dominus creavit me initio viarum suarum.* Igitur ex illo oraculo constat Verbum incarnatum fuisse initio viarum Domini, idest operum Dei ad extra: sed non fuit initium in temporali rerum executione, cum post plurima jam creata fuerit incarnatum: ergo fuit initium in divina intentione, et proinde illius existentia futura prius fuit decreta, quam decerneretur productio aliarum creaturarum.

Reponunt adversarii ex S. Hieronymo epistola 136. quod melius vertatur ex Hebræo, *Dominus possedit*, quam *Dominus creavit*. Insuper plurimi e sanctis Patribus locum istum explicant de divina Sapientia increata: quibus favent sequentia hæc illius oraculi verba: *Cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore;* quæ sane intelligi non possunt nisi de re existente realiter: at Christus non extitit a principio mundi: igitur præfatum oraculum non de Sapientia incarnata, sed dumtaxat de increata debet intelligi. — **Verum respondeo**, hanc adversariorum responsionem non solvere vim præfati argumenti: primo namque quamvis melius vertatur *Dominus possedit*, quam *Dominus creavit*, nihilominus ista verba

de Sapientia divina ut incarnata necessario debent intelligi; quippe dicitur, quod ille, qui possedit illam divinam Sapientiam, sit ejus Dominus: at Verbum divinum, ut Filius Dei, dominum non agnoscit; sed tantum ut filius hominis; siquidem, ut ait S. Athanasius in Symbolo: *æqualis est Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* Nec obstat etiam, quod nonnulli Patres prætata verba explicent de Sapientia ut increata: etenim Theologi communiter docent posse interdum dari plures sensus literales unius, et ejusdem sacræ Scripturæ textus, maxime eorum, quæ de Christo Domino efferuntur: cum enim Christus habeat duas naturas in eadem Verbi persona subsistentes, divinam scilicet, et humanam, inde fit quod idem Scripturæ textus, utramque interdum naturam designet; unde quamvis aliqua prætati oraculi verba interpretentur de Christo, ut sustentante naturam divinam, nihil obstat quominus cætera veniant explicanda de ipso, ut sustentante naturam humanam.

Confirmatur ex eo, quod illa divina Sapientia *ibidem* ait: *deliciæ meæ esse cum filiis hominum;* quod si verum est de hominibus lapsis, longe magis verum videtur de hominibus reparandis.

Reponunt 2. Christum dici quidem *initium viarum Dei,* non tamen operum creationis, sed reparationis. *Insuper* si dicatur initium viarum Dei in ordine creationis, non tamen ita dicitur, secundum prioritatem intentionis, quasi prius Deus intenderit Christum producere, quam alias creaturas, sed tantum secundum prioritatem dignitatis et excellentiæ. Sic Job 40. *Behemoth dicitur principium viarum Dei.* — Verum utraque hæc expositio non solvit prætatam rationem. Non quidem *prima*, quæ omnino absurda est, et absque fundamento, necnon aperte contraria his sequentibus illius oraculi verbis: *Antequam terra fieret, ante omnes colles ego parturiebar.* Secunda pariter expositio non officit, quia Christus non tantum dicitur *initium viarum Dei,* quod equidem primitatem dignitatis designare posset; sed etiam dicitur *possessus,* ac *creatus* a Deo, hoc est decretus in initio antequam cæteræ creaturæ decernerentur.

Confirmatur secundo: Exemplar, secundum quod aliquid fit, prius intenditur ab operante, quam illud, quod ad ejus imitationem produci debet: sed Christus Dominus fuit exemplar ad cujus imitationem Deus Adamum produxit: ergo prius intendi ac decerni debuit Christi formatio, quam Adami. *Major* constat, omnis enim causa aliqua prioritate suum præcedit effectum; exemplar autem habet rationem causæ. *Minor* vero probatur ex Tertulliano, libro *De Resurrectione carnis,* ubi ponderans illa verba Genesis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram,* dicit: *Limus ille tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus.* Et S. Athanasius, sermone de sanctissima Deipara, ait: *Potius loquendum est, quod Deus fecerit hominem secundum imaginem Dei; secundum imaginem enim, et similitudinem istiusmodi Incarnationis, et acceptæ humanitatis hominem Deus fecit.*

Confirmatur denique: Ille primo intenditur in ordine creationis, propter quem omnia creata sunt et condita: sed omnia creata sunt et condita propter Christum: igitur, etc. *Major* patet; finis enim prius intenditur ab operante, quam ea quæ sunt ad et propter finem:

Minor vero probatur; tum ex supra laudato capite ad Colossenses, ubi dicitur, quod *in ipso Christo*, idest propter ipsum, *condita sunt universa*: tum ex primæ ad Cor. 3. ubi Apostolus declarat ordinem finium ad quos ordinantur creaturæ: ut scilicet creaturæ corporeæ sint propter electos, electi propter Christum, Christus autem immediate propter Deum: ait enim: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*: sed hæc illatio non esset legitima, nisi Christus prius fuisset intentus, et a Deo decretus, quam cæteræ creaturæ; sicut enim hominum creatio prius fuit intenta a Deo, quam formatio mundi propter ipsum hominem conditi, tamquam propter finem primarium, sic etiam prius intendi debuit Christi productio, quam decernerentur homines propter ipsum creandi: quod utique confirmat Apostolus ad Hebr. 2. ubi ait: *Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos Filios in gloriam adduxerat*, etc.

Prætatam rationem firmant sancti Patres, maxime S. Cyrillus lib.5. *Thesauri*, cap. 3. ubi disputans contra Arianos, ait: *Si, ut dicunt hæretici, ut nos produceret Deus, Filium produxit, erit ipse propter nos factus, non nos propter ipsum: cur ergo nobis non aget gratias, qui propter nos est? Erit etiam ipse sic gloria nostra, ut fœmina viri, non enim vir creatus est propter fœminam, sed fœmina propter virum.* Favet etiam Rupertus explicans mox laudata verba ad Heb. ubi sic ait: *Religiose dicendum, reverenterque est audiendum, quia propter istum Filium hominis, scilicet Christum, gloria et honore coronandum, Deus omnia creavit.*

Secunda probatio. — *Petita ex eo, quod Christus sit Electorum ac Prædestinatorum Primogenitus, Exemplar, et Principium morale.* — Qui est omnium Prædestinatorum et Electorum primum exemplar, et principium morale, ille prius intenditur et decernitur a Deo futurus, quam prævideatur et decernatur permissio peccati: sed talis est Christus: igitur, etc. *Major* constat, maxime in sententia Thomistarum, affirmantium Prædestinationem fieri ante prævisa merita vel demerita secundum intentionem, quamvis secundum executionem pendeat a meritis. *Minor* vero probatur: primo quidem, quod Christus fuit primogenitus, et causa exemplaris omnium prædestinatorum: id enim aperte docet sanctus Apostolus ad Romanos 8. his verbis: *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Et primo ad Ephesios: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et paulo post: *Prædestinavit nos per Jesum Christum in ipsum:* ubi particula *per* significat etiam Christum fuisse causam meritoriam et efficientem moralem nostræ prædestinationis: particula vero *in* denotat ipsum esse ejusdem prædestinationis causam finalem.

Confirmantur hæc auctoritate sanctorum Patrum: nam Irenæus lib. 3. *Contra hæreses*, cap. 11. ita ajebat: *Futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem in semetipsum fabricator omnium Verbum præformaverat, prædestinante Deo primum animalem hominem, videlicet, ut a spirituali salvaretur, cum præexisteret salvans: oportebat, et quod salvaretur, ut non vacuum sit salvans.* Nota *Legem in semetipsum præformaverat*, et legem eum præexisteret salvans, et denique primum

prædestinavit hominem animalem, ut a spirituali salvaretur, etc. Quæ omnia manifeste declarant in prædestinatione divina in gloriam ipsius Dei, Christum, ut caput morale, seu secundum dignitatem Salvatoris fuisse prædestinatum ante prædestinationem hominis; imo hunc propterea fuisse prædestinatum, ut non fuisset vacua salus, et officium Salvatoris Christi jam antecedenter præfinitum. Idem docet sanctus Cyrillus lib. 5. *Thesauri*, cap. 8. ubi ait: *Præfundatur ante omnes Christus, et in ipso nos omnes superædificamur, idque ante initium mundi in præscientia Dei; ut cum ordine divino benedictio maledictionem antecesserit, et damnationem in mortem vitæ pollutio, servitutem diaboli adoptionis libertas, et possit natura humana, superatis malis, quæ interim acciderunt, in pristinum per gratiam Christi (qui fundavit eam in bonis) dignitatem recurrere talem, quam fieri, qualem Deus ex charitate per Filium suum futuram constituit:* ergo si benedictio maledictionem antecessit, et gratia Christi fundavit naturam humanam in bonis, sequitur, quod natura humana, quæ in primo Parente fuit fundata in bonis, et habuit benedictionem, et vitam per justitiam originalem, ante maledictionem et mortem per carentiam illius, seu per peccatum originale, fuerit prædestinata per Christum, seu (ut Cyrillus loquitur) superædificata in Christo, in præscientia Dei, seu intentione Dei, et consequenter, quod Christus fuerit ante peccatum originale prædestinatus, ut moralis causa. Unde concludit Cyrillus: *Quantum igitur ad præscientiam, et consilium, et propositum Patris, et omnino Deitatis, Christus ante sæcula fundatus est, et tempore congruo natus ex Virgine; in quo reparati sumus, qui ante initium mundi salutis nostræ fundamentum ipsum habebamus.*

Reponunt Adversarii ex his dumtaxat colligi Christum fuisse primo prædestinatum, non vero, quod fuerit prædestinatus ante peccatum originale: nam, inquiunt, prædestinatio spectat ad ordinem gratiæ, peccati vero permissio ad ordinem naturæ; cum autem ordo naturæ præcedat ordinem gratiæ, consequens est, quod decretum permissionis peccati præcedat prædestinationem Christi. — **Verum contra**, Christus absolute dicitur prædestinatorum primus, et caput, ac hominum prædestinationis causa exemplaris, et efficiens moralis: igitur prædestinatus fuit ante prædestinationem Adami: sed Adamus, ex mente Thomistarum, prædestinatus est independenter a prævisione meritorum, et consequenter ante prævisum peccatum: igitur etiam Christus prædestinatus fuit ante prævisionem peccati. *Ad rationem* autem dico, quod quamquam natura præcedat gratiam ordine executionis, tamen ab illa præceditur ordine intentionis: quod enim perfectius est, prius intenditur quam imperfectius, quia ordinatur ad id quod præstantius est: sed natura minus est perfecta quam gratia, ad quam ordinatur: ergo licet ordine executionis natura præcedat gratiam, tamen ordine intentionis gratia prius intenditur a Deo quam natura; non enim repugnat subjectum esse propter formam, et tamen intentione agentis formam esse priorem subjecto; sic enim videmus formam substantialem esse priorem materia in intentione agentis materialis; et tamen in executione materia præsupponitur ad formam. Licet ergo permissio peccati spectet ad ordinem naturæ, inde non est consequens, quod prius fuerit intenta, quam destinatio ad gratiam et gloriam. *Adde,*

quod mors prædestinati pertinet ad naturam, est enim naturæ defectus: et tamen præscientia mortis illius non antecedit electionem ejusdem ad gratiam et gloriam, maxime in sententia Thomistarum, qui volunt prædestinationem fieri ante prævisa merita. Similiter peccatum crucifigentium Christum fuit revera grande peccatum, ac proinde secundum adversarios spectare debuit ad ordinem naturæ: ergo si prius fuerit intentus ordo naturæ, quam ordo gratiæ et gloriæ, sequitur quod Deus prius vidit peccatum crucifigentium Christum, quam ipsummet Christum, quod est absurdum: quia cum Christus sit subjectum, circa quod versari debebat illa actio peccaminosa, non potuit hæc præcognosci antequam præcognosceretur ejusmodi subjectum.

Tertia probatio. — *Petita ex ratione.* — Ordinate volens ea quæ ex natura sua se habent tamquam finis et media, prius debet velle finem, et ex mediis illa quæ sunt fini propinquiora, et tandem illa media quæ remotiora sunt: sed ad manifestationem bonitatis divinæ, quæ est finis intentus a Deo in productionem rerum, propinquius spectat incarnatio Verbi, et Christi glorificatio ac prædestinatio, quam prædestinatio omnium hominum, eorumque beatificatio ac justificatio; quippe incarnatio Verbi, et Christus ipse Deo propinquior est, quam omnes creaturæ: ergo cum Deus semper ordinatissime velit, prius intendit manifestationem bonitatis suæ, et immediate post voluit incarnationem Verbi, demum ordinem gratiæ, ac tandem naturæ, ad quem spectat permissio peccati; ac proinde decretum incarnationis prius fuit decreto productionis rerum, et decreto permissionis peccati. *Minor* constat: cum enim Christus sit homo-Deus, intimius ac propinquius ad Deum spectat, quam quælibet creatura, magisque ad illius gloriam confert.

Reponunt autem Adversarii, *majorem* esse veram in his mediis, quæ sunt fini propinquiora ordine causalitatis; falsam vero de iis mediis, quæ sunt propinquiora tantum ordine perfectionis. Dupliciter enim, inquiunt, potest intelligi, quod unum medium sit altero proximius fini: *Primo* quidem ratione causalitatis, quia scilicet immediate confert ad consecutionem, alia vero media non immediate, sed mediante ipso. Sic v. g. in glorificatione hominis, quæ est finis intentus a Deo prædestinante, quamvis ordine executionis vocatio prius ad illam conferat, quam justificatio; tamen ordine intentionis justificatio prius intenditur a Deo, quam vocatio, quia justificatio immediatius confert ad glorificationem, quam vocatio. *Secundo*, unum medium dicitur proximius fini, quam aliud, ratione majoris perfectionis et affinitatis cum fine: qua ratione id quod magis participat de esse divino, et de bonitate Dei, dicitur ipsi propinquius, quam illud quod minus participat. Licet autem Christus sit perfectior universo ordine gratiæ, et hac ratione Deo propinquior, tamen non est propinquior fini a Deo intento ordine causalitatis, quia Deus potuit decernere simul omnia quæ conducunt ad ipsius gloriam, sive illa sint ordinis naturæ, sive gratiæ, sive unionis hypostaticæ; potuit etiam minus perfectum medium ad perfectius ordinare, vel perfectius ordinare ad minus perfectum, cum hoc a sola Dei voluntate pendeat. Potuit igitur primo decernere permissionem peccati, et hominum redemptionem, deinde vero Incarnationem Verbi, tamquam medium posterius confe-

rens ad hominum glorificationem. — Contra *primo*, quamquam revera Deus forte absque aliqua inordinatione eligere possit, et ordinare medium minus perfectum ad consequendum finem; et postmodum id quod magis perfectum est; tamen decentius et congruentius apparet, ut medium illud immediate ordinet et intendat, quod ratione suæ perfectionis majorem habet affinitatem cum ipso fine consequendo, id enim magis decet summam illius sapientiam, et suavem rerum administrationem. *Secundo* concedunt adversarii, quod ordinate volens prius vult finem, quam ea quæ sunt ad finem: sed Christus finis est immediatus omnium creaturarum, tam ordinis naturæ, quam ordinis gratiæ: igitur prius intenditur a Deo, quam cæteræ creaturæ, cujuscumque sint ordinis. *Minor* constat ex dictis, ubi probatum est ex Apostolo 1. *Ad Cor.* 3. quod quemadmodum omnia propter prædestinatos creata sunt, ita omnia creata, et etiam ipsi prædestinati sunt propter Christum, ut est homo, tamquam propter finem, sicut et illa omnia, et ipsemet Christus sunt propter Deum, tamquam propter ultimum finem: igitur cum Deus ordinate volens, prius velit finem, quam media, necesse est, quod sicut prius intendit suæ gloriæ manifestationem, quam incarnationem Verbi, quia sua gloria est finis ultimus omnium suorum operum, ita prius intendat Christum, quam ea omnia quæ ad ipsum ordinantur. — *Tertio*, velle ordinate, nil aliud sonat, quam velle objecta amabilia, prout inter se amabilia sunt: sed objectum, quod ex se perfectius et nobilius est, etiam est amabilius: ergo ordinate volens finem, prius vult media perfectiora, quam minus perfecta: sed incarnatio Verbi præstantiori modo confert ad manifestationem gloriæ Dei, quæ ut finis intenditur in omnibus ejus operibus, quam conferat hominum redemptio et peccati permissio: igitur prius debet Deus decernere incarnationem, quam peccati permissionem. — *Denique*, peccati Adami permissio ex natura sua debet esse carentia gratiæ actualis in Adamo, sed carentia gratiæ præsupponit illius concessionem: ergo prius Adamus prævisus fuit habens gratiam, quam carens gratia: sed omnis gratia Adamo collata, sive in statu innocentiæ, sive in statu reparationis, fuit dumtaxat ei concessa intuitu meritorum Christi venturi, nullus enim effectus prædestinationis Adami fuit independens a meritis Christi; cum enim Christus sit caput omnium hominum prædestinatorum, idque mediantibus actionibus, quibus nobis promeruit beatitudinem, consequens est, quod prædestinatio Adami, et subinde omnis illius effectus sit dependens a meritis Christi: sed gratia, quam habuit Adamus, etiam in statu innocentiæ, fuit effectus prædestinationis ipsius: quia cum omnis gradus gloriæ hominis prædestinati sit effectus prædestinationis ipsius, illa gratia pertinet ad effectus prædestinationis Adami, cui correspondet aliquis gradus gloriæ, in qua modo ipse Adamus existit: sed gratia, quam habuit in statu innocentiæ, correspondet aliquis gradus gloriæ, qua nunc fruitur Adamus; quamvis enim gratia illa per peccatum subsequens fuerit deperdita, et meritum ejus mortificatum, tamen per pœnitentiam fuit ei restituta, et meritum vivificatum ad eum gradum gloriæ recipiendum, ad quem habuerat jus in statu innocentiæ.

Reponunt adversarii, falsum esse, quod gratiæ illi, quam habuit Adamus in statu innocentiæ, formaliter ut tali, correspondeat aliquis

gradus gloriæ, quem obtineat Adamus; siquidem, ajunt, illa gratia per peccatum totaliter fuit extincta; nec opera meritoria per ipsam facta retinuerunt aliquod jus ad gloriam tamquam ad præmium, sed remanserunt omnino mortua, et incapacia reviviscentiæ per pœnitentiam: in quo differunt a nostris meritis, quæ cum per peccatum lethale solum mortificentur, reviviscunt per pœnitentiam ad eosdem gradus gloriæ, ad quos speciale jus habebant. Cujus discriminis ratio est, quod destructa in nobis gratia sanctificante per peccatum mortale, remanet nihilominus adhuc unum ex principiis moralibus, et vitalibus actionum illarum, quibus antequam laberemur in peccatum, aliquid apud Deum meruimus, nempe ipse Christus, qui est causa moralis omnis nostri meriti: at vero respectu Adami adhuc innocentis, Christus nondum influebat in ejus meritum, sed ad id dumtaxat conferebat gratia ipsi collata, quæ erat principium radicale, et vitale talis meriti: igitur destructo tali principio, omne meritum, quod ab eo processerat, totaliter vitam amisit; atque adeo non fuit dumtaxat mortificatum, sed etiam omnino mortuum. — Contra *primo*, absque fundamento, et non sine erroris periculo asserunt gratiam Adamo non fuisse collatam ex meritis Christi. Siquidem Apostolus ad Ephes. 1. diserte pronunciat: *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo:* sed gratia Adamo innocenti collata fuit summa benedictio, non solum pro ipso, sed etiam pro nobis posteris, ad quos debebat illam transfundere: igitur ea fuit collata intuitu meritorum Christi. — *Deinde*, reponunt pro solutione id, quod venit in controversiam: disceptamus enim, an Christus prius decretus fuerit, quam Adamus, aut quælibet alia creatura: igitur illa responsio non videtur idonea. — *Insuper*, Mysterium Incarnationis fuit Adamo revelatum in statu innocentiæ, ut docet S. Thomas 2. q. 2. art. 7. et S. Augustinus lib 1. *De Nuptiis, et concupiscentia*, cap. 2. ubi affirmat matrimonium in statu innocentiæ fuisse signum, atque Sacramentum conjunctionis, ac unionis spiritualis Christi cum Ecclesia; quod utique probat ex illo Apostoli ad Ephes. 5. ubi cum retulisset illa verba, quæ Adamus dixerat post formatam suam uxorem: *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*, statim subdit: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Quibus Apostolus significat Adamum illa verba protulisse, non solum ut denotaret intimam unionem conjugum, sed etiam unionem Christi cum Ecclesia: igitur Adamus innocens prævidit Christum venturum. — *Denique*, falso proferunt Adversarii merita Adami per peccatum subsequens omnino fuisse mortua, siquidem idcirco nostra merita omnino non moriuntur quamdiu fideles sumus, quia per fidem semper unimur Christo capiti, et mediatori nostræ salutis: at Adamus non amisit fidem, alioquin extincta omnino tunc temporis fuisset Ecclesia: ergo eamdem cum Christo capite habere potuit unionem, etiam dum peccavit, quam modo habent peccatores, qui fidem non perdiderunt.

Quarta probatio. — *Petita ex absurdis, quæ ex adversa sententia oriuntur.* — Si Christus ob peccatum dumtaxat venisset, sequeretur ipsum esse bonum occasionatum, quod scilicet non habuisset existentiam, nisi commissum esset peccatum: at absurdum est tantum bonum, qualis est Christus, esse dumtaxat occasionaliter intentum a

Deo, cum sit per sese summe volibile et amabile, non minus ac ipsa redemptio a peccato, imo multo magis, quandoquidem secundum se sit bonum præstantius: ergo, etc.

Reponunt Adversarii 1. Non esse inconveniens, quod Christus solum decretus fuerit ex occasione peccati; quia, inquiunt, longe majus beneficium collatum est hominibus, ex eo quod incarnaretur Deus ob remedium solius peccati, quam si incarnaretur propter alia motiva in ordine ad justificationem et glorificationem, quam habuissent homines si in statu innocentiæ perseverassent, quia eo majus est beneficium aliquod, cæteris paribus, quo minus digniori confertur: at incarnatio facta ob solum remedium peccati esset beneficium factum peccatori et indigno: si autem fieret propter ea motiva, beneficium istud non conferretur indigno: ergo nihil officit quominus Incarnatio Verbi sit bonum occasionatum. — **Verum**, dico, hanc responsionem nec esse ad intentum difficultatis, nec veram doctrinam continere. Non quidem est ad intentum præsentis difficultatis, quia non quæritur utrum Verbi incarnatio esset majus beneficium, vel minus, si fieret ob solam redemptionem a peccato: sed utrum ex se sit majus bonum, quam redemptio, ita ut bonum istud non existeret nisi redemptio esset facienda. Non continet etiam veram doctrinam, quia sine dubio majus beneficium esset, quod fieret incarnatio propter justificationem et glorificationem hominum, ac etiam propter naturæ humanæ dignitatem, quam si fieret ob solam redemptionem: præstantius enim est manus dare homini ne in captivitatem veniat, et suam libertatem tueatur ac servet, quam si e vinculis eruatur.

Reponunt 2. Occasionatum sumi dupliciter: *Primo*, prout idem est, ac præter intentionem agentis, et a casu; in quo sensu fatentur incarnationem non esse bonum occasionatum, maxime respectu Dei, cum omnia divinæ ejus gubernationi subdantur: *Secundo*, dicitur bonum occasionatum, quia pendet ex aliqua occasione, licet aliunde sit intentum a Deo, et in hoc sensu concedunt incarnationem esse bonum occasionatum. — **Verum**, ex hac responsione sequitur, quod vel incarnatio secundum se esset minus bonum, quam remissio peccati, vel quod Deus ordinaret majus bonum, scilicet Christum, ad minus bonum, scilicet ad remedium peccati: sed utrumque est absurdum. Christus enim utpote Deus-homo, longe præstantius est bonum, quam omnium hominum salus: siquidem majorem Deus gloriam recipit per solum Christum, quam reciperet per omnium hominum salutem. Similiter inordinate Deus procederet si majus bonum ordinaret ad minus: quippe entia minus perfecta, secundum justam ordinationem divinæ Providentiæ, ordinantur ad præstantiora: sic elementa inserviunt viventibus, vegetantia brutis, bruta vero hominibus.

Reponunt iterum, quod inordinate quidem procederetur si majus bonum ordinaretur ad minus tanquam ad finem *qui*, vel cujus gratia aliquid fit: non vero si ordinaretur tanquam ad finem *cui*: nam Angeli in Scriptura dicuntur producti, et missi in ministerium hominum: et salus rustici dicitur finis *cui* providentiæ regiæ; quia bonum rustici resultat ex optima regis administratione. — **Contra**, si incarnatio dumtaxat decerneretur ob solam remissionem peccati, consequens esset, quod illa non foret, nisi existeret peccatum, et consequenter, quod ha-

beret dumtaxat existentiam occasione remittendi peccati, et sic secundum se et absolute ordinaretur ad peccatum : sed quod secundum se et absolute ordinatur ad aliud, ita quod habeat dumtaxat existentiam propter illam ordinationem, non ordinatur solum ad finem *cui*, sed etiam ad finem *cujus gratia*. Ergo si esset inordinata dispositio, quod majus bonum referatur ad minus, tanquam ad finem *qui*, consequens esset, quod minus recte ordinaretur incarnatio ad solam remissionem peccati. *Minor* constat : id enim dicitur ordinari ad aliud tamquam ad finem *qui*, saltem immediatum, quando dumtaxat producitur ob aliud, nec ullam haberet existentiam, si ita ad aliud non ordinaretur: sic enim creaturæ dicuntur ordinari ad gloriam Dei, tamquam ad finem *qui*, quia dumtaxat propter Dei gloriam creatæ sunt. Confirmabuntur hæ responsiones, ex sequentibus absurdis.

Secundum absurdum, quod ex adversa sententia oritur, est quod si Christus tantum decretus esset propter nostram redemptionem, sequeretur, quod Adami peccatum ei fuisset utile, quia non haberet suam existentiam, nec gratiam, et gloriam, nisi Adamus peccasset : imo gaudere posset de peccato Adami; aliquis enim merito gaudere potest de eo, sine quo non reciperet suum esse, nec suas perfectiones haberet: sed hæc consequentia omnino absurda est. Probatur *major* a simili auctoritate S. Anselmi lib. 1. *Cur Deus homo*, c. 18. ubi improbat opinionem asserentium, homines ideirco dumtaxat esse factos, et prædestinatos, ut vacuas Angelorum sedes replerent; si enim ita esset, sequeretur quod deberent sibi gratulari homines de Angelorum perditione, et ruina. Ait autem: *Si nullatenus facti sunt homines, nisi pro restauratione perditorum Angelorum, palam est, quia nisi illi Angeli ab illa beatitudine cecidissent, homines ad illam non ascenderent; si quis ergo dixerit, quia tantum lætabuntur electi homines de Angelorum perditione, quantum gaudebunt de sua assumptione, quoniam absque dubio hæc non esset nisi illa fuisset, quomodo poterunt ab hac perversa gratulatione defendi?* At idem dicendum esset de Christo, si dumtaxat decretus esset venturus pro reparandis hominibus perditis.

Reponunt Adversarii, falsum esse, quod Christus gauderet de hominum ruina, sed dumtaxat gauderet de bonitate, et misericordia Dei, quæ tantum bonum ex tanto malo tamquam ex occasione produxit: neque enim, inquiunt, nos dedimus occasionem essendi Christo per se, et ex intentione nostra, sed solum per accidens, et ex intentione Dei, qui ex peccato Adami tamquam ex occasione incarnationem Verbi divini decernere voluit. *Ad auctoritatem* S. Anselmi negant esse paritatem; quia, inquiunt, propterea homines deberent gaudere de ruina Angelorum, si ad eorum sedes implendas ordinarentur, quia, supposito lapsu Angelico, prædestinarentur homines absque novo beneficio, ut supponit Anselmus in eorum sententia quos impugnat: illi enim dicebant Deum elegisse ad gloriam certum numerum Angelorum ea conditione, ut si deficerent aliqui, tot assumerentur ex hominibus, et ideo vi illius pacti, sine novo beneficio prædestinarentur; et propterea deberent gaudere de lapsu, ex quo sine novo beneficio sequeretur eorum prædestinatio: at incarnatio Christi non procedebat ex lapsu hominum, absque particulari beneficio; unde non deberet Christus gaudere de peccato Adæ. — **Verum hæ responsiones non satisfaciunt.**

Non quidem *prima*, quamvis enim Christus gaudere deberet de misericordia Dei, ex qua principaliter, et propter se procederet ejus productio, tamen videbatur omnino sequi, quod deberet etiam gaudere de eo, sine quo Deus misericordia non esset motus ad decernendum ipsius Christi adventum, quemadmodum non esset motus ad prædestinandos tot homines, nisi ut volebant illi quos impugnat Anselmus, tot Angeli essent lapsi. *Nec etiam* satisfacit *disparitas*, quam protulerunt, inter casum propositum ab Anselmo, et nostrum, quia perinde prorsus est, quod prædestinatio hominum fiat ex lapsu sine novo beneficio, vel quod ita non fiat, ad hoc ut homines haberent ansam gaudii de Angelorum lapsu: nec enim motivum gaudii esset defectus novi decreti, seu quod non destinarentur novo decreto ad gloriam: sed motivum illius gaudii esset consecutio suæ prædestinationis, quæ fieret ex supposito Angelorum lapsu: non autem fieret, si Angeli non fuissent lapsi. Unde eorum gaudium tantum oriretur ex sua prædestinatione, quæ infallibiliter sequeretur ex Angelorum ruina. Idem autem dicendum esset de Christo D. si dumtaxat ob liberandos homines a peccato decretus ejus esset adventus.

Tertium absurdum, quod ex opposita sententia oritur, est quod si Christus dumtaxat esset decretus propter homines redimendos, sequeretur *primo*, quod ille nobis gratias deberet rependere, non nos illi. *Secundo*, quod essemus multo præstantiores, quam Christus. *Tertio*, quod necessarium fuisset peccatum, ut Christus existeret. Sed hæ tres consequentiæ absurdæ sunt, et sanctorum Patrum doctrinæ repugnantes. *Prima* quidem, quia illam S. Athanasius lib. 3. *Contra Arianos*, infert, et impugnat his verbis: *Si Deus*, inquit, *volens creatitiam naturam producere, Filium in eos usus procreavit pro vestra opinione, ut per eum nos ædificaret: animadvertite, quam audax sit impietas in vestris verbis. Primum, quia apparebit Filium propter nos, et non nos propter Filium conditos esse: non enim nos ejus causa creati fuissemus, sed ille nostri, adeo ut ipse nobis, non nos illi gratiam debeamus.* Et statim infert: *Si illud conceditur, plane sequitur, ut Pater Filium sibi noluerit, non enim volens eum creare creavit, sed, cum nos vellet salvare, nostri gratia eum instituit.* — *Secundam* consequentiam impugnat S. Cyrillus lib. 5. *Thesauri*. cap. 3. ubi ait: *Si propter nos factus est Filius, et non propter Filium nos; erimus nos multo ipso præstantiores.* Quod et confirmatur ex S. Basilio, lib. 4. *Contra Eunomium*, ubi ait: *Quod propter aliud, et non propter se factum est, vel est pars illius, propter quod factum est, vel eo minus est.* — *Tertia* tandem consequentia impugnatur auctoritate S. Aug. qui lib. 14. *De Civitate Dei*, cap. 23. negat necessarium fuisse peccatum, ut Sancti nascerentur, et fieret hominum generatio. Ait autem: *Quisquis dixit non fuisse Adam et Eram generaturos, nisi peccassent, quid dixit, nisi propter Sanctorum numerositatem necessarium hominis fuisse peccatum? si enim non peccando soli remanerent, quia sicut putant, nisi peccassent, generare non possent, profecto ut non solum duo homines justi possent esse, sed multi, necessarium peccatum fuit, quod credere absurdum est.* Igitur multo magis absurdum, quod peccatum fuerit necessarium, ut Christus hominum caput, et Sanctus Sanctorum in hunc mundum veniret. Quam utique illationem infert Rupertus his verbis: *Si teste Augustino*, inquit, *absurdum esset di-*

cere, Adamo non peccante generationes hominum non fuisse futuras, ac si propter homines, ut nascerentur peccatum fuisset necessarium, quid de isto Capite et Rege omnium Electorum Angelorum et hominum sentiendum, nisi quod, et ipse maxime omnium necessarium non habuerit peccatum, ut homo fieret ex hominibus, delicias suæ charitatis cum illis habiturus?

Solvuntur objectiones. — Objiciunt 1. Adversarii: Decretum Incarnationis, cum sit supra naturæ debitum, nonnisi per revelationem innotescere potest: sed quotiescumque Scriptura sacra, Concilia, vel SS. Patres, ex quibus colligenda est divina voluntas, de hujusmodi decreto loquuntur, non aliam ejus causam vel motivum assignant, quam liberationem a peccato, seu redemptionem hominis a servitute peccati: ergo ex vi decreti, quod Deus habuit de facto, Verbum carnem non assumpsisset, Adamo non peccante. *Majorem* ut veram supponunt: *Minorem* vero probant: *Primo*, illis omnibus sacræ Scripturæ locis, quibus præcedenti Conclusione probavimus Christum revera maxime venisse propter homines redimendos a peccato. *Secundo*, ex Conciliis, præcipue Nicæno, et ex ejus Symbolo fidei, ubi dicitur: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Tertio*, denique id confirmant plurimis SS. Patrum auctoritatibus, quarum præcipuæ sunt sancti Irenæi lib. 3. cap. 14. dicentis: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset, et si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.* S. Cyrilli Alexandrini dialogo 4. *De Trinit.*, ubi ait: *Si non peccassemus, neque factus esset nobis similis* (Filius Dei), *neque sustinuisset: et si non mortuus esset, non esset assecutus, ut adoraretur a nobis, et a Sanctis*, id est Angelis. S. Ambrosii lib. *De Incarnationis Dominicæ sacramento*, cap. 6. *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?* Augustini, ser. 8. *De Verbis Domini: Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Sancti Leonis serm. 3. *In Pentecosten: Si homo*, inquit, *ad imaginem et similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret: neque aut sempiternus temporalitatem subiret: aut æqualis Deo Patri, et Filius Dei similitudinem carnis peccati assumeret.* Gregorii Magni in 4. Reg. cap. 1. *Si Adam non peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret: non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam:* si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret. — **Respondeo cum Doctore concessa** *majore*, distinguendo *minorem:* Non aliud assignatur motivum Incarnationis, ut de facto contigit, et revera peracta est, concedo: ut esset perficienda ex hypothesi, quod nullum esset peccatum: nego. Nam constat tum ex Scriptura sacra, cum ex SS. Patribus pro nostra sententia laudatis, quod etsi non peccasset Adamus, nihilominus Christus esset venturus. Unde, si illa Scripturæ, et SS. Patrum oracula pro nostra sententia laudata, liceat adversariis interpretari, quidni etiam ab eis objectas sententias simili modo benigna interpretatione liceat explicare, ne SS. Patres, et Scripturæ oracula invicem pugnantia appareant? *Adde quod* ipsi SS. Patres nostræ explicationis fundamentum subjaciant: quippe dum negant Christum venturum si peccatum non esset, *vel* significant, quod

non esset venturus in similitudinem carnis peccati, ut constat ex S. Leone; *vel* quod non foret morti obnoxius, et aliis miseriis, quibus subjacuit, ut pro peccatoribus satisfaceret; *vel* quod non veniret ut Redemptor, Salvator, et Medicus: quo sensu S. August. serm. 90. *De verbis Apostoli*, explicans hæc verba 1. ad Timoth. 1: *Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere*, ait: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla causa est medicinæ: si venit de cælo magnus medicus, magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus: ipse ægrotus genus humanum est.*

Urgent: SS. Patres simpliciter et absque ullo addito diserte pronuntiant quod Christus non veniret, si peccatum non adesset: sed hæc locutio esset falsa, si veniret Christus non interveniente peccato in carne impassibili, nam de eo, qui venturus est in carne impassibili, verum est dicere, quod sit venturus: igitur falsum est asserere, quod non sit venturus: igitur quando sancti Patres absolute pronuntiant Christum non esse venturum, si peccatum non adesset, censent, quod nullatenus foret incarnatio, si Adamus non peccasset. — **Nego minorem**, et ad ejus probationem, nego *consequentiam*. Nam SS. Patres non dicunt simpliciter, quod nullo modo esset venturus, sed quod non veniret, in eo statu passibili et mortali, in quo apparuit; unde loquuntur de Incarnatione, prout facta est, quapropter aliqui utuntur hoc modo interrogatorio, ut Nazianzenus, et Ambrosius: *Quæ causa Incarnationis, nisi peccatores salvos facere?* qua loquendi formula significant præcipuam causam Incarnationis peractæ fuisse peccatorum salutem; non tamen negant alias esse causas Incarnationis faciendæ si nullum esset peccatum. Nec propterea eorum loquendi modus falsitatem præfert; nam aliquis dici potest non venturus, quamvis sit venturus; non quidem eo modo, quo expectabatur, sed alio: sic enim Joan. 7. Christus Dom. dixit cognatis suis: *Ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum:* et tamen Evangelista subdit: *Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto:* unde Christus D. absolute dicens, quod non esset ascensurus, intelligendus est, non publice, sed occulte.

Instant: Christus non potuit venire vi illius decreti de facto existentis, nisi in carne passibili: ergo si Adamus non peccasset, vel nullatenus venisset, vel oportuisset ipsum venire in carne passibili. *Consequentia* patet, non est enim alius modus possibilis Incarnationis nisi in carne passibili, vel impassibili. Igitur si Christus non venisset in carne impassibili, oportuisset ipsum venire in carne passibili. Probatur *antecedens:* cum primo Deus decrevit Incarnationem efficaciter, *vel* voluit Verbum incarnari in carne impassibili, *vel* in carne passibili. *vel* solum decrevit eum venturum in communi, et quoad substantiam, nihil decernendo quoad modum de statu passibilitatis, aut impassibilitatis: sed primum dici nequit, quia si Deus primo voluisset efficaciter, quod Verbum assumeret carnem impassibilem, de facto illam assumpsisset, dum fuit incarnatum, alioqui vel decretum illud non fuisset efficax, et sic Adamo non peccante non fuisset sortitum suum effectum, nec consequenter hac in hypothesi Verbum fuisset incar-

natum : vel fuisset mutatum in subsequenti signo rationis, supposita permissione et prævisione peccati, per aliud decretum, quo Deus incarnationem prius destinatam in carne impassibili, postea voluisset eam fieri in carne passibili, ut esset in remedium peccati : hoc autem dici nequit, quia id repugnat immutabilitati Dei, et perfectioni divinæ Providentiæ, quæ non est incerta et volubilis, sicut nostra, ob limitationem intellectus nostri et voluntatis. *Secundum* etiam dici non potest, quia duobus modis fingi potest Deum voluisse primo incarnationem, seu unionem hypostaticam in communi, abstrahendo a carne passibili, aut impassibili : *Primo* quidem ita ut solum in communi, et quasi in confuso decreverit assumere aliquod individuum naturæ humanæ, non determinando, an hoc, vel illud assumeret : *Secundo,* ita ut voluerit hanc humanitatem in individuo sibi hypostatice unire, non determinando tamen, an illam assumeret in carne passibili, aut impassibili : sed neuter dicendi modus est verus. Non quidem primus, quia actus efficax voluntatis divinæ terminatur ad rem in particulari, cum omnibus accidentibus, circumstantiis, et modis, cum quibus debet existere : alioqui actus ille divinæ voluntatis non fuisset efficax, quia non fuisset terminatus ad rem sub eo statu, sub quo non est ponibilis in actu : ergo Deus non voluit efficaciter Incarnationem Verbi solum in communi, et quoad substantiam, abstrahendo a carne passibili, aut impassibili. *Adde*, quod velle aliquid in communi, et postea in particulari cum omnibus accidentibus, circumstantiis, et modis, dicit imperfectionem intellectus nostri et voluntatis : ergo non potuit habere locum in Deo. — **Respondeo**, Deum primo decrevisse Incarnationem dumtaxat quantum ab substantiam, abstrahendo a statu passibilitatis, vel impassibilitatis ; quippe habuit rationes, ob quas prius determinaret substantiam Incarnationis, quam circumstantias ; nimirum, ut posset Christus Angelis, et primo parenti mereri gratiam, et alia dona, quæ ipsis collata sunt independenter a peccato : neque enim merita Christi prævisa potuissent movere Deum ad conferendam illam gratiam, nisi fuisset decreta substantia Incarnationis ante prævisum peccatum. Itaque Deus videns possibile, quod Christus posset mereri illa dona Angelis et hominibus, seu quod intuitu ipsius meriti darentur illis ista beneficia, modo decerneretur ipsius adventus ante prævisionem peccati, decrevit faciendam incarnationem absolute, nondum decernendo de modo, nec de statu impassibili, vel passibili, sumpta impassibilitate pro obnoxietate et subjectione ad mortem et miserias. Duplex enim distingui potest passibilitas : una quidem oriunda ex quatuor qualitatibus et elementis contrariis, quibus corpora constant, et hæc est intrinseca naturæ, eamque Adamus in statu innocentiæ habebat, sed ligatam per justitiam originalem, et ligni vitæ fructum, quo arcebantur ab ejus corpore omnes naturales defectus. Alia vero est passibilitas inflicta propter peccatum, quæ est ipsamet actualis subjectio ad mortem et miserias. Priorem passibilitatem habuisset Christus, etiamsi nullum fuisset peccatum, quia veniret compositus ex quatuor qualitatibus, et elementis contrariis ; sicque vi primi decreti, pariter esset passibilis ; at virtute alterius decreti veniret impassibilis secundo modo, quia non erat congruum, ut deficiente causa redemptionis peccatorum, Christus de facto morti et ærumnis subjaceret, sed præventus fuisset a Deo.

constituente illius humanitatem in statu omnino glorioso, et impassibili. *Unde* ad argumentum in forma: *nego antecedens*, et ad ejus *probationem*, dico, Deum primo suo decreto decrevisse substantiam Incarnationis, et Christum esse venturum in carne passibili, sumpta passibilitate primo modo, quatenus est quid intrinsecum naturæ humanæ, concedo: decrevit ut veniret passibilis, passibilitate sumpta secundo modo, nego: quia ex hypothesi, quod nullum fuisset peccatum, Deus altero decreto statuisset, quod ille Christi adventus fieret in carne impassibili, seu non obnoxia morti et ærumnis; sicut de facto decrevit ut veniret passibilis, decreto sequente illud, quo substantiam Incarnationis decreverat ante peccati prævisionem.

Instant iterum: Istius duplicis decreti nullum fundamentum potest afferri, et omnes Scripturæ, et SS. Patrum sententiæ de futuritione Incarnationis solum significant unicum esse decretum, tam quoad substantiam, quam quoad circumstantias ipsius Incarnationis: igitur prælata solutio nulla. — **Nego antecedens**: ex hypothesi enim, quod Verbum sit incarnandum ante prævisionem peccati, ut probavimus, necessum est, quod aliud decretum subsequatur, quo nempe determinetur ipsum esse venturum in statu impassibili, ex hypothesi quod non sit peccatum: quia decens erat, ut morti et ærumnis non subjaceret, si nullum peccatum existeret. Propterea opus esset, ut decretum de facto existens de substantia incarnationis aliud sequeretur decretum de substantia, ac modo passibilitatis; quia autem illa suppositio de non committendo peccato non fuit vera, propterea ad decretum de substantia Incarnationis necessum fuit, ut sequeretur aliud, quo statueretur Christi adventus in carne passibili. Unde recte distinguuntur in Deo duo decreta: unum de Incarnatione quoad substantiam, alterum de eadem secundum suas circumstantias: prius antecedit omnem peccati prævisionem: posterius vero illam sequitur; ita nimirum ut Deus primo voluerit mittere Filium suum in terram, tamquam ducem, caput et legislatorem generis humani; secundo præviderit peccatum originale, et alia, quæ ab ipso emanarunt: tertio decreverit eum mittere in carne passibili, ut qui Dux, caput, et legislator tantum esset, si nullum peccatum extitisset, ille idem esset noster Redemptor patiendo mortem pro nocentibus. *Confirmantur* hæc exemplo illius, qui efficaciter vellet finem aliquem, non determinando de mediis. V. g. si quis Massilia vellet ire Romam, cum non posset illuc pergere, nisi per mare, vel per terram; ille, vi istius intentionis, ex hypothesi, quod esset impedimentum eundi per mare, propter pericula, deberet resolvere profectionem per terram; non quidem vi prioris decreti præcise, sed mediante alio subsequente decreto, quo decernit ire per terram, quia non potest Romam proficisci per mare: ergo a simili, cum Deus decreverit substantiam Incarnationis independenter a circumstantiis, quia, ut probatum est, incarnatus esset Dei Filius, etiamsi nullum foret peccatum; ideo opus fuit novo decreto, quo ex prævisione peccati decerneretur Christi adventus in carne passibili.

Subsumunt: Si opus sit novo decreto, ut decernatur Christi adventus in carne passibili, consequens est, quod non veniret Christus ex vi præsentis decreti, quo prædestinata est ejus Incarnatio quoad

substantiam : et consequenter, si Adamus non peccasset, Christus non esset venturus vi præsentis decreti, ut affirmabat Conclusio. — **Nego subsumptum** : quamvis enim Christus non veniret ut passibilis ex vi præsentis decreti, quo destinata est ejus passibilitas, quia deficiente peccato, tale decretum non esset : tamen veniret ex vi præsentis decreti, quo prædestinata est ejus incarnatio quoad substantiam ; non quidem præcise, et absque alio decreto, sed mediante decreto de ejus adventu futuro in carne impassibili. Sicut enim v. g. ille, qui pergeret Romam, diceretur illuc ire per terram, vi prioris decreti, quatenus ad prius decretum necessario sequebatur aliud de eundo per terram, ex hypothesi, quod esset impedimentum eundi per mare, et vice versa : sic cum Deus de facto decreverit substantiam Incarnationis independenter a circumstantiis, et illud decretum non magis determinaverit ad statuendam Incarnationem futuram in carne passibili, ex hypothesi quod foret peccatum, quam determinaverit ut foret in carne impassibili, si nullum foret peccatum, revera dici potest, quod vi illius decreti de substantia Incarnationis deerneretur circumstantia impassibilitatis, ex hypothesi, quod nullum foret peccatum : et sic Christus esset venturus in carne impassibili virtute illius prioris decreti, quia postremum decretum necessario subsecutum fuisset ad decretum de substantia Incarnationis.

Objiciunt 2. Omnia merita Christi Domini sunt merita Redemptoris, et consequenter supponunt captivitatem per peccatum contractam, a qua nos redimat : sed in casu, quod primus homo non peccaret, non foret talis captivitas : siquidem natura integra permansisset in eo statu, in quo fuerat condita : igitur in eo casu Christus non fuisset venturus. — **Distinguo majorem** : sunt merita Redemptoris, vel præservativi, vel sublevativi, concedo ; sublevativi tantum, nego. Duplex est enim officium Redemptoris: aliud quo præservat ne quis captivitatem incurrat : aliud quo ab ipsa captivitate redimit et sublevat. Primum exercuisset Christus, si venisset in carne impassibili : postremum autem exercuit, dum de facto venit in carne passibili.

Objiciunt 3. Incarnatio est quædam personæ divinæ humiliatio, atque exinanitio, juxta illud Apostoli ad Philipp. 2. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens :* quæ exinanitio non tantum contingit per mortem et passionem, sed maxime eo ipso, quo naturam humanam Dei Filius assumpsit : nam homo ex conditione suæ naturæ servus est comparate ad Deum, quia Deus est ejus Dominus, utpote Dominus universæ creaturæ : sed Dei Filius non habuit aliam causam se sic humiliandi, quam quia Adamus indebite supra suam conditionem extolli voluit : ergo si Adamus taliter non peccasset, Dei Filius non habuisset ullam occasionem sese sic humiliandi per Incarnationem.— **Nego minorem** : nam præter expiationem peccati, aliæ plurimæ subsunt rationes Incarnationis faciendæ ; nempe ut Christus esset Ecclesiæ caput, hominum Legislator, et ut divinam suam potentiam, bonitatem, ac sapientiam commendaret, necnon ut cum hominibus conversaretur ; nam ut illa divina sapientia ait, Proverb. 8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.*

QUÆSTIO SECUNDA.

PROPTER QUOD PECCATUM EXPIANDUM CHRISTUS PRINCIPALITER VENERIT.

Notandum 1. Quod peccata, quantum ad præsens attinet, spectari possunt in quadruplici differentia: *Primum* est peccatum originale, prout in primo parente Adamo consideratur, quatenus nempe ipso peccante omnes peccavimus tamquam in capite totius humanitatis. *Secundo* considerari potest originale peccatum, prout est in quolibet nostrum, quatenus nempe eo instanti, quo simus homines, et Adæ posteri, illico ipsius reatu et peccato inficimur. *Tertium* est peccatum actuale mortale, quo quis amittit gratiam sanctificantem : quod utique peccatum potuit esse in statu innocentiæ : siquidem Adamus innocens peccavit actualiter, et peccatum istud, quod respectu nostri fuit originale, respectu Adami fuit actuale. *Quartum* denique est peccatum veniale, quo non deperditur quidem gratiæ sanctificantis habitus, sed illius splendor minuitur, et remittitur charitatis fervor.

Notandum 2. Certum esse, quod Christus Dominus in hunc mundum venerit ad delenda omnia peccata tam originalia, quam actualia, seu ad exhibendum remedium sufficiens ad omnium peccatorum expiationem. Quod utique constat apertis Scripturæ textibus; nam Isaiæ 53. *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum*. 1. Joan. 1. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato :* et cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. Et 1. *Misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Quibus concordat S. Paulus 1. ad Timoth. 1. *Venit Jesus peccatores salvos facere*. Et ad Titum. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis, ut nos mundaret ab omni iniquitate*. Hinc Patres Concilii Toletani 6. ajunt: *Solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, et nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda, a secreto Patris arcano prodiisse*. Hinc S. Ambrosius in Psalm. 35. *Bonum*, inquit, *aurum sanguis Christi, dives ad pretium, profluens ad lavandum omne peccatum*. Suffragatur etiam ratio. Cum enim finis Incarnationis sit perducere homines ad vitam æternam, ad quam nihil coinquinatum admittitur, consequens est quod non solum originalia, sed etiam actualia peccata debuerint expiari per Christum. Unde solum superest solvenda difficultas, quodnam ex his peccatis, vel originali, vel actuali, fuerit præcipuum motivum Incarnationis, ita ut illius expiatio fuerit causa cur Christus venerit, quæ si defuisset, non venisset.

Notandum 3. Omnes Doctores convenire, quod si dumtaxat peccata venialia extitissent, non opus fuisset Christum venire ut Redemptorem: tum quia Christus venit, ut nos reconciliaret Deo, veniale autem non dirimit amicitiam et unionem cum Deo: tum quia purus homo illustratus gratia sanctificante potuisset Deo debitam satisfactionem impendere pro peccato veniali ; hinc ad illius expiationem non fuisset necessarius Christi adventus. Quantum autem ad cætera peccata, non ita conveniunt auctores: triplex enim præcipua est circa hanc resolutionem illorum sententia: *Prima* est Valentiæ q. 1. puncto 5. et aliquo-

rum recentiorum asserentium. quod existente solo originali peccato, vel e contra solis existentibus actualibus, Christus D. venisset ex vi præsentis decreti. *Secunda* est Nazarii, aliorumque affirmantium, quod solo originali peccato existente. vel solis actualibus existentibus, Incarnatio, vi præsentis decreti, non fuisset futura. *Tertia* vero, quæ jam communior est in utraque schola, Angelica, et Subtili, docet Christum venturum ex vi præsentis decreti, solo existente originali peccato : non vero solis existentibus actualibus. Igitur duo maxime hic sunt determinanda: Primum quidem, quod Christus venerit principalius ad delendum peccatum originale, quam actuale. Secundum, quod ita venerit ad delendum originale peccatum, ut si dumtaxat actualia fuissent, non venisset in carne passibili, nec ut Redemptor.

Conclusio prima. — Christus D. magis præcipue venit ad delendum originale, quam actuale.

Probatur: Christus principalius venit ad delendum illud peccatum, quod est origo. et radix cæterorum ; quodque est aliis majus et perniciôsius : at peccatum originale est radix cæterorum, et aliis longe gravius est ac perniciosius : ergo, etc. *Major* constat ; quanto enim peccatum est gravius, eo magis adversatur humanæ saluti, propter quam operandam Deus factus est homo. *Minor* vero probatur : peccatum, quod ex se totam inficit naturam humanam, absolute majus est eo, quod de se solum inficit singularem personam : sed peccatum originale totam naturam humanam inficit ; actuale vero dumtaxat personam quæ illud committit : igitur istud hoc gravius est. *Minor* est certa : *Major* vero probatur : aliquid dici potest majus alio, vel intensive: sic eo major est albedo, quo intensior est, et plures habet gradus; vel extensive; sic albedo, quæ est in majori superficie dicitur esse altera major : peccatum autem originale licet non sit majus intensive peccato actuali, quia minus voluntarium est ; tamen extensive majus est, quia per illud totum humanum genus inficitur. Ergo cum principaliter venerit Christus ad delendum illud peccatum, quod magis hominum saluti adversatur, consequens est quod principalius venerit ad delendum peccatum originale.

Dices: Peccatum actuale gravius est simpliciter peccato originali tam intensive, quam extensive : ergo si Christus principalius venerit propter aliquod speciale, maxime debuit venire ad delendum peccatum actuale. *Consequentia* constat. Probatur *antecedens :* omnes enim concedunt peccatum eo esse gravius intensive, quo magis voluntarium est ; peccatum autem actuale magis voluntarium est, quam originale, quia hoc dumtaxat est voluntarium interpretative ; illud vero est voluntarium formaliter. Extensive etiam videtur non esse minus grave, quia ad tot extenditur, ad quot originale peccatum : ergo, etc. — **Respondeo,** peccatum quidem originale esse minus grave intensive, quia minus est voluntarium, quam actuale : sed, ut mox diximus, originale gravius est extensive : tum quia peccatum actuale non inficit infantes, ante usum rationis, quos tamen inquinat originale, et reos efficit: tum quia per accidens est, quod peccatum actuale se extendat ad omnes adultos, quia cum dependeat ex singulari cujuslibet hominis voluntate, per se non postulat inficere totam naturam : at peccatum

originale per se ex natura sua est universale, totam naturam inficiens; igitur principalius Christus venit ad illud expiandum.

Conclusio secunda. — Venisset Christus D. vi præsentis decreti, solo existente originali peccato: secus autem si sola extitissent actualia peccata. Hæc est communior quoad utramque partem.

Probatur prima pars: Primo ex communi modo loquendi SS. Patrum, qui conformiter ad mentem S. Pauli, Christum appellant secundum Adamum, qui venit restaurare ea omnia, quæ primus per suam perduellionem perdiderat. Unde S. Gregorius lib. 4. in *Reg.*, c. 1. *Si Adam non peccaret, Redemptorem nostrum carnem nostram suscipere non oporteret.* Hinc Ecclesia in benedictione cerei Paschalis canit: *O vere necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! o felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!* Quocirca Christus dicitur Joannis 1. *Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.* Quod exponens glossa ordinaria desumpta ex Beda, ait: *Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod est commune totius mundi.* Nec obstat, quod Vulgata habeat *peccata mundi:* nam præterquam quod Græca, et Complutensis habeant *peccatum* in singulari, et ita legant SS. Patres Irenæus lib. 3. *Contra hæreses,* cap. 11. et August. lib. 22. *Contra Faustum,* cap. 3. peccatum originale dici potest plura peccata, quia virtualiter continet omnia peccata, cum nullum sit, quod ab ipso tamquam a virulento fonte non ducat originem; quapropter David Psal. 50. vocat peccatum originale, in quo conceptus fuerat, peccata et iniquitates, ait enim: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.*

Probatur etiam ratione: Christus maxime carnem humanam induit, ut totam collapsam humanam naturam repararet: at si nullum aliud fuisset peccatum præter originale, tota natura perierat, etiamsi cætera peccata actualia abessent: ergo non minus oportuisset solo existente originali peccato, eum incarnari. *Deinde,* Christus ideo propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Cælis, ut nempe nobis clausum Cælum aperiret ac reseraret: at per peccatum originale ita singulis hominibus clausum erat Cælum, ut nullus, quamtumvis justus, posset in illud recipi, nisi prius Deo fuisset exhibita condigna satisfactio, dumtaxat per merita et Passionem Christi impendenda: ergo etsi solum fuisset originale peccatum, non minus oportuisset Christum venire, ut nobis Cælum reseraret, et Deo Patri debitam satisfactionem exolveret. *Denique,* Christus erat venturus, ut dissolveret opera diaboli, et homines ab ejus captivitate solveret: at per originale peccatum maxime homines dæmonis imperio subduntur, ejusque captivi censentur. Ergo, etc.

Dices: Totale motivum Incarnationis fuit, ut solveretur id, quod hominem revocabat a Deo; ideo namque Dei Filius homo factus est, ut homines fierent filii Dei, ejusque perpetui hæredes constituerentur: at non solum peccatum originale, sed omnia actualia homines revocabant a Deo: igitur non venit primario et principaliter propter peccatum originale. — **Distinguo majorem:** totale motivum Incarnationis fuit id, quod removebat homines a Deo præcipue et principa-

liter, ac tamquam caput, ad quod cætera removentia reducuntur, concedo: quod removet minus præcipue, et tantum secundario; nego. Et simili modo distincta *minore*, nego *consequentiam*. Certum est autem, quod cum originale peccatum sit fons, et radix cæterorum, longe magis homines arcet a Deo, quam quodlibet actuale; unde magis præcipue Christus venit ad illud delendum, quam cætera: quamquam etiam venerit consequenter ad illa auferenda. Sicque peccatum originale fuit quidem præcipuum motivum illius Christi adventus: peccata vero actualia fuerunt tantum impulsiva. Id fiet clarum hoc exemplo: Medicus aliquis decrevit amicum invisere, ut cum illo quædam negotia pertractet; ubi autem iter est agressurus audit amici sui conjugem graviter ægrotare, quo audito promptiori animo ad amicum pergit, tum ut negotia absolvat, tum ut ægram sanet: ejus autem causa motiva, cur pergat ad amicum, et sine qua non pergeret, sunt negotia pertractanda: impulsiva autem est curatio ægrotantis amici conjugis, sine qua amicum quidem conveniret, sed non pari animi promptitudine.

Secunda pars sequitur ex præcedenti; si enim peccatum originale sit primarium motivum Incarnationis; sequitur quod eo non existente Christus non esset venturus ex vi præsentis decreti; cessante enim fine primario, et principali alicujus operationis, necessum est ut etiam cesset illa operatio.

Dices: Christus venisset, etiamsi unus dumtaxat homo peccasset: ergo multo magis venisset ob delenda plurium hominum peccata, etiamsi nullum originale peccatum extitisset. *Consequentia* patet. *Antecedens* vero probatur, tum ex illo S. Pauli ad Galatas 2. ubi ait de Christo: *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*, quibus significat Christum pro singulis peccatoribus mortuum, ac proinde veniret pro quolibet peccatore moriturus, quamvis alii non peccarent: tum ex 2. cap. ad Hebræos, ubi quilibet peccator dicitur crucifigere Christum in semetipso: idest quisque peccator præbet sufficientem occasionem, ut Christus iterum crucifigatur: tum denique ex S. Chrysost. Hom. 3. in *Act. Apost.* ubi explicans illa verba, *dederunt sortes*, ait: *Unius animæ perditio tantam habet jacturam, uti nulla ratio possit æstimare: etenim si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur, etc.* — **Respondeo** negando *antecedens*, et ad omnes illius probationes, dico his solum manifestari summum Christi D. erga homines salvandos amorem, ratione cujus ita erat affectus, ut quamquam unicus esset homo peccator, tamen si Deus ita decrevisset, libentissime pro eo salvando humanam carnem indueret, et mortem pateretur. Sed inde non sequitur, quod vi præsentis decreti esset venturus in mundum, si unicus dumtaxat homo ex Adæ posteris peccasset.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE CHRISTI DOMINI ENTITATE, PRÆCELLENTIIS, ET OPERATIONIBUS.

INGENTEM fateor difficultatum sylvam ingredimur, auspicando delineationem et explicationem majestatis ac dignitatis illius adorandæ personæ in nostra humanitate subsistentis et operantis. Cum enim Christus Dominus sit Deus-homo, et æterno Patri, sicut et temporali Matri, ratione utriusque naturæ, divinæ et humanæ, perfecte consubstantialis, subindeque in se felici vimine societ ima summis, divina humanis, et æterna temporaneis: inde non mirum, si quot in Christo adorandæ ac spectandæ sunt præcellentiæ, tot infestos et impugnantes hæreticos habuerint. Alii namque illius divinitatem, nonnulli divinam operationem, aliqui verum illius corpus, plurimi humanam ab ipso assumptam animam, et genuinas humanitatis operationes negaverunt, ut videre est in appendice omnium hæresum, quam in hujus Tractatus præludio delineavimus. Ut autem omnia ista hæreticæ hydræ capita catholicæ veritatis ac doctrinæ clavo et gladio conteramus ac rescindamus, operæ pretium est, ut hac in Disputatione explicemus ea omnia, quæ utramque Christi naturam, divinam scilicet et humanam, ac genuinas utriusque præcellentias et operationes aperiamus, et probemus: quod utique præstabimus tribus in sequentibus Articulis. Quorum *Primus* Christi Domini entitatem, seu duplicem naturam divinam et humanam, explicabit. *Secundus* ipsius adorandi Salvatoris eximias dotes et præcellentias, nempe gratiam et virtutes, potentiam et miraculosam operationem, scientiam tandem ac notitiam aperiet. *Tertius* denique assumptos ab eo naturæ humanæ defectus, meritum, et passiones reserabit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CHRISTI DOMINI DIVINITATE, ET HUMANITATE.

DE duabus naturis, ex quibus unus constat adorandus Christus Salvator, dicere instituenti, mihi non multa suppetunt hoc loco, quæ de Divinitate proprie disputentur: quæ enim ad illam pertinent, ea fere omnia sunt exhausta, et explicata prioribus tomis in quo tum de Dei natura, Deique proprietatibus, sive attributis, tum de Trinitate, ac de consubstantialitate Filii cum adorando Patre late disseruimus: unde reliqua sunt perpauca, quæ ad naturam eamdem, personamque Filii spectant, quatenus ad assumptum hominem refertur. At longe amplior est dicendi locus de ipsius humanitate, propriisque illius affectionibus, facultatibus, et operationibus, necnon et de loquendi formula, qua utriusque naturæ divinæ et humanæ confœderatio explicetur; quapropter præsentem Articulum tres in Sectiones distinguemus: quarum *Prima* demonstrabit Christum, revera esse Deum, Deique Filium naturalem, non autem adoptivum, æqualem Patri, ac ipso inferiorem, ratione videlicet diversæ naturæ, quas complectitur. *Secunda* demonstrabit veram esse humanitatem a Christo Domino sumptam una cum suis facultatibus et operationibus. *Tertia* tandem certas quasdam

tradet regulas, quibus constabit qualiter, absque ullo erroris periculo, de hoc mysterio sit loquendum.

SECTIO PRIMA.

DE CHRISTI DOMINI DIVINITATE.

Christum Messiam tot vaticinatum oraculis, tot votis expetitum, verum esse Deum, non solum negarunt Judæi contendentes potius illum debere esse purum hominem, scilicet insignem Patriarcham, et Regem potentissimum, a quo instauraretur sancta civitas, ipsique Judæi pristinam in libertatem assererentur: verum etiam id aperte in dubium revocaverunt plurimi hæretici: quorum sicut et aliorum Erronum impia dogmata hisce postremis temporibus ab inferis suscitaverunt novi *Paulianistæ, et Ariani*. Dum enim a multis hæreticis acute, et obscure disceptantur Valentini Gentilis dogmata, qui oppugnandam suscipiens avitam doctrinam, et convellendam fidem de divina Trinitate, qua credimus unitatem essentiæ in Trinitate personarum, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, ita distinguit, ut etiam separet, dicens hos esse tres æternos Spiritus, ejusdem quidem naturæ, ordine tamen, gradu, et proprietate distinctos. Nonnulli hæretici harum disputationum pertæsi, opinionem a *Gentili* diversam ex Academicis *Ochini* dialogis tuendam susceperunt, nempe Verbum, quod nos æternum Dei Filium credimus, dixerunt esse creaturam, et Spiritum quemdam a Deo ante omnia creatum, cujus opera deinde in cæteris rebus creandis Deus sit usus. Superioribus autem opinionibus accessit tertia recentium discipulorum Ebionis, et Pauli Samosateni; qui auctore *Serveto*, Verbum divinum dixerunt non esse aliud, quam decretum, aut oraculum Dei, non rem subsistentem: Jesum autem Christum Salvatorem, quoad naturam esse verum hominem, qui tamen unctus Spiritu, et gratia Dei, noster Deus sit factus: nam, ut impie dicit Servetus lib. 1. *De Trinitate*, « quia divina Christi natura ex Verbi arcanis pendet, simpli-« ciori via nunc dicamus Deum posse homini Deitatis plenitudinem « communicare, dare ei divinitatem, majestatem, potestatem, et glo-« riam suam: dignus est agnus, qui occisus est, accipere divinitatem, « potentiam, sapientiam, honorem, et gloriam. Apocalypsis 5. Moyses « factus est Deus Pharaonis, Exodi 7. et Cyrus Deus Israëlis, Isaiæ 15. « multo fortius et excellentiori longe modo factus est Christus Thomæ, « et omnium nostrum Dominus et Deus. » Quibus significat, quod eodem modo, licet excellentius, divinitas sit communicata Christo quomodo creaturis quibusdam. Nec refert, quod subjiciat: « Illi erant Dii « non natura, sed temporali dono; Christus vero est naturali nativitate « Deus, naturaliter genitus de tota substantia Dei Patris. Deitas, « adoratio Dei, et visio Dei est in Christo vero Deo. Sicut Pater est « verus Deus; ita veram suam Deitatem unico Filio suo unice tribuens « efficit, ut ille sit verus Deus. » Quibus verbis hæreticus ille præclare videtur loqui de Christo, verum versutus homo suo more ludit. Nam cum neget Filium Dei extitisse antequam ex Virgine nasceretur, et in eo ex Virgine nato unam dumtaxat naturam agnoscat; non aliam tribuit Christo divinitatem naturalem, quam illud suum figmentum, quo putat Verbum Dei fuisse semen Christi, seu rorem naturalis ge-

nituræ Christi in utero Virginis, et ita carnem Christi esse de substantia Dei. — Hos autem omnes Errones Socinus horribili audacia secutus, ea nefaria omnia dogmata complexus est, et disseminavit: quæ quia agente homine inimico zizaniorum seminatore, in dies per varias Europæ plagas grassantur, lubet hic aliquanto longius Christi D. Divinitatem, divinamque ac naturalem illius generationem sequentibus in Quæstionibus, ex sacris Oraculis probare, et futiles eorum hæreticorum elusiones, ac ratiunculas retorre ac retellere.

QUÆSTIO PRIMA.

AN REVERA CHRISTUS SIT IDEM UNUS DEUS CUM PATRE, EAMDEM INDIVISIM CUM EO NATURAM DIVINAM HABEAT.

Notandum 1. Hæreticos, in quos militamus, ultro concedere, Christum Jesum ex Virgine natum Dei nomine gloriari, utpote cum augustum illud ei nomen divinæ Scripturæ sæpius et aperte tribuant: at contendunt, ei nomen istud non aliter tribui, quam creaturis quibusdam, quæ eo nomine donantur; licet excellentiori et diviniori modo illud sibi vindicet, propter ampliorem, uberiorem divinitatis communicationem, quam in ipso suæ formationis exordio, et delapsa in Virginem operatione et virtute Altissimi obtinuit. Ita quod ante illum ortum et partum, nec fuerit Deus, nec ullam Filii Dei appellationem obtinuerit. Duo itaque hic sunt probanda: Primum, quod Christus sit verus Deus: Secundum, quod ante suum e Virgine ortum extiterit.

Notandum 2. Christi divinitatem duplici via maxime innotescere; nempe, vel apertis utriusque divini Testamenti Veteris et Novi textibus et oraculis, vel ex illius mirandis operationibus in suæ divinitatis commendationem et assertionem: cum enim Deus sit veritas per essentiam, cui nec fallere, nec falli contingere possit; inde liquet, quod ab ipso promanantia oracula certam constantemque veritatem efferant, nec aliquid insolitum præter naturæ ordinem moliri potest unquam in alicujus falsitatis aut erroris patrocinium: unde si apertis oraculis testatus fuerit Christum esse verum Deum, verumque Dei Filium, similiter si omnipotentiam suam in patrandis supra naturæ vires operibus exercuerit in Christi divinitatis assertionem, nemini quantumvis rudi Christianæ veritatis poterit esse dubium, Christum verum Deum esse confitendum: igitur ex hoc duplici capite maxime colligenda est et asserenda Christi divinitas.

Notandum 3. Divinitatis nomen alicui attribui, *vel* per *delegationem:* sic Angeli, qui vice Dei apparebant SS. Patriarchis et Prophetis, nomine Dei appellantur: *Vel* per *ministerium:* sic Exodi 7. Moyses dicitur Deus Pharaonis, quia suis mirandis operibus Dei potentiam, et justitiam exercebat: *Vel* per *usurpationem:* sic dæmones a gentibus dicti sunt Dii: *Omnes enim Dii gentium dæmonia*, Psal. 95: *Vel* per *imitationem:* sic justi, et divinæ sanctitatis æmulatores interdum nomine *Dei* illustrantur in Scripturis; hinc Christus Dominus Joan. 10. ajebat: *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, etc. Vel* per *assimilationem*, et exercitium potestatis ac justitiæ; sic Psal. 81. Deus principes et judices alloquens ajebat: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini, etc.: Vel* denique per

naturam et *essentiam*, quæ propria est, ac genuina nomine Dei attributio et significatio, de qua dumtaxat futurus est sermo in præsenti.

Conclusio unica. — CHRISTUS EST VERUS DEUS, VERUSQUE ÆTERNI PATRIS FILIUS. Hæc est contra Judæos, et varios hæreticos.

Probatur primo. — *Ex oraculis Veteris Testamenti, quibus Messias verus Deus nominatur.* — **Primo** quidem ex illo Psalmi 2. ubi Deus Pater Filium alloquens, ait: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quem textum de Messia accipiendum, constantissimum erat apud Hebræos. Hinc Paulus Actor. 4. et 13. necnon et ad Hebr. 5. ut probet Christum verum esse Messiam, usurpat illa verba, quod certe non faceret, nisi Hebræos ita sentire intelligeret. Et quidem si recte verba ponderentur, præsertim versus finem Psalmi, evidens erit, Messiæ posse aptari; is enim qui dicitur Dei Filius, ait: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus.* Et quoniam hoc regnum temporale non erat, sed spirituale, statim subdit: *Prædicans præceptum ejus:* additque deinde: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu*, utique verus et naturalis, et non tantum per adoptionem vel per participationem, ut patet ex hoc singulari loquendi modo, *Filius meus es tu*, hoc est, modo nobiliori et excellentiori quam cæteri, qui tantum filii sunt per adoptionem: tu autem specialiter Filius meus es proprius et naturalis.

REPONUNT 1. NOVI ARIANI, hanc nostram interpretationem prorsus fictitiam esse, nec ullum ex vetustissimis Patribus prætata verba de æterna et divina Christi generatione fuisse interpretatum. — **Verum contra:** nam præterquam quod, ut mox dixi, id aperte colligitur ex ipsa verborum significatione, eamdem interpretationem habent SS. Patres. Nam S. Ambrosius in Epistolam ad Hebræos, exponens hæc verba S. Pauli: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rursum: *Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium*, ait: « hoc enim, absque ulla dubitatione, de incarnatione « Filii dicitur, id eo verbum futuri temporis posuit, *ero illi in Patrem*, « *et ipse erit mihi in Filium.* Quod vero dixit, *Filius meus es tu, ego* « *hodie genui te*, aperte manifestat, quod idem, de quo ait, *Ero in Pa-* « *trem*, ex ipsa essentia Patris sit genitus, ideo præsenti tempore posuit « *hodie:* quia de eo nihil præteritum aut futurum est, sed semper præ- « sentia cuncta: potest enim et secundum carnem hoc accipi dictum, « quia caro communicat altioribus, sicut et divinitas humilibus com- « municare dignata est. » — Idem habet S. Chrysostomus: *Hæc quidem*, inquit, *dicta sunt de carne*, ero ei Pater, et ipse erit mihi Filius: *quod vero dixit*, Filius meus tu es, ego hodie genui te, *nihil aliud manifestat, nisi quia ex ipsa essentia Patris est genitus.* Ipsi subscribunt S. Cyprianus lib. 2. *Contra Judæos* capit. 7. S. Cyrillus lib. 8. *Thesauri* S. Athanasius respondendo ad objectionem Arianorum, dicentium in Veteri Testamento nullam mentionem Filii Dei factam esse, quod itidem novi Ariani inculcant. Favet etiam Tertullianus lib. *Contra Praxeam*, ubi de Christo ait: *Primogenitus, et ante omnia genitus: et unigenitus, ut solus ex Deo genitus: proprie de vulva cordis ipsius: secundum quod et Pater testatur, ad quem deinceps gaudens, proprie gaudentem persona illius.* Filius meus es tu, ego hodie genui te: falsum est ergo,

quod obtrudunt novi Ariani, neminem esse ex veteribus Patribus, qui locum istum de Christi æterna generatione explicet.

Reponunt 2. Illa verba aliter ab Apostolo accipi, quam ad significandam æternam Christi generationem: nam Apostolus Act. 3. illa usurpat ad confirmandam Christi resurrectionem. *Deinde* ad Hebræos 1. ad ostendendum, quod Christus excellentius nomen sortitus fuerit, quam Angeli: et cap. 5. accommodat hæc verba ad celebrandum honorem sacerdotii Christi: igitur perverse detorquentur ad exprimendam æternam illius generationem. — **Verum respondeo** ejusdem textus variam usurpationem nihil obesse divinæ filiationi, et æternæ generationi, quam genuine significant illa verba; licet per accommodationem ad alia significanda etiam usurpari queant; etsi enim hæc vere dicantur de Christo, quoad humanam naturam, vel resurgentem, vel sacrificantem, vel glorioso nomine Jesu illustratam; tamen illa præstantia, quam habet supra Angelos, ipsi non aliunde competit, quam quia, qui homo est, simul etiam est Deus, et qui Filius Mariæ, is quoque est Filius Dei: hoc autem vere de Christo dici non posset si tantum homo esset; nam Christus ratione humanitatis non solum dicitur inferior Patre, sed etiam paulo minus ab Angelis minoratus. — In idem collineat eorumdem verborum usurpatio in quinto capite ejus Epistolæ: nam in eo capite S. Paulus aperit discrimen inter Christum Pontificem, et alios Pontifices Hebræos, quod ille præstantiori modo sit a Deo vocatus, quippe est natus ex Deo, et Filius Dei. — Nec etiam officit locus Actor. 3.; pessime namque Adversarii hunc locum interpretantur, quasi tunc Christus dumtaxat cœperit habere participatam divinitatem, cum resurrexit ex mortuis, quia, inquiunt, resurrectio est nova generatio, quod si Christus reviviscens natus est, quis illum genuit? nempe Deus, qui ab inferis illum excitavit: ideo et Paulus ad Colossenses, cap. 1. excitationem Christi, vocat primogenituram ex mortuis: et proinde per id quod dicitur, *Ego hodie genui te*, tempus illud indicatur, quo Jesus Christus ad vitam, quam deinceps interitus nullus consequeretur, revocatus fuit; atque imperio cæli et terræ potitus est. Hoc, inquam, eorum ratiocinium omnino absurdum est: nam si Deus dicatur tantum Christum genuisse, quia ipsum excitavit ab inferis: igitur et Filius debet dici a seipso genitus; propria enim virtute a mortuis resurrexit, juxta illud: *Solvite templum hoc, et in triduo reædificabo illud.* Item: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam.* Deinde, si dumtaxat a Deo censeatur genitus in sua resurrectione; igitur falso toties se Dei Filium probavit ante suam passionem, ac mendaciter beatum prædicavit Simonem Barjonam, quod Deo dixerit: *Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* — Denique, si a resurrectione dumtaxat Filius Dei imperio cæli et terræ potitus est, quomodo potuit ante passionem mari et ventis imperare, dæmones pellere, sanare morbos, mortuos suscitare, et quod majus est, peccata condonare? Cum igitur verbum *gignendi* non nisi translate, et secundum quid de resurrectione dicatur, alia nobis resurrectione antiquior quærenda est Filii Dei generatio; quam si dixerimus eam esse, qua ex sanctissima Virgine natus est, libenter quidem fatebor Jesum Nazarenum conceptum ex Spiritu sancto, et natum ex Maria Virgine vere et proprie esse Filium Dei, et Deum verum de Deo vero; sed constantissime negabo, ejus divinam

filiationem ab ea dumtaxat temporali nativitate esse confitendam : quippe cum eam ab æterno. et ante Luciferi ortum habuerit.

Confirmatur ex Psalmo 109. ubi divinus Pater itidem Filium alloquens ait : *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te*, quem Psalmum de Christo scriptum esse non est dubium: tum quia sic eum explicat ipsemet Christus D. Matth. 22. v. 44. et Apostolus 1. ad Cor. 15. v. 24: tum quia hujus Psalmi initium, *Dixit Dominus Domino meo, etc.* non alteri, quam Christo accommodari potest. Quartus etiam versus : *Juravit Dominus, etc.* usurpatur ab Apostolo ad Hebræos. c. 1. ad confirmandum Christi sacerdotium : hanc vero partem versus 3. *Ex utero ante Luciferum genui te*, licet quidam de nativitate ex Virgine interpretentur, ut Tertullianus, alii autem de æterna generatione Filii Dei, ut Athanasius, Nyssenus, etc. tamen neutra sententia adversariis favet.

Reponunt falso scribi *ante Luciferum*, quippe cum ad litteram hic sit sensus: *Dies nativitatis tuæ ex utero auroræ est*, unde hanc interpretationem subjiciunt, tantum fore numerum discipulorum Christi, per quos vincat hostes, quanta est densitas roris matutini. — **Verum**, quamquam nonnulli Interpretes et Traductores illa verba non penitus expresserint sicut Vulgata, nihil tamen alienum ab ea versione vulgari protulerunt: nam Septuaginta Interpretes sic transtulerunt: *Ex ventre, ante Luciferum genui te*. Aquilas vero *ex illo excitatæ infantiæ tuæ tibi ros*. Symmachus: *Velut diluculo roris juventus tua*. Theodotion : *Ex utero a matutino juventutis tuæ:* juxta vero Hebræum idioma, si verbum verbo reddatur, dicendum est cum Pagnino: *Ex utero auroræ tibi ros nativitatis tuæ*, quæ verba, licet ad nativitatem ex sanctissima Virgine Matre aliqui transferant: alii vero ad eos, qui renascuntur in Christo per prædicationem Evangelii: non peccant tamen, qui idem interpretantur de nativitate Sapientiæ, quæ ante mundi fundamenta genita est; Sapientia autem Dei, Christus est: huic namque favent SS. Patres, nam Hilarius, lib. 12. *De Trinitate: Hæc*, inquit, *de illo Christo præclara vox Patris est: ex utero ante Luciferum genui te, etc.* Et S. Ambrosius, lib. 1. *De Fide*, cap. 6. ex his verbis : *Ego ante Luciferum genui te*. Filium non esse creaturam concludit, quippe cum a Deo sit genitus, non creatus. S. Epiphanius, lib. 2. tomi 2. postquam translationes varias hujus loci exposuit, subjicit: *Quo ex sermone cognoscas, quod Deus Verbum in substantia, ex Patre natura genitus est, sine principio, et sine tempore, antequam quidquam esset : non enim Luciferum solam dicit stellam, et quidem cum multa sint sidera, ut Sol, et Luna in quarta die facta, mare vero, et ligna fructus antea facta, firmamentumque terræ accedit, et cum his simul Angeli facti fuerint : nisi enim una cum cœlo, et terra Angeli quoque creati essent, non utique dixisset ad Job: quando genita fuerunt sidera, laudaverunt me omnes Angeli voce. Itaque*, ait. ante Luciferum, *quasi diceret: antequam esset quid creatum, erat semper Verbum cum Patre : per ipsum enim omnia facta, et sine ipso factum est nihil.* Ipsis præclare adstipulatur S. Augustinus, enarratione in Psalmum 109. ubi ait : « Si Deus Filium habet, numquid, et uterum? Sed sicut carnis « corpora non habet, quia nec sinum: dictum est tamen, *qui est in « sinu Patris, enarravit.* Qui est *autem* sinus, ipse est uterus, et

« sinu : et uterus pro secreto positus est. Quid est ex utero? ex se-
« creto, ex occulto, de me ipso, de substantia mea, hoc est ex utero ;
« quia generationem ejus quis enarrabit? Accipiamus ergo Patrem di-
« centem ad Filium : *Ex utero ante Luciferum genui te,* quid est ergo,
« *ante Luciferum?* Lucifer pro sideribus positus est, tamquam a parte
« totum significante Scriptura, et ex eminenti stella omnia sidera :
« sed ista sidera quomodo facta sunt? ut sint in signis, et in tem-
« poribus, et in diebus, et in annis. Si ergo et in signis, et in tem-
« poribus posita sunt sidera, et Lucifer nominatus est pro sideribus,
« quod est ante Luciferum, hoc est ante sidera, et quod est ante si-
« dera, hoc est ante tempora. Si ergo ante tempora, ab æternitate noli
« quærere quando : æternitas non habet quando : *quando,* et *aliquando*
« adverbia sunt temporis, de Patre non est natus in tempore, per quem
« facta sunt tempora. Dictum est ergo, ut dici oportuit figurate et
« prophetice, ut et uterus pro secreta substantia, et Lucifer pro tem-
« poribus poneretur ». Monendum tamen censeo etiam sanctum Augu-
stinum hunc locum interpretari de nativitate ex Virgine Matre, quod
ante illum fecerat Justinus in dialogo cum Triphone Judæo, et Tertul-
lianus, lib. 3. *Contra Marcionem.* Contra quorum sententiam multa a
beato Athanasio disputantur in oratione contra Arianos, qui acriter con-
tendit, hæc verba Psalmi de æterna generatione Verbi esse intelligenda.

Probatur similiter testimoniis Isaiæ Prophetæ, quæ tam multa sunt, ut non possint omnia sine prolixitate congeri : præcipuum autem petitur ex cap. 9. ubi describuntur characteres ac munia venturi Messiæ his verbis : *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus ejus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus, admirabilis, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis : multiplicabitur ejus imperium, et pacis ejus non erit finis ; et super solium David sedebit in æternum :* quem locum licet quidam Hebræi ad Regem Ezechiam detorqueant, facile tamen arguuntur ; quomodo enim Ezechias Princeps pacis, cum multa bella gesserit adversus Assyrios? quomodo regnum ejus sempiternum fuerit, quod paulo post a Babyloniis dissipatum est? Unde etiam Chaldaica habet hic expressum nomen Messias. *His adde,* quod ille, de quo fit sermo, dicatur *Deus,* quæ appellatio simpliciter et absolute sine ullo addito diminuente, non tribuitur nisi vero Deo, præsertim quando conjuncta est cum appellatione *fortis,* et aliis, quæ divinam majestatem sonant. — *Confirmatur* ex cap. 38. *Deus ipse veniet, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, etc.* ubi describuntur omnes illi mirandi effectus ac stupenda prodigia, quæ venturus Messias, qui Deus dicitur, erat operaturus, quæ signa nullus ante Isaiam, nec post illum, Prophetarum nullus operatus est, præter Jesum a Nazareth : unde merito Matth. 11. inquirentibus Joannis discipulis, et ab eo petentibus nomine sui præceptoris : *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? respondens Jesus, ait illis : euntes renuntiate Joanni, quæ audistis, et vidistis, cæci vident, claudi ambulant, etc.* Sermonem vero ibi esse de vero Deo, constat tum ex his verbis, *Deus ipse veniet,* tum ex præcedentibus, *ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri :* tum ex eo quod nomen Dei exprimitur nomine *Jehovah,* quod proprium est Deo. Hinc eo loco sæpe sancti Patres utuntur adversus Arianos, maxime sanctus

Athanasius, lib. *De Incarnatione Verbi,* necnon et adversus Judæos, ut Irenæus, lib. 3. cap. 22. et Cyprianus, lib. 2. *Contra Judæos,* cap. 7. — *Confirmatur* iterum ex cap. 13. ubi *De Messia,* dicitur: *in te est Deus, et non est Deus absque te: vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator.* Præmiserat autem: *hæc dicit Dominus,* quibus designat Patrem æternum loqui ad Christum, in quo est Deus, vel quia *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* hoc est substantialiter, ratione personæ divinæ; vel quia Deus Pater est in Filio, ut exponit sanctus Ambrosius, lib. 1. *De Fide,* cap. 2, juxta illud Christi oraculum: *Ego in Patre, et Pater in me est, etc.* Recte etiam dicitur Filio: *non est Deus absque te,* propter unitatem naturæ, quia nec Pater est Deus absque Filio, nec est alius Deus a Filio, ut recte exponit Nazianzenus, orat. 49. Tandem merito dicitur *Deus absconditus,* propter assumptæ humanitatis sacramentum, et *Deus Israël Salvator,* quod interpretatur *Jesus;* quem locum imitatus videtur sanctus Paulus cum dixit: *erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. His adde* id quod habet idem Propheta cap. 32. ubi cum Deum sic loquentem induxisset: *hæc dicit Dominus Deus, in Ægyptum descendit populus meus in principio,* infra subdit: *Ego ipse, qui loquebar, ipse adsum:* idem ergo Deus, qui antea per Prophetas loquebatur, quem populus Israël colebat, postea per Incarnationem apparuit: quapropter subjicit, *quam pulchri sunt super montes pedes Evangelizantis pacem, annuntiantis bona.* Quod evidentius explicat Propheta Baruch. 3. ab eis verbis: *Hic est Deus noster,* usque ad illa: *et cum hominibus conversatus est:* ubi aperte loquitur de vero Deo Israël, qui legem dedit populo suo, quem postea dicit cum hominibus conversatum, scilicet hominem factum; si enim loqueretur de alia apparitione, quæ fiebat ministerio Angelorum in corporibus assumptis, vel per solam imaginariam, aut sensibilem repræsentationem, non diceret: *post hæc in terris visus est:* multum enim ante legem datam fuerat illo modo in terris visus, et cum Abraham, Jacob, Moyse, et aliis sanctis hominibus conversatus. Quare cum sacræ Litteræ Christum absolute, et definite *Deum,* et *Deum nostrum, Deum verum, Deum super omnia laudandum,* et *Deum Salvatorem nostrum,* et denique *Jehovam* nominent; concludendum est Christum Dominum, non nuncupatione aut adoptione vel donorum participatione, sed vere natura et substantia Deum esse.

Probatur secundo. — *Ex novo Testamento.* — Illis omnibus oraculis, quibus Christus verus Deus, verique Dei vivi Filius appellatur, quæ jam in tertio nostro tomo *De Trinitate,* probando Verbi divinitatem, explanavimus: unde solum eis immoror, quibus insinuatur Jesum Christum longe prius extitisse, quam nasceretur ex Virgine; quæ cum intelligi nequeant de humanitate, quæ tum primum extitit, cum in Virginis utero formatus est Christus D., necessum est, ut de illius divinitate accipiantur. Sic Joannis 8. loquens ipsemet Christus D. de se ait: *Antequam Abraham fieret, ego sum:* at non erat ante Abrahamum secundum carnem, quippe plurimis sæculis post ipsum sanctissimum Patriarcham extitit: igitur illa prioritas de ejus divinitate necessario est intelligenda. *Idem* probat sanctus Apostolus, cap. 1. ad Hebræos, ex illis verbis Psalmi 103: *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleo exultationis præ participibus*

tuis. Et tu in principio terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt Cæli: ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Quorum verborum hic sensus apparet, *O Deus! Deus tuus*, idest, ego pater, et Deus tuus Filium Deum unxi oleo lætitiæ; Filius enim, qui ratione nativitatis æternæ Patrem agnoscit, etiam ipsum agnovit Deum ratione generationis temporalis, qua minor est Patre secundum humanam nativitatem: unde tritum est apud Apostolum, *Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi*, quibus significat ratione humanitatis assumptæ Christum agnoscere Deum, quem ante Incarnationem dumtaxat Patrem agnoscebat. Sequitur: *præ consortibus tuis*, hoc est, fratribus, qui sunt fideles; horum enim consors factus est Filius Dei in carnis et sanguinis assumptione. Subditur: *et tu ab initio Domine terram fundasti*, quibus significat illum, qui unctus est oleo lætitiæ, fuisse una cum Patre rerum omnium artificem: duobus autem versibus sequentibus celebrat Christi æternitatem, omnia namque creata peribunt, quia mutationi, et interitui sunt obnoxia: tu vero permanens, nempe ab æterno in æternum, sine principio, et fine, quia *tu idem ipse es, et anni tui non deficient*, utpote cum sis æternus, immortalis, et incorruptibilis Deus.

Reponunt hæretici *Primo* textum illum litteraliter de Salomone intelligendum esse, et mystice solum per Apostolum Christo attribui. *Secundo*, non Deum, sed hominem dumtaxat describi; nam qui unctus est, et qui Deum, hoc est, se superiorem et majorem agnoscit, qui etiam consortes et socios regni habet, non est Deus æternus: Christus est unctus, habet Deum, et consortes: ergo non est Deus. — **Contra**, falsum est oraculum istud litteraliter intelligendum esse de Salomone, et mystice dumtaxat a S. Paulo Christo appropriari, siquidem ex ipso textu constat pleraque esse, quæ de Salomone nequeant intelligi: is enim nec ab initio terram fundavit, nec cæteris deficientibus idem ipse permanet, cum pridem vita functus fuerit. *Ad secundum* dico ibi fallaciam esse a *dicto secundum* quid, ad *dictum simpliciter:* ea enim omnia de Christo non dicuntur simpliciter, sed secundum quid, ratione videlicet officii Mediatoris et humanitatis, qua ratione et unctus est, et Deum, atque consortes habet; non vero ratione æternæ suæ Deitatis, secundum quam Filius quidem habet Patrem, non vero Deum conditorem.

Reponunt 2. De Filio non posse accipi hæc verba: *Tu, Domine, ab initio terram fundasti*, sed ipsa esse referenda ad Patrem; *primo*, quia Apostolus sibi contrariaretur, quippe qui prius dixerat Patrem creasse mundum: non ergo Filius ipse creavit. *Secundo*, quia nusquam alibi tribuitur Filio creatio. *Tertio*, quia propositum Apostoli est Christum supra alios homines et Angelos extollere; at si hic ei creationem tribueret, Creatorem creaturæ compararet, quod fatuum et ineptum esset. *Quarto*, impie tribuitur Patri, quod Filium appellet Dominum suum: igitur ista non ad Filium, sed ad Patrem ipsum sunt referenda. — **Nego antecedens**, et ad *primam probationem* dico falsum esse, quod quia Pater per Filium creavit, etiam Filius non creaverit: *Quæcumque enim Pater facit, Filius similiter facit*, ut testatur ipsemet Christus. Joannis 5. *Ad secundam* dico pariter falsum esse, quod nusquam alibi Filio tribuatur creatio, nam eodem capite testatur: *Pater*

meus usque modo operatur, et ego operor. Et Psal. 33. dicitur, quod *Verbo Domini Cœli firmati sunt. Ad tertiam* dico fatuam et ineptam prorsus esse eorum hæreticorum argumentationem: scopus enim Apostoli est Filium supra Angelos extollere, non simpliciter, sed ut Deum Dominum Angelorum: merito igitur profert testimonia Scripturæ, quibus Christum et Deum et Creatorem esse demonstret, quod Hebræi nondum sciebant. *Ad quartam* denique respondeo blasphemam esse illam hæreticorum calumniam; non enim dicitur, quod Pater Filium appellet, *Dominum suum;* sed absolute Dominum, seu Jehovam; ait enim, *Tu Jehova:* non vero, *Tu Jehova meus:* Filius autem idem est Dominus Jehova, qui Pater: merito igitur Pater Filium hoc nomine dignatur.

Confirmantur hæ omnes responsiones simul, et præfata probatio, illis omnibus ejusdem Apostoli textibus, quibus aperte profitetur per Filium Dei totam universitatem rerum conditam esse. Sic ad Coloss. 1. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt.* Et 1. ad Cor. 8. *Unus Deus Pater; ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Et ad Hebr. 1. *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit, et sæcula.* Hinc Filius ipse, qui est æterna, divinaque sapientia, merito dicit Proverbiorum 3. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio... quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* His adde, quod in historia creationis Moyses et Dei Creatoris mentionem facit, et Verbi per quod omnia Deus fecit, et Spiritus Dei, qui fovebant materiam a Deo productam: Deum enim dicentem inducit, et Deum facientem, quæ de Patre, et Sermone, seu Filio Dei Veteres interpretati sunt. In hominis præterea creatione, Deum inducit deliberantem; *Faciamus,* inquit, *hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Et rursus cap. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis:* hæc autem non ad Angelos dicta, neque enim per Angelos, quasi inferiores Deos, mundus est conditus, neque ad Angelorum similitudinem homo creatus est; neque extra Dei essentiam quærendus est, qui Deo Patri in rerum creatione adfuerit; sed Filium unicum, ac Spiritum sanctum Deus Pater alloquitur, qui omnia quæcumque Pater facit etiam ipse facit.

Confirmatur tandem, et apertissime declaratur Christi Divinitas, et individua cum Patre creandi virtus, ab amantissimo illius Discipulo, cujus testimonium, utpote firmissimum nostræ assertionis argumentum, in hujus probationis postremum locum reservavimus. Primo enim capite sui Evangelii, aperte dicit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Et versibus aliquot interpositis sequitur: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus; gloriam*

quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ, et veritatis. Quod apertum oraculum quantis artibus depravare et eludere tentaverit Satan, per veteres et novos Arianos nemo Theologorum est qui nesciat. Ut autem ejus loci varias corruptelas a veteribus hæreticis excogitatas, et a SS. Patribus expugnatas missas faciam; placet duntaxat hic referre, et refellere diabolicum illud commentum, quod novi Ariani excogitaverunt, dicentes nomine *Verbi*, aut *Sermonis* significari quidem hominem illum Jesum ex Maria natum, qui appellatur *Sermo* ratione officii sui, quod singularis præco et interpres fuerit divinæ voluntatis, qui idcirco dicitur *Caro factus*, quod abjectissima conditione, inter homines formam servi habuerit: ut autem divini præfati oraculi auctoritatem et vim elevent, dupliciter verba Evangelistæ in hunc modum interpretantur, ut videre est apud Simlerum in Antisocino.

PRIMI CAPITIS EVANGELII S. JOANNIS HÆRETICA EXPLICATIO PROPONITUR, AC REFELLITUR.

1. In principio mundi per Evangelium reformandi, cum Joannes Baptista inciperet exhortari homines ad resipiscentiam, jam tum Jesus Christus erat destinatus officio patefaciendi, et confirmandi Evangelium: sed eo tempore nondum ut legatus et internuntius Dei notus erat hominibus, sed soli Deo Patri suo; quin etiam idem ille tunc divina potestate, et auctoritate erat præditus.

1. In principio Evangelii, cum Joannes Baptista Christo viam pararet sua prædicatione, jam tum aderat Jesus Christus Sermo, atque Interpres, sive Legatus Dei, et Sermo iste, licet inter homines versaretur, soli tamen Deo notus fuit ab initio, et quasi apud Deum reconditus erat. Denique hic Sermo destinatus erat nobis Servator, princeps nostræ salutis, isque Dominus ac Deus noster erat, quamvis mundo ignotus esset.

2. Sed eo tempore soli Deo Patri suo, adhuc erat cognitus.

2. Hic, inquam, Sermo ab initio Evangelii erat apud Deum: quippe cui soli cognitus erat, imo apud quem tam familiariter versabatur, ut ex ejus sinu Evangelium paulo post nobis afferret.

3. Per illum omnia facta sunt, quæ ad mundi per Evangelium reformationem pertinent, et sine illo factum est nihil, quod ab ejus discipulis et ministris est factum.

3. Per hunc Sermonem facta sunt omnia quæcumque ad Evangelii confirmationem pertinent, et sine ejus auspicio nihil istorum factum est, quæ consequenter etiam ab Apostolis facta sunt, ita ut omnium istorum operum gloria ad ipsum solum auctorem referenda sit.

4. et 5. Ille erat primarius vitæ æternæ Præco, et tamquam summus Ecclesiæ Doctor, hominibus rerum cælestium ignaris solidam Evangelii doctrinam proponebat,

4. In hoc Dei Sermone J. C. exhibita seu proposita nobis erat vita æterna: et hæc vita, sive ejus promissio, erat vera et spiritualis lux hominum, quippe cujus noti-

vitæque sanctæ exemplo prælucebat: sed isti noluerunt ejus doctrinæ credere, vitamque imitari.

6. Fuit homo missus a Deo ad Judæos, cui erat nomen Joannes.

7. Is venit, ut palam et publice de Jesu testaretur, quod sit et Christus, hoc est, Messias et unicus mundi Servator, ut per illum omnes ei crederent.

8. Non erat is Christus, hoc est, Messias ipse, quemadmodum multi ex Judæis opinabantur, sed præcursor Christi in hunc finem a Deo missus, ut de Christo testaretur.

9. Ipse autem Jesus Nazarenus verus erat, et primarius Evangelii Doctor, qui ab eo tempore, quo in mundum venit, omnem hominem salvandum solida doctrinæ cælestis notitia, vitæque sanctimonia informat.

10. Inter homines hujus mundi versabatur, et homines per ejus Evangelium sunt reformati, et regeniti: sed et impii increduli eum non agnoverunt.

11. Ad suos populares Judæos venit, sed illi noluerunt eum pro vero Messia et Servatore mundi a Deo misso et exhibito agnoscere.

tia et certa spe mentes humanæ illustrantur.

5. Porro hæc lux in tenebrosa hominum societate hactenus clare lucet; sed filii tenebrarum (qui male agunt, et lucem oderunt) sua culpa eam minime comprehenderunt, ut qui inepti sunt ad eam percipiendam.

6. Cæterum hoc ipso tempore in Judæa celebris erat homo quidam a Deo missus, cui nomen erat Joannes.

7. Quem eo consilio in medium prodire voluit, ut tamquam fidelis testis, ac præcursor testimonium de Jesu Christo apud omnes redderet, atque ita auctorem illius spiritualis lucis, cujus ante memini, sua prædicatione omnibus commendaret, ut omnes per istius viri ministerium ad Christi fidem habendam præpararentur.

8. Non erat, inquam, hic Joannes lux cælestis, quæ totum mundum jamjam illustratura erat, sed præcursor tantum illius, idcirco missus, ut de luce illa testimonium daret.

9. Lux autem illa erat Jesus Christus, videlicet lux illa vera, et cælestis, quæ postea quam in mundum venit, et munus suum exequi cœpit, omnes omnino homines, quantum in se fuit, salutari Dei notitia, et salutis æternæ spe certissima collustravit.

10. Porro lux illa spiritualis J.C. tum in hoc mundo degebat, atque in media hominum societate versabatur, docens, et sanans omnes, prout occasio ferebat; imo mundus hic per ipsum instauratus, et quasi novus, sive alius factus est.

11. Et quod magis mirandum est, venit ad proprium populum suum, videlicet Judaicum, cui peculiariter erat promissus, et cui omnium primo viam salutis annunciavit; attamen hi sui populares

12. Quotquot autem fidem ei adhibuerunt, eis dedit potestatem, ut Filii Dei, et hæredes vitæ æternæ fierent.

13. Sed ii, qui hanc potestatem sunt adepti, non sunt judicandi esse illi omnes, qui vel ex illustri aliqua familia, aliisque hominibus naturali modo sunt geniti, vel hominum voluntate in filios adoptati: sed illi soli, qui per prædicationem Evangelii ex Deo sunt regenerati.

14. Etsi vero Jesus Nazarenus tanta, et tam divina potestate et auctoritate fuit præditus; tamen coram hominibus hujus mundi, præsertim Scribis et Pharisæis, vixit ut homo vilis, abjectus, obscurus, ærumnosus, et mortalis. At inter nos Apostolos et Discipulos suos familiariter versatus est, suamque gloriam, potestatem, et auctoritatem divinam variis ac admirandis signis, factisque, tam clare notam et testatam fecit, ut a nobis omnibus pro Unigenito et dilectissimo Dei Patris Filio cognitus fuerit, qui non tantum veram doctrinam Evangelii, et in ea immensam Dei erga genus humanum gratiam et benignitatem copiosissime et clarissime mundo patefecerit, verum etiam tandem vitam æternam, quam nomine Dei promisit omnibus in se credentibus, certissime daturus sit, etc.

eum non receperunt, sed tamquam facinorosum aliquem cruci affixerunt.

12. Interim quotquot ex Judæis simul, et Gentibus eum pro Servatore suo complexi sunt, his magnam sane dignitatem attribuit, videlicet ut olim perfecta ratione Filii Dei evadant, ideoque simillimi fiant in gloria et immortalitate.

13. His, inquam, potestatem istam dedit, qui in ipsum ex animo credunt; ejusque præcepta custodiunt, quales non sunt promiscue omnes quicumque ex sanguine parentum, sive ex libidine carnis, aut libidine viri nascuntur; sed ii tantum, qui ex Deo geniti sunt; probi videlicet, ac pii homines, qui divinæ voluntati, statim, atque ipsis patefacta fuerit, obedire parati sunt, atque ita virtute Dei ad justitiæ studium revocati sunt.

14. Hic autem Sermo Dei Jesus Nazarenus, quantisper in hoc mundo vixit, caro fuit, hoc est, miser, mortalis, atque abjectus, et quasi unus e vulgo mortalium esset, ita velut in tentorio terreni corporis, inter nos commoratus est: tamen (ut nos Apostoli) qui familiarius cum ipso versati sumus, gloriam ipsius divinam in transfiguratione, et miraculis, subinde sese profitentem clare viderimus; gloriam, inquam, ejus, velut Unigeniti, et singularis Filii Dei, quam a Patre suo acceperat; a quo videlicet et ipse genitus, atque in hunc mundum legatus fuit: atque is in omnibus dictis et factis suis abundantissimam Dei benignitatem et fidelitatem erga nos plenissime ostendit.

Novi Ariani Sermonem, aut Verbum dicunt esse Spiritum creatum ante cætera omnia conditum, et administrum Dei in creando orbe, et hunc in carne assumpta hominem factum esse. *Servetus* vero negat Verbum seu Sermonem esse rem existentem, sed rei dispositionem, seu dispensationem, qua placitum est Deo arcanum suæ voluntatis nobis revelare; additque esse vocem Dei, oraculum e caligine, nubis decretum, ideam, sicut operis futuri idea est in animo artificis; hunc Sermonem carnem factum esse, quia voce ab initio prolata, genita sit caro ista; haud secus, quam si homo verbum proferens, ex ore suo projiceret aurum aut margaritas; ita tum proprie loquendo diceretur vox ejus facta esse aurum: ita Verbum Dei potentissimum absque ullo rerum coagulo in carnis materiam transivisse. Atque hæ sunt Adversariorum Hæreticorum opiniones, tam absurdæ, portentosæ, et impiæ, ut eas Christianis hominibus indicasse et detexisse satis justa confutatio sit, ait Simlerus. — Nihilominus ad pleniorem harum blasphemiarum confutationem, dico hæc omnia hæretica commenta esse alienissima a mente sancti Evangelistæ, siquidem illa tribuunt *Sermoni*, seu *Verbo*, quæ nonnisi personæ subsistenti congruant, utpote cum ajunt Verbum in principio extitisse, Verbum fuisse Deum, nam articulus additus ostendit Verbum in hac oratione Evangelistæ esse subjectum; ut locum non habeat cavillum illorum, qui dicunt Patrem fuisse Verbum; ita ut Verbum dicatur de Deo; quomodo etiam Deus justus et fortis esse dicitur: siquidem hic *Verbum* non est attributum, sed subjectum attributi nominis *Dei*. Præterea dicitur per hoc Verbum omnes creaturas esse conditas, Verbum fuisse vitam, et lucem, et auctorem omnis vitæ et lucis in hominibus; Joannem Baptistam de eo testatum esse; ipsum venisse ad gentem sibi peculiarem et propriam, et ab ea non fuisse receptum; dedisse iis, qui eum receperunt, et in eum crediderunt, potestatem, ut fierent Filii Dei. Denique Verbum illud carnem factum, et inter homines commoratum; vidisse quoque homines ejus gloriam quasi unigeniti a Patre: quæ omnia cum non possint competere, nisi hypostasi intelligenti et operanti, evidenter probant *Verbum* illud personam esse, et etiam ante carnem assumptam extitisse; post carnem autem assumptam duabus naturis constare in unitate personæ, divina nempe, quæ propria est ipsius Verbi, et humana, quam assumpsit, dum caro factum est. — Hæc autem interpretatio non solum constantissima fuit apud omnes sanctos Patres, qui post Nicænum Concilium primum vixerunt, ut comminiscuntur hæretici, qui volunt tempore hujus famosissimi Concilii pessumdatam fuisse, ac omnino corruptam de Filio Dei et Christo fidem, sed etiam est sensus totius antiquitatis longe ante Concilium, et ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis. Nam S. Ignatius Epistola tertia loquens de Jesu Christo Patris æterni Filio, quem *Sermonem*, seu *Verbum* appellat, ait: *Verbum non a voce, sed a substantia Dei existens, non enim compositam orationis vocem significat, sed divinæ operationis genitam substantiam, quæ omnia ei, a quo missus sit, placata Patri, atque reconciliata restituat.* Irenæus, lib. 2. cap. 3. ad idem ait: *ostensum manifeste, quod in principio λογος existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper affuit generi humano. Hinc novissimis temporibus secundum præfinitum tempus a Patre,*

cultum suo plasmati passibilem hominem factum misit. Idem habet Tertullianus adversus Praxeam, Gregorius Neocæsariensis, et quotquot ante Concilium Nicænum de æterna vel temporali divini Verbi generatione scripserunt.

Reponunt hæretici, eatenus Christum appellari *Verbum* et *Deum* per quem omnia facta sunt, quatenus peculiari deputatione ad homines Dei ministerium gesserit, ut omnia recrearentur et renovarentur per mysterium reconciliationis et redemptionis; nam, inquiunt, nova creatura ubique in Novo Testamento tribuitur Christo, per quem Deus hanc executus est. — **Contra**, hæc responsio prorsus est futilis, et evanida; quippe absolute testatur Evangelista Verbum illud, de quo sermonem instituit, a principio extitisse, nempe in illo principio, de quo Moyses dixerat: *In principio Deus creavit cœlum, et terram.* Nec refert, quod ipsi opera reparationis tribuantur, quid enim obstat quominus uni et eidem duo opera, quæ se mutuo consequuntur, attribuantur? Unde merito Irenæus, lib. 4. cap. 14. ait: *Filium Dei ab initio assistere suo plasmati, et suum plasma in semetipso recapitulare:* ergo nihil officit quominus Verbum, qui una cum Patre et Spiritu sancto omnia formavit, sui imaginem per primi hominis peccatum conspurcatam, et multis præterea modis corruptam reparaverit ac restituerit per suæ Incarnationis mysterium, qua ratione licet specialiter ipsi non tribuatur creatio, tamen specialiter ipsi attribuitur hominum restauratio et reformatio, quippe cum solus ipse humanam naturam assumpserit.

Reponunt 2. Testamentum Vetus creationem uni et soli Deo Patri tribuere, sicut et Novum posteriorem creationem seu renovationem, non dicit unquam solum Deum absolvisse, sed per Christum: unde etiam nos redemptos, justificatos, Deo reconciliatos et vitæ æternæ hæredes factos, quod est opus novæ creationis a Deo per Christum factæ asserit; isto enim nihil horum factum est: igitur S. Joannes loquitur solum de reparatione ante omnia per Christum facta, hoc est, restaurata. *Confirmant* ex eo, quod Novum Testamentum dicatur initium dictorum et factorum Christi; nam Lucas Actor., cap. 1. dicit se scribere, quæ *Jesus cœpit facere, et docere usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est.* Ad eumdem quoque modum Marcus dicit se scribere initium Evangelii Jesu Christi; sic et sanctus Paulus ad Heb. 2. doctrinæ salutis cœptæ prædicari a Christo, et operum ejus summam recenset: mentirentur autem illi Apostoli si Christus sub Veteri Testamento fecisset, aut docuisset aliquid: igitur nihil præter hominum reconciliationem, et Redemptionem molitus est; et subinde Joannis verba de sola hominum reparatione et reconciliatione sunt intelligenda. *Confirmant* insuper, si Christus creasset cælum et terram, non tacuisset istud: ibi præcipue, ubi contra Judæos probat se Filium Dei esse, ex operibus sibi communibus cum Patre; ibi autem tantum operum novæ creationis meminit, in sanando, vivificando, resuscitando, judicando. Dixisset etiam, si verum hoc fuisset, Pater operabatur in creando; ita, et ego operabar: at tantum de præsentibus loquebatur dicens: *Sicut Pater meus operatur, ita et ego operor:* igitur, etc. — **Verum contrarium aperte constat ex dictis**; nam utrumque Testamentum tam Novum quam Vetus

rerum omnium creationem Christo æterno Verbo, et Sapientiæ subsistenti tribuit. Unde non tantum per Christum redempti, justificati, et Deo reconciliati dicimur, quod est novæ creationis opus; sed etiam utrumque Testamentum ait: *Verbo Dei cœli firmati sunt: et omnia per ipsum condita sunt*, et de eo dictum est Psalmo 102. et ad Heb. 1. *Tu initio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli.* — *Ad Confirmationem* dico, Adversarios multitariam peccare in suo argumento, *primum* enim Evangelistæ loquuntur de Filio Dei non simpliciter, sed ut incarnato, et donato nomine *Jesu* et *Christi:* utrumque autem hoc nomen tantum habuit a sua conceptione et nativitate temporali; Jesus enim appellatus est ab officio, quia salvum facturus erat populum suum a peccatis eorum: Christus similiter dictus est ab unctione, quam ab oleo Divinitatis, et divinis charismatibus, quibus est illustratus, in humanitatis cum Verbo unione obtinuit: at hæretici, quæ de Christo secundum utramque naturam, seu de tota persona dicuntur, transferunt ad alteram naturam Verbi, ab initio existentis apud Deum: ergo verum paralogismum in suo argumento admittunt. *Deinde* Evangelistæ describunt initium Evangelii, nam *facere et docere* ad Evangelii administrationem referur: hæretici vero id referunt ad initium personæ Christi, quod certe hallucinari est. *Denique*, si Christus tantum habuerit initium, cum cœpit facere et docere, quodnam erit illius exordium? Marcus enim illud initium Evangelii Christi ab illius baptismo auspicatur, Lucas autem altius ab ipsa conceptione et nativitate suam narrationem orditur: ergo juxta hæreticorum blasphemam temeritatem, oporteret alterutrum Evangelistam mendacii reum esse. — *Ad alteram confirmationem,* nego consequi, quod si Christus creavisset cælum et terram, non tacuisset illud Judæos alloquendo: hæc enim conditionalis propositio facta est: nam, ut mysterium Filii Dei ante ejus in carnem adventum umbris quibusdam ac propheticis locutionibus involutum fuit, et ille se Veteribus sub ænigmate dumtaxat conspiciendum præbuit; ita etiam, postquam in carnem venit, non statim cælestem gloriam conspiciendam exhibuit; cum enim Filius Dei in carne se Mediatorem et Redemptorem mundo exhibuerit, divina majestate, quasi quodam velo tecta, Scripturæ nobis eos potissimum sermones, et illa facta Christi describunt, quæ ad illud officium Mediatoris spectant. Neque tamen interea Christus divinam suam naturam, et Majestatem tacuit; nam et se Deum esse, et verum Dei Filium, ante Abrahamum existentem, non solum verbis, sed et mirandis operibus plurimis testatus est. *Adde quod* sanctus Joannes diserte pronuntiat: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est:* igitur illud ipsum Verbum, quod caro factum est, est totius mundi artifex; subindeque pridem, ante suam ex beata Virgine nativitatem et conceptionem, secundum divinam naturam et personam existebat.

Reponunt, nomine *mundi* ab Evangelista significari non rerum omnium universitatem, sed homines dumtaxat, a quibus non est cognitus; quid enim hoc ad rem, Christum non esse cognitum a machina cæli? *Addunt* quod sæpe apud Joannem mundus pro hominibus accipiatur, ut cum Christus dicitur *lux mundi:* et quod *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* et quod

Christus *tollat peccata mundi*, etc. — **Respondeo**, quod etsi nomine *mundi* plerumque homines significentur, tamen ubi Joannes ait, mundus per ipsum factus est, nomine *mundi* universitatis machinam intelligit, siquidem hac locutione vult Christum commendari: at quid magni fuisset, Christum tantum hominem inter homines versatum esse, et in mundo extitisse? præclarum autem, et honorificum est Christo, quod fuerit *Emmanuel*, hoc est, nobiscum Deus, seu ut loquitur S. Paulus, *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

✻ " **Probatur tertio.** — *Ex sanctis Patribus priorum sæculorum.* — *S. Ignatius* hunc errorem, qui tunc a Cerintho disseminabatur, multis in locis suarum epistolarum confodit: sic in Epist. ad Ephesios: *Medius*, inquit, *unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, seu factus et non factus, in homine existens Deus, in morte vita æterna, et ex Maria et ex Deo primum passibilis, et tunc impassibilis Jesus Christus Dominus noster.* — Et in Epist. ad Magnesianos: *Unus Deus est, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum filium suum, qui est Verbum ipsius æternum.* — S. Polycarpus in Oratione ad Deum fusa in procinctu martyrii, quam refert Ecclesia Smyrnensis in Epistola sua encyclica: *Domine Deus meus*, inquit, *pater dilecti ac benedicti Filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam accipimus, Deus Angelorum et virtutum, benedico te.* — S. Justinus martyr, Apolog. 2: *Et horum omnium*, inquit, *Magistrorum nos habere, qui in hoc ipsum genitus et crucifixus est, Jesum Christum; eumdemque quod ipsius veri Dei filium esse edocti sumus.* Et infra: *Et Jesus Christus unus et solus proprie Filius Deo genitus, qui nimirum ratio et verbum ejus, et primogenitus et virtus est, atque de consilio et voluntate ejus instaurandi et restituendi humani generis, ergo homo factus nos ista docuit.* — Et Apolog. 2., hæc habet: *Porro filius ejus qui proprie dicitur filius, Verbum simul cum illo ante creaturas existens et nascens, quoniam primitus per eum cuncta ordinavit et ornavit.* — Et in Dialogo contra Triphonem pag. 254. demonstrat Christum *Deum et Dominum virtutum* in Scriptura sacra appellari. Et passim in toto Dialogo probat ea quæ in sacris Litteris, maxime vero in Psalmis, de summo omnium Domino ac Deo dicuntur, Christo convenire, et hunc esse, qui Abrahamo, Moysi et patriarchis apparuit, quem tamquam Deum suum adorarunt, quique eo nomine et quidem *Tetragrammaton* illic insignitur. — Tertullianus, lib. *Contra Praxeam*, cap. 13. eumdem errorem expugnat his verbis: *Itaque Deos omnino non dicam nec dominos; sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater, et Filius, Deum Patrem appellem, et Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: ex quibus Christus, qui est, inquit, Deus super omnia benedictus in æcum omne.* Et cap. 28. postquam protulit verba Apostoli ad Galatas 1. scribentis: *Paulus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem*, hæc subjungit: *Et habes tota instrumenta quæ in hunc modum pronuntiant, et duos proponunt, Deum Patrem et Dominum nostrum Jesum Christum filium Patris, et Jesum ipsum esse Christum, in altero quoque nomine Dei Filium, etc.* — S. Cyprianus, lib. 2. *Adversus Judæos ad Quirinum*, cap. 1. multis Scripturæ sacræ testimoniis probat *Christum primogenitum esse, et sa-*

pientiam Dei, per quem omnia facta sunt. Et cap. 3., quod *Christus idem sit sermo Dei.* Et cap. 6., quod *Deus Christus sit.* Et lib. de idolorum vanitate: *Hic est virtus Dei*, inquit, *hic ratio, hic sapientia ejus et gloria, hic in Virginem illabitur, carnem Spiritu Sancto cooperante induitur: Deus cum homine miscetur: hic Deus noster, hic Christus est.* — Origenes Christum non esse purum hominem diserte asserit, lib. 7. contra Celsum: *Quod si divinum quiddam*, inquit, *erat in eo homine, qui in illo intelligitur, cujusmodi erat Unigenitus Dei et primogenitus omnis creaturæ qui dicit: Ego sum veritas, et ego sum vita, et ego sum ostium etc., alia nimirum et hujus, et substantiæ ipsius ratio præter eam quæ est hominis in Jesu considerati.* — Minutius Felix in Octavio gentilibus hominem crucifixum a christianis pro Deo coli objicientibus sic respondet: *Nam quod religioni nostræ hominem noxium et crucem adscribitis, longe de vicinia veritatis erratis, qui putatis Deum credi aut meruisse noxium, aut posuisse terrenum.* Quibus affirmat Christum Deum esse, negat autem eum fuisse reum et totum terrenum. — Josephus ipse, Judæus licet religione et genere, Christi divinitati attestatur, lib. 18. *Antiquitatum judaicarum*, cap. 4. *Eodem tempore*, inquit, *fuit Jesus vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, et doctor eorum qui libenter vera suscipiunt: plurimosque tam de Judæis quam de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum a nostræ gentis principibus Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die visus, ita ut divinitus vates hoc et alia multa miranda prædixerunt et usque in hodiernum diem christianorum genus ab eo denominatum non deficit.* Nec ad validum illud ab hoste testimonium nobis auferendum dicant quidam ex hæterodoxis contextum illum non esse conformem stylo, ordini historiæ et fidei auctoris, ideoque hic videri assutum; nam præter auctoritatem antiquiorum Ecclesiæ Patrum, et præsertim Eusebii historiæ ecclesiasticæ parentis, qui magnam ipsi fidem faciunt, quisquis sincere locum illum legerit et styli consonantiam, et ordinis congruentiam advertet, quippe cum eo loci tumultus inter Judæos excitatos enarrandi mens ipsi fuit; cum autem occasione Christi Domini tota Judæa commota fuerit, non potuit non dicere aliquid de eo. Quod autem pauca dixerit, hoc ex odio Judæorum et Romanorum in Christianos provenit: si contra suam fidem locutus est, hæc juxta communem existimationem veritate victus protulit. — Proferri possent Patrum sequentium sæculorum non tam testimonia quam integra volumina, sed hæc sufficiant contra Socinianos qui trium dumtaxat priorum sæculorum Patres audiunt, et violatam a Nicæno Concilio de Trinitate et Incarnatione traditionem effutiunt

PROPONUNTUR, AC SOLVUNTUR PRÆCIPUÆ OBJECTIONES, QUAS HÆRETICI EX SCRIPTURIS OBTRUDUNT " ✳.

OBJICIUNT 1. Christus ille, qui ex Virgine Maria natus est, idem est, qui veteribus SS. Patribus ac Patriarchis fuerat promissus: at ille, qui fuerat promissus, non est verus Deus, sed tantum homo: igitur Christus non est verus Deus. *Majorem* admittunt omnes. *Minorem* probant hæretici variis Testamenti Veteris oraculis; maxime

vero ex illis verbis Genesis 3. v. 15. ubi Christus dicitur *semen mulieris*, quæ conterere debebat caput serpentis, et cap. 12. ubi Deus Abrahamo promittit, quod in ipso benedicentur universæ cognationes terræ, hoc est, in *ejus semine*, ut explicat Apostolus ad Galat. 3. *Abrahæ*, inquit, *dictæ sunt promissiones, et semini ejus. non dicit et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus.* Item ex Deuteronomii 18. ubi promittit Moyses Israëlitico populo Messiam venturum his verbis: *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus, ipsum audies:* quem Prophetam esse Christum interpretati sunt Petrus, et Stephanus, *Actor.* 1. et 7. imo ad eum locum videtur allusisse Christus cum dixit Joan. 5. *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi, de me enim ille scripsit:* ut notavit S. Cyprianus, lib. *Contra Judæos*, cap. 18. At Moyses ibidem indicat illum futurum Prophetam, non esse Deum; tum quia dicit eum sibi fore similem: tum quia subdit: *ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb quando dixisti, ultra non audiam vocem Domini Dei mei*, etc. Similiter Psalmo 102. Deus promittit David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam:* et similiter quoties Prophetæ sermonem faciunt de venturo Messia, non eum aliter quam purum hominem delineant: igitur, etc. — **Respondeo** negando *minorem*, et ad ejus *probationem* dico, præfata oracula revera quidem designare, quod venturus Messias deberet esse verus homo, non tamen negare quod itidem etiam verus Deus censeretur; non enim in promissionibus ubique stat integra descriptio personæ Messiæ, sed multa de officio ejus efferuntur, ex quibus tamen nihilominus illum esse verum Deum colligi potest, cum ea tribuantur illi, quæ ei qui homo tantum esset convenire non possunt, puta cum dicitur quod illius virtute, aut ipsius genitricis opera conteri debeat caput serpentis: quod per ipsum benedicendæ sint omnes gentes: quod regnare debeat in sæculum sæculi, etc. Quæ complectuntur liberationem ab ira Dei, et reconciliationem cum Deo, solutionem a peccato, et morte, et tyrannide Satanæ: quæ omnia infinitam efficaciam requirunt; nec subinde præstari possunt, neque expectari ab eo, qui dumtaxat homo sit. *Adde, quod* in quibusdam vaticiniis clarius Messiæ persona describitur, et titulis quibusdam ornatur, quibus longe apertius indicatur, Messiam venturum Deum-hominem fore. Sic Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel:* neque enim dici potest *Emmanuel*, nisi illa persona, quæ nata est ex Virgine, Deus quoque sit: nam Deus per Moysem et Prophetas locutus est, et miracula fecit; et tamen neque Moyses, neque Prophetæ dicti sunt *Emmanuel:* igitur oportuit eum, qui natus est ex Virgine, non solum esse verum hominem, sed et verum Deum.

Instant: Jesus Christus, qui natus est ex Virgine, fuit ab Angelo denuntiatus, et quis esset futurus: at Angelus illius nativitatis Præco, non dicit illum esse Deum æternum, imo ait Filium Dei ideo esse vocandum, non quod ex divina essentia, et divino Patre, ante sæcula sit genitus, sed sic vocatum iri, quia virtute Altissimi e Spiritu sancto concipi, et ex Maria nasci deberet. Adde quod non ait, *vocatur*, sed *vocabitur Filius Dei:* igitur tunc non erat Dei Filius, cum hæc Angelus proferret. *Deinde*, Angelus Josephum dubitantem de partu Vir-

ginis non consolatur dicendo, quod qui clausus erat Virginis utero æternus esset Dei Patris Filius ; quod sane fuisset potissimum, et valde gratum in illa perturbatione solatium : ergo ipsum talem esse Angelus non censuit. *Denique,* Evangelistæ accurate describunt factam Annuntiationem Christi, ejus Conceptionem, Nativitatem, Majoresque ; neque prætereunt tempus, menses, quibus in utero gestatus ; meminérunt etiam loci, in quo natus est, præsepis in quod reclinatus, domus in qua educatus ; narrant insuper, quæ seu puer, seu adultus gesserit, quæve ei acciderint, etc. at nullus eorum ne verbo quidem attigit illius Divinitatem, et æternam generationem de divino Patre : quod certe non tacuissent, si id verum esse existimassent : igitur Christus ille ex Maria Virgine natus non est censendus æternus Dei Filius.— **Nego has omnes consequentias** : et *ad primam rationem,* dico Angelum sufficienter designare illum, qui nasciturus erat ex Virgine, esse æternum Dei Filium, cum dixit : *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei :* nec enim illa divinæ filiationis attributio aliud significare potest, quam quod is qui nasciturus erat, verus esset Dei Filius, non solum ratione divinæ naturæ, sed etiam divinæ personæ, per quam assumpta humanitas ex Virgine nascitura subsistebat. *Nec refert,* quod dixerit *vocabitur,* non autem *vocatur Filius Dei :* Filius enim Dei in carne manifestatus est suo tempore, qui tamen ab æterno fuit Unigenitus Filius Dei ; et sic quem antea tantum fideles Veteris Testamenti obscure cernebant in carne venturum, eum jam exhibitum palam, omnes fideles Novi Testamenti Filium Dei esse prædicant. — *Ad secundam probationem* dico, quod, cum Josephus de conceptu hoc sanctissimo sollicitus fuerit, satis fuit ad ejus animum confirmandum indicare, quod Maria non concepisset ex adulterio, nec humano more ac modo, neque ex ullo viri congressu, sed ex Spiritu sancto, et virtute Altissimi dicendo: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.*— *Ad tertiam confirmationem* dico, non valere consequentiam hanc : Evangelistæ Christum hominem describunt : ergo nihil aliud de eo scribunt, quam hominem esse ; æternitatem enim illius, et veram Deitatem Evangelistæ et Apostoli prædicabant, ut ex eorum oraculis supra probatum est : igitur si hæretici amplectantur illa loca Scripturæ, quibus vera humana natura in Christo Salvatore probatur, etiam alia quæ illum Deum dicunt, et divinam gloriam, divinumque cultum ei attribuunt, reverenter accipere, et amplecti debent.

Urgent : Si essent duæ in Christo naturæ, divina et humana, debuissent Evangelistæ apertissime illas declarare, alioqui omisissent fundamentum Fidei, et Deum, Deique Filium contumelia affecissent, et omnium contentionum in Ecclesia causæ fuissent : sed nullibi duas in Christo naturas aperte fatentur : ergo non sunt duæ in Christo naturæ. — **Nego minorem** : nullus namque Evangelistarum est, qui non referat divina illa oracula, et miranda opera, quibus Christus testatus est suam Divinitatem : igitur Evangelistæ et Apostoli non omiserunt Fidei fundamentum. Neque ipsi discordiarum auctores sunt, sed homines ambitiosi, turbulenti, et qui simplicitate Apostolicæ doctrinæ contenti non sunt, dissidiorum causa semper fuerunt, et hodie quoque sunt. Fateor doctrinam de Christo Servatore Deo simul et homine, Deo hominisque Filio, ab ipsa Apostolorum ætate multos

adversarios habuisse, quorum alii Christum Deum, alii hominem esse negarunt, multi etiam, ut vel utrumque, vel alterutrum tollerent, naturas impie confuderunt : non tamen ideo conficitur, dogma ipsum falsum esse.

Objiciunt 2. Qui Mediator hominum est apud Deum Israëlis, non est ipse Deus Israëlis : sed Christus ex Virgine natus est Mediator apud Deum Israëlis : ergo non est ipse Deus Israëlis. *Major* probatur ex absurdis, quæ consequuntur, si dicamus, Deum Israëlis esse Mediatorem apud Deum : *Primo* enim, Deus statuetur seipso inferior. *Deinde*, Deus orabit seipsum. *Tertio*, pars offensa erit mediatrix apud seipsam. ✻ " Hinc Apostolus ad Timotheum 2. Christum mediatorem ab uno summo Deo distinguit, et hominem dicit : *Unus Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* — **Respondeo** cum S. Chrysostomo, Deum hic unum dici ad distinctionem idolorum, non ad exclusionem Christi. Vel cum S. Augustino, Christum uni Deo non opponi, nisi qua homo est, quod ipsa verba innuunt : *Unus Mediator homo Christus Jesus, in quantum enim homo,* inquit ille, lib. 10. *Confess.* cap. 43, *in tantum Mediator est : in quantum autem Verbum non medius qui æqualis Deo, et Deus apud Deum, et simul cum Spiritu Sancto unus Deus.* Sicut autem quia Mediator Dei hominumque est, non repugnat quod sit homo, imo taliter in loco citato appellatur; ita etiam non repugnat quod sit Deus. *Imo,* S. Joannes Chrysostomus, homil. 7. in epist. 2. S. Pauli ad Timotheum, eleganter ostendit quod Mediator utrisque eis debet societate conjungi, quorum Mediator est : *id quippe mediatoris est proprium,* inquit, *utrorumque participem fieri, quorum fuerit mediator. Quod si unum quidem societate contingat, ab alio vero fuerit separatus, mediator jam dici non potest. Nisi igitur consors sit paternæ naturæ, Mediator profecto non est : sed quemadmodum humanæ naturæ consortium accepit, quando ad homines venit : ita et a Dei substantia non abcessit, quoniam a Deo venit : nam quia duarum naturarum medius fuit, oportuit ambarum esse participem. Homo quippe purus Mediator esse numquam penitus fieret ; oportebat enim hujusmodi Mediatorem cum Deo colloqui. Deus item solus Mediator esse non posset, neque enim suscepissent eum quorum Mediator accederet.* Ergo, tantum abest ut prætatus locus Apostoli favet Ebionitis et Cerinthianis tam antiquis quam recentioribus, quin potius illos confundit atque prosternit. — *Ad primum* autem *absurdum* " ✻ dico non consequi Deum seipso inferiorem esse, eo quod sit Mediator : nam Mediator, ratione officii, inferior est, apud quem intercedit : sed non est inferior natura, cum apud homines sæpe æqualis apud æquales pro aliis intercessor fiat : ita Filius qui est unus Deus cum Patre, et in forma Dei æqualis Deo, seipsum exinanivit formam servi accipiens, et ad officium Mediatoris sese dimisit, absque ulla naturæ, potentiæ, Majestatis, et Deitatis suæ diminutione. — *Ad secundum* dico, Filium, ut Mediator est, orare Deum, maxime ut consideratur secundum naturam humanam ; nam preces, et subjectio ad humanam naturam spectant ; efficacitas autem horum a natura divina profluit, cum qua humana natura in unam personam conjuncta est. — *Ad tertium* respondeo, absurdum quidem esse, ut pars offensa sit mediatrix ubi una tantum persona est offensæ partis : at ubi plures personæ sunt, non

est inconveniens unam ex illis communi decreto se ad pacificationem, et satisfactionem offerre : sic autem actum est inter Deum et homines per ipsum Dei Filium, nec aliter certe fieri debuit aut potuit ; quis enim præter hunc Mediatorem a parte offensa missum, vel hominum vel Angelorum prodire, et apud Deum intercedere potuisset? Certe nisi pars offensa munus Mediatoris suscepisset, nusquam in gratiam cum Deo rediissemus. — His adde quæ diximus de satisfactione Christi, quod nempe potuerit etiam sibi ipsi, ut offenso facere satis.

Objiciunt 3. Is solus est unus verus Deus, quem Christus agnovit et invocavit, invocandumque docuit pro vero Deo : at Christus solum Patrem agnovit, invocandumque docuit, Matth. 11. Luc. 11. Joann. 17: ergo solus Pater est verus Deus. — **Distinguo minorem :** Christus, ut mediator secundum humanam naturam Deum Patrem invocavit, nobis quoque ordinariam precandi formulam tradidit, qua Patrem invocemus, concedo : ut Verbum divinum, et secundum naturam divinam, Patrem invocavit, nego. — *Adde quod* Christus ipse se hoc honore non spoliat, quominus ipsum quoque cum Patre invocemus ; sunt enim aperta loca Scripturæ, in quibus Christus se a nobis invocandum proponit. Sic Joannis 5. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Et Joan. 14. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio :* vult ergo se cum Patre invocari. Præterea cum Apostoli verbo et exemplo suo Christum invocare doceant, an non Christus, cujus spiritu illi locuti sunt, sibi invocationem vindicat? Adde quod cum opera Trinitatis ad extra indivisa sint, inde fit quod nomine *Patris,* quem in formula orationis a Christo traditæ invocamus, tres simul personæ comprehenduntur.

Instant : Si appellatione *Dei* Christus quoque seipsum intelligeret, etiam includeret se, mentione Dei facta : sed non includit se dum de Deo loquitur ; verum discrete de se sermonem facit, et Patrem appellat solum verum Deum ; se autem ejus legatum Joannis 3. v. 16. dicens : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, etc.* Et cap. 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Et Joan. 14. *Creditis in Deum, et in me credite :* igitur, cum se non jungat in societatem nominis *Dei,* sequitur nomen *Dei* absolute positum, solum Patrem significare. — **Respondeo,** nomen *Dei* bifariam in Scripturis accipi, nempe, vel essentialiter, vel hypostatice : seu *vel* quatenus significat essentiam communem tribus personis, *vel* quatenus significat aliquam ex divinis personis, quæ revera Deus est. Unde ad *minorem* dico, quod quoties nomen *Dei* ponitur relative, et hypostatice ad significandam personam Patris, merito Christus discernit se a Deo, hoc est a Patre, quippe est alia persona a Patre : non autem se discernit a Deo, quatenus *Dei* nomen absolute et essentialiter sumitur. *Vel aliter distinguo:* Christus quatenus Mediator Dei et hominum, se discernit a Deo, concedo : quatenus Dei Filius est, nego. Concludendum igitur cum sancto Ambrosio, lib. 3. *De Fide,* c. 2. *Ergo cum legis Deum, non separes Patrem, non separes Filium, quia divinitas Patris et Filii una eademque est ; et ideo nec ibi separes ubi legis quod beatus et solus potens ; de eo*

enim dictum est, sicut habemus, præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia: sed etiam Christus vivificat: convenit ergo Filio, et Patri Dei nomen, quando convenit et operationis effectus.

URGENT: Eatenus Christo Dei nomen tribuitur, quatenus quid unum cum Patre censetur: sed non est quid unum cum Patre ratione naturæ, sed dumtaxat ratione consensus et affectus: igitur, etc. *Probatur minor* ex Joannis cap. 17. ubi Christus Patrem precatur, ut discipuli *omnes invicem unum sint, sicut et nos unum sumus:* fideles autem non essentiæ unitate, sed animorum et voluntatum consensu, et bonorum communicatione tantum sunt unum inter se: ergo Christus non essentiæ unitate, sed consensu, et bonorum communicatione, unum est cum Patre. — **Nego minorem**: quamquam enim ibi Christus forte sermonem faciat de concordia, et proprietatum similitudine, non tamen ibi asserit nullam præterea aliam arctiorem conjunctionem, sive unitatem esse sui cum Patre, quam sit inter homines; alioqui secum ipse pugnaret: docet enim alibi, se esse Dei Filium ex Patre genitum, æqualem Patri, et eumdem, qui Pater, Deum esse. Unde consequitur propter æqualitatem, et unitatem essentiæ, Patrem et Filium eamdem concordissimam habere voluntatem, ut jam pluries probatum est.

OBJICIUNT ITERUM: Ex attributione nominis *Dei*, et divinæ generationis, non potest colligi Christum esse verum Deum, eamdemque cum Patre habere naturam: igitur, etc. *Probatur antecedens* illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Dei nomen creaturis tribuitur, ut observavimus in tertio Notabili; similiter divina generatio et filiatio tribuitur creaturis; nam Isaiæ 1. de Judæis scribitur: *Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Joannis 1. *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Et Joann. 3. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet:* igitur, etc. — **Nego antecedens**: nam, ut supra dictum est, aliter tribuitur Dei nomen Christo D. quam creaturis: ipsi namque convenit propter identitatem essentiæ cum Patre, creaturis vero dumtaxat propter vel usurpationem, vel imitationem, vel repræsentationem, vel delegationem. *Adde quod* non solum *Dei* nomen aliquod tribuitur Christo, sed illa maxime ei tribuuntur nomina, quæ verum Deum significant, ut *Jehovah, Tetragrammaton.* Similiter alia ratione Christus dicitur *Filius*, quam cæteri filii Dei; siquidem homines dicuntur *filii Dei* vel propter formationem, *vel* propter singularem Dei erga illos protectionem et affectum, *vel* propter adoptionem, quæ fit per gratiam sanctificantem: quare credentes nati sunt ex Deo per adoptionem et gratiam, et in se habent semen divini Spiritus, et participes sunt divinæ naturæ per donorum largitionem, et operationem spiritus inhabitantis: sed Christus natura est Filius Dei, et ipsa Deitas, absque initio temporis per æternam generationem, ipsi communicata est tota et indivisim, unde ipse non tantum dicitur Filius Dei, sed etiam Deus ipse.

INSTANT: Quamquam nomen *Jehovah*, et aliud simile tribuatur Christo, ex eo tamen inferri non potest Christum revera esse unum Deum cum Patre: igitur, etc. *Probant antecedens:* nam nomen hoc *Jehovah* tribuitur urbi Jerosolymæ, Ezechielis ultimo: et Moyses, cum

aram construxisset. Exodi 17. eam appellavit *Jehovah:* similiter Judicum. 7. Angelus nomen *Jehovah* sibi vindicat. — **Nego antecedens**, et ad ejus *probationem* dico, nomen *Jehovah* illis rebus attribui, non absolute, sed tantum respective ad Deum; sic enim altare a Moyse extructum est, quod *Jehovah* sit exaltatio Moysis; legimus enim in Vulgata: *Ædificavit Moyses altare, et vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea.* Similiter civitati Jerosolymitanæ tribuitur nomen Jehovah, eo quod peculiari protectione ac residentia Dei gauderet; legimus enim: *nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Quantum autem spectat ad Angelum, dico quod non tantum *Judicum* 6. sed etiam *Genesis* 32. et alibi sæpe *Jehovah* nominatur: at volunt aliqui Theologi hunc Angelum, qui *Jehovah* nominatur, non fuisse creatum Angelum, sed ipsum Dei Filium, qui tunc hominibus in sensibili specie se videndum præbebat, ut plurimi Patres docent cum Tertulliano; quod utique confirmari posset ex eo quod illi Viri sanctissimi, quibus Jehovah ille apparebat, soli vero Deo cultum debitum ei obtulerint, ut *sacrificia*, Judicum 3. *preces*, Genesis 48. *Templum*, Malachiæ 3. et Patres Angelo hoc viso Genesis 32. et Judicum 3. dixerunt se *vidisse Deum facie ad faciem.* Oseas quoque Angelum, qui cum Jacobo luctatus est, et de nomine interrogatus, illud *admirabile* esse respondit, Jehovam fuisse testatur. Ex quibus colligi potest illum Angelum, qui *Jehovæ* nomen sibi vindicabat, fuisse illum *magni consilii Angelum*, nempe Christum, qui etsi nondum incarnatus tunc fuit, tamen nihilominus mediatoris officio fungi cœpit, et figuram officii sui proposuit, ut familiarius ad fideles accederet. — Verius tamen dicendum arbitror, cum revera fuisse Angelum creatum qui sanctis Patribus apparuit: nam ait S. Paulus ad Hebræos 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus:* at, *novissime nobis locutus est in Filio:* quod certe minus verum appareret, si Filius ipse etiam antiquis Patribus fuisset locutus: igitur qui tunc loquebatur revera erat Angelus creatus: at quoniam Dei mandata ac legationem implebat, etiam et Dei nomine, ac vice loquebatur.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM CHRISTUS IN QUANTUM HOMO SIT FILIUS DEI ADOPTIVUS, AUT NATURALIS.

Conveniunt omnes Catholici Christum D. quatenus æterni Patris Verbum esse quoque verum consubstantialem ejus Filium; ita namque non solum apertis Scripturæ textibus declaratur, sed etiam sacris in Œcumenicis Conciliis definitur contra Arianos, Sabellianos, et alios hæreticos. Constat pariter quod saltem ratione suppositi divini, quo Christi humanitas subsistebat, in concreto Christus dici possit Filius Dei naturalis, ut patet ex Symbolo Apostolorum, in quo credimus *in Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Et ex Symbolo sancti Athanasii: *Est ergo fides recta, ut credamus, et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus, et homo est.* Et passim hæc veritas in Scripturis sacris exaratur: sic Joannis 1. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi*

Unigeniti a Patre, etc. Unde solum difficultas est, utrum Christus, consideratus in quantum homo, appellari possit, et revera sit Filius Dei adoptivus: homo namque filiationis Dei adoptivæ capax est, ut sacer Textus plerumque indicat: sic ad Romanos 8. *Accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater.* Et ad Galat. 4. *Ut adoptionem filiorum reciperemus: quoniam autem estis filii*, etc. Et ad Ephes. 1. *In adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum.* Quæ ut evidentius appareant,

Notandum 1. Ex Doctore in 3. d. 10. nu. 2. quod *adoptionis* nomen deductum sit a jurisperitis ad scholas Theologicas, ad declarandam illam consignationem, qua Deus per gratiam sanctificantem et superinfusam charitatem aliquos homines peculiariter seligit et destinat ad æternam hæreditatem, tamquam filios proprios et adoptivos: adoptivus enim filius ille dicitur, ait Doctor, *qui non naturaliter genitus ab aliquo, nec ex generatione naturali habet jus succedendi ei in hæreditate, et bonis illius, sed illud jus obtinet ex gratia, et pura liberalitate adoptantis:* qua ratione filia Pharaonis Moysem adoptavit in filium, Genesis 2. ratione cujus adoptionis Moyses jus habebat ad thronum, et sceptrum Ægypti, ut indicat sanctus Paulus ad Heb. cap. 11. dicens: *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans Thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Pari ratione Deus dicitur aliquos homines adoptare, quando eos acceptat ad hæreditatem vitæ æternæ, qui ex sua natura non exigerent illam hæreditatem ipsi communicari. Unde adoptio divina est *acceptatio, qua Deus homines sibi gratos acceptat ad possessionem vitæ æternæ per modum hæreditatis:* quæ adoptionis descriptio quadrat illi, quam tradit Concilium Francofordiense, circa finem, ubi ait: *Quid est adoptio nisi charitatis copulatio, qua pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet?* Quam utique descriptionem confirmat liber sacro-syllabus in eodem Concilio probatus, in quo dicitur: *Porro adoptivus dici non potest, nisi ille, qui alienus est ab eo, a quo dicitur adoptatus. Et gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio præstatur.*

Notandum 2. Quod etsi divina adoptio cum humana in aliquibus quadret, in pluribus tamen ab ea discrepat: *Primo* quidem, quia humana adoptio fit solum in supplementum sterilitatis et infœcunditatis: quippe idcirco adoptans sibi alterum in filium seligit et adsciscit, quod cupiat habere aliquem hæredem loco filii, quem natura ipsi denegat: Deus autem licet habeat filium naturalem in omnibus sibi æqualem, nihilominus propter eximiam suam charitatem, dignatur nos in filios suos conscribere, et ad hæreditatem proprio naturali Filio debitam destinare: nam, inquit Apostolus ad Romanos 8. *Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei: cohæredes autem Christi.* — *Secundum* discrimen inter utramque adoptionem, divinam et humanam, est, quod ille qui adoptat, nullo modo est principium, aut causa naturæ adoptati; imo inter homines introducta fuit adoptio, ut esset solatium sterilitatis, et defectus naturæ aliquo modo suppleretur: at vero Deus ita nos adoptat in filios, ut etiam sit principium secundum esse naturæ: tametsi ab eo eramus alieni, quantum ad donum gratiæ

et justitiæ; quare, cum Deus aliquem adoptat, dicitur adoptare eum, qui alias suus erat per creationem, non tamen per gratiam sanctitatis: et communicans ei gratiam sanctificantem, peculiari quadam ratione dicitur eum facere suum: quod præclare explicat S. Augustinus lib. 1. *De sermone Domini in monte*, cap. 46. dicens: *Adoptamur in regnum Dei, non tamquam alieni, sed tamquam ab illo facti, et creati, hoc est conditi, ut unum beneficium sit, quo nos fecit esse per omnipotentiam suam: alterum, quo adoptavit, ut cum eo tamquam filii vita æterna pro nostra participatione frueremur.* Cum enim ex solo beneficio creationis non haberemus jus ad vitam æternam et beatitudinem, quæ est hæreditas Dei, quam filiis præparavit, ex illo solo non eramus filii adoptivi: sed id obtinemus per justificationem, qua Dei filii, et ejus hæredes instituimur. — *Tertium* discrimen inter adoptionem divinam et humanam est, quod ratione humanæ adoptionis, adoptatus non succedit in hæreditate paterna, vivente adhuc patre, sed eo mortuo: in divina vero secus accidit: nam adoptatus jure filiationis semper vivente Deo potitur ejus hæreditate et beatitudine. Cujus discriminis ratio est non solum quia Deus est immortalis, homo vero morti obnoxius: sed maxime id provenit, quia homo adoptans cum suis ipse bonis indigeat, neque ea communicare posset adoptato sine sui damno, ideo illa non tradidit adoptato dum agit in vivis: cum autem Deus sit ipsa hæreditas filiorum quos adoptat, vivens seipsum illis communicat per visionem et amorem, absque ullo sui detrimento. — *Quartum* discrimen assignat Doctor, quod homo adoptat per novum velle, et absque positione ullius entitatis realis in adoptato; Deus vero adoptat sine ullo velle realiter distincto, sed per communicationem entitatis alicujus realis, nempe gratiæ sanctificantis, qua adoptatus formaliter constituitur in ratione adoptati: unde velle divinum non dicitur adoptatio proprie loquendo, sed potius ipsa gratia communicata; velle autem humanum est ipsa adoptatio.

Notandum 3. Ex Doctore *ibidem*, ad adoptionem tres conditiones desiderari: *Prima* est, quod talis adoptio sit gratuita; ita quod adoptans non necessitetur nec astringatur ulla lege ad aliquem in filium suum et hæredem adoptandum. *Secunda*, quod in adoptione interveniat mutuus consensus adoptantis et adoptati, si ille qui adoptatur in filium sit sui juris: si vero sit sub tutela paterna, aut sui actoris, necessum est, ut interveniat ipsius patris, aut actoris consensus, ut cavetur lege in *adoptionibus*, etc. *Tertia* tandem, quod persona quæ adoptatur sit extranea, hoc est, quod non habeat ex natura sua jus ad illam hæreditatem, ad quam adoptatur. Quæ tres conditiones etiam desiderantur in adoptione divina; *Primo* namque, illa fit gratuito, quippe ex sola charitate et pura misericordia dat nobis æternus Pater gratiam sanctificantem, qua Filii Dei nominamur et sumus. *Secundo*, justificatio adultorum, qui sunt sui juris, fit cum proprio eorum consensu; justificatio vero parvulorum, qui sunt sub cura et tutela Ecclesiæ, fit mediante ipsius Ecclesiæ ministerio. *Tertio* tandem, adoptatus a Deo ad æternam beatitudinem est extraneus. Attamen illa extraneitas, ut observat Doctor *numer.* 3, non ita intelligenda est, quasi debeat peccatum præcedere gratiam justificationis, alias Virgo Deipara non potuisset censeri Filia Dei adoptiva, quia numquam contraxit peccatum

ante gratiam; nec pariter Adamus potuisset dici filius adoptivus tempore suæ innocentiæ; nec denique Angeli fuissent Filii Dei adoptivi, quia semper fuerunt innocentes. Restat ergo ut talis extraneitas consistat in carentia juris naturalis ad hæreditatem, et bona adoptati.

His ita præmissis, difficultas superest determinanda, utrum Christus in *quantum homo* sit et dici possit Filius Dei adoptivus. Circa cujus resolutionem triplex est sententia: *Prima* quidem eorum, qui existimant Christum, in quantum homo est, non posse dici filium adoptivum, sive attendatur ejus persona, sive spectetur ejus natura. Ita *Suarez*, disputatione 49. et *Vazquez*, disputatione 89. qui contendit oppositam sententiam esse damnatam ut hæreticam in Concilio Francofordiensi contra Felicem et Elipandum; sed ut apprime notat Cavellus noster in *Schol.* 3. ad prætatam quæstionem Doctoris, non bene didicit Vazquez a S. Paulo illud: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Secunda* sententia est, quod licet absolute et simpliciter Christus non sit dicendus Filius adoptivus Dei, tamen talis dici possit cum hac reduplicatione, quatenus homo; quam utique sententiam docuit Durandus in 3. dist. 4. qu. 1. cui ex parte subscribere videtur Doctor loco supra laudato, ubi ait: *Quod, qui diceret filiationem esse præcise suppositi, et non secundum naturam, posset faciliter dicere Christum non esse Filium adoptivum, quia ista relatio non convenit supposito secundum se: sed dicendo filiationem fundari in natura simili naturæ generantis naturaliter, filiatio adoptiva fundabitur in natura, quæ est similis creanti, ut imago ejus similitudine naturali, et etiam similitudine gratiæ, quæ ipsa, ut natura intellectualis, potest attingere ad hæreditatem adoptantis.* Cum autem Distinctione 8 præcedenti, loquendo de filiatione naturali numero 10. dixerit, quod non sumitur in creatis a persona, sed a natura, ideo colligunt aliqui ipsum magis propendere in affirmantem sententiam, quam in negantem. *Tertia* tandem sententia est eorum qui contendunt, Christum Dominum, ut hominem, nec adoptivum, nec naturalem filium dicendum. Ita Lugo disputatione 31. et Faber disp. 23. Nos vero censemus quæstionem non esse absolute determinandam, sed dumtaxat cum distinctione et modificatione. Unde sit

Conclusio prima. — Christus, ut homo, non est absolute dicendus Filius Dei adoptivus. Hæc est communior, et

Probatur illis omnibus Scripturæ et SS. Patrum auctoritatibus, quibus Adrianus Pontifex, et Patres Concilii Francofordiensis impugnaverunt pessimam assertionem Elipandi Archiepiscopi Toletani, et Felicis Episcopi Urgelitani. Præcipua autem sunt ea, quibus Christus Dominus sæpe numero coram hominibus loquens de Patre Deo, numquam cum una nobis communi nomine interpellat, non enim dicit Pater noster, sed Pater meus; et *ascendo* (inquit Joan. 20.) *ad Patrem meum, et Patrem vestrum.* Non dixit, inquit Adrianus, *Patrem nostrum, sed Patrem* meum, *natura videlicet, et Patrem vestrum, beneficio et gratia.* Quamvis autem locus a negatione parum roboris plerumque habeat, hic tamen non parvi momenti est; cum enim toties Christus Filius Dei dicatur, cur semel, et iterum non diceretur adoptatus, si revera talis esset? Unde recte S. August. lib. *Contra Se-*

cundinum Manichæum, cap. 3. ait: *Lege*, inquit, *Scripturas, numquem invenies de Christo dictum, quod adoptione sit Filius:* quapropter Concilium Francofordiense, in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, post quoddam S. Hilarii testimonium, ait: *Tu vero quisquis es, qui Christum prædicas adoptivum, unde iste tibi sensus venisset, voluissem scire: Patriarchæ nescierunt. Tractatores hoc nomen tacuerunt, Doctores fidei nostræ non docuerunt.* — *Probat secundo* Adrianus ex illo ad Romanos 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* nam si *proprium* appellat, quomodo erit adoptivus? Hæc autem referenda esse ad Christum secundum quod homo est, colligit Adrianus, *Quia*, inquit, *non est traditus secundum Divinitatem, sed secundum id, quod homo erat: illum nimirum, qui traditus est, hominem, ipsum Apostolus proprium Dei Filium protestatur.* — *Confirmatur* auctoritate S. Hilarii 6. *De Trinit.* ubi expendens ea verba Apostoli ait: *Numquid etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen?*

* " Confirmantur ista maxime ex verbis Divini Patris, qui cum Christus baptizaretur a Joanne, iterumque dum transfiguratus inter Moysem et Eliam, in conspectu trium Apostolorum, e cœlis personuit: *Hic est Filius meus dilectus* (Matth. III et XVIII), manifeste discernit eum ab his qui gratia et adoptione filii Dei erant. Joannem enim Moysen, Eliam, Apostolos, nihil prohibet filios Dei adoptione vocari: cum igitur ad unicum Christum dirigebatur hæc Patris vox, eumque appellaret *Filium*, et *suum*, et *dilectum:* procul dubio secernebat illum ab his qui sola adoptionis gratia filii Dei vocantur. Non ergo adoptatus Christus. Adde quod, quoties Christus de Patre loquitur, toties inter se et adoptionis filios distinguit; et nusquam Evangelium communi nobiscum filietatis cognatione dicit: *Pater noster*, sed perpetuo, vel *Pater meus*, indicans naturæ proprietate se ad Deum pertinere; vel *Pater vester*, aut *Pater suus*, ut gratiam adoptionis significet. " *

Probatur secundo auctoritate SS. Patrum: maxime vero S. Augustini, tract. 2. in cap. 1. Joannis, ad illa verba: *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem Filios Dei fieri*, ubi ait: *Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius; ille enim venit Unigenitus, ut solveret peccata: quibus peccatis implicamur, ne non adoptaret nos propter impedimentum eorum.* Loquitur autem S. Augustinus de Christo quatenus homo est; nam secundum humanitatem solum habuit fratres adoptatos. Unde sic arguit Adrianus: *quomodo per illius gratiam nos sumus adoptati, si ipse consors nobis in adoptionis gratia fuit? Nam sicut peccatum non tolleret, si ipse peccatum haberet, ita adoptionis gratiam non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit sine sorde peccati, necessarium habuerit, ut gratiam adoptionis acciperet.* — Secundo profert testimonium S. Gregorii Magni lib. 1. *Moralium*, cap. 6. ubi Christo applicans illa verba: *Erat ille vir magnus inter omnes orientales*, ait: *Omnes homines tantummodo homines sunt: ipse autem oriens Deus, et homo recte dicitur: omnes, qui in fide Deo nascuntur superat, quia non ut cæteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat.* Idem pene habet S. Isidorus lib. *De doctrina, et fide Ecclesiasticorum dogmatum,*

cap. 2. cujus verba sunt: *Dei filius hominis factus est filius, natus secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius, ut veritate Unigeniti, non adoptione nec appellatione, sed in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet, ut esset verus Deus et verus homo unus filius.*

Probat Doctor eamdem veritatem hac ratione: Ut aliquis adoptetur, necesse est, quod sit extraneus ad id ad quod adoptatur: ita ut illius generationem non comitetur aliquid tamquam dispositio conferens jus ad hæreditatem: sed Christus in eodem temporis momento, quo conceptus est, habuit gratiam habitualem, quæ conferebat jus ad hæreditatem: ergo Christus, etiam secundum humanitatem, non fuit adoptatus. *Major* patet ex 3. Notabili. *Minor* probatur; nam in primo conceptionis momento, Christi humanitas fuit unita Verbo, et sic exigebat gratiam sanctificantem.

Reponès forsan cum eodem Doctore, quod illa gratia, quæ comitabatur generationem Christi, non fuerit concessa in priori instanti, aut signo naturæ, sed in posteriori; et sic in priori illo signo natura humana, secundum se spectata, erat extranea, nec habebat jus ad hæreditatem: ergo ut sic poterat adoptari. — **Verum**, quamvis huic objectioni non respondeat Doctor, sed solum dicat *responsionem quære*; tamen dico, hæc non sufficere, ut Christus simpliciter, quatenus homo, dicatur Filius Dei adoptivus; quia quantumvis Christus habuerit tantum in secundo instanti naturæ jus ad hæreditatem, nihilominus in primo instanti habuit dispositionem necessitantem, saltem de congruo, ad illud jus, quæ utique dispositio non alia fuit, quam exigentia suppositi divini, cum proprio supposito careret. *Adde quod* illa prioritas naturæ, qua prius concipitur natura humana existens, quam assumpta a Verbo, non sufficiat ad illam rationem extranei requisitam ex parte adoptandi: nam extraneitas est aliquid extrinsecum præsupponens naturam completam secundum omnes suos modos intrinsecos, et consequenter natura prius concipi debet ut completa secundum subsistentiam, quam dici possit extranea, vel non extranea. Igitur cum in illo priori naturæ non concipiatur natura humana Christi affecta personalitate, nec consequenter intrinsece perfecta, non potest censeri extranea ad hæreditatem, quippe cum in illo signo nondum concipiatur hæreditatis capax, sed tantum in secundo instanti naturæ, in quo concipitur habere subsistentiam Verbi, et esse intrinsece completa: ut sic autem considerata natura non erat extranea, quia suppositum Verbi, quo sustentabatur, ex congruitate exigebat gratiam sanctificantem, quæ conferebat jus ad hæreditatem.

Probatur secundo: Si Christus esset filius adoptivus in quantum homo, etiam simpliciter dici posset Filius adoptivus; quæ enim conveniunt Christo in quantum homo est, de ipso possunt simpliciter affirmari, nec ullatenus negari debent: nam dicitur simpliciter de ipso, quod passus sit famem, sitim, et similia, quæ non competebant ipsi, nisi in quantum est homo, seu ratione humanitatis; ergo cum falsum sit Christum simpliciter esse filium adoptivum, verum esse non potest, quod sit filius adoptivus etiam in quantum homo. *Denique*, maxime cavenda est illa loquendi formula, eaque attributio a Christo eliminanda est, quæ hæresim sapit, aut saltem hæreticorum loquendi mo-

dum imitatur: at Christum appellare filium adoptivum, etiam quatenus hominem, sapit hæresim Nestorianam, quæ absolute pronuntiabat Christum esse Filium Dei dumtaxat adoptivum: igitur simpliciter talis non est dicendus.

Objicies 1. Varias SS. Patrum auctoritates, quibus significari videtur Christum esse Filium Dei adoptivum; nam Irenæus lib. 1. *Adversus hæreses*, cap. 21. ita diserte pronuntiat: *Propter hoc enim Verbum Dei homo, et qui Filius Dei, filius hominis factus est. Mixtus homo Verbo Dei, ut adoptionem percipiens, fiat Filius Dei.* Et Marius Victorinus lib. 1. *Contra Candidum Arianum* sic habet: *Nos adoptione filii, ille natura, etiam et adoptione quadam filius, et Christus, sed secundum carnem.* Et Hilarius 2. *De Trinitate*, post medium ait: *Potestatis Divinitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*, scilicet in Christo. Ex quibus saltem colligitur humanitatem Christi fuisse adoptatam. — **Respondeo**, sanctos Patres improprie adoptionem usurpare, non vero secundum strictam illius significationem, quippe Irenæus et Victorinus ipsam substantialem unionem humanitatis cum Verbo, ipsius humanitatis adoptionem appellant. At si Christus esset Filius adoptivus, illius adoptio non esset præcise petenda ex unione hypostatica: siquidem illa per se non confert rationem divinæ filiationis, tum quia, ut probatum est, Verbum potuit assumere quamlibet naturam non rationalem, in hac autem hypothesi non posset natura irrationalis assumpta dici filia Dei; tum quia unio cum persona, quæ est filius naturalis, magis conferre censetur filiationem naturalem, quam adoptivam. *Ad S. Hilarium*, dico lectionem illam videri mendosam: nam quamvis in aliquibus codicibus sit illud, *adoptatur*, in aliis tamen legitur, *adoratur*, in quo facile potuit incuria scriptorum error irrepere. Cui responsioni suffragatur ipsemet Hilarius, nam verba faciens de Christi nativitate secundum carnem, ait: *Aliud intelligitur, aliud videtur, aliud oculis, aliud animo conspicitur: parit virgo, partus a Deo est: infans vagit, laudantes Angeli audiunt: panni sordent, Deus adoratur: ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur:* ubi particula *dum*, vim habet causalis, perinde ac particula *siquidem:* reddit ergo optime causam, cur dignitas potestatis non amittatur per humilitatem partus et vagitus, dicens: *dum carnis humilitas adoratur.*

Objicies 2. Varios Scripturæ textus, quibus Christus prædicatur inferior Patre: sic Joannis 14. *Pater major me est:* sed non est inferior Patre ratione filiationis naturalis, quippe per eam ipsi est æqualis: igitur debet ipso censeri inferior ratione filiationis adoptivæ. *Deinde* ad Romanos 8. Christus dicitur cohæres noster: *Si filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:* sed non est cohæres noster secundum naturam et filiationem divinam: ergo secundum humanam. *Denique*, eodem cap. 11. v. 19. Christus dicitur *primogenitus in multis fratribus*, idest, in omnibus filiis prædestinatis: ergo Christus est primus in omnibus filiis adoptivis ratione gratiæ et gloriæ, et consequenter revera est filius adoptivus. — **Respondeo**, ex his et similibus Scripturæ textibus nihil contra nostram assertionem inferri. Non quidem ex primo, nam eum illa verba objecisset Elipandus: *Pater major me est*, Patres Concilii Fran-

cofordiensis responderunt, illa non fuisse a Christo dicta propter adoptionem, sed propter formam servi, quam Christus ut homo habuit, nam, ut inquiunt: *Deus et homo erat, qui secundum Deum dicebat: ego et Pater unum sumus, et secundum hominem: Pater major me est:* igitur illa inferioritas non est refundenda in rationem adoptionis, sed in assumptionem humanitatis. *Ad alios contextus* dico, Christum non appellari *nostrum cohæredem* et *confratrem*, quod sicut nos sit filius adoptivus, sed quia, ut Filius Dei naturalis, eumdem habet Patrem, quem nos filii Dei adoptivi agnoscimus: et jus habet ad eamdem hæreditatem, at multo præstantius quam nos; quippe jus illius fundatur in sua filiatione naturali: nostrum vero in gratuita adoptione. Quæ responsio patet a simili: si quis enim hominum, v. gr. filium a se genitum habens, nihilominus alios adoptaret ex consensu et voluntate ipsius filii: quamvis ille filius esset naturalis, nihilominus dici posset primogenitus inter fratres adoptivos, quia illorum adoptio facta esset dumtaxat ex ejus beneplacito et nutu, et prius habebat jus ad hæreditatem, quam illi, quorum est cohæres: idem autem dici potest de Christo Filio Dei naturali, cujus beneficio in Dei filios adoptivos fuimus consignati.

Objicies 3. Christus *prædestinatus est Filius Dei*, ad Romanos 1. sed prædestinatio est adoptio: ergo Christus est Filius Dei adoptivus; nam prædestinare est ad hæreditatem adoptare; igitur revera Christus est Filius Dei adoptivus. — **Nego minorem**, plura enim requiruntur ad adoptionem, quam ad prædestinationem, nam ad adoptionem requiritur, quod adoptatus sit extraneus, ad prædestinationem vero solum desideratur, quod aliquis eligatur ad gloriam, sive interim ille sit extraneus, sive non. *Ad probationem* dico, quod prædestinare est adoptare, quando natura prædestinati habet extraneitatem sufficientem ad adoptionem, concedo: quando vero non habet, nego. Christus autem non habet extraneitatem sufficientem ad adoptionem; quippe cum jus ad hæreditatem in ejus naturali filiatione fundetur; igitur neganda est *consequentia*.

Objicies 4. Omnis humanæ naturæ dignitas est tribuenda Christo: sed dignitas est in homine, quod sit Filius Dei adoptivus, quia non convenit alicui naturæ non intellectuali: ergo illa Christo est tribuenda. — **Distinguo majorem**, similiter et *minorem:* dignitas est esse filium adoptivum, dignitas, inquam, arguens aliquam imperfectionem, concedo: dignitas est sine imperfectione, nego; minus enim dignum, ac gloriosum est, esse filium adoptivum, quam naturalem. Igitur neganda est *consequentia*. Non enim omnis dignitas arguens imperfectionem debet admitti in Christo; sed solum illa, quæ arguit imperfectionem necessario consequentem ad naturam humanam: dignitas autem adoptionis supponit extraneitatem, quæ est imperfectio non necessario consequens naturam humanam; igitur illa non debet in Christo admitti.

Objicies 5. Eatenus Christus est Filius Dei naturalis, quatenus est genitus a Deo Patre: at non est genitus a Deo Patre quatenus homo: ergo ut sic est Filius Dei adoptivus, non autem naturalis. — **Respondent** aliqui cum Vazquezio cap. 12. et 13. negando *minorem*, quia, inquiunt, natura humana Christi subsistit in Verbo, quod est

Filius Dei naturalis, et a Patre Deo genitus; nam esse Filium Dei naturalem contingit duobus modis: *primo modo* stricte et proprie, quatenus dicit genitum a generante intellectuali naturaliter; *secundo modo* minus proprie, quatenus significat aliquid personaliter unitum ei, quod dicitur genitum naturaliter. Priori modo Christus ut homo, non est Filius Dei naturalis: secundo autem modo talis dici potest. *Respondeo insuper*, quod si illa propositio, *Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis*, sic accipiatur ut significet, quod homo ille unitus Verbo, non tantum habeat gratiam habitualem, per quam est adoptatus ad hæreditatem, sed etiam habeat gratiam unionis hypostaticæ, per quam dicitur Deus, certe hoc sensu, Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis, quia est unitus personaliter Filio Dei naturali: si vero sic intelligitur hæc propositio: Christus secundum quod homo est, idest, specificative, natura humana Christi est filia naturalis Dei, in hoc sensu, propositio illa falsa est; nam humanitas Christi non est genita a Deo, sed a beata Virgine. Unde absolute loquendo, permitti posset *minor*, et negari *consequentia*, quia cum inter filiationem simpliciter naturalem, et simpliciter adoptivam detur medium, nimirum esse Filium Dei, non absolute naturaliter, sed per participationem filiationis naturalis, quomodo Christus ut homo, est Filius Dei propter unionem humanitatis cum persona Filii naturalis Dei, sequitur, quod illatio sit vitiosa, cum argumentum non fiat ex justa distributione.

Objicies 6. Manent naturæ impermixtæ in Christo, nec mutuo suas proprietates præpedientes: sed *adoptari* est proprietas naturæ habentis gratiam: ergo potest dici de Christo, quod adoptetur ratione naturæ humanæ ipsius, quæ habet gratiam, non minus quam potest dici de ipso, ratione naturæ divinæ, quod sit Filius naturalis. — **Distinguo majorem**: manent naturæ impermixtæ non impedientes proprietates suas necessario et connaturaliter ex ipsis consequentes, concedo: proprietates suas, hoc est, illa omnia, quæ possent illis naturis competere, nego. *Minorem* similiter distinguo: adoptio est proprietas necessario et connaturaliter consequens naturam habentem gratiam sanctificantem, quando illa natura extranea est ad hæreditatem, concedo: secus, nego. Unde neganda est *consequentia*, siquidem natura humana Christi, ut completa est per subsistentiam Verbi, non habet illam extraneitatem.

Objicies denique: Doctor Subtilis docet, Christum ut hominem posse dici Filium Dei adoptivum, ut videre est *locis jam laudatis, et insuper* in 3. dist. 8. ubi docet filiationem non sumi in creatis a persona, sed a natura: hinc veteres illius Discipuli, nempe *Tataretus, Major, Bassolius*, etc. eamdem sententiam tuentur: igitur nostra assertio in eum militat. — **Nego antecedens**: Doctor enim laudatus q. 10. resolvit cum Magistro, Christum non esse Filium Dei adoptivum; *Quia*, inquit, *tunc esset Filius Trinitatis, quia tota Trinitas adoptet, et agit omnem actum ad extra*; et ibidem solvit omnia argumenta, quæ ipsemet pro adversa parte formaverat: unde *Pytigianus* disp. 10. *Faber* disp. 23. *Rada* 3. parte Controversiæ 3. art. 2. et *Poncius* in Commentario, pro nostra assertione militant, fatenturque Doctorem hac in sententia esse probabilem: nihilominus in negantem partem magis propendere; nam

ipse Doctor in 3. dist. 2. qu. 1. n. 11. cum dixisset: *Non necesse est, quod si Filius Dei est filius hominis, quod ille idem filius hominis sit Filius Dei per gratiam:* addit: *Forte enim negaretur de eodem determinate: imo nec conceditur, quod Christus sit Filius Dei adoptivus:* igitur falsum est, quod nostra assertio Doctoris menti et doctrinæ adversetur. Hinc apparet, quam graviter exorbitent plurimi Recentiores utriusque scholæ, dum Subtilem Doctorem pro opposita sententia absolute laudant.

Conclusio secunda. — Non est certum certitudine fidei, Christum quatenus hominem, non esse dicendum Filium Dei adoptivum. Hæc est contra Vazquezium, et alios ipsius sequaces.

Probatur primo: Si illa propositio esset de fide, maxime quia censeretur definita in Concilio Francofordiensi contra Felicem et Elipandum: sed hæc ratio nulla est: igitur non est certum de fide, quod Christus quatenus homo non sit dicendus Filius Dei adoptivus. *Majorem* admittit Vazquez cap. 6. et 8. disputationis 84. *Minor* vero probatur: *Primo* plurimi Doctores etiam post illud Concilium, ut Alensis, Albertus, Richardus, et alii censuerunt esse probabile, quod Christus in quantum homo dici posset Filius Dei adoptivus: nec ullus ex Antiquis damnavit, ut hæreticam sententiam Durandi, qui hujusmodi adoptionem Christo assertive tribuit. *Nec valet reponere* illos Auctores ignorasse definitionem Concilii Francofordiensis, cum nullam ejus mentionem fecerint. *Dico* enim, id non esse verisimile; nam licet credi possit eos forte non legisse Acta ipsius Concilii, quæ dumtaxat *anno* 1567. Surius ex antiquissimo et vero exemplari transumpta excudi curavit; tamen vix credi potest, eos non legisse historias et scripta eorum omnium, qui hæresim Felicianam impugnarunt, aut de ea sermonem instituerunt, quales nedum fuerunt *Beatus*, et *Heterius*, qui adversus Elipandum primi insurrexerunt, et dictis ac scriptis generose impugnaverunt: sed et Carolus Magnus Imperator, cujus opera damnata est illa hæresis. Necnon et Jonas Aurelianensis, ac plurimi alii Auctores, qui adversus Elipandum et Felicem scripserunt, quos certe omnes vix credi posset ipsis peritissimis Doctoribus ignotos fuisse.

Secundo, quamquam in illo Concilio damnati fuerint Felix et Elipandus asserentes Christum esse Filium Dei adoptivum; tamen sufficiens non videretur fundamentum ad asserendam illam propositionem, ut ab aliquibus Theologis assertam, esse respuendam ut hæreticam, quia licet Felix et Elipandus ab eo Concilio damnati fuerint, ac proscripti ut hæretici, quod assererent Christum esse Filium Dei adoptivum; illa tamen damnatio non præjudicat nostræ assertioni: nam Felix et Elipandus ideirco damnati sunt in hoc Concilio, quod Nestorii hæresim instaurarent, et duas in Christo adstruerent personas, seu duo supposita, juxta duas naturas, humanam scilicet et divinam, quas habuit, uti docent Suarez disp. 19. sect. 3. Valentia q. 20. Baronius ad annum Christi 783. n. 5. et 6. item anno 794. Mariana lib. 7. *De rebus Hispaniæ*. imo et Surius ipse in annotationibus supra hoc Concilium; quod etiam evinco ex actis illius Concilii, quæ consistunt in quadam epistola ad Episcopos Hispaniæ: item in epistola Adriani

Papæ, necnon in lib. *Sacro syllabo*, cujus auctor est Paulinus Aquilejensis, qui una cum 300. Episcopis ex Germania et Gallia Concilio Francofordiendi adfuit. Probo, inquam, ex his actis, Felicem et Elipandum ideo damnatos, quod Nestorii hæresim innovarent; *Primo* quidem ex epistola Concilii ad Episcopos Hispaniæ: Patres enim Elipandum et ejus asseclas alloquentes columna secunda ajunt: *Invenimus in libelli vestri principio scriptum, quod vos posuistis: Confitemur, et credimus, Deum Dei Filium ante omnia tempora, sine initio ex Patre genitum, cœternum, et consubstantialem, non adoptione, sed genere. Item post pauca in eodem legebatur: Confitemur, et credimus eum factum ex muliere, factum sub lege, non genere esse Filium Dei, sed adoptione, non natura, sed gratia.* Et col. 4. *Quia hominem Christum verum Dei Patris Filium esse negatis, vobis defensor esse nolui.* Et inferius col. 15. *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab universali sancta Ecclesia refutata est etiam, et damnata?* Et addit: *Quapropter forte illum anathematizare noluistis, dum alios, bonosum scilicet, Arium, et Sabellium, Manichæumque, qui prave de Filio Dei senserunt, Epistola vestra anathematizastis.* In his satis insinuatur, Felicem et Elipandum errasse circa veritatem ipsius mysterii Incarnationis, et in Nestorianam hæresim, vel aperte vel simulate incidisse. — Idem probatur ex libro *sacro syllabo:* nam columna tertia de Felice et Elipando dicitur: *Hæresim veternosam illustrium Virorum calcibus mirabiliter inculcatam, Catholicaque falce olim funditus detruncatam spinoso molliuntur rediviva radice suscitare de stirpe.* Et col. 8. *Non duo Filii, alius Dei, alius hominis, ut sicut illi errando æstimant, adoptivus sit hominis Filius, et sine adoptione Dei Filius.* Quibus significatur, quod aperte Verbum, ut Filium naturalem ab homine filio adoptivo Felix et Elipandus distinguebant, quemadmodum veteres Nestoriani. — Idem colligitur ex epistola *Adriani*, nam in principio epistolæ Pontifex agens de hæreticis, quos impugnat, *Non sunt*, inquit, *ex hominibus, quos Pater dedit illi, qui eum adoptivum, et non proprium Filium confitentur; quasi alienus aliquando a Patre fuerit:* ergo sententia hæreticorum illorum erat, quod persona Christi, qui erat homo, non erat proprius Filius Dei, sed tantum adoptivus. Quod utique aperte significat Pontifex auctoritatibus sanctorum Patrum, quibus suam sententiam tuetur, et oppositam ut hæreticam expugnat. Profert enim S. Athanasium dicentem: *Si quis vero adversus divinas Scripturas docet alium esse Filium Dei, et alium, qui ex Maria Virgine, hominem, secundum gratiam adoptatum, sicut nos, quasi essent duo Filii, hunc anathematizat sancta Ecclesia.* Profert item auctoritatem S. Gregorii Nazianzeni, ita scribentem ad Cledonium: *Si quis introducit duos filios, unum quidem, qui ex Deo, et Patre; secundum vero, qui ex matre, et non eumdem, ut adoptionis excedat gratiam, quæ promissa est his, qui recte credunt, alienum eum a nostro consortio judicamus; naturæ vero duæ, Deus, et homo, Filii vero non duo, etc.* Sed hæ et similes auctoritates, quas profert Pontifex, non urgerent adversarios, nisi revera duas in Christo personas admisissent: igitur ut Nestoriani duas in Christo personas admittebant. — *Confirmatur*, quia hæretici isti considerabant *primo* Christum secundum humanitatem, tamquam hominem purum, imo et servum, et leprosum;

et *postea* adoptatum in Dei Filium, et *tandem* coniunctum Filio Dei naturali, non quidem personaliter, sed affective, et per eximiam Dei gratiam, quo fiebat, ut esset *homo Deificus*, non autem *homo-Deus:* sed hæc non fuissent vera, nisi admisissent duas in Christo personas, humanam unam, divinam alteram, ut admittebant veteres Nestoriani: igitur revera Nestoriano errore erant infecti. Probatur *antecedens;* primo quidem ex libro *sacro syllabo*, nam columna secunda legimus: *Asserunt igitur, sed fictis assertionibus irretiti, Dominum nostrum Jesum Christum adoptivum Dei Filium de Virgine natum, quod divinis nequeunt approbare documentis. Hæc igitur dicentes, aut in utero Virginis eum suspicantur adoptatum, quod dici nefas est, quia de beata Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem: aut certe, purum eum hominem sine Deo natum, quod cogitari impium est, necesse est fateantur.* Nulla autem esset hæc ratiocinatio, si hæretici illi revera duas in Christo personas non admisissent, et personam filii adoptati distinxissent a persona Filii Dei naturalis. — *Confirmatur* insuper ex illis auctoribus, qui vel Elipandi hæresim impugnaverunt, vel de ea mentionem fecerunt: *Primo* namque Alcuinus, cujus opera Carolus Magnus motus est ad illam hæresim reprimendam, ut conqueritur ipsemet Elipandus epistola ad ipsum Alcuinum data, ita lib. 1. *Adversus Elipandum* scribit: *Admones me,* inquit, *non pio, ut videtur, animo, sed severa invectionis castigatione gloriosum Regem Carolum nos corrumpere: non ego illum corrumpere veni in Franciam, qui corrumpi non potest, sed adjuvare in fide Catholica: impossibile est enim, ut corrumpatur a quoquam, quia Catholicus est in fide, Rex in potestate, Pontifex in prædicatione, Judex in æquitate, et Philosophus in liberalibus studiis, incitus in moribus, et in omni honestate præcipuus.* Subdit denique, qualiter ante ipsius accessum in Franciam, illa hæresis damnata fuerat in Concilio Ratisbonensi anno 792, et coram Adriano summo Pontifice, ubi semel et iterum Felix illam hæresim ejuraverat: sed postmodum sopitos infidelitatis cineres (agente Elipando) instar canis ad vomitum, et lotæ suis ad volutabrum, cum rursus excitasset, ad eum epistolam exhortatoriam dedit Alcuinus: cui Felix non epistolari brevitate, sed libelli prolixitate respondere visus est, inquit Alcuinus, *atque in eo omnes perfidiæ vestræ foveas maxime aperuit, asserens Christum, et veterem hominem, et nuncupativum Deum, et adoptivum Filium, et secunda indiguisse regeneratione, et alia plurima doctrinæ Ecclesiasticæ inconvenientia: cui libello ejus septem nostræ devotionis libellis respondimus, omnes vestræ pravitatis evacuans doctrinas.* Quibus constat qualiter illi hæretici Christum non hominem Deum, sed hominem Deificum, ut veteres Nestoriani asserebant. — Idem colligitur ex *Jona Aurelianensi*, lib. 1. *De cultu Imaginum*, ubi agens de illa hæresi Feliciana ait: *Emersit ex Hispania tempore sanctæ memoriæ piissimi atque invictissimi Augusti, quidam Felix nomine, actu infelix Urgelitanensis civitatis Episcopus, qui juncto suo sceleratissimo errori Elipando Toletanæ urbis Episcopo, secundum humanitatem non esse proprium Filium Dei, sed adoptivum prædicare ausus est: Et hæc virulenta doctrina utramque Hispaniam magna ex parte infecit.* Subdit infra: *Milites Christi invictissimi armis muniti... ejusdem Principis jussu in unum coacti adhibita etiam sanctæ Romanæ*

Ecclesiæ auctoritate, eumdem Felicem damnarunt: imo cum auctore sui erroris Nestorio, quem imitatus est, perpetuo anathemati mancipârunt. Idem refert Sigebertus in suo Chronico ad annum 793. ubi sic scribit: *Feliciana hæresis condemnata in præsentia Adriani Papæ ab ipso Felice auctore abdicatur. Hæc hæresis asserebat Filium Dei in divina natura verum Deum esse, in humana vero nuncupativum. Item in divina natura verum esse Filium Dei, in humana vero adoptivum, unam personam Dei, et hominis dividens in duas personas, scilicet veri filii, et adoptivi.* Idem referunt sanctus Antoninus 2. parte *historiæ* tit. 14. cap. 1. Paulus Æmilius lib. 2. *Nauclerus* gen. 27. et alii.

Reponunt cum Vazquezio illi, qui contendunt illos hæreticos non admisisse duas in Christo personas, sed tantum asseruisse Christum, quatenus hominem, non esse Filium Dei naturalem sed adoptivum; reponunt, inquam, *Primo*, illos auctores, qui in Felicem et Elipandum pugnaverunt, Nestorianum errorem ipsis attribuisse, non quod illum docerent, sed quia docebant aliquid, ex quo error ille videtur inferri. — **Contra**, si illi hæretici omnino confessi fuissent unionem naturarum in Christo secundum subsistentiam unicam, et solum ex mala intelligentia nominis *adoptionis*, Christo tribuissent filiationem adoptivam, non erat cur Nestorianus error eis affingeretur. *Insuper*, cur non aliquis vel Patrum Concilii Francofordiensis, vel Auctorum, qui in eos pugnaverunt, maxime vero Alcuinus eruditissimus, cui perspicua erat hæresis Feliciana, ejusmodi hæreticam deceptionem, et assertionem aperuisset et aperte explicasset? At nullus ita illius hæresis virus explicat, sed unanimi calculo, ut supra dictum est, docent illius hæresis assertores Nestorianismum innovasse, asserendo Christum hominem eodem prorsus modo fuisse Filium adoptivum, licet præstantiori gratia, quo sunt alii homines justi. *Adde quod* idipsum ipsemet Elipandus docuit in Epistola sua ad Carolum Regem. Ejus verba hæc referuntur in Epistola Concilii ad Episcopos Hispaniæ columna 3. *Ex Patre Unigenitum sine adoptione, primogenitum vero in fine temporis, veram hominem assumendo de Virgine carnis adoptionem. Unigenitum in natura, primogenitum in adoptione et gratia.* Quibus verbis plane docet hominem illum fuisse Deo unitum, et ab eo assumptum sola adoptionis gratia. Quod vero illam adoptionem nostræ similem judicaverit Elipandus, colligitur ex columna 2. ejusdem epistolæ, ubi refertur Elipandum in sua epistola exposuisse illud 1. Joannis 3. *Similes ei erimus:* idest, inquiebat, *similes in carnis adoptione, non similes in Divinitate.* Non est ergo cur illum a Nestoriano errore liberare tantopere laborent.

Reponunt 2. Ex confessione fidei ipsius Elipandi, quæ inserta est in lib. *Beati et Etherii*, quam integram refert Vazquez cap. 2. supra laudatæ disputationis, apparere quod Elipandus unicam in Christo personam admiserit, ait enim: *Homo interior in una eademque Dei, et hominis persona adglomeratus, atque carnis vestimento indutus.* — **Respondeo**, callide et hæretica vafritie ipsum unicam in Christo dixisse personam, eo modo quo unitatem personæ in Christo admittebat Nestorius. Nam testatur S. Thomas 3. parte q. 2. art. 6. *Si fiat eis in nomine* personæ, *etiam Nestorius utebatur unitate personæ propter unitatem dignitatis et honoris. Unde etiam sexta Synodus definit*

anathema in eum, qui dicit unam personam secundum dignitatem, et honorem, et adorationem: sicut Theodorus et Nestorius insanientes conscripserunt. Potuit ergo similiter Elipandus hac arte ponere unitatem personæ, qua facilius orthodoxos Patres luderet, et sententiam damnationis caveret. *His adde*, quod verba illa in una eademque Dei persona adglomerata, non plus significent quam unionem accidentalem. Nec etiam se aliud intendere declaravit ipsemet Elipandus, subdit enim in eadem confessione: *Quia non per eum, qui natus est de Virgine visibilia et invisibilia condidit, sed per illum qui non est adoptione, sed genere, neque gratia, sed natura, et per istum Dei simul et hominis filium adoptivum humanitate, et non adoptivum Divinitate mundum redemit.* Et infra: *Si conformes sunt omnes sancti huic Filio Dei secundum gratiam, et cum adoptato adoptivi, et cum advocato advocati, et cum Christo Christi, et cum parvulo parvuli, et cum servo servi:* ubi plane videtur, nos Christo exæquare in adoptione: imo illo tam indigno loquendi modo, de Christo, nihil amplius, quam de puro homine sentire videtur; quippe *ibidem* scribit quod Deus Christum nonnullæ actionis suæ mysteria nescire voluit.

Reponunt denique: Si Elipandus et Felix fuissent Nestoriano errore infecti, non opus fuisset tot Concilia cogere, nec scribere tot libros ad eorum errorem revincendum et eliminandum; facillimum enim fuisset illos, ut hæreticos notare ac convincere, tum antiquis definitionibus contra Nestorium, tum Scripturæ testimoniis, quibus demonstratur tantum esse in Christo unam personam. At vere Concilium Francofordiense non ita procedit, sed potius ex unitate personæ Christi, quam Elipandus non negabat, et proprietatibus, ac vera definitione adoptionis, quas ignorasse videtur, colligit Concilium, non posse Christo convenire adoptionem: et ad hoc tandem inconveniens deducit, quod si Christus Filius adoptivus censeatur, etiam sit in duos filios dividendus. *Addunt*, quod cum jam in Ecclesia, præsertim Latina, funditus eversus esset Nestorianismi error, quomodo a Concilio, et Episcopis Latinis sperare poterat Elipandus suæ doctrinæ confirmationem, si eadem cum Nestorio sensisset? qua fronte apud Carolum Magnum Principem valde Catholicum, et maximum Ecclesiæ defensorem egisset, ut Concilium congregari juberet, in quo ejus doctrina approbaretur? — **Respondeo**, equidem Elipandum et Felicem non disertis verbis fuisse professos errorem Nestorii, nec asseruisse expresse duas in Christo hypostases aut duo supposita, vel unionem accidentalem: sed tantum usos fuisse nomine *adoptionis*, quam tamen ita declarabant, ut plane in re nihil aliud quam Nestorius sentirent: quia neque eam a nostra adoptione distinguebant, ut supra probatum est, neque illam soli humanitati attribuebant, sed cuidam homini, quem servum, et priorem tali unione, seu adoptione esse dicebant. Hinc non mirum, si Elipandus ausus fuerit judicium et approbationem Concilii postulare, quia forte non intelligebat, quid ad suum errorem consequeretur, aut propria hæresi, ac vanagloria excæcatus sperabat fore, ut suis verborum involucris, alios facilius deciperet. Et eamdem ob causam Concilium non solum usurpavit testimonia, et definitiones contra Nestorium factas ad confundendos illos hæreticos, sed etiam studuit declarare, qualiter in re nil aliud quam Nestorius dicerent.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM IN CHRISTO SINT DUÆ FILIATIONES, UNA ÆTERNA AD PATREM, ALIA TEMPORALIS AD MATREM.

Notandum 1. vel potius repetendum ex iis, quæ diximus in Logica ex Doctore in 4. dist. 1. q. 10. relationes, sicut et cætera entia, essentialiter et numerice distingui per suas differentias essentiales et individuales: sed quoniam propter exiguam relationis entitatem, ipsæ differentiæ nos latent, solum innotescere possunt vel per terminum solum, vel per fundamentum solum, vel per terminum et fundamentum simul. *Certum* est autem quod ad multiplicationem fundamentorum multiplicentur relationes; propterea quod idem numero accidens nequeat esse naturaliter in diversis numero subjectis: maxime vero accidens relativum, quia accidentia relativa sunt essentialiter denominationes actuales eorum: ideoque diversum numero fundamentum sufficit ad colligendam diversitatem numericam relationum. An autem etiam multiplicentur relationes ad multiplicationem terminorum ejusdem speciei, non est ita constans apud Philosophos, et Theologos: verior tamen apparet sententia Doctoris affirmantis, quod ubi sunt diversæ rationes terminandi et fundandi, ibi sunt diversæ relationes: sed in patre habente tres filios v. g. sunt tres rationes fundandi, scilicet tres generationes activæ; similiter sunt tres rationes terminandi, nempe tres generationes passivæ: igitur sunt tres paternitates. Quam utique veritatem sufficienter probavimus et asseruimus in nostra Logica. Difficultas igitur præsens movetur, an in Christo sit duplex sufficiens fundamentum ad multiplicandas relationes filiationis: ita quod per unam filiationem referatur ad Patrem æternum, ratione suæ divinæ generationis; per alteram vero referatur ad Matrem ratione generationis temporalis.

Notandum 2. Circa præsentem difficultatem tres maxime esse Auctorum sententias. *Prima* est nostri Alexandri Alensis 3. part. q. 10. memb. 3. docentis Christum Dominum, quatenus Verbum, referri relatione reali, unica ad Patrem, et ad Matrem. *Secunda sententia* est Sancti Thomæ 3. part. q. 25. art. 9. docentis Christum referri quidem ad Patrem et ad Matrem duplici relatione; verumtamen relationem, qua refertur ad Patrem, esse realem, illam vero, qua refertur ad Matrem, esse rationis: cui subscribere videtur Sanctus Bonaventura in 3. dist. 8. art. 2. *Tertia* tandem est Doctoris Subtilis eadem distinctione n. 10. ubi ait: *Ego dico quod alia est filiatio in Christo ad Patrem, et alia ad Matrem, et utraque est realis.* Cui præter discipulos subscribunt ex Recentioribus Lorca disput. 21. Suarez disp. 12. dist. 2. et plures alii.

Notandum 3. Filiationem non requirere suppositum tamquam proprium subjectum, sed posse immediate inesse naturæ tamquam subjecto: quod utique probat Doctor n. 3, quia, *inquit*, filiatio est habitudo producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali: at major est similitudo inter naturam productam et producentem, quam inter suppositum producens et productum, quia illa similitudo inest duobus suppositis dumtaxat ratione naturæ: igitur relatio filiationis immedia-

tius subjectatur in natura, quam in supposito. Duo igitur hic sunt statuenda: *Primum*, quod in Christo sint duæ relationes, quarum una refertur ad Patrem, altera vero ad Matrem. *Secundum*, quod illæ duæ relationes sint reales.

Conclusio prima. — CHRISTUS DUPLICI RELATIONE REFERTUR, UNA QUIDEM ÆTERNA AD PATREM, ALTERA VERO TEMPORALI AD MATREM. Ita Doctor.

Probatque conclusionem primo: Filiatio est habitudo producti naturaliter similis producenti in natura cognoscitiva: sed in Christo sunt duæ habitudines hujusmodi, una quatenus est productus, ut Deus a Patre æterno, cui similis est in natura intellectuali divina: altera quatenus est productus ut homo a beata Virgine, cui similis est in natura intellectuali humana: ergo sunt in ipso duæ filiationes. *Major* patet, quia, inquit Poncius in *Comment.* omni. et soli filiationi convenit prædicta descriptio, ut apparet ex ejus explicatione; dicitur enim *habitudo producti*, quia sicut paternitas est habitudo producentis, ita filiatio est habitudo producti: dicitur *naturaliter*, si enim non produceretur naturaliter, quamvis esset similis in natura producenti, non esset filius: exinde namque Spiritus sanctus non est Filius, quamvis sit similis Patri in Divinitate, quia non est productus naturaliter. Additur *similis producenti*, quia vermis quantumvis producatur naturaliter a Sole, non tamen dici potest filius Solis, eo quod non sit ipsi similis in natura. Dicitur denique *in natura cognoscitiva*, s u intellectuali; quippe juxta communem acceptionem filiationis, sola substantia intellectualis et cognoscitiva potest appellari *filia*. *Minor* etiam constat; tot enim sunt in Christo habitudines, quot sunt origines a distinctis principiis: at duæ sunt in Christo origines, una quidem æterna, qua naturam divinam accipit a Patre; altera vero temporalis, qua humanitatem recipit a Matre: quapropter S. Damascenus lib. 3. cap. 7. ait: *duas generationes Christi veneramur:* igitur etiam in eo sunt duæ filiationes.

Probat secundo Doctor: Christus præter filiationem æternam habet aliam, qua refertur ad Matrem: ergo habet duas filiationes. *Antecedens* constat: siquidem Christus est Filius beatæ Virginis. *Consequentia* vero probatur. Christus cum sit filius Virginis, ad eam refertur per relationem filiationis: sed non potest ad illam referri per filiationem æternam; quia Filius divinus per suam filiationem æternam non magis referri potest ad beatam Virginem a qua generatur temporaliter, quam refertur Pater æternus ad eam per suam paternitatem, si itidem generaretur a beata Virgine, et ab ea genitam humanitatem assumeret: at in illa hypothesi Pater æternus non diceretur Filius Virginis, nec ad eam referretur per suam paternitatem: ergo nec Filius divinus potest ad eam referri per suam filiationem æternam. — *Confirmat Poncius* hoc argumentum Doctoris: quia si Pater assumpsisset naturam humanam a beata Virgine genitam, uti facere potuit, sicut probavimus supra, Pater revera esset homo, et quatenus homo esset Filius beatæ Virginis: igitur haberet aliquam formam, a qua diceretur Filius ipsius: sed illa forma, qua denominaretur Filius Virginis, non posset esse paternitas æterna: ergo deberet esse alia relatio

ab ipsa paternitate distincta: sed Christus nunc habet talem formam, quam haberet Pater, si de facto esset genitus a beata Virgine, sicut Christus ab ea de facto est genitus: ergo revera Christus præter filiationem æternam, qua refertur ad Patrem, aliam habet temporalem, qua refertur ad Virginem.

Probat tertio Doctor: In Christo sunt duæ nativitates, et duæ naturæ productæ: ergo pariter in eo sunt duæ filiationes. *Antecedens* est de fide. *Consequentia* vero probatur: multiplicatis fundamentis et terminis, quantumcumque subjectum remaneret idem, etiam multiplicantur relationes: at si Christus sit bis genitus, multiplicantur in eo fundamenta et termini filiationum: ergo multiplicantur quoque filiationes. *Major* est evidens: non enim alia ratione Pater divinus idem remanens duplici relatione refertur ad Filium, et ad Spiritum sanctum, quam quia multiplicantur fundamenta proxima, nimirum generatio, et spiratio activa: multiplicantur etiam termini, nimirum Filius, et Spiritus sanctus: subindeque multiplicatis fundamentis et terminis, multiplicari debent filiationes. *Minor* etiam probatur: fundamentum proximum filiationis est esse genitum in natura intellectuali: sed ex S. Damasceno lib. 3. cap. 7. duas generationes in Christo veneramur; quia Christus est bis genitus, semel ab æterno, et iterum in tempore: ergo filiationis ejus duo dantur fundamenta proxima, videlicet duæ generationes passivæ: duo quoque dantur termini, nimirum Pater æternus, et Virgo Deipara: igitur duæ pariter debent esse filiationes.

ReponES forsan, Filium in humanis non habere duas filiationes, licet habeat duas naturas, nempe corpus et animam; respiciat quoque duos terminos, Patrem videlicet et Matrem: ergo multiplicatio naturarum, et terminorum non efficit filiationum multiplicationem. — **Respondeo**, equidem multiplicationem terminorum partialium, et unicum totalem constituentium non conferre ad multiplicationem filiationum: sic pater et mater, cum sint unica causa totalis generationis, sunt etiam unicus terminus totalis filiationis hominis ab ipsis geniti: longe autem dispar est ratio de Patre æterno, et beata Virgine generantibus Christum, quia Pater æternus et Virgo Deipara non concurrunt tamquam duæ causæ partiales, nempe tamquam pater et mater, ad generationem temporalem Christi; sed quemadmodum Pater solus ab æterno dicitur principium totale et adæquatum filii, ita Virgo Deipara dicitur in tempore sola et adæquata et totalis causa, seu genitrix Christi Domini: licet enim Spiritus sanctus ad illam generationem per suam obumbrationem, et supervenientem virtutem conferat, tamen istud non confert per modum genitoris, quapropter non dicitur Pater Christi: igitur cum Christus duas distinctas nativitates, duosque terminos distinctos et diversos suæ filiationis habeat, etiam duas omnino distinctas debet habere relationes filiationis.

Conclusio secunda. — Duæ filiationes Christi sunt reales. Hæc est Doctoris.

Probatur primo: Æterna filiatio absque dubio realis est: at etiam temporalis est realis: igitur duplex illa relatio realis est. *Majorem* admittunt omnes. *Minorem* probat Doctor: illa relatio est realis quæ habet id omne, quod ad relationem realem desideratur, nempe extrema

realia, quibus sequitur independenter ab ullo actu intellectus: at filiatio Christi respectu Matris talis est; nam habet Matrem generantem, et naturam genitam; ergo sicut ratione utriusque hujus extremi, maternitas beatæ Virginis est vere realis, etiam et relatio filiationis Christi ad ipsam est vere realis. — *Confirmatur:* Christus est Filius beatæ Virginis formaliter, quamvis nullus intellectus aut potentia vitalis conciperet, aut fingeret aliquam formam in ipso: sed, ut probatum est supra, non potest censeri formaliter Filius Virginis per suam filiationem æternam: igitur necessario ad ipsam refertur per relationem filiationis creatæ.

Probatur secundo: Si beata Virgo genuisset purum hominem, esset vera istius hominis geniti mater per relationem vere realem; et ipse itidem esset illius verus filius ad eam relatus per relationem realem filiationis: sed non minus genuit Christum Dominum, seu non minus cooperata est ad ejus productionem, quam si Christus esset purus homo; nec Christus ut homo minus realiter accipit suam naturam, et entitatem ab ea per veram generationem: igitur est ipsius Filius filiatione reali. *Major* constat. *Minor* probatur: si quod esset discrimen inter generationem puri hominis, et generationem Christi, maxime quia purus homo genitus a Virgine accepisset ab ea naturam et personalitatem simul; Christus autem naturam ab ea duntaxat accipit: sed hoc non obstat ad veram relationem filiationis realis, quod sic probo: beata Virgo est vera Mater Christi per relationem realem, quamvis Christus ab ipsa non acceperit personalitatem: ergo Christus est verus et realis Filius ipsius, filiatione reali, quamvis suam personalitatem a beata Virgine non acceperit. *Consequentia* patet a paritate rationis; si enim beata Virgo vere dicatur Mater Christi, præcise ex eo quod per ejus cooperationem producta est humanitas, quæ personalitatem habuit non minus ipsam naturam perficientem, et afficientem, quam si personalitas fuisset a beata Virgine genita: ergo similiter Christus hac ratione censendus est verus ejus Filius, qui per illius cooperationem habuit naturam genitam, quam suppositum non minus affecit et sustentavit, ac si illud fuisset una cum natura ab ipsa beata Virgine productum. — *Confirmatur*, quia homo non minus est causa vera et realis alterius hominis a se geniti, quam ignis sit causa alterius ignis a se producti; licet homo non producat formam substantialem, nempe animam rationalem hominis geniti, sicut ignis producit formam substantialem ignis producti; nec homo genitus minus dicitur productus ab homine generante, quam ignis productus dicitur revera produci ab igne producente; quia ad hoc, quod homo generans dicatur vera causa et realis hominis geniti, sufficit, quod per ejus cooperationem realem producatur verus homo, sive interim ille animam rationalem producat, sive non; ergo a simili, ad veram relationem generantis et geniti sufficit, quod per cooperationem Virginis producatur verus homo, sive interim illa personalitas illius hominis ab ipsa producatur, sive non. Paritas constat, quia non magis homo genitus debet accipere suam personalitatem ab homine generante, ut dicatur ejus filius, quam accipere animam rationalem, quæ est ipsius forma substantialis constituens essentialiter ipsius naturam: sed non obstante quod ab homine generante homo genitus non accipiat formam sub-

s'antialem, revera dicitur ejus filius ab ipso genitus: ergo a paritate rationis, licet Christus non accipiat suam personalitatem a beata Virgine, non minus verus erit ejus Filius, et ad eam referetur per veram et realem relationem.

Probat tertio Doctor: Si quid obesset, quominus Christus vera relatione reali referretur ad Matrem, maxime quia, ut vult S. Thomas, non possunt esse plures formæ ejusdem rationis in eodem supposito, et consequenter in Christo non possunt esse duæ filiationes: sed hæc ratio nulla est: igitur etc. *Major* est præcipuum fundamentum S. Thomæ. *Minorem* vero probat Doctor: si repugnaret plures relationes ejusdem rationis esse in eodem supposito, maxime vel quia relatio est simpliciter, vel quia est talis relatio nempe originis, et filiationis: sed ex neutro capite id repugnat. Non quidem *ex primo*, quia possunt esse plures relationes in eodem supposito Christi, nempe relationes æqualitatis, identitatis, et similitudinis: Christus enim cum veram haberet naturam humanam, talis magnitudinis, affectam albedine, revera habebat relationem identitatis ad omnes homines, æqualitatis ad eos qui erant ejusdem magnitudinis et staturæ, et similitudinis ad homines albos, sicut et dissimilitudinis ad homines nigros: igitur non repugnant in eodem supposito Christi plures relationes. Non etiam repugnat ex *secundo* capite, nempe, quod in eodem supposito possint esse plures relationes ejusdem rationis, puta originis: quia non magis repugnat dari plures relationes consequentes originationem, quam dari plures originationes in eodem supposito: sed dantur plures originationes, seu productiones passivæ in Christo, una secundum quam accipit a Patre naturam divinam, quæ per generationem æternam communicatur ipsi: altera secundum quam accipit naturam humanam per cooperationem beatæ Virginis: ergo similiter potest habere duas filiationes. *Major* constat; non enim apparet repugnantia, cur magis relatio originis multiplicetur in eodem supposito, quam quod multiplicetur ista originatio, quæ est proxima ratio fundandi illam relationem. *Minorem* probat Doctor auctoritate S. Damasceni affirmantis, *nos duas generationes in Christo venerari*. — Nec valet dicere, S. Damascenum esse intelligendum de generationibus activis; nam, inquit Doctor, non est *major* ratio, cur essent duæ generationes activæ Christi, quam duæ passivæ. Probari potest insuper eadem *minor: tum quia* Christus, quatenus homo, habet dependentiam a sua Matre: quæ dependentia distincta est realiter ab originatione passiva, quam habet a Patre: ergo revera habet duas reales originationes: *tum quia* in eodem supposito possunt esse duæ relationes originis activæ: ergo et passivæ: *consequentia* patet a paritate rationis: *antecedens* etiam constat, quia in Patre æterno sunt duæ productiones activæ originis, nempe generatio activa, et spiratio activa: *tum denique quia* non minus esse possunt duæ relationes originis in Christo, quam duæ operationes diversissimæ, quarum una sit divina, et altera humana: sed duæ operationes sunt diversissimæ in Christo: igitur pari ratione sunt in eo duæ relationes originis.

Reponunt Thomistæ cum Cajetano, disparitatem esse, cur Christus possit habere duas nativitates, et duos respectus similitudinis et dissimilitudinis, ac duas operationes, non vero duas filiationes, quia,

inquiunt, nativitas temporalis, quam præter divinam potest habere, fundatur immediate in natura humana ipsius; plures autem operationes, et relationes aliæ non subjectantur immediate in supposito, sed in ipsis naturis, quibus identificantur: unde suppositum potest quidem habere illas relationes, et operationes, ratione naturarum, quas sustentat: filiatio vero temporalis immediate subjectari deberet in ipso supposito Christi, si suppositum illud istius relationis suscipiendæ esset capax: non est autem capax realis relationis, quia suppositum Verbi, quod substentat naturam humanam Christi, non potest recipere ullum accidens. — **Verum contra**, *primo* gratis supponunt filiationem, quæ advenit supposito, debere in ipso immediate subjectari: igitur nulla est eorum responsio. Patet *antecedens*, quia quemadmodum, licet actiones sint suppositorum, non autem naturæ, secundum adversarios, ipsi tamen fatentur actiones immediate non subjectari in supposito, sed in natura, alias Christus non haberet ullas actiones aut operationes vere humanas, quod est absurdum; ergo similiter, quamvis filiatio spectet ad suppositum, quod per illam denominatur Filius, inde tamen non sequitur, quod illa debeat immediate subjectari in supposito, non autem in natura. *Confirmat* hanc responsionem Poncius in Commentario. *primo*, quia suppositum creatum, secundum veriorem sententiam, consistit in negatione: sed filiatio suppositi creati, cum sit respectus realis, non potest immediate subjectari in negatione: ergo filiatio non debet subjectari immediate in supposito, sed in natura. *Confirmat secundo*, quia si Spiritus sanctus acciperet naturam humanam genitam a Virgine, non minus esset Virginis Filius, quam Christus: sed non esset illius Filius per filiationem æternam, quia talem non habet Spiritus sanctus: ergo per temporalem: sed illa temporalis relatio non subjectaretur immediate in personalitate Spiritus S.: ergo illa filiatio subjectaretur in humanitate, et consequenter filiatio non debet subjectari in alio, quam in humanitate. *Confirmat tertio*, quia gratis diceretur, quod filiatio debeat subjectari in alio, quam in eo, in quo subjectatur productio passiva, per quam habet Christus, quod sit productus a Virgine: sed illa subjectatur in humanitate, secundum adversarios: ergo et filiatio debet in ea subjectari.

Reponunt Thomistæ: Si filiatio immediate reciperetur in humanitate, humanitas dici posset filia Virginis: illud enim formaliter dicitur filius, quod formaliter habet filiationem immediate in se subjectata: at hoc est absurdum: igitur falsum est, quod filiatio immediate recipiatur in natura humana. — **Respondeo primo**, negari posse *majorem*, quamvis enim filiatio divina intime conjungatur cum anima et corpore Christi; tamen in triduo mortis, quando anima separata erat a corpore, non denominabat corpus filium, nec animam filiam; ergo similiter, quamvis filiatio immediate recipiatur in humanitate, non sequitur, quod debeat ipsam denominare filiam. Quod utique *confirmatur:* quemadmodum enim filiatio, et personalitas divina non debet necessario denominare filiam aut personam, naturam assumptam, si enim Verbum assumpsisset lignum v. gr. illud lignum assumptum non posset denominari nec filius nec persona, quia ut aliqua natura individualis dicatur persona et filia, debet

esse intelligens et rationalis, quæ conditiones ubi non adsunt, natura assumpta non est capax recipiendæ talis denominationis: sic a simili dicere possumus, quod ad hoc ut aliqua natura revera denominetur filia, necessum est, quod sit completa per suam subsistentiam, et personalitatem: et consequenter illa natura secundum se solitarie spectata, et seorsim a sua personalitate, non potest habere talem denominationem, quamquam sit genita, et producta. *Respondeo secundo,* quod si naturam humanam esse filiam nihil aliud sit, quam eam habere filiationem in se immediate subjectatam, negari potest *minor,* et quidquid in contrarium proferetur tantum erit quæstio de nomine.

Dices 1: Filiatio divina non recipitur immediate in natura divina, nec illam denominat filiam: ergo nec filiatio creata: igitur filiatio creata non debet recipi immediate in natura, sed in supposito. — **Respondeo** *primo,* negari posse *consequentiam;* disparitas enim est inter filiationem creatam et increatam, quia illa est accidens, hæc vero substantia, illa requirit subjectum, cui insit per modum inhæsionis, hæc vero tantum requirit subjectum, cui insit per modum constitutionis. Unde retorqueri potest argumentum; nam sicut filiatio increata non recipitur in supposito, sed constituit suppositum, ita nec filiatio creata recipi debet in supposito. *Respondeo secundo,* negari posse *antecedens;* filiatio enim divina quemadmodum recipitur per suam realem entitatem in natura divina, et ipsam determinat ad constituendum filium; ita quod si natura divina filii distingueretur realiter a Patre, illa filiatio ipsi identificata illam denominaret filiam Patris; non sic autem illam denominat, quia ad hoc ut natura aliqua denominari possit filia, necessum est, quod realiter distinguatur a principio generante: unde similiter retorqueri potest argumentum: filiatio divina immediate recipitur in natura divina per identificationem, et ipsam denominaret filiam, si realiter ab ipsa distingueretur: igitur filiatio creata immediate debet recipi in natura singulari, et eam denominare filiam, quandoquidem illa natura creata distinguitur realiter a principio generante.

Dices 2: Si filiatio immediate reciperetur in humanitate et non in toto supposito, seu in ipso homine constante natura et personalitate, sequeretur, quod si Verbum dimitteret humanitatem assumptam, sicut revera illam dimittere potest, illa natura sic dimissa proprium haberet suppositum; et sic homo ille diceretur Filius Virginis, et non diceretur: diceretur quidem, quia ipsius natura fuisset genita a beata Virgine: igitur si filiatio sequatur naturam, revera homo ille esset beatæ Virginis Filius; non esset autem, quia beata Virgo non genuisset illud suppositum. Quod utique *confirmatur*, quia si eomet instanti, quo Verbum dimitteret humanitatem, illam assumeret Pater æternus, propter illam naturam assumptam non posset dici Filius Virginis: ergo nec ille, qui esset homo purus, propter dimissam humanitatem a Verbo, dicendus esset Filius Virginis. — **Respondeo**, omissis variis solutionibus, quas ex Suarez, Fabro et aliis refert, et refellit Poncius in Commentario n. 10. et sequentibus; negando *sequelam majoris* quantum ad secundam partem: revera enim, eo in casu, homo ille purus esset vere filius Virginis, si sufficiat ad hoc ut persona

aliqua dicatur filia alterius personæ, quod sit suppositum habens naturam genitam, in qua natura immediate residet relatio filiationis; ea enim in hypothesi, tam suppositum creatum, quam suppositum Patris æterni, revera dici possent Filii Virginis, quia haberent naturam sibi conjunctam, in qua immediate esset recepta relatio filiationis ad beatam Virginem. Si vero quis contendat id non sufficere ad rationem filiationis, sed præterea requiri, vel quod suppositum una cum humanitate producatur, vel quod sequatur connaturaliter ad productionem naturæ humanæ pro eo instanti, quo natura humana producitur; tunc nec suppositum humanum, nec Pater æternus dici deberent filii Virginis. Unde hæc difficultas tantum esse potest de modo loquendi.

Dices 3: Per filiationem homo constituitur in ratione filii: igitur duæ filiationes reales constituunt duos filios realiter: sed Christus non est duo filii: ergo non habet duas filiationes. — **Distinguit primum consequens Doctor** n. 18: per duas filiationes duo constituuntur filii, si illæ filiationes sint in duobus suppositis, concedit: si in eodem, negat. *Quia*, inquit, *concreta non plurificantur nisi plurificentur tam forma, quam suppositum; sola enim plurificatio formæ non sufficit, maxime ubi plures formæ, sive ejusdem rationis, sive eodem nomine expressæ, possunt esse in eodem supposito: sic Christus non est plures volentes, licet habeat plures volitiones.*

Dices 4: Ideo Pater æternus non est incarnatus, sed Filius, quia alias esset confusio proprietatum, ut dictum est in primo Articulo primæ Disputationis, quia eadem persona esset Filius, et Pater; Pater quidem, quatenus prima persona Trinitatis; Filius vero quatenus esset genitus a beata Virgine: ergo Christus non est Filius, tam Patris, quam Virginis, alia filiatione quam æterna: quia alioqui esset confusio proprietatum: quandoquidem non esset Filius una tantum, et eadem filiatione. — **Respondet Doctor** *primo* negando *consequentiam* cum sua probatione, quia nulla prorsus est confusio, quod Christus alia filiatione sit filius Virginis, et altera filius Patris æterni; quippe ex eo quod sit filius Virginis, non negatur propterea, quod sit filius Patris æterni. Unde quando dicitur de Christo, quod sit Filius, non potest aliquis dubitare ex illo loquendi modo, quod persona divina Christi sit persona Verbi, et filius æterni Patris: secus esset autem si Pater, aut Spiritus sanctus essent incarnati; ubi enim aliqua ex duabus illis personis diceretur filius, dubitare quis posset, num esset sermo de filio Patris æterni, vel de filio Virginis; quæ confusio non sequitur ex incarnatione Verbi, quia per appellationem filii divini, sufficienter intelligimus personam Verbi. *Respondet secundo* retorquendo argumentum: sequeretur confusio ex incarnatione Patris, quia eadem persona esset Pater, et Filius: ergo Pater incarnatus revera esset filius Virginis: sed non esset filius per filiationem æternam, quam non habet: ergo per filiationem temporalem: igitur persona divina est capax filiationis temporalis: ergo filius non est illius filiationis incapax, ut volunt adversarii.

Dices 5: Ideo admittenda esset filiatio realis temporalis, ut Christus revera diceretur filius Virginis: sed posset dici filius Virginis absque illa relatione reali. *Probatur*, quia Deus potest dici Dominus creaturarum absque relatione reali: ergo Christus potest dici filius beatæ

Virginis absque relatione reali. — **Negat minorem Doctor**: neque enim filius dici posset filius Virginis, nisi beata Virgo similiter diceretur illius Mater, et haberet relationem realem maternitatis: illa autem hanc relationem non haberet, nisi pariter Christus haberet relationem filiationis, quia qua ratione B. Virgo dicitur Mater Christi, propterea quod genuit illius humanitatem, eadem ratione Christus debet dici filius illius, quia habet humanitatem ab ipsa genitam; non enim est major ratio, cur ad generationem activam beatæ Virginis sequatur in ipsa relatio maternitatis, quam quod ad generationem passivam sequatur in Christo relatio filiationis. Unde neganda est *minoris* probatio, quia Deus non habet rationem aliquam in se, ob quam debeat necessario sequi relatio realis, ex eo quod sit rerum Conditor et Dominus: imo habet rationem ipsi relationi reali omnino oppositam, nempe immutabilitatem, qua fit, ut non sit capax realis relationis suscipiendæ: secus autem est de Christo Domino, quia est capax illius novæ relationis filiationis, ratione naturæ assumptæ a beata Virgine genitæ: igitur non est eadem ratio de Christo respectu relationis filiationis, ac de Deo respectu relationis realis Creatoris et Domini.

Dices 6: Si Christus haberet novam relationem realem ad Matrem, esset realiter ipsi æqualis: sed hoc est falsum, quia æqualitas realis fundatur super unitate unionis, et consequenter illa æqualitas non intercedit, nisi inter illa quæ habent unitatem unionis: sed Christus non habet unitatem alicujus unionis realis cum Matre: ergo nec habet aliquam æqualitatem, nec proinde relationem realem. — **Negat minorem Doctor** cum sua probatione: nam, ut eum explicat Poncius, duo homines puri æquales in perfectione naturæ non habent unitatem aliquam unionis inter se: ergo æqualitas non fundatur super talem unitatem. Quod si dixeris, duos homines habere unitatem unionis inter se ratione convenientiæ in natura, ob quam fundant relationem æqualitatis: idem etiam dici potest de Christo, et beata Virgine; qualiscumque enim æqualitas statuetur inter duos homines ratione naturæ, eadem statui poterit inter Christum et Virginem ratione naturæ humanæ genitæ, quam habet Christus.

Dices ultimo: Si quam habuit relationem Christus ad beatam Virginem, eam dumtaxat habuit, quamdiu servavit integram naturam humanam ab ipsa beata Virgine genitam: sed illam integritatem humanitatis amisit in triduo mortis: dum enim anima separata est a corpore, totum hominis compositum periit: igitur, vel amplius illam relationem realem filiationis non habet, vel eam non habet a beata Virgine acceptam, sed dumtaxat a Deo in resurrectione reproductam. — **Negat minorem Doctor**: n. 19. Quia, *inquit*, Christus post resurrectionem est filius Mariæ eadem filiatione, qua prius: quia filiatio fundatur super existentia naturæ acceptæ per generationem absolute, cui non accedit interruptio, dumnodo existentia sit eadem: et ideo quandocumque illa existentia est eadem, et aliud extremum idem, et filiatio est eadem: et eadem actione, qua fundamentum redit idem, et relatio redit eadem. Hæc Doctor, quibus significat Christum post resurrectionem eadem numero filiatione esse filium B. Virginis, qua fuit ante mortem.

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM CHRISTUS DOMINUS SIT ET DICI POSSIT DEI SERVUS, ET ÆTERNO PATRI SUBJECTUS.

Notandum 1. Ex Isamberto ad q. 22. art. 3. quadruplicem distingui posse servitutem in sacris Litteris: Primam *naturalem*, et generalem, omnibus creaturis communem in ordine ad Deum, juxta quam quælibet creatura est ita sub dominio Dei, ut ei deserviat ad nutum, de qua Sapientiæ 16. *Tibi factori creatura deserviens.* Quod autem hæc servitus vera sit, patet, quia tunc adest propria ratio servitutis, quando aliquis ita est subditus alteri, ut non tantum teneatur ei obedire tamquam superiori, sed etiam totum quod est et habet existit sub illius dominio, teneturque se et omnia sua in bonum ejus dirigere; sic enim servus proprie dictus, totum quod est et quod habet censetur esse sui domini, ut docet Aristoteles in Politicis: at vero totum istud reperitur in qualibet creatura in ordine ad Deum, prout creatura est; nam et in esse, et in conservari dependet a Deo; potestque Deus utendo jure suo absoluto illam destruere. Item ordinatur in Deum tamquam in finem ultimum, et si sit rationalis creatura, tenetur se et omnes suas actiones in illum dirigere, et si quem alium finem sibi constituat, peccat: igitur quælibet creatura, qua creatura est, dicitur serva in ordine ad Deum. *Secunda* servitus est *legalis* et despotica, quæ lege, et non prima istius naturæ institutione est introducta, secundum quam aliqui ita sunt sub dominio alterius, ut sint illius quoad omnes suas actiones et operationes temporales, easque in ejus bonum teneantur impendere; in qua specie constituuntur non tantum servi emptitii, sed etiam conductitii pro eo tempore, quo seipsos, et sua opera locant aliis. *Tertia* servitus est *peccaminosa*, qua creatura rationalis peccato vel diabolo subjicitur, de qua 1. Joannis 10. *Qui facit peccatum, servus est peccati. Quarta* et ultima servitus dici potest *pœnalis*, quæ consistit in illo affectu, quo creatura rationalis obedit Deo metu pœnæ subeundæ, quomodo Apostolus ad Rom. 2. ait: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Quæritur autem utrum Christus D. aliquo ex his modis servus possit æstimari et appellari.

Notandum 2. Inter primam servitutem, et reliquas, id esse discriminis, quod prima non repugnet ingenuitati, sed illam compatiatur secum, et simul inferat ipsum jus ad hæreditatem: siquidem Adam ante peccatum, et ejus posteri si perseverassent in statu innocentiæ, fuissent servi Dei hoc genere servitutis, ut satis per se intelligitur; et tamen vi justitiæ originalis, vel potius gratiæ sanctificantis habuissent jus ad vitam æternam, communicassentque in bonis ipsius Dei, cum gratia sanctificans, quam importat justitia originalis, sit singularis quædam naturæ divinæ participatio, ratione cujus *Filii Dei nominamur et sumus*, ait S. Joan. Item justi sunt servi hoc genere servitutis; nam et beata Virgo ancillam Dei se nominat in suo Cantico, et passim omnes Sancti; nec tamen sunt minus ingenui, et liberi; imo, ut canit Ecclesia in officio beatæ Agathæ, *Summa ingenuitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur.* Hinc S. Hieronymus in

illud Psal. 115. *O Domine, quia ego servus tuus*, ait: *Grandis dignitatis, et meriti est esse servum Dei.* Et S. Ambrosius lib. 1. *De Jacob, et vita beata*, cap. 3. talem servitutem vocat *libertatem gloriosam.* Et S. Augustinus ad citatum versiculum Psalmi 115. ait, creaturam debere suo Creatori famulatum, *quem cum exhibet, libera est; hanc accipiens a Domino gratiam, ut ei non necessitate, sed voluntate deserviat.* Observandum insuper ad rationem formalem servitutis non desiderari negationem communicationis in bonis domini, ut minus recte docet Vazquez loco citato capit. 9. quia cum servitus patiatur secum ingenuitatem, compatitur similiter jus ad hæreditatem, atque consequenter communicationem in bonis: sola itaque communicatio in bonis cum æqualitate, et omnimoda plane independentia, tollere potest rationem servitutis, non autem quælibet communicatio in bonis domini.

Notandum 3. Tribus modis dici posse, Christum esse subjectum Patri, videlicet, *vel* ratione inæqualitatis naturæ humanæ respectu divinæ: *vel* ratione voluntatis divinæ, quæ est superior voluntate creata Christi; *vel* ratione obedientiæ præstitæ mandato et præcepto paterno. De prima et secunda subjectione non est controversia; dicitur enim 1. Joann. 14. *Pater major me est:* unde subjectio Christi status manifestatur. Solum igitur movetur quæstio de tertia ratione subjectionis, an videlicet Christus fuerit subjectus Patri ratione cujusdam præcepti, ad quod teneretur ratione virtutis obedientiæ.

Conclusio prima. — Christus fuit subjectus Patri ratione præcepti, cui tenebatur obedire.

Probatur: nam ipsemet Joan. 10. et 14. dicit: *Mandatum accepi a Patre meo. Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio:* et licet nomen *mandati* aliquando in sacris Scripturis sumatur latius, quatenus ea, quæ nobis commendantur, nec præcipiuntur, appellantur mandata; tamen communiter nomine mandatorum intelliguntur præcepta, et prohibitiones. Hinc eodem capit. 14. profitetur Christus se accepisse præcepta a Patre: *Ego*, inquit, *præcepta Patris mei servavi*, quibus in locis Christus facit parem conditionem præceptorum sibi a Patre impositorum. *Deinde*, ad Philipp. 2. dicitur Christus factus obediens usque ad mortem. Nec est, quod dicatur excellentiorem esse obedientiam, quando quis obedit superiori absque intimatione præcepti, quam cum intimatione præcepti: hoc enim simpliciter falsum est; licet enim aliunde actus ille sit excellentior, et arguat voluntatem etiam alio titulo excellentiorem; nihilominus, si spectetur vis obedientiæ, certe desideratur intimatio præcepti, quæ sola respicit obedientiam tamquam suum proprium correlatum. Verum de his amplior erit sermo Disp. sequenti, ubi agetur de meritis Christi.

Objicies 1. Præcepta dantur alicui solummodo propter duo, scilicet propter directionem faciendam in ipsa voluntate operantis: vel propter inflictionem pœnæ, quatenus lex pœnam decernit, propter transgressionem: at neutro modo datum fuit præceptum Christo. Non quidem primo modo, quia erat impeccabilis, et voluntas ejus aliunde satis sufficienter dirigebatur. Non etiam posteriori modo, quia metus pœnæ arguit servitutem pœnalem, quæ nulla erat in Christo, ut mox dicemus. *Præterea*, ubi transgressio legis nulla potest esse, ibi etiam

nulla potest adjungi legi pœna infligenda, quia deest ipsi Legislatori ratio motiva ad pœnam constituendam, quæ est continere subditos in observatione legis, quam possunt infringere: ergo non potuit illi infligi pœna: ergo nullum datur præceptum. *Confirmatur* exemplo voti, quod Christus non potuit emittere, ut docent communiter Theologi, quia votum emittitur ab homine, ut, quia ejus voluntas non est firmata in bono, vovendo illam firmet immobiliter ad id quod expedit facere, et id facit, ut timore inhonorandi Deum, et violandi promissum, abstineat ab ejus contrario. Cum itaque detur etiam præceptum alicui ad eum dirigendum, quia ejus voluntas non est firmata in bono, sed potest ab eo deficere, et voluntas Christi non fuerit hujus conditionis, quandoquidem non potuit votum emittere, sic nec potuit præceptum aliquod illi imponi. — **Respondeo** negando *majorem:* datur enim præceptum propter actum, qui lege præcipitur; unde in ejusmodi præcepto, nec directio, nec pœna primario consideratur, sed tantum secundario. *Directio* quidem, ubi voluntas firmata non est: pœna vero, ubi adest potestas præceptum, et legem injungendi: et quia neutrum istud fuit in Christo; ideo non est etiam datum illi præceptum sub illis rationibus; sed addita ratione excellentiæ et dignitatis actus, quem poterat elicere per obedientiam, absque indigentia directionis, et metu pœnæ. *Ad confirmationem* respondeo, Christum non potuisse votum emittere sub rationibus illis allatis in objectione, potuisse tamen aliis rationibus, quatenus nimirum est aliquis actus latriæ seu religionis; potuit enim Christus, ut homo, velle ex voto orare Patrem, jejunare, sacrificium, et similia, hæc enim nullam includunt imperfectionem vel indecentiam.

Objicies 2: Ubi est præceptum, ibi est necessitas exequendi rem præceptam, quia præceptum inducit obligationem: at Christus, Joan. 10. negat se habuisse necessitatem moriendi: ergo etc. — **Respondeo**, Christum Dominum asserere quidem se non habuisse necessitatem moriendi, quia mandatum de morte obeunda pro nobis acceptatum fuit ab eo libere, juxta illud Psal. 38. *Tunc dixi; Ecce venio.*

Objicies 3: Mors Christi plerumque dicitur tantum permissa, non autem præcepta. — **Respondeo**, dici permissam ratione crucifigentium; dici tamen præceptam ratione crucifixi, et mortui.

Petes primo: quibus legibus Christus subjectus fuerit? — **Respondeo** *primo* fuisse subjectum legibus *juris naturæ*, tam ordinis naturalis, quam supernaturalis, quæ tamen dignitati personæ ejus non disconveniebant. Ratio est, quia Christus assumpsit naturam humanam cum conditionibus, quæ illam sequuntur (excepto peccato, et ignorantia): atqui præcepta juris naturæ sequuntur naturam humanam, item continent rectum ordinem, quem rationalis creatura debet servare, et contra quem Christus non potuit operari. Dixi *ordinis etiam supernaturalis*, cum enim anima esset ordinata ad finem supernaturalem, respectu cujus dantur media quædam necessaria, quæ ex sua natura sequuntur talem ordinationem, cujusmodi est dilectio Dei supernaturalis, inde fit, ut huic et aliis similibus præceptis fuerit Christus subjectus. Dixi præterea, quæ tamen *dignitati personæ ejus non derogabant:* nam dignitas personæ Christi postulabat, ut ab aliquibus le-

gibus etiam juris naturæ eximeretur : v. gr. jure naturæ debemus parentibus obedientiam : at Christus eam Matri suæ beatissimæ Virgini, cum esset illa superior, non tenebatur præstare : ideoque, quod Lucæ 2. dicitur, *et erat subditus illis*, non ex obligatione præcepti naturalis, sed ex libera ejus voluntate, et ad nostram instructionem intelligendum est; ut significat B. Bernardus sect. 29. in Cantica. — *Respondeo secundo.* Christum D. non fuisse subjectum *legibus humanis*, ut colligitur ex cap. 27. Matthæi, ubi Christus significavit se solvere tributum, non ex obligatione, sed voluntarie; ne scilicet alii scandalizarentur. Ratio autem responsionis est, quia superior non potest obligari legibus inferioris : at Christus est superior omnibus legibus et legislatoribus humanis : ergo non fuit subjectus legibus humanis. — *Respondeo tertio*, Christum non fuisse subjectum legibus positivis, tam Novi, quam veteris Testamenti. Probatur de legibus Novi Testamenti, quia Princeps est solutus a suis legibus, et præcipue quando lex respicit subditos, quatenus sunt in aliquo statu dissentaneo a statu Legislatoris, ut patet quando Princeps fert legem de solvendis tributis ; atqui Christus est auctor Novi Testamenti, et lex Novi Testamenti respicit homines, quatenus sunt aliquo modo peccatores : ergo Christus non fuit subjectus legi Novi Testamenti. — *Probatur* insuper de legibus *Veteris Testamenti*, quia lex vetus tantum data fuit pro Adami posteris descendentibus secundum rationem communem : at Christus hoc modo non descendit ab Adamo. Unde colligo, quod quando ad Galatas dicitur Christus *factus sub lege*, debet illud intelligi de voluntaria Christi subjectione in exemplum humilitatis. Illud autem Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere*, recte intelligitur de adimpletione figuræ per exhibitionem veritatis, lex enim vetus erat umbra futurorum in Novo Testamento.

Conclusio secunda. — CHRISTUS, UT HOMO, VERE ET PROPRIE DICI POTEST SERVUS DEI SERVITUTE NATURALI, NON VERO SERVITUTE LEGALI.

Probatur prima pars ex Scriptura sacra, in qua Christus Dominus sæpissime appellatur servus Dei. Sic Isaiæ 42. *Servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in eo anima mea.* Et cap. 53. *In scientia sua justificavit ipse servus meus multos.* Et Zachariæ 5. *Adducam servum meum Orientem.* Eadem veritas in Novo Testamento traditur : nam Matthæi 12. Evangelista locum ex Isaia adductum interpretatur de Christo. Nec refert, quod Evangelista non referat verba *servus meus*, sed *puer meus*, nam sæpissime nomen *pueri* pro servis accipitur. Sic 1. Reg. 9. *Dic puero, ut antecedat nos*, et 21. *Si mundi sunt pueri* (id est servi) *maxime a mulieribus.* Et Psalmo 68. *Non avertas faciem tuam a puero tuo.* Quod etiam constat ex Novo Testamento, ubi pueri nomen pro servo interdum scribitur. Sic maxime, Actor 4. Petrus dixit : *Convenerunt enim vere in civitate ipsa adversus sanctum puerum tuum Jesum*, quo loci pueri nomen non significat hominem juniorem, et nondum adulta ætate maturum, sed proprie pro servo accipitur. Imo ipsemet Christus Matthæi 11. hanc sibi appellationem tribuendam esse satis aperte significavit, cum dixit : *Confiteor tibi Pater Domine cæli, et terræ*, ubi Patrem appellat Dominum

eorum, quæ in cælis et in terris facta existunt, ut significet etiam se, ut hominem, Patrem, ut Dominum agnoscere; et consequenter, se inter ejus servos annumerari, ut colligit S. Athanasius lib. 3. *Contra Arianos*. — *Nec valet* reponere cum Vazquezio Scripturæ verba metaphorice esse accipienda: tum quia Scripturarum oracula in propria sua significatione sunt accipienda, quoties nullum inde sequitur absurdum: at nil Christo, nilque Christianæ veritati detrahitur, ex eo quod Christus, qua homo, appelletur servus Dei: igitur talis revera censendus est: tum quia SS. Patres mox laudandi præfatas Scripturæ auctoritates in propria significatione usurparunt: igitur ita debent accipi. — Nec pariter obstat, quod Adrianus summus Pontifex in sua epistola ad Concilium Francof. dicat, *nullum unquam Evangelistarum, neminem Apostolorum servum illum vocasse:* hoc enim ideo dixit, vel quia raro, et non ita expressis verbis in Novo, ac in Veteri Testamento sic vocatur, vel accipit servum in alia significatione, scilicet, vel pro puro homine, vel pro homine subdito peccatis, de qua re infra.

Probatur secundo ex SS. Patribus: imprimis vero S. Chrysostomus, Hom. 7. in epist. ad Philipp. exponens hæc verba, *Formam servi accipiens*, ait: *Sicut in forma Dei perfectus est Deus, ita in forma servi perfectus est servus*. Similiter S. Ambrosius lib. 7. *Epistolarum*, epistola 15. quemdam arguit, qui negaverat Christum pro nobis servitutem ac opisse, ubi exponens illud Psalmi 108. *Adjura me, Domine Deus meus*, ait: *Servitus enim carnis, dominatus Divinitatis est*. S. Hieronymus, in epist. ad Tit., cap. 1. *Nec mirum quamvis sanctos homines, Dei servos nobiliter vocari, cum per Isaiam Prophetam Pater loquatur ad Filium: Magnum tibi est vocari servum meum*. Isidorus, lib. 1. *De Summo Bono*, cap. 16. *Christus, et in forma servi servus, et in forma servi non servus: in forma quippe servi, Domini servus: et in forma servi hominum Dominus*. August., epist. 174. *Secundum formam Dei de seipso dixit: Ego et Pater unum sumus: secundum formam servi: quoniam Pater major me est*. S. Athanasius, serm. 3., *Contra Arianos*, ubi voces facti, conditi, servi, et filii, referens, sic habet: *Omnes istiusmodi voces, ratione humanitatis, bene, et proprie competunt*. Nazianzenus, oratione 3., *De Theologia: Tu mihi contra voces illas ingratitudinis tuæ indices enumera, has videlicet, Deus meus, et Deus vester; major, creavit, fecit, sanctificavit, servum etiam si ita libet et obedientem adjunge*.

Probatur etiam ratione: Ille enim vere censetur servus, qui est sub potestate domini, et omnes suas actiones, suosque labores in ejus obsequium tenetur impendere, necnon et in omnibus ei parere et obsequi: at hæc omnia Christo, ut homini, conveniunt respectu Dei. Primo namque Deus omnium hominum, et proinde Christi ut hominis, ita est Dominus, ut pro libito, proque jure sui dominii possit omnes homines, adeoque Christum ut hominem, et omnes creaturas annihilare; ut ipsemet Deus testatur Deuteronomii 32. *Ego occidam, et ego vivere faciam:* et Sapientiæ 16. *Tu es Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem*. Similiter Christus, ut homo, quidquid habet, Deo præpotenti, tamquam totius boni distributori et largitori debet. Pari ratione, omne suum obsequium in ejus cultum et honorem tenetur impendere; nam omnia serviunt ei; quapropter Christus D., ut docet Apostolus ad

Philip. 2. *Deo factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

Dices 1: Ratio creaturæ dependentis a Deo non est fundamentum adæquatum servitutis veræ et propriæ; sed insuper requiritur, ut qui servus est, non communicet ullo modo in bonis domini sui: at Christus ut homo, communicat in bonis Dei; siquidem, ut sit homo completus, debet habere subsistentiam; subsistentia autem Christi divina est: ergo ut homo, communicat in bonis Domini sui. — **Nego majorem**; quamquam enim hæc communicatio in bonis domini forte sit quid consequens ad servitutem legalem, quia qui servus est servitute legali, ita est sub alterius dominio, ut cum eo neque in bonis, neque in honore, neque in dignitate communicet, non tamen illa negatio servitutis requiritur ad servitutem naturalem, ut diximus in secundo Notabili. Siquidem hæc non excludit jus ad communicandum in bonis et honoribus, ut patet non solum in filio, qui licet servus naturalis patris, tamen habet jus ad communicandum cum illo in bonis et honoribus, sed etiam in sanctissimis viris; homines enim justi communicant per gratiam in bonis Dei, quia per gratiam sunt consortes divinæ naturæ, ut docet S. Petrus epist. 2. cap. 1. et habent jus ad visionem et fruitionem Dei: attamen vere ac proprie nominantur servi Dei, ut pluribi testatur S. Paulus, qui in suis epistolis maxime gloriatur hac appellatione pluries repetita, *Paulus Apostolus servus Jesu Christi.* Hinc Matth. 25. omni Justo ad æternam gloriam evocato dicitur: *Euge, serve bone et fidelis, etc.*

Instabis iterum, justos equidem vocari servos Dei, sed improprie: siquidem Christus illis dixit Joann. 15. *Jam non dicam vos servos, sed amicos:* igitur illa responsio nulla. — **Nego consequentiam**: Christus enim solum a justis ablegat appellationem, et sortem servitutis servilis, quia justi non operantur instar servorum ex timore servili, sed instar filiorum ex amore: idcirco potius amici, quam servi nominantur. Quod autem hæc servitus naturalis non excludat conditionem filii adoptivi, nec amici, constat, quia illa etiam compatitur cum conditione maternitatis: etenim beatissima Virgo, quæ abundantissime in honoribus Dei communicavit, quæque divinæ maternitatis titulo et gloria illustrata est, tamen immediate post conceptionem Verbi divini, ac sibi concessam dignitatem maternitatis, seipsam Dei servam et ancillam nominavit, dicendo Lucæ 1. *Ecce ancilla Domini:* unde in suo Cantico ibidem canebat: *Respexit humilitatem ancillæ suæ, etc.*

Urgebis: Non eamdem esse paritatem communicationis Sanctorum ac Deiparæ Virginis in bonis Dei ac Christi: igitur quantumvis illa communicatio non obsit quominus beata Virgo et Sancti dicantur servi Dei, cum longe nobilius et divinius Christus in Dei bonis communicet, nullatenus ejus servus reputari poterit. — **Contra**, quantumvis Christus longe perfectius, quam quilibet alius Sanctus communicaverit cum Deo in bonis, non tamen communicavit ad æqualitatem: siquidem Christus non sibi vindicat omnia divina attributa; nam nec est omnipotens, nec infinitus, nec immensus: licet enim attributa Dei de Christo prædicentur per communicationem idiomatum, tamen revera humanitas ejus non potest dici omnipotens, immensa, æterna, etc.; igitur non communicat in omnibus Dei bonis ad æqualitatem. Unde non obstante hac

communicatione in bonis, Christus revera dici poterit Dei servus, quia licet sit æqualis Patri secundum divinitatem, tamen est minor Patre secundum humanitatem.

Probantur cæteræ Conclusionis partes. Primo quidem ex Concilio Francofordiensi, quod in epistola ad Episcopos Hispaniæ sic Felicem, et Elipandum interpellat: *Intelligite*, inquit, *in hac professione vestra, duplices diabolicæ fraudis latuisse dolos..... dum, et Dominum nostrum Jesum Christum, quem Deum colimus et adoramus, servum prædicatis, et adoptivum, considerate quale est hoc scandalum inter paganas gentes, ut dicatur Deum Christianorum servum esse, vel adoptivum. Nos per illum adoptivi sumus, non ille nobiscum adoptivus. Nos per illum a servitute liberati, non ille nobiscum servus.* Idem colligitur ex Adriani summi Pontificis epistola ad Episcopos Hispaniæ, in qua pariter Felicem, et Elipandum alloquens, ait: *Tanta vos dementia deludit; adoptivum eum.... filium quasi purum hominem calamitati humanæ subjectum, et quod pudet dicere, servum: cum impii, et ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescatis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini, queruli obtrectatores Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de servitute diaboli liberavit?* Et paulo post: *Dominum igitur Angelorum, omnisque creaturæ, cujus sub pedibus cuncta subjecta sunt, vos dicitis servum, et adoptivum.* Quibus duobus testimoniis aperte satis constat a Christo ablegari servitutem, non quidem naturalem in ordine ad Deum, cui assumpta natura subjicitur; sed vel legalem, vel pœnalem, vel peccaminosam; quod clarius Concilium in eadem epistola significat. dum ait: *Etsi cum Propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, quia factus est Patri obediens usque ad mortem, Papa Leone dicente: Assumpta est de Matre Domini natura, non culpa, creata in forma servi sine conditione servili.* Quibus verbis Concilium significat se removere a Christo servitutem non naturalem consistentem in humilitatis obedientia, quæ est propria creaturæ, sed servitutem legalem et peccaminosam.

Reponit Vazquez, Pontificem, et Concilium removere a Christo omnem omnino servitutem, siquidem significant Christum esse simpliciter dicendum Filium, non vero servum. — **Contra**, tam Pontifex, quam Concilium a Christo servitutem illam eliminant, pro qua impugnanda SS. Patrum auctoritates proferunt: at omnes SS. Patrum auctoritates, quas proferunt, solum a Christo removent triplicem postremam servitutem. Nam sanctus Chrysostomus Homil. 13. in epistola ad Heb. quem etiam pro sua sententia firmanda allegat Vazquez, solum excludit conditionem servilem a Christo per ordinem ad homines; ait enim: *Sicut servus factus est, sic etiam Pontifex, et minister: sed sicut servus factus non mansit servus, sic et minister factus non mansit minister: non enim ministri est sedere, sed stare.* Quibus verbis ostendit S. Chysostomus Christum jam ad dexteram Patris sedentem in Cælis non amplius gerere ministerium servi, nec ministri, per ordinem ad homines. Unde excludit solum a Christo subjectionem illam, quam adhuc mortalis monstrabat per ordinem ad homines. — Similiter S. Leo, Sermone 1. *De Nativitate* post medium, a Concilio mox laudatus, sic ait: *Assumpta est de Matre hominis Domini na-*

tura, non culpa: creata est forma servi, sine conditione servitutis, quia novus homo sic contemperatus est veteri, ut veritatem susciperet generis, et vitium excluderet vetustatis. — Denique, S. Damascenus, qui apertius pro Vazquezii sententia militare videtur, non aliam a Christo ablegat servitutem, quam quæ per peccatum est introducta: ait enim lib. 4. *De Fide*, c. 19. *Si quæ revera disjungi nequeunt, hoc est, carnem a Verbo, animo, et cogitatione distinxeris, et servus, et ignarus dicitur: qui videlicet servæ, et ignoratione naturæ laborantis erat: ac nisi caro Deo Verbo copulata fuisset, serva procul dubio, et ignorans extitisset: verum ob personalem cum Deo unionem id habuit, ut nec serva esset, nec in ignoratione versaretur.* Quibus verbis significat illam tantum a Christo removeri servitutem, cui sicut et ignorantiæ fuisset subjecta ipsius humanitas, si a Verbo non fuisset assumpta. Certum est autem, quod non fuisset subjecta ignorantiæ, nisi propter peccatum: igitur S. Damascenus solum removet a Christo servitutem, quæ per peccatum inducta fuisset: igitur non est, cur tantopere sibi blandiatur Vazquez suam sententiam apertis et evidentibus Conciliorum et SS. Patrum oraculis esse firmatam.

Urget Vazquez: Concilium Francofordiense, postquam a Christo removit servitutes præfatas, subjicit: *Quid dicitis de Deo Patre, qui eum in baptismo, et transfiguratione* Filium *nominavit, non* Servum? *Deinde*, si Christus posset dici servus servitute naturali, frustra tantopere laborasset Adrianus summus Pontifex, ut omnes Scripturæ textus aliquam Christo servitutem tribuentes, in sensum allegoricum detorqueret, facili namque negotio dixisset, illos esse intelligendos de servitute naturali Christi in ordine ad Deum, si illam in Christo agnovisset. — **Respondeo** *primo* negando *consequentiam*: nam præter servitutem naturalem, qua homo dependet a Deo, etiam habere potest aliam servitutem respectu Dei ex peccato contractam, siquidem eo ipso, quo homo peccator est, novo titulo Deo, ut Judici, et vindici subjicitur. Deusque novum jus obtinet in peccatorem, ut ipsum non solum pœnis subjiciat, sed etiam exterminet et annihilet. *Respondeo secundo*, Concilium loqui de servitute, quæ fundaretur in supposito et persona, qualem servitutem admittebant Felix et Elipandus, qui Nestorii errorem innovantes, duplicem in Christo personam affirmabant, ut significant Patres ejusdem Concilii, Felicem et Elipandum in eadem epistola sic alloquentes: *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio refutata etiam et damnata est?* Unde S. Damascenus, lib. 3. *De Fide*, cap. 21. *Ii autem*, ait, *qui servum eum dicunt, unum Christum instar Nestorii in duos dividunt.* — *Respondeo ad secundum*, consultius quidem, ac rectius fuisset testimonia in proprio, quam in metaphorico sensu accipere: nihilominus prudenti consilio Pontifex ad metaphoram deduxit, ne servitutis nomen (tantopere Hispanis odiosum propter diram ac diuturnam eorum servitutem, qua a Mauris vexabantur) Christo tribueret, et sic Hispanicæ Ecclesiæ Patribus gravis et infensus appareret.

SECTIO SECUNDA.

DE HUMANITATE CHRISTI.

Christum esse verum hominem, non est quod probemus contra Judæos; nihil enim certius ab omnibus illis existimatum est, quippe omnes prophetiæ, quæ venturum Messiam prænuntiabant, eum de semine Abrahæ, ex fœmore Jacob, Davidis filium, et aliud ejusmodi significabant. Idipsum expresse docuit Moyses, Deuter. 18. dum populum Judaicum alloquens ait: *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus.* Quoniam vero in hac assertione infestos habet Ecclesiæ fides antiquos omnes hæreticos, quos in hujus Tractatus præludio recensui, quippe hominem specie tenus assumptum aliqui putaverunt: nonnulli veram carnem inficiati sunt, vel e Cælo delibutum corpus dixerunt, vel animam, partemve animæ segregarunt, aut ejus facultates negaverunt. Contra utrosque hæreticorum cuneos hac in Sectione pugnandum est, ac docendum, perfectam hominis in Christo fuisse naturam, et suis omnibus expletam partibus ac facultatibus, quales sunt anima rationalis, et humanum corpus, ac utriusque naturales partes et potentiæ. Quo uno demonstrato, causam adversus illos obtinebimus, qui aut effigiem solam hominis adumbratam esse in Christo mentiti sunt, aut solam animæ substantiam absque corpore fuisse cum hujus imagine, aut larva: aut istud ipsum carne minime constare, sed aliena ex materia, seu ex æthere, Cælove esse decerptum existimant.

Quatuor igitur maxime veniunt hic determinanda: *Primum*, an Christus vere integram hominis naturam anima rationali et humano corpore constantem assumpserit. *Secundum*, an omnes humani corporis partes et humores inseparabiliter sibi conjunxerit. *Tertium*, an Christi humanitas propriam habuerit existentiam, ac substantialem existendi et subsistendi modum. *Quartum*, an habuerit omnes animæ facultates, maxime voluntatem humanam, eamque in omnibus divinæ concordem.

QUÆSTIO PRIMA.

AN CHRISTUS VERE INTEGRAM HUMANITATEM ANIMA RATIONALI ET HUMANO CORPORE CONSTANTEM HABEAT.

Notandum 1. Citra dubium esse, Verbum divinum ab eo tempore, quo in humanis apparuit, hominem fuisse denuntiatum et appellatum, nec ullus est hæreticorum qui eam constantem veritatem deneget, quippe id apertissime testantur Scripturarum oracula, non solum Veteris Testamenti, sed maxime Novi. Sic Joan. 8. Christus ipsemet ait: *Quæritis me interficere hominem, qui veritatem locutus sum vobis.* Et cap. 9. cæcus illuminatus a Christo dixit: *Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit,* etc. Quem cum audiret Christus, non correxit, sed ulterius ab illo petiit, ut crederet etiam ipsum esse Filium Dei. Et cap 10. Judæi dicentes Christo: *De bono opere non lapidamus te, sed quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum:* Christus vero primum admittens, se nihilominus Deum esse et recte appellari confirmat. Unde Caiphas

Joan. 11. et 18. consilium, spiritu prophetico motus, dedit Judæis: *Expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo,* etc. Quem hominem ibidem declarat Evangelista esse Jesum Christum, qui moriturus erat pro universo humano genere. Solum ergo dubium restat, an illa hominis appellatio Christo revera fuerit attributa, ita quod veram humanitatem in ipso designaverit, an autem dumtaxat fuerit metaphorica quædam locutio, ut contendebant olim hæretici quotquot integram in Christo ac veram humanitatem existere denegabant.

Notandum 2. Varios, ut in hujus Tractatus præludio monuimus, hæreticos extitisse, qui veram animam in Christo negabant: imprimis namque *Ariani* quidam docebant Christum non habere veram animam rationalem, sed Verbum illi fuisse loco animæ, ut refert S. Epiphanius, hæresi 69, et S. August. hæresi 49, qui quidem error etiam tribuitur Eusebio Cæsariensi, et aliis Arianis ejus sequacibus in 7. Synodo actione 6. *Apollinaris* autem, qui in principio idem senserat cum Arianis, postmodum apertis Scripturæ textibus convictus erroris, nec tamen cedens, demum docuit in Christo quidem esse animam sentientem, non vero mentem, ut referunt Epiphanius, hæresi 77, Nazianzenus orat. 46. August. hæresi 55. Quid autem nomine *mentis* intellexerit hæreticus ille, an scilicet potentiam intellectivam, vel ipsam substantiam rationalis animæ, non satis aperte explicant dicti Patres. Nam August. dicit: Negavit mentem, quæ est rationalis anima hominis; Epiphanius vero refert se interrogasse hæreticos, quid nomine *mentis* intelligerent, ipsosque respondisse, esse substantiam, seu spiritum: Ex quo, inquit Suarez, disp. 15. sect. 7. sequitur eos negasse partem quamdam humanæ naturæ, forte eo sensu, quo hæretici *dicti Dimeritæ* dixerunt, ex tribus partibus humanæ naturæ, corpore, anima, et mente, Verbum duas priores tantum assumpsisse, ut constat ex sancto Epiphanio, hæresi 78, et ex epistolis Damasi, quas refert Nicephorus lib. 12. *Historiæ* cap. 17. in quibus Damasus contra hos hæreticos definit assumpsisse Christum veram animam rationalem, non obscure indicans illos hæreticos id negasse, et in eo secutos fuisse errorem Apollinaris.

Notandum 3. Varios itidem hæreticos negavisse in Christo verum corpus ex Virginis fœcunditate et semine genitum. ✻ "Horum agmen duxisse videtur Simon Magus cum suis sectariis. Sicut enim ille Patrem, Filium, Spiritum Sanctum se fuisse jactitabat, in Christo talem apparitionem fingebat, qualem in se Patris, Filii et Spiritus Sancti. *Deinde* apparitionem Christi comparabant cum apparitionibus Veteris Testamenti, quæ cum factæ fuissent in corporibus aëreis, et ad tempus apparitionis tantum compactis et compositis, quæ postea in aërem, vel in fumum dissolverentur, talem corporis Christi sibi fingebant indolem et naturam, et nihil de Incarnatione Christi illiusque natura humana personaliter assumpta et numquam deserenda cogitabant. Cum vero animadverterent in Evangelio Christum mediis in turbis videri non potuisse, et ab amicorum vel hostium oculis se sæpius subduxisse, proni deflexerunt in istam sententiam, Christi corpus non fuisse omnino palpabile et visibile, illoque Christum usum, ut cum hominibus aliquando congrederetur, sed sæpe istis disparitionibus ostendisse, se veram carnem et verum corpus omnino non induisse. Ad quod etiam asserendum moti fuerunt variis istis apparitionibus post illius resurrectionem, in

quibus non agnoscebatur ab Apostolis, etiamsi cum illis familiariter conversaretur, ad illos pergebat, ingrediebatur januis clausis et pessulis fortiter impactis et obductis, et varia præstabat quæ reale corpus et veram carnem non videbantur suadere. Deinde ab ipsis Apostolis, cum fluctibus maris olim pedibus calcaret, habitus est pro phantasmate, unde ad alios etiam potuit istud delirium pervenire, et fortius in hæreticorum mentibus inhærere, quam in Apostolorum cordibus, quos ad momentum tantum talis cogitatio occupaverat. Quamobrem S. Joannes Evangelista ut pestilentissimo huic dogmati occurreret, ostenderetque revera duas in Christo Domino extitisse naturas, humanam scilicet et divinam, post assertam et declaratam Christi Domini nativitatem, tandem subjungit: *Et Verbum caro factum est*, quibus significat Verbum divinum carnem veram assumpsisse, refellitque impium Simonianorum dogma de phantastica et larvata Christi carne. — Nihilominus tamen Marcion simoniaco hoc viru imbutus ausus est asserere " ✻ in Christo solum fuisse corpus phantasticum et apparens, ut referunt Justinus Martyr, Apologia 2. pro Christianis, Irenæus lib. 1. c. 19. qui ait, propterea hunc hæreticum expunxisse prima capita Evangelii Lucæ, quæ sunt de humana Christi generatione, et Tertullianus illis libris, quos contra Marcionem edidit. Fuerunt vero alii hæretici, qui verum corpus Christum habuisse docuerunt, sed non ejusdem rationis cum nostro, qui idcirco varias in partes scissi sunt: quidam enim dixerunt Christi corpus formatum fuisse ex elementis, ut *Apelles* Marcionis discipulus, et postea desertor, inquit Tertul.; alii, habuisse corpus cæleste, ut *Valentinus*, qui, inquit Tertul., lib. *De Præscript.* cap. 19. dicebat Christum *spiritale nescio quod corpus de cælo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse : nil inde, vel accipientem, vel mutuantem.* Aliqui denique dixerunt habuisse corpus divinum consubstantiale Divinitati, vel certe ex ipsa formatum, ut docebat *Apollinaris*, referente Justino Martyre, *Apologia* 2. circa finem.

Tria igitur sunt hic districte resolvenda majoris claritatis gratia, quæ nihilominus in idem collineant: *Primum*, quod Christus veram et integram humanitatem assumpserit. *Secundum*, quod verum corpus nostris consubstantiale habuerit. *Tertium*, quod etiam veram animam rationalem habuerit nostris omnino similem.

✻ " **Conclusio prima.** — Verbum divinum veram humanitatem assumpsit. Hæc est de fide contra Basilidem.

Probatur primo Conclusio ex apertis Scripturæ sacræ oraculis, scilicet ex Joan. 8. cap.: *Quæritis*, inquit Christus, *me interficere hominem qui veritatem locutus sum vobis.* Ex Matth. 20. cap.: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur, et occidetur, et tertia die resurget.* Ex Luc. ult. cap.: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum. Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Idem probavit manducando cum Apostolis, *ut per veritatem comestionis veritas patesceret carnis*, inquit S. Gregorius. Idem firmatur ex aliis bene multis Scripturæ sacræ textibus, quibus constat Deum hominem factum, ac nostri similem, inter nos humano more conversatum ac locutum, per omnia tentatum absque peccato, per sitim et lassitudinem, per passionem et mortem. Non ergo larva

hominis, sed verus homo fuit. *Quoties* enim, inquit Theodoretus, *vel hominem* se Christus vocat, vel Abrahami et Davidis semini ac stirpi inscribitur, toties veræ carnis ac veræ animæ testimonium perhibet: non enim, si alterutra pars desit, nuncupationibus istis veritas subest.

Probatur secundo ex vetustissimis symbolis quæ ante Nicænam synodum per Ecclesiam legebantur, necnon ex Nicænæ ipsius et sequentium synodorum decisionibus ac fidei professionibus, ¨ ✻ dum proferunt Verbum incarnatum, et hominem factum. Hinc Synodus Constantinopolitana secunda inter Œcumenicas, epistola ad Damasum, et alios in Romana Synodo congregatos, ait: *Se nec animæ, aut mentis expertem, nec imperfectam carnis œconomiam admittere: verum nosse se perfectum ante sæcula Dei Verbum, et perfectum hominem in novissimis diebus propter nostram salutem fuisse.* Chalcedonensis in decreto fidei quod actione 3. promulgatum est, Christum Dominum eumdem affirmat esse *perfectum in Divinitate, et perfectum in humanitate: Deum et hominem vere eumdem ex anima rationali et corpore: consubstantialem Patri secundum Divinitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem, et per omnia similem nobis, absque peccato:* quæ Athanasii Symbolum eadem expressit sententia: *Perfectus,* inquit, *Deus, perfectus homo, ex anima rationali, et humana carne subsistens.* Longum esset, et supervacuum hic scribere omnes posteriorum Conciliorum definitiones, ac SS. Patrum auctoritates, quibus Catholica hæc veritas docetur et firmatur: juvat tamen illam probare argumentis, quibus utuntur plerique Patres ad eamdem veritatem confirmandam.

✻ ¨ **Primum argumentum** ✻ ¨ ex eo deducitur, quod nisi integra esset Christi humana natura, vera non esset, nec verus homo Christus, ideoque nec homo esset omnino: nam quod vere aliquid non est, hoc simpliciter non est: sic autem ratiocinatur Tertullianus in libro *De Carne Christi: Aliter,* inquit, *non diceretur homo Christus sine carne; nec hominis filius sine aliquo parente homine, sicut nec Deus sine spiritu Dei, nec Dei Filius, sine Deo Patre... quid dimidias cum mendacio Christum? Totus veritas fuit.* Hinc lib. *De Resurrectione Carnis* cap. 40. *Porro nec anima,* inquit, *per semetipsam homo, quæ figmento jam homini appellato postea inserta est: nec caro sine anima homo, quæ post exilium animæ cadaver inscribitur: ita vocabulum* homo *consertarum substantiarum duarum quodammodo fibula est, sub quo vocabulo non possunt esse, nisi cohærente.* Eamdem ratiocinationem format Gelasius in libro *De Duabus Naturis,* probans adversus Acephalos Christum constare duabus naturis, quoniam unius rei proprietate sublata, inquit « pro parte apud eos medius erit Christus non unus, non « integer; ideoque nec verus: sequitur ut falsus, quia modis omnibus « in hoc tendit abruptum, si aliquid naturaliter inde removetur, ex « quibus vel in quibus unus, et integer Christus est; ob hoc conse- « quenter et verus: ergo ut verus sit, integer sit necesse est: ut in- « teger unus, idemque persistet. » Hæc Gelasius.

✻ ¨ **Secundum argumentum** desumi potest ex S. Irenæo, lib. 5. *Adversus Hæreses,* cap. 1, et ita contra Basilidem torqueri: si Christus specie tantum et secundum apparentiam homo fuisset, nullum esset inter ejus incarnationem et apparitiones veteribus patriarchis et prophetis factas discrimen, in illis namque visionibus sub specie sensi-

bilis corporis apparebat. Sed hoc aperte falsum est, tum quia de talibus apparitionibus non possunt verificari quæ de incarnatione dicuntur, scilicet quod Deus sit homo factus, quod sit mortuus etc., tum quia sicut visiones illæ verum Christi in carne adventum futurum repræsentabant, ita incarnatio esset tantum prænuntia alterius Christi adventus in vera humanitate. Hæc sunt verba S. Irenæi: *Si cum homo non esset apparebat homo : neque quod vere erat perseveravit, hoc est Dei spiritus, quoniam invisibilis est spiritus : neque veritas quædam erat in eo: non enim illud erat quod videbatur. Prædiximus autem quod Abraham et reliqui prophetæ prophetice videbant eum, id quod futurum erat per visionem prophetantes : si igitur et nunc talis apparuit, non existens quod videbatur, quædam prophetica visio facta est hominibus, et oportet alium expectare adventum ejus, in quo talis erit vere, qualis nunc visus est prophetice.*

Tertium argumentum ex eodem S. Irenæo depromitur, qui et multa alia ibidem suppeditat. Nihil constantius asseritur in Scriptura sacra quam Christum corpus suum pro nobis crucifigendum tradidisse, et suo sanguine peccata nostra diluisse, atque etiam nos verbo et exemplo docuisse: at nemo dixerit nos specietenus esse redemptos, et pretium pro peccatis putative tantum esse solutum. *Suo igitur sanguine,* inquit S. Irenæus, loco citato, *redimente nos Domino, et dante animam suam pro nostra anima et carnem suam pro nostris carnibus, et effundente Spiritum Patris in adunationem et communionem Dei et hominum, ad homines quidem deponente Deum per Spiritum, ad Deum autem rursus imponente hominem per incarnationem, et firme et vere in adventu suo donante nobis incorruptelam per communionem quæ est ad Deum, perierunt omnes hæreticorum doctrinæ.* — Idem concludit ex eo quod Christus fuerit verus unusque magister noster et non specie tantum: *Non enim,* inquit, *aliter discere poteramus quæ sunt Dei, nisi Magister noster Verbum existens homo factus fuisset. Neque enim alius enarrare nobis poterat quæ sunt Patris, nisi proprium ipsius Verbum. Quis enim alius cognovit sensum Domini? aut quis alius consiliarius ejus factus est? neque rursus nos aliter discere poteramus, nisi Magistrum nostrum videntes, et per auditum nostrum vocem ejus percipientes, uti imitatores quidem operum a perfecto argumentum accipientes.* — Rursus lib. 3. adversus hæreses, cap. 20: *Si Magister noster,* inquit, *non vere passus est, nulla gratia ei, cum nulla fuerit passio : et nos cum incipiemus vere pati seducens videbitur, adhortans nos vapulare, et alteram præbere maxillam, si illud non prior in veritate passus est: et quemadmodum illos seduxit ut videretur eis ipse hoc quod non erat, et nos seduxit adhortans perferre ea quæ ipse non pertulit.* Imo, *erimus,* inquit ibidem, *supra Magistrum, dum patimur vere et sustinemus, quæ neque passus est, neque sustinuit Magister : quomodo igitur passus est nobis relinquens exemplum ut sequamur vestigia ejus, si specie tantum mentitia passus est?*

Quartum argumentum plerique Patrum suggerunt, quod sic proponi potest: Veritas uti non falli, ita nec fallere potest: sed si Filius Dei solum hominis phantasma assumpsisset, homines fefellisset. Ita S. Aug. lib. 83. *Quæstionum,* quæst. 11: *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus : et si fallit, veritas non est. Est autem ve-*

ritas Christus: non igitur phantasma fuit corpus ejus. Eamdem rationem sic urget S. Epiphanius: *At scilicet Dei Verbo adhibendæ jocularis præstigiæ fuerunt, ut alium ad mortem, crucisque supplicium obeundum* (Simonem nempe Cyrenæum quem pro Christo crucifixum fingebat Basilides) *vice sua traderet; is præsertim qui dixerit: Ego sum veritas et vita. Atqui neque vitæ esse, alteri mortem conciscere; neque veritatis, quod revera in sese inesse dissimulare, aliaque pro aliis ostendere: desinit enim veritas esse, si sit fraudis et erroris artifex, suumque ipsamet opus abscondat.* — Addit adhuc ad convellendum illud Basilidis commentum: *Si in crucem Simon ille Cyrenæus est sublatus, non igitur per Christum parta nobis est salus, sed per Simonem: nec jam per Christum mundus se salvum fore sperare debeat, utpote qui minime sit passus: neque per Simonem, non enim salutis esse causa Simon potest: purus utique ac purus homo, neque quicquam amplius.*

Quintum argumentum petitur ¨ ✳ ex eo quod Christus Redemptor debuit inter nos, ac Deum sequester, conciliatorque esse, hoc est medium, sive, ut loquitur Scriptura, *Mediator;* decuit autem hujusmodi Mediatorem ambas, utrasque partes in se complecti, ut facilius concordes statueret. Sic ratiocinatur S. Hilarius lib. 9. sub initium: *Mediator,* inquit, *ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, et illo ipso inter Deum, et hominem mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est; ita tamen ut neutro careret in utroque.* Hoc argumentum luculentis verbis urget S. Fulgentius lib. 1. *Ad Trasimundum* cap. 15. ubi ait: *Non incassum hominem Jesum Christum Mediatorem Dei et hominum nuncupatum: nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, et idem homo totam in se habet substantiam Deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus a Deo; inter Deum irascentem, hominemque peccantem, talis utique Mediatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum, verumque in se Deum de Deo natum haberet, et ad reconciliandum hominem Deo, totum, verumque in se hominem natum hominem contineret.*

✳"Objiciebant 1. Hæretici: Qui in similitudinem hominum factus est, non est vere homo, sed specietenus: sed Filius Dei dicitur ad Philipp. 2. in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo: ergo non vere, sed specietenus homo fuit. — **Respondeo negando majorem**; similitudo enim veritatem non semper excludit, imo dicit aliquid commune rebus quæ similes dicuntur; et supponit aliquid quo eædem res discrepent. Similitudo enim non dicit omnimodam identitatem, neque etiam dicit omnimodam diversitatem, sed infert aliquam convenientiam simul cum aliqua discrepantia. Sic, ut ad *minorem* veniamus, Christus in similitudinem hominum factus dicitur, quia convenit cum ipsis in natura humana; differt autem tum ratione suppositi quod in aliis hominibus creatum, in ipso vere divinum est, tum ratione conceptionis, quia non per viam ordinariam, sed Spiritus Sancti obumbratione conceptus est ex Virgine; tum ratione status, cæteri enim peccato obnoxii et servi, ipse vero ab omni peccato immunis et alienus; unde dicitur ad Romanos 8. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Et ad Hebræos 4. habetur *Christum fuisse tentatum per omnia pro similitudine absque peccato,* quibus innuitur

eum veritatem carnis, non vero peccati habuisse, et esse in omnibus aliis similem nostri. — Id diserte explicat Tertullianus, lib. 5. in Marcionem, cap. 14. *Puta nunc,* inquit, *similitudinem substantiæ dictam, non ideo negabitur substantiæ veritas. Cur ergo similis si vera? quia vera quidem, sed non ex semine; de statu similis, sed vera de sensu, non vera dissimilis. Cæterum similitudo in contrariis nulla est. Spiritus non diceretur carnis similitudo, quia nec caro similitudinem spiritus caperet, sed phantasma diceretur, si id quod non erat videbatur. Similitudo autem dicitur cum est quod videtur: est enim dum alterius par est. Phantasma autem, qua hoc tantum est, non est similitudo.* Atque ibidem: *Si Pater,* inquit, *misit Filium in similitudinem carnis peccati, non ideo dicetur phantasma caro quæ in illo videbatur. Ob hoc igitur missum Filium in similitudinem carnis peccati intellige: ut peccati carnem simili substantia redimeret, idest, carnea, quæ peccatrici carni similis esset, cum peccatrix ipsa non est. Nam et hæc erit Dei virtus in pari substantia perficere salutem: non enim magnum et mirum esset, si Spiritus Dei carnem remediaret; sed si caro consimilis peccatrici id faceret, dum caro est, sed non peccati. Ita similitudo non ad titulum peccati pertinebit, non ad substantiæ mendacium.* — Deinde contextus citatus debet intelligi ut sequentes intelliguntur Genesis 2. *Dicit Deus: non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Et cap. 5. dicitur *Adam genuisse* filium *ad imaginem et similitudinem suam.* Et ad Coloss. 2. Filius Dei dicitur *imago Patris.* Sed illi contextus ita nequeunt explicari ut uxor et filius Adam veram ejus naturam non habuerint, et ut Dei Filius non sit consubstantialis Patri. Ergo ex eo quod Christus dicatur factus in similitudinem hominum, male infertur quod non sit verus homo. — *Præterea* ad tollendam vel minimam de veritate humanitatis Christi suspicionem oriundam ex his verbis, statuitur ibidem veritas illa his verbis: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem;* neque enim summam illam humilitatem et obedientiam exercere, et mortem pati potuisset, nisi verus homo fuisset.

Instabis: Qui carnem damnavit veram carnem non assumpsit: sed Christus carnem damnavit per Apostolum suum dicentem 1. Cor. 15. v. 50. *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt:* ergo etc. — **Distinguo minorem:** damnavit carnem, idest, opera carnis, *concedo;* idest substantiam carnis, *nego.* Ita distinguit Tertullianus loco citato. Hic autem ipse disserens quomodo nolit nos esse in carne cum simus in carne, ut scilicet non simus in operibus carnis, ostendit hac ratione scripsisse: caro et sanguis regnum Dei consequi non possunt: non substantiam damnans, sed opera ejus; quæ quia possunt non admitti a nobis adhuc in carne positis, non ad reatum substantiæ, sed ad conversationis pertinebunt.

Objicies 2. Filius Dei sanctis Patribus apparuit in Veteri Testamento carne indutus, imo et ambulavit, locutus est et manducavit: nec tamen vera erat ejus caro, sed putatitia: ergo nec in Novo Testamento veram carnem assumpsit. — **Respondeo primo** cum S. Augustino variis in locis, sed præsertim lib. 3. *De Trinitate,* cap. 10. et 11. has apparitiones factas fuisse ministerio Angelorum, nec Filium Dei propria in persona apparuisse. — *Respondeo secundo* juxta aliorum

Patrum sententiam, negando quod in vera carne priscis patribus non apparuerit. Ipse enim, inquit Tertullianus, cum Angelis tunc apud Abraham apparuit in veritate quidem carnis, sed nondum natæ, quia nondum morituræ, sed et discentis jam inter homines conversari. Hæc habet lib. 3. *Contra Marcionem*, cap. 9. Dici potest igitur Filium Dei tunc verum corpus assumpsisse, non quidem hypostatice, sed per peculiarem assistentiam et usum. — *Respondeo tertio* negando *consequentiam*, imo ex eo quod apparitiones illæ Dei vel Angelorum factæ fuerunt in humana tantum specie, quia figuræ erant, sequitur Filium Dei in Novo Testamento in veritate carnis apparuisse, ut figuræ illæ implerentur, siquidem ut Tertullianus dicit, in simili causa figura non fuisset, nisi veritatis corpus esset. Cæterum vacua res quod est phantasma figuram capere non posset.

Instabis: Angeli veteribus patriarchis in carne phantastica apparuerunt, licet ambularent, loquerentur, et manducarent: ergo, licet Christus similes actiones elicere visus sit, non potest colligi ipsum in vera carne apparuisse. — **Respondeo**: nego *consequentiam;* Angeli enim quamvis corpus ex aëre aut alia materia compactum moverent ad modum corporis anima humana informati, tamen actiones vitæ corporeæ et animalis non exercebant; unde Angelus ait Tobiæ 10: *Videbar quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili potuque qui ab hominibus videri non potest, utor.* Præterea Angeli illi nec nati sunt, nec passi, nec mortui: at in Christum hæc omnia cadere ostendunt sacræ Paginæ.

Urgebis. Veritas corporis Deo indigna est qui spiritus est purissimus; ergo etc. — **Nego antecedens.** *Licet enim,* inquit Tertullianus, lib. 3. *Contra Marcionem*, cap. 20. *nulla res digna sit quam Deus induat, tamen quodcumque induerit, ipse dignum facit absque mendacio. Adde quod*, ut ibidem habetur, similitudo carnis non indigna minus erat Deo quam veritas, unde, inquit, si aspernatus est illam ut terrenam, cur et non simulacrum ejus proinde despexit: nullius enim dedignandæ rei imago dignanda est: sequitur statum similitudo.

Objicies 3. ¨ ✻ Si Christus fuisset perfectus homo, fuisset mundi pars: at hoc dici nequit, quia mundi pars non potest afferre salutem mundo: igitur non fuit perfectus homo. — **Respondeo 1.** negari posse *majorem:* siquidem Christus non tantum homo, sed est etiam Deus, qua ratione non est mundi pars, sed Dominus. — *Respondeo secundo*, negando *minorem:* quid enim obstat quominus pars mundi salutem mundo afferat? quippe decebat, ut homo nostri similis salutem nobis afferret, juxta illud Psalmi: *Frater non redimit, redimet homo*, non utique homo purus, sed homo-Deus, ut explicat S. Augustinus.

Conclusio secunda. — Christus habuit animam rationalem ejusdem speciei cum cæteris animabus hominum. Hæc etiam est de fide, ut constat ex præcedenti Conclusione, et

Probatur insuper illis Scripturæ textibus, quibus Christus Dominus de sua anima sermonem fecit. Sic Joannis 12. *Nunc anima mea turbata est.* Et Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ubi nomine *animæ* non potest Verbum divinum intelligi; alioqui sequeretur illud esse passibile, ac humanis passionibus et affectibus sub-

ditum, quod neque ipsi Apollinaristæ admittebant. utpote cum crederent Verbum esse verum Deum. Nec etiam ista oracula possunt accipi metaphorice, quemadmodum in Veteri Testamento dicitur *anima Dei*, idest, divina voluntas: sic Isaiæ primo: *Kalendas vestras, et solemnitates vestras odit anima mea*, hoc est, meæ divinitati sunt odiosæ. Nam revera nomine *animæ* Christus veram sui corporis vivificantem animam ab ipsa divinitate distinctam sufficienter significavit, cum ait Joannis 12. *Potestatem habeo ponendi animam meam; et iterum sumendi eam.* Hæc enim potestas ponendi animam fuit in aliquo ab anima distincto; non quidem in corpore, cum corpus non habeat potestatem se solo ablegandi, et resumendi animam : igitur hæc maxime residebat in divinitate Christi: igitur Christi divinitas, et ejus anima distinguuntur. — *Nec* etiam testimonia illa possunt exponi de anima sentiente, tum quia ibi non est sermo de quacumque tristitia rationali, sed de tristitia voluntaria, ut constat ex verbis sequentibus, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Tum quia ex voluntaria consideratione et attentione excitavit in se illam tristitiam, ut argumentatur VI. Syn. Actor. 8. quod utique confirmatur ex Joan. 10. ubi Christus Judæos ejus necem meditantes ita alloquens ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam.* Ex quibus constat illum habuisse libertatem arbitrii, et subinde animam rationalem. — *Insuper* hæc veritas definita est in plurimis Conciliis. Primum quidem in Concilio *Romano* sub Damaso Papa in professione fidei, quam refert Theodoretus lib. 5. *Historiæ* cap. 9; *Ephesino* in epistola Cyrilli ad Nestorium, quæ ibidem approbatur Canone 3; *Chalcedonensis* sessione 1. et aliis sequentibus. ✳ " Verbum divinum integram humanitatem assumpsit non solius corporis membris sed etiam anima rationali constantem. Hæc est de fide contra Apollinarem. " ✳

Eam itidem veritatem tradunt omnes sancti Patres, maxime S. Leo in epistolis 11. 72. et 93. et S. Augustinus lib. *Contra Felicianum Arianum* c. 13. ubi illam veritatem plurimis rationibus demonstrat, quarum potissimam desumit ex fine Incarnationis : *tum quia* sine rationali anima non potuisset Christus orare, mereri, nec satisfacere; *tum quia* cum incarnatus fuerit ad redimendum hominem lapsum, assumere debuit id quod potissimum in homine ceciderat. quodque maxime redemptione indigebat; hoc autem est anima rationalis.

Confirmari potest etiam rationibus Philosophicis: Siquidem Deus non potest fieri forma corporis; quippe forma est totius compositi pars constitutiva: omnis autem pars imperfectionem denotat, quæ longe a Deo eliminanda est. — *Deinde*, etiamsi potest aliquatenus informare, cum compositum suam denominationem accipiat a forma, nulla ratione Christus esset verus homo. quippe hominis formam constitutivam non haberet. — *Denique*, anima rationalis non est in homine distincta a sensitiva: ergo si Christus assumpsisset tantum animam sensitivam, non assumpsisset animam hominis, sed bruti.

Objiciebat Apollinaris: Si Christus totum ac perfectum suscepit hominem, consequens est humanas in eo cogitationes extitisse : fieri autem non potest, ut non sit in humanis cogitationibus aliquid peccati; quia, inquit Apostolus ad Rom. 8. *Sapientia carnis mors est :* et *Sapientia carnis inimica est Deo ; legi enim Dei non subjicitur.* Unde

concludebat Apollinaris, ut refert Leontius, Deum totum hominem non assumpsisse, quandoquidem totus homo non est expers omnis peccati in hac via. — **Respondent sancti Patres**, maxime S. Athanasius libro *De salute advenarum*, negando vitiosas hujusmodi cogitationes, sive affectus in humana Christi natura fuisse : quippe non sunt illius naturæ appendices, sed peccati fœtus : quare in Adamo ante lapsum neutiquam istæ cogitationes, quæ concupiscentiæ vocabulo censentur, extabant : sed, inquit Athanasius, postquam mandatum prætergressus est, talibus cogitationibus obstrictus esse cœpit : non quod Deus urgentes cogitationes istas creavit, sed quod diabolus ex fraude ac deceptione illas super rationali natura seminaverit, postquam in transgressione legis constituta esset, et a Deo rejecta. Cum ergo Christus nulla prorsus cogitatione fuerit infectus Adami peccatoris, immunis fuit ab ejusmodi cogitationum, et illecebra carnis.

Objiciebat 2 : Si Christus habuisset revera integram animam rationalem et mentem humanam, duas etiam principales moderatrices habuisset humanarum actionum facultates, nempe humanam mentem, et divinam voluntatem : at hoc dici non debet, quippe unica moderatrix sufficiebat : superfluebat igitur altera : in Christo autem nil debuit esse superfluum : igitur non debuit mentem humanam assumere, cum ad suas moderandas actiones sufficientissima fuerit divina voluntas. — **Nego minorem** : nam, inquit S. Maximus martyr apud Euth. Panopl. tit. 7. *Quemadmodum lana alba purpuræ colore tincta, non est bicolor, sed unius duntaxat coloris, sic in assumpta natura, deificata hominis mente, non sunt duo principalia Deus, et mens, sed unum videlicet, qui divinam mentem effecit Deus :* quibus verbis non vult Maximus extinctam fuisse mentem in Christi anima ex consortio divinitatis, quemadmodum lanæ candor aboletur purpuræ rubore suffectus, sed solum, quod salva et integra manente anima, ejusque principali parte, quæ est mens, ea tamen principatum non tenuit actionum, sed cum ex toto Divinitate esset imbuta et munita ad hujusce ductum, ac moderationem applicabat ; ita quod divina mens humanam in Christo mentem ageret, eamque gubernaret.

Conclusio tertia. — ✻ " Verbum divinum non assumpsit corpus de cælesti formatum materia, sed quod ejusdem fuit rationis cum nostro. Hæc est de fide contra Valentinum dicentem Christum nihil ex beata Maria Virgine sumpsisse, sed corpus e cælo detulisse. Error autem ille refellitur apertis Scripturæ sacræ oraculis a sanctis Patribus adversus illum laudatis, et infra adducendis : sic enim Conclusionem nostram

Probat S. Irenæus lib. 3. adversus hæreses, cap. 32 : si non accepit Christus ab homine substantiam carnis, inquit, neque homo factus est, neque filius hominis ; et si hoc non factus est, quod nos eramus, non magnum faciebat quod passus est et sustinuit. Nos autem quoniam corpus sumus de terra acceptum et anima a Deo accipiens spiritum, hoc quoque factum est Verbum Dei, suum plasma in semetipsum recapitulans ; et propter hoc filium hominis se confitetur. Et Apostolus ad Galatas manifeste ait : *Misit Deus Filium suum factum de muliere ;* et ad Romanos : *De Filio autem ejus qui factus est ex semine David*

secundum carnem. Cæterum supervacua est in Mariam descensio ejus. Quid enim in eam descendebat si nihil incipiebat sumere ex ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, numquam eas, quæ a terra erant percepisset escas, per quas id quod a terra sumptum est, nutritur corpus: nec 40 diebus quemadmodum Moyses et Elias jejunans esuriisset corpus ejus quærens escam: sed nec Joannes discipulus ejus de eo scribens dixisset: *Jesus autem fatigatus ex itinere sedebat:* nec David præclamasset in eum: *Super dolorem vulnerum meorum apposuerunt:* nec lacrymatus esset super Lazarum; nec sudasset globos sanguinis... Hæc enim omnia signa sunt *carnis quæ a terra sumpta est; quam in se recapitulatus est, suum plasma salvans.* ✻ "

Eamdem veritatem probat Tertullianus quinque libris contra Marcionem: maxime vero libro *De carne Christi*, cujus præcipuas rationes in gratiam religiosæ juventutis, cui nondum hic Auctor familiaris est, hic summarie referre lubet. Probat Christum veram habuisse carnem *primo ex ejus Nativitate*. « Marcion, inquit c. 1. ut carnem Christi « negaret, negavit etiam Nativitatem, aut ut Nativitatem negaret, ne« gavit et carnem, scilicet ne invicem sibi testimonium redderent et « responderent nativitas et caro, quia nec nativitas sine carne, nec « caro sine nativitate. » — *Inde* cap. 2. carpit Marcionem quod deleverit prima capita Evangelii Lucæ, quibus Christi Nativitas et infantia delineatur: « His opinor, inquit, consiliis et originalis instrumenta « Christi delere Marcion ausus est, ne caro ejus probaretur, et qua oro « te auctoritate? Si Propheta es: prænuntia aliquid; si Apostolus, præ« dica publice: si Apostolicus, cum Apostolis senti: si tantumnodo « Christianus es, crede quod traditum est: si nihil istorum es, merito « dixerim, morere: nam, et mortuus es non credendo, quod creditum « Christianos fa.it. » — *Cap.* 3. Probat illam nativitatem, et carnis assumptionem, nec impossibilem nec inconvenientem esse Deo. « Non « potest, inquit, dicere si, natus fuisset, et hominem vere induisset, « Deus esse desiisset, amittens, quod erat, dum assumit, quod non « erat: periculum enim status sui Deo nullum est. » — *Cap.* 4. Demonstrat illam nativitatem ex Virgine, neque indignam, neque Deo stultam. Unde sic Marcionem interpellat, ab ipsa quidem exortus odio habita nativitate: « Perora, age jam spurcitias genitalium in utero « elementorum, humoris, et sanguinis fœda coagula, carnis ex eodem « cœno alendæ per novem menses, describe uterum de die in diem « insolescentem, gravem, anxium, nexum, totum incertum libidinibus « fastidii, et gulæ. Invehere jam, et in ipsum mulieris enitentis pu« dorem, vel pro periculo honorandum, vel pro natura religiosum. « Horres utique, et infantem cum suis impedimentis profusum utique, « et oblitum, dedignaris, quod pannis stringitur, quod vinctionibus « formatur, quod blanditiis deridetur. H.nc venerationem, o Marcion, « naturæ despicis: et quomodo natus es? odisti nascentem hominem, « et quomodo diligis aliquem? te quidem plane non amasti cum ab « Ecclesia et fide Christi recessisti, sed videris si tibi displices, aut « si aliter natus es. Certe Christus dilexit hominem illum in immun« ditiis, in utero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per « ludibria natum: propter eum descendit, propter eum prædicavit: « propter eum omni se humilitate dejecit usque ad morte.., et mortem

« crucis : amavit utique, quem magno pretio redemit. » — *Confirmat, cap.* 5. demonstrando Christum veram habuisse carnem, quia vere passus et crucifixus est. « Quid enim, inquit, indignius Deo? quid « magis erubescendum? nasci, an mori? carnem gestare, an crucem? « circumcidi, an suffigi? educari, in præsepe deponi, an in monu- « mentum recondi?.... Hic responde, interfector veritatis, nonne vere « crucifixus est Deus? nonne vere mortuus, ut vere crucifixus? nonne « vere resuscitatus, ut vere scilicet mortuus? Falso ergo statuit inter « nos scire Paulus tantum crucifixum, falso sepultum ingessit, falso « resuscitatum inculcavit? Falsa est igitur et fides nostra, et totum « phantasma est, quod speramus a Christo? Scelestissime hominum, « qui interemptores excusas Dei. Nihil enim ab eis passus est Christus, « si nihil vere est passus. Parce unicæ spei totius orbis, qui destruis « necessarium decus fidei : quodcumque de eo indignum est, mihi « expedit : salvus sum si non confundar de Domino meo. Qui me, « inquit, confusus fuerit, confundar et eum, alias non invenio mate- « rias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent, bene im- « pudentem, et feliciter stultum, natus est Dei Filius : non pudet, quia « ineptum est : et sepultus resurrexit, certum est, quia impossibile est. « Sed hæc quomodo in illo vera erunt, si ipse non fuit verus? si non « vere habuit in se, quod figeretur, quod moreretur, quod sepeliretur, « et resuscitaretur? Carnem scilicet hanc sanguine suffusam, ossibus « substructam, nervis intextam, venis implexam, quæ nasci et mori « novit, humanam sine dubio, ut natam de homine. » — *Cap.* 6. Urget contra Appellem Marcionis discipulum, qui asserebat Christum de sideribus et substantiis superioris mundi carnem esse mutuatum : licet Angeli sibi efficiant corpora ex materia cælesti, aut aërea, dum hominibus apparent : igitur ait : « Qui carnem Christi ad exemplum « proponunt Angelorum, non natam dicentes, scilicet carneam, com- « parent velim et causas tam Christi, quam et Angelorum, ob quas « in carnem venerunt. Nullus unquam Angelus ideo descendit, ut « crucifigeretur, ut mortem experiretur, ut a morte resuscitaretur : si « numquam ejusmodi fuit causa Angelorum corporandorum, habes « causam cur non nascendo acceperint carnem. Non venerant mori, « ideo nec nasci : at vero Christus mori missus, nasci quoque neces- « sario habuit, ut mori posset ; non enim mori solet, nisi quod na- « scitur. Mutuum debitum est inter se nativitati cum mortalitate : « forma moriendi, causa nascendi est... homo vere futurus usque ad « mortem, eam carnem oportebat ut indueret cujus est mori, eam « porro carnem, cujus et mori nativitas antecedit. » — *Deinde* sibi objiciens illud Lucæ 8. ubi Christus respondet : *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?* quasi matrem et fratres respuisset. Respondet non istud dixisse, ut matrem negaret, sed ut potiores faceret illos, qui Verbum Dei audiunt et custodiunt ; negavit itaque parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere Matthæi 10. *Demum cap.* 8 refellens commentum Appellis somniantis Angelum igneum cælestia condidisse ex pœnitentia debiti, ostendit, quod si exinde caro Christi esset deducta de peccati constitisset elementis, peccatrix de peccatorio sensu, et par erit ejus substantiæ, id est nostræ, quam ut peccatricem Christus dedignatur induere. — *Cap.* 9. Demonstrat omnia veræ carnis terrenæ

signa in Christo fuisse. « Considera, inquit, singulas qualitates, mu-
« sculos ut glebas, ossa ut saxa, etiam circum papillas calculos quos-
« dam. Aspice nervorum tenaces connexus, et traduces radicum, ve-
« narum ramosos discursus, ut ambages rivorum, et lanugines, ut
« muscos, et comam, ut cespitem, et ipsos medullarum in adesto the-
« sauros, ut metalla carnis : hæc omnia terrenæ originis signa, et in
« Christo fuerunt : hæc sunt, quæ illum Dei Filium celavere... nam
« quæ enumeravimus adeo terrenæ testimonia carnis sunt, ut et nostræ...
« Quid dicis cælestem carnem, quam unde cælestem intelligas non
« habes ? Quid terrenam negas, quam unde terrenam agnoscas habes ?
« Esuriit sub diabolo, sitivit sub Samaritide, lacrymatus super Laza-
« rum, trepidat ad mortem : *Caro enim*, inquit, *infirma :* sanguinem
« fudit postremo. Hæc sunt, opinor, signa cælestia : sed quomodo,
« inquam, contemni et pati posset, si quid in illa carne de cælesti
« generositate radiasset ? » — *Probat denique* Tertullianus cap. 17. et se-
quentibus, ex eo quod Christus conceptus et natus fuerit ex Maria,
et non solum in Maria Virgine : « Si primus Adam, inquit, de terra
« traditur, merito sequens, vel novissimus Adam, ut Apostolus dixit,
« proinde de terra, idest, carne nondum generationi resignata in spi-
« ritum vivificantem a Deo est prolatus... Sed, et hic ratio defendit,
« quod Deus imaginem et similitudinem suam a diabolo captam æmula
« operatione recuperavit ; in Virginem adhuc Evam irrepserat verbum
« ædificatorium mortis : in Virgine æque introducendum erat Dei Ver-
« bum extructorium vitæ, ut quod per ejusmodi sexum abierat in
« perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat
« Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli : quod illa credendo deliquit,
« hæc credendo delevit : sed Eva nihil tunc concepit in utero ex dia-
« boli verbo : imo concepit, nam exinde, ut abjecta pareret, et in
« doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fecit : enixa est denique
« diabolum fratricidam : contra Maria eum edidit, qui carnalem fra-
« trem Israël interemptorem suum salvum quandoque præstaret. In
« vulvam ergo Deus Verbum suum detulit bonum fratrem, ut memo-
« riam mali fratris eraderet : inde prodeundum fuit Christo ad salutem
« hominis, quo jam damnatus intraverat. » — Et cap. 20. respondens
objectioni Valentini dicentis quidem Christum natum per Virginem,
non ex Virgine : et in vulva, non ex vulva ; quia, et Angelus in
somniis ad Joseph : quod in ea natum est, inquit, de Spiritu sancto
est, non dixit *ex ea :* sic huic objectioni facit satis : « Etsi *ex ea* di-
« xisset, *in ea* dixerat : in ea enim erat, quod ex ea erat : tantundem
« ergo, et cum dixit in ea, et ex ea consonat : quia ex ea erat quod
« in ea erat. Sed bene, quod idem dicit Matthæus originem Dei de-
« currens ab Abraham usque ad Mariam. *Jacob,* inquit, *generavit Jo-*
« *seph virum Mariæ, ex qua nascitur Christus.* Sed et Paulus Gram-
« maticis istis silentium imponit : *Misit,* inquit, *Deus Filium suum*
« *factum ex muliere.* Numquid per mulierem, aut in mulierem ? Hoc
« quidem impressius, quod factum potius dicit, quam natum, simpli-
« cius enim enuntiasset natum : factum autem dicendo, et Verbum
« caro factum est, consignavit, et carnis veritatem ex Virgine factam
« asseveravit. » — ✻ " Et capite 21 : « Accedam adhuc quominus
« ad congressum, ecce, inquit Isaïas, Virgo concipiet in utero. Quid-

« nam? Utique Dei Verbum, non viri semen, certe ut pareret Filium, « nam et pariet, inquit, Filium ergo ut ipsius fuit, concepisse, ita « ipsius est quod peperit: licet non ipsius fuerit quod concepit. Contra « si Verbum ex se caro factum est, nam ipsum se concepit et peperit, « et vacat prophetia. Non enim Virgo concepit neque peperit, si non « quidquid peperit ex Verbi concepto, caro ipsius est. Sola hæc autem « prophetæ vox evacuabitur? an et Angeli conceptum et partum Vir- « ginis annuntiantis? an et omnis jam Scriptura quæcumque matrem « prænuntiat Christi; quomodo enim mater nisi quia in utero ejus « fuit? sed nihil ex utero ejus accepit quod matrem eam faceret, in « cujus utero fuit. Hoc nomen non debet caro extranea. Matris uterum « non appellat nisi filia uteri caro. Filia uteri porro non est, si sibi « nata est. Tacebit igitur et Elisabeth prophetam portans, jam domini « sui conscium infantem, et insuper Spiritu Sancto adimpleta? Sine « causa enim dicit: « Et unde mihi ut Mater Domini mei ad me ve- « niat? » si Maria non Filium sed hospitem in utero gestabat Jesum, « quomodo dicit: « Benedictus fructus uteri tui? » Quis hic fructus « uteri qui non ex utero germinavit, qui non in utero radicem egit? « qui non ejus est cujus est uterus, et qui utique fructus uteri? Chri- « stus... ideo hunc fructum ex lumbis David, idest ex posteritate « carnis ejus, jurat illi Deus consessurum in throno ipsius; si ex « lumbis David, quanto magis ex lumbis Mariæ ob quam in lumbis « David? » — Et capite 22. « Matthæus fidelissimus Evangelii com- « mentator, ut comes Domini, non aliam ob causam quam ut nos ori- « ginis Christi carnalis compotes faceret, ita est exortus: « Liber ge- « nituræ Jesu Christi filii David filii Abraham. » His originis fontibus « genere manante, cum gradatim ordo deducitur ad Christi nativi- « tatem, quid aliud quam caro ipsa Abrahæ et David per singulos « traducem his facerent, in Virginem usque describitur interens Chri- « stum? sed et Paulus, utpote ejusdem Evangelii et discipulus et ma- « gister et testis, qua ejusdem Christi apostolus confirmat Christum « ex semine David secundum carnem, utique ipsius. Ergo ex semine « David caro Christi, sed secundum Mariæ carnem ex semine David: « ergo ex Mariæ carne est, dum ex semine est David. » — Et infra: « Quam debemus et possumus agnoscere in Christo carnis qualitatem? « utique non aliam quam Abraham: siquidem semen Abraham Chri- « stus: nec aliam quam Jesse, siquidem ex radice Jesse flos Christus: « nec aliam quam David, siquidem fructus ex lumbis David Christus: « nec aliam quam ex Maria, siquidem ex Mariæ utero Christus: nec « aliam consequens quam Adam, siquidem secundus Adam Christus. « Consequens ergo est ut aut illos spiritalem carnem habuisse con- « tendant, quo eadem conditio substantiæ deducatur in Christo; aut « concedant carnem Christi spiritalem non fuisse, quæ non de spi- « ritali stirpe censetur. » " ✻

Dices: S. Paulus 2. ad Corinth. c. 5. ait: *Si cognovimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus,* idest, ut exponebat Faustus Manichæus, Paulus in principio existimabat Christum habuisse veram carnem; postea vero doctior factus mutavit sententiam, et eum non vera, sed dumtaxat apparenti carne velatum agnovit. — **Respondeo**, impiam illam esse Fausti expositionem. Unde duplex potest

esse sensus illius oraculi: *Primus*, ut Paulus loquatur pro eo tempore, quo Christum in suis fidelibus persequebatur; quasi diceret, etsi aliquando *secundum carnem*, idest, carnaliter judicantes de Christo indignam æstimationem habuimus, sed jam non ita novimus, seu existimamus. Vel *secundus* sensus esse potest, quod loquatur de conditione carnis passibilis, in qua cognovit Christum dum vitam mortalem ageret: sed jam eum ita mortalem non novit. Quæ expositio traditur in VII. Syn. act. 6. et ab August. lib. 11. contra Faustum, quadratque Pauli verbis; siquidem postmodum subjungit: *Et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei, qui pro eis mortuus est, et resurrexit.*

Dices 2: Idem Apostolus 1. ad Cor. 15. docet Christum esse hominem cælestem de cælo in terram delapsum; ait enim: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis;* sed Christus non dicitur homo cælestis, nisi ratione corporis ex materia cælesti formati: igitur Christi corpus non erat ejusdem substantiæ et rationis cum nostris. — ✻ " Idipsum nos docet S. Joannes, Evangelii sui cap. 3. ubi legitur: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo.* Et cap. 6: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi,* inquit Christus Dominus. — **Respondeo** distinguendo et explicando tales contextus: Christus est homo cælestis et descendit de cælo ratione personæ et naturæ divinæ, *concedo;* ratione corporis assumpti, *nego.* Vel ipsum Christi corpus e cælo delapsum est ratione materiæ ex qua compactum est, *nego:* ratione virtutis per quam formatum est, *concedo.* Ita hæc Scripturæ sacræ loca exponit S. Hilarius, lib. 10. *De Trinitate,* p. 70: *Hinc maximum illud et pulcherrimum suscepti hominis sacramentum Dominus ipse ostendit dicens: nemo ascendit in cœlum, etc. Quod descendit de cælo, conceptæ de Spiritu originis causa est. Non enim ex se corpori Maria originem dedit; licet ad incrementa partumque corporis, omne quod sexus sui naturale est contulerit. Quod vero Filius hominis dicitur susceptæ in Virgine carnis est partus.* Et postea explicans quomodo Deus, qui replet omnia et ubique est descendere potuerit, dicit Verbum descendisse quia incœpit esse peculiari quodam modo in corpore assumpto, quo non erat antea præsens in terra: *quia et Verbi,* inquit, *virtus non corporalibus modis in terra manserat, non deerat unde descenderet.* — Et mox: *Absolute autem Apostolus locutus est dicens: « primus homo de limo, secundus homo de cælo: » hominem enim dicens nativitatem ex Virgine docuit: quæ officio usa materno sexus sui naturam in conceptu et partu executa est: et cum ait secundum hominem de cælo, originem ejus ex supervenientis in Virginem Sancti Spiritus aditu testatus est: atque ita cum homo est, et de cœlis est: hominis hujus partus et a Virgine est, et conceptus ex Spiritu est.* Denique ibidem addit: *Ipse autem Dominus hujus nativitatis mysterium pandens sic locutus est: « Ego sum panis vivus qui de cælo descendi; si quis manducaverit de meo pane vivet in æternum; » se panem suum dicens: ipse enim corporis sui origo est, ne enim Verbi virtus atque natura defecisse a se existimaretur in carne per hoc quod descendens de cœlis panis est, non ex humana conceptione originem sui corporis esse ostendit. At vero cum suus panis assumpti per Verbum corporis est professio, subjecit enim: « nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam*

in vobis: » *ut per panem de cœlo descendentem et per carnem Filii hominis, et conceptæ ex Spiritu Sancto, et natæ ex Virgine carnis intelligatur assumptio.* — Itaque Christus non ¨ * dicitur *homo cœlestis,* quod ejus corpus ex materia cœlesti fuerit compactum, sed ita dicitur secundum personam, quæ divina est ratione formationis sui corporis, quia formatum fuit virtute Spiritus sancti absque semine: *Vel* dicitur homo cœlestis, quia cœlestem vitam vixit: quapropter idem Apostolus homines Christum imitantes ibidem cœlestes appellat: Adam vero dicitur homo terrenus, utpote subditus peccato: quapropter subjungit sanctus Paulus: *Qualis terrenus tales et terreni, qualis cœlestis, tales et cœlestes.* Qualiter etiam explicat Tertull. lib. *De carne Christi,* cap. 8. *Non,* inquit, *ad materiæ differentiam spectat, sed tantum terrenæ retro substantiæ carnis primi hominis, idest, Adæ cœlestes de Spiritu substantiam opponit secundi hominis, idest Christi:* et ideo ad spiritum, non ad carnem cœlestem hominem refert, ut quod sic comparat, constet in hac carne terrena cœlestes fieri, spiritu scilicet: quod si secundum carnem quoque cœlestis Christus, non compararentur illi non secundum carnem cœlestes: si ergo, qui fiunt cœlestes, qualis est Christus, terrenam carnis substantiam gestant; hinc quoque confirmatur ipsum etiam Christum in carne terrena fuisse cœlestem, sicut sunt qui ei adæquantur. *Tertio denique* Christus dicitur homo cœlestis, propter gloriam, quam a principio habuit: quamvis enim illa in ipsius corpus non redundaverit ab initio, sed dumtaxat in ejus resurrectione: tamen erat connaturaliter debita propter illius unionem ad Verbum: primus vero homo dicitur terrenus propter mortalitatem ex peccato contractam. Ita S. Chrysostomus Hom. 42. in 1. ad Corinth. et Aug. 15. *De Civitate,* cap. 23.

* ¨ Dices 3: Si Christus terrenam carnem assumpsisset, deterioris fuisset conditionis quam Angelus qui terrena in carne immersus non est: atqui Christus non fuit deterior Angelo. *Deinde* caro nostræ similis eamdem nativitatis conditionem sortita fuisset: sed longe diversa fuit conditio carnis Christi, utpote quæ concepta de Spiritu Sancto nulli fuit gravidæ Virgini oneri aut dolori: ergo etc. — **Distinguo minorem:** Christus Angelis deterior non fuit qua Deus, *concedo:* qua homo præcise sumptus, *nego. Legunt,* inquit Tertullianus, lib. *De carne Christi,* cap. 16: « *Minorasti eum modico citra Angelos,* » *et negant inferiorem substantiam Christi, nec hominem se, sed Verbum pronuntiantis... agnoscunt hominem Deo mixtum, et negant hominem: mortuum credunt, et quod est mortuum ex incorruptela natum esse contendunt, quasi corruptela aliud sit a morte.—Respondeo ad secundum,* distinguendo *majorem:* caro nostræ similis similiter nata fuisset si caro esset hominis meri, *concedo:* si caro esset hominis Deo mixti, *nego.* Christus autem est *homo Deo mixtus,* ut cum Tertulliano loquar, idest, homo personaliter Deo unitur, unde etsi novo modo planeque mirabili natus est ex Virgine Spiritu Sancto fœcundata, carnem tamen habuit ejusdem cum nostra conditionis, quantum ad substantiam. Hinc Tertullianus, cap. 29. libri præfati ait: *Ex Deo natus est Christus, qua Verbum Dei: qua caro autem non ex sanguine, nec ex carnis et viri voluntate, quia ex Dei voluntate Verbum caro factum est; ad carnem enim, non ad Verbum pertinet negatio formalis nostræ nativitatis, quia caro sic*

habebat nasci non Verbum. Negans autem ex carnis quoque voluntate natum, cur non negarit etiam ex substantia carnis? neque enim, quia ex sanguine negarit, substantiam carnis renuit, sed materiam seminis... Intelligimus ergo ex concubitu nativitatem Domini negatam, quod sapit voluntas viri et carnis, non ex vulvæ participatione." ✻

QUÆSTIO SECUNDA.

AN VERBUM DIVINUM ASSUMPSERIT HYPOSTATICE OMNES HUMANI CORPORIS PARTES, MAXIME VERO SANGUINEM, ET ALIOS HUMORES.

Notandum 1. Multiplices esse partes humanitatis assumptæ; quædam enim sunt physice essentiales, ut corpus et anima: aliæ integrantes, ut caput, brachia, crura: et aliæ excrementitiæ, ut capilli, ungues, et ea omnia quæ, tamquam superflua, ad nutritionem et corporis integritatem non conferunt. *Præterea*, integrantium partium quædam sunt præcise de integritate corporis humani, ut caput, ossa, caro, et reliquæ; quædam dumtaxat de veritate, non vero de integritate, ut sanguis, spiritus vitales, et alii humores, qui ea ratione dicuntur de veritate corporis, quia corpus humanum sine illis, saltem sine sanguine, qui est basis et fundamentum vitæ, non potest consistere. Quæritur, an illas omnes partes Verbum Divinum hypostatice sibi copulaverit. Conveniunt omnes revera eum assumpsisse et sibi copulavisse omnes partes quæ sunt de integritate corporis, alioquin verum et perfectum humanum corpus non assumpsisset, quod est contra præcedentem Conclusionem. Gravis autem difficultas est de partibus spectantibus ad corporis veritatem et vitam.

Notandum 2. Quosdam Theologos cum Cajetano, qu. 54. art. 2. duplicem in corpore humano distinguere sanguinem: alterum nutrimentalem tantummodo, et alterum naturalem, seu quem dicit esse de veritate naturæ. *Nutrimentalis* solum est humor quidam sanguineus parum decoctus, et depuratus, qui veram sanguinis naturam nondum habet, quamvis in colore, et aliis accidentibus sit ei similis. Talis est qui proxime ex alimento generatur, idque vel in hepate, vel in venis ducentibus ad hepar, quas Medici Mesaraicas appellant: et hunc sanguinem aliquos sudasse refert Philosophus in libro de *historia animalium*. Sanguis vero *naturalis* ille est qui fit ex priori per decoctionem majorem, et elaborationem virtutis formativæ sanguinis residentis, juxta Galenum, in hepate, vel juxta Aristotelem in corde, quo fit ut longe purior evadat, et veram formam substantialem sanguinis obtineat. Dicitur autem *naturalis*, quia licet ad totum animal nutriendum aliquo modo deserviat, tamen hoc munus ei non est adæquatum, sed præterea etiam concurrit ad naturalem integritatem et vitam corporis. — Docet autem Cajetanus cum plurimis Thomistis priorem sanguinem non vivere, nec animari forma vivificante corpus: posteriorem vero esse animatum. ✻ "At observandum est ex S. Bonaventura in 4. dist. 44. p. 1. quæst. 1. ad 2.: *Tripliciter aliquid dici vivere: aut quia recipit influentiam vitæ: aut quia disponit ad vitam: aut quia ortum et constitutionem habet ex actu vitæ. Primo modo vivificatur substantia corporalis*

et caro: secundo modo vivit spiritus et humor; tertio modo capilli et etiam ungues: et quia omnia ista connexionem habent cum vita, omnia resurgent. Cum igitur sanguis non pertineat ad *officialia* membra, sed tantum ad *similia*, nec animetur anima rationali, aut vivificet, sed tantum vivificationi deserviat, sicut et *spiritus* quos *vitales* vocamus. quæritur qua ratione unitus fuerit Verbo divino, et utrum a Christi corpore sejunctus fuerit semper divinitati conjunctus. — Utrum autem sanguis ¨ * assumptus sit immediate, vel dumtaxat mediante humanitate, ita quod propriam suam habuerit subsistentiam, nec substiterit subsistentia Verbi; gravis est controversia inter Theologos. *Durandus* enim in 4. dist. 10. qu. 1. negat ullum sanguinem, sive naturalem, sive nutrimentalem a Verbo fuisse hypostatice assumptum. *Cajetanus* autem, et plurimi Thomistæ, distinctionem statuentes inter sanguinem nutrimentalem, et naturalem, asserunt hunc fuisse assumptum, non vero illum. *Cæteri* vero Theologi docent omnem sanguinem, qui fuit in Christo, dum in corpore mortali viveret, fuisse subsistentem subsistentia Verbi; respuunt enim illam distinctionem sanguinis in nutrimentalem et naturalem.

Notandum 3. Circa annum Christi 1351. gravem extitisse controversiam Barchinonæ; dum enim aliqui in prædicta civitate assererent et publice prædicarent sanguinem Christi in passione effusum a Divinitate fuisse separatum, et inde non fuisse in triduo mortis adorandum cultu latriæ, atque, ut refert Waddingus in nostris *Annalibus ad eumdem annum*, n. 3, idipsum ex professo doceret Franciscus Bajuli, Minoritarum Guardianus; Nicolaus Rosselli tunc in regno Aragoniæ Inquisitor per suas litteras nonuit Joannem Morlandinum ex Magistro generali Ordinis Prædicatorum a suo Avunculo Clemente VI, anno proxime elapso simul cum Pastore Ordinis Minorum ad Cardinalatum assumptum: hic Morlandinus rescripsit se vivæ vocis oraculo accepisse in mandatis a Pontifice die 20. Julii, ut ad palinodiam cogerentur, qui ita prædicaverant, judicatumque fuisse omnino hanc opinionem pro hæretica censendam. Compacto processu Nicolaus Inquisitor solis litteris illius Cardinalis innixus, severe animadvertit in omnes, qui istius propositionis assertores fuerant, atque, ut in Curia, et præsentia Episcopi Barcinonensis, illam sententiam ejurarent, effecit. — Ita tunc absque tumultu sopitum fuit, conclusumque negotium: revixit tamen post centum, et tredecim annos eadem opinio apud Brixienses an. 1462. prædicante beato Jacobo Piceno, a Marchia communiter nuncupato, viro utique insignis sanctitatis, et plurimis miraculis conspicuo. Cum autem Jacobus Brixiensis Ordinis Prædicatorum in Lombardia Inquisitor acriter contenderet illam opinionem condemnatam fuisse tamquam hæreticam a Clemente VI, ventum est ad asperas lites, et publicas coram Pio II disputationes. Nihil tamen a summo Pontifice hac de re decretum fuit, ut constabit infra.

Tria igitur hac in Quæstione maxime sunt resolvenda: *Primum*, an Verbum revera sanguinem humanum immediate assumpserit: *Secundum*, an sit de fide: *Tertium*, an etiam Verbum assumpserit immediate partes excrementitias corporis humani.

Conclusio prima. — Probabilius est omnem humanitatis Christi Domini sanguinem fuisse immediate a Verbo divino assumptum, et ipsi hypostatice unitum. Hæc est communior inter Theologos.

℣ ℟ **Probatur** 1. Iis omnibus Scripturæ sacræ textibus quibus nostræ redemptionis pretium tribuitur effuso Christi Domini sanguini. Sic Rom. 5. v. 9. *Justificati in sanguine ipsius.* Ephes. 1. v. 7. *Habentes redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.* Item ad Coloss. 1. v. 20. *Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Ad Hebr. 9. v. 12. *Christus per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventa. Si sanguis hircorum etc.* v. 13. *inquinatos sanctificat ad emundationem carnis etc.* v. 14. *quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* 1. Pet. 1. v. 2. fideles dicuntur electi *per aspersionem sanguinis Jesu Christi.* Et ibid. v. 19. dicuntur *redempti pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi et incontaminati.* 1. Joan. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Apoc. 1. v. 5. *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Ex his omnibus textibus constat profusum a Christo Domino sanguinem, præsertim in cruce, fuisse simul nostræ redemptionis pretium et salutare lavacrum quo omnia abluentur peccata. Porro eam vim et efficaciam non habuisset ille Christi Domini sanguis, nisi a Verbo assumptus et divinitati conjunctus, ratione cujus unionis infiniti erat valoris et pretii.

Confirmatur insuper hac ratione: ℣ ℟ Quidquid pertinet ad integritatem corporis humani assumptum est hypostatice a Verbo: sed probabilius est sanguinem pertinere ad integritatem humani corporis: igitur Verbum divinum illum hypostatice assumpsit. *Major* constat ex præcedenti Quæstione, in qua probavimus Verbum divinum assumpsisse integram humanitatem, et consequenter corpus omnibus suis partibus constans. *Minor* vero probatur: *Primo* quidem auctoritate Aristotelis, lib. 3. *De Historia animalium,* cap. 2. ubi refert sanguinem inter partes similares corporis animalis. Cui suffragatur Seneca, lib. 2. *Quæst. Naturalium,* ubi ita scribit: *Quasi pars nostri et sanguis, qui tamen, et materia est, parat enim, et alia, et nihilominus in numero est eorum, quibus totum corpus efficitur.* Subscribit etiam S. Damascenus, lib. 2. *De Fide,* cap. 12. ubi ait: *Corpus autem omne ex quatuor elementis conflatur, animantium vero corpora ex quatuor humoribus.* Idem docuit S. Augustinus, epistola 146. dicens: *Quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicinæ disciplina testatur.* Idque efficacius illa auctoritate S. Pauli ad Hebræos 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.* Quapropter S. Cyrillus epistola quæ lecta fuit et approbata in Concilio Chalcedonensi Actione 1. dictum illud Joannis *Verbum caro factum est.* sic interpretatur: *Carnem et sanguinem assumpsit.* Et Nazianzenus, orat. 50. *Verbum,* inquit, *caro factum est, non putative, sed vere, quia assumpserit corpus ex carne et ossibus et sanguine constans.* — Verum reponi posset his locis significari quidem sanguinem esse partem hominis, non integralem, sed dumtaxat adscititiam, quæ cum sit sedes et vehiculum spirituum animalium, quorum beneficio homo vivit et movetur,

idcirco per synecdochem nomine *sanguinis* totus homo in Scripturis designare solet. Sic Matthæi, 16. *Caro, et sanguis non revelavit tibi.* Et 1. ad Cor. 15. *Caro, et sanguis regnum Dei non possidebunt.*

Ex QUIBUS COLLIGITUR conclusionem non habere aliquod efficacissimum fundamentum, neque ex auctoritate, neque ex ratione, quo illius constantissima veritas appareat: nam quod ex Conciliis, et summorum Pontificum decretis afferri solet, istud huic assertioni non patrocinari declarabimus in sequenti Conclusione. — Nihilominus illam sententiam probabiliorem diximus; tum quod conformior sit modo loquendi Scripturæ et SS. Patrum, qui nostram redemptionem Christi D. sanguinis pretio et valori tribuere videntur: tum quod in eam sententiam conspiret numerosior Theologorum cœtus: tum denique, quod in eam magis propendere videantur summi Pontifices, coram quibus hæc controversia agitata fuit. Refert enim Spondanus ad annum 1462. quod « crescente contentione et schismate a populo facto propter con-« troversiam motam inter beatum Jacobum Marchianum et Fratres « Prædicatores, nec valente Episcopo loci tumultum sedare, res ad « Apostolicam Sedem remissa est: qua de re Pius II eo tempore sum-« mus Pontifex Præfectis Ordinum mandavit, doctissimos eorum Theo-« logos ad Curiam mittere, quos in festo Natalis Domini audivit di-« sputantes tribus diebus in Palatio Apostolico, præsentibus Cardina-« libus, Episcopis, ac divini et humani juris Doctoribus, qui in Curia « erant. Denique post triduum, cum Partes quæcumque voluissent in « medium produxissent, dissoluto auditorio Pium cum Cardinalibus, « plerisque diebus rem tractasse; majorem partem sententiam Prædi-« catorum approbasse, paucos cum Minoribus sensisse, Pium quoque « in majori parte fuisse: sed non esse visum eo tempore decretum « fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cujus erat contra Turcas « prædicatio necessaria, offenderetur; ac propterea in aliud tempus « decisionem referri placuisse »: quam tamen numquam placuit decidere. Quam autem inanis et futilis sit hæc ratio Spondani, nempe summum Pontificem idcirco noluisse suo decreto hanc controversiam dirimere, ne Minoritas offenderet, patebit in sequenti Conclusione.

OBJICIES 1. Si Verbum divinum humanum sanguinem assumpsisset, sequeretur illud assumpsisse plures naturas: at hoc est absurdum, quippe unicam dumtaxat naturam humanam assumpsit: igitur, etc. *Major* patet, quia cum sanguis non sit de integritate naturæ, necessum est, quod sit alia natura ab humana. — **Distinguo majorem**: Assumpsisset plures naturas ordinatas ad unam et eamdem totalem constituendam, concedo; secus, nego. In hoc vero nihil est absurdi, quandoquidem constat Christum assumpsisse corpus, et animam: corpus autem ex partibus heterogeneis constat.

DICES 2: Si Verbum assumpsisset sanguinem, sequeretur, quod per communicationem idiomatum dici posset, *sanguis est Deus*, et *Deus est sanguis:* sed hoc est absurdum: igitur et illud unde sequitur. — **Nego sequelam majoris**, quia per communicationem idiomatum duæ naturæ integræ de se invicem prædicari quidem possunt, non vero partialis de integra, aut integra de partiali: unde licet Verbum immediate assumpserit animam et corpus, non tamen recte dicitur, Deus est corpus, et corpus est Deus.

Conclusio secunda. — Non est certum certitudine fidei, sanguinem Christi proxime et immediate fuisse unitum Verbo Dei, maxime in triduo mortis: ita quod contraria sententia possit absque hæresi, atque errore defendi. Hæc est contra Suarem, Vazquezium, et plures alios Modernos.

Probaturque conclusio: Si quod esset contrariæ sententiæ fundamentum, quo constaret certissime credendum Christum Dominum sanguinem humanum assumpsisse, maxime quia, ut volunt adversarii, ita definitum est a Clemente VI et Pio II: sed ratio ista nulla est: igitur, etc. *Major* constat ex ipsis Suare, et Vazquezio, qui omnia testimonia, quæ ex sacra Scriptura et SS. Patribus proferunt in suæ assertionis patrocinium ita infirma judicaverunt, ut ad decretum Clementis VI et Pii II tamquam ad solidissimum fundamentum recursum habuerint. *Minorem* probat noster Waddingus loco mox laudato: *Primo* quidem ex eo quod Pius summus Pontifex suo diplomate beatum Jacobum Marchianum de Ecclesia, et fide Catholica bene meritum omni hæresis et erroris nota liberaverit propter assertam contrariam sententiam: nam dum hic beatus vir conquereretur apud ipsum summum Pontificem, quod illius adversæ partes Barcinonæ jactitarent, processum adversus eum compactum, fuisse auctoritate Pontificia confirmatum, ipsumque idcirco haberi a multis ut hæreticum; suo diplomate, quod ex authographo exscripsit Waddingus, sic respondet: « Pius « Episcopus, etc. dilecto filio Fr. Jacobo de Marchia. Dilecte fili, sa- « lutem, et Apostolicam benedictionem. Scripsisti te valde anxiari « propter materiam illam sanguinis effusi Domini et Salvatoris no- « stri, quæ in nonnullis locis vulgari dicitur tamquam decisa et de- « terminata a Nobis, contra tuam sententiam et prædicationem. Mi- « ramur de hoc, nec scimus unde talis fama surrexerit. Nos enim « materiam ipsam huc usque non determinavimus, nec propter varias « occupationes determinare potuimus, sed Deo dante, id facere inten- « dimus, cum primo opportunior aderit occasio, nec tot occupationibus « erimus distenti. Ne autem existimes Nos honorem tuum et famam « negligere, quandoquidem scribis a Mediolano usque Veronam pu- « blice prædicatum te esse hæreticum, volumus, ut Vener. fratri no- « stro Episcopo Veronensi scribas, cui nos etiam præsentes mandamus, « ut quæ in hac materia prædicata sunt, in scriptis redigat, ac in forma « authentica ad Nos transmittat: nam si Prædicatores minus honeste « in prædicatione se habuerint, et aliquid de te dixerint, quod dicen- « dum non esset, ostendemus eis id Nobis displicuisse, nec eorum tran- « sgressio erit impunita. Quod autem attinet ad authenticationem illius « sententiæ, seu processus Barcinonæ celebrati, factam per Prælatum « illum, cui ea res a Nobis commissa fuit, scias eam non ideo factam, « ut per ipsam fides aut auctoritas adjiceretur hujusmodi sententiæ, « seu processui; sed ut testimonium quoddam esset rei gestæ, hoc est, « ut non deperiret ejus facti, qualecumque esset, notitia; nec enim fuit « intentionis Nostræ propter commissionem confirmare aut approbare « sententiam aut processum. Cum enim pro parte Fratrum Prædica- « torum Nobis supplicatum fuisset ut eos authenticare facere vellemus, « non potuimus, quin causam committeremus: Commissarius vero judi- « cavit, quemadmodum jam vidisti. Proinde non turbetur cor tuum,

« neque formidet, sis animo quieto, nec scandalizetur ex hoc mens tua, « nam sinceram charitatem tuam novimus, nec ignotus est nobis zelus « tuus, persevera in fide optima, quam Deus scrutator cordium bene « novit, nec te moveant vulgi rumores, aut voces calumniantium. Satis « nota est Deo conscientia tua, potestque contentari, quod Nos pater- « nam de te opinionem concepimus, et conceptam retinemus. Ad Ca- « pitulum tui Ordinis proxime celebrandum contenti sumus, ut ac- « cedas, et ea agas, quæ Deo placita sunt, et honori Ordinis, ac saluti « animæ tuæ conducant. De accessu autem ad Ducem Venetiarum « contentamus, et hortamur, ut accedas. Scimus enim esse Principem « bonum, et Dei timoratum. Putamus nonnisi ex bona et honesta « causa te alloqui, et videre velle, tuumque ad illum accessum utilem « fore existimamus. Datum Macorati Senen. Dioc. sub annulo Pisca- « toris, die 28. Aprilis 1461. Pontificatus nostri anno sexto ». Igitur Pontifex oppositam sententiam non notavit erroris.

Confirmatur autem hæc eadem Pontificis sententia, quod nempe nil auctoritate Apostolica definiverit circa hanc controversiam, ex eo quod idem summus Pontifex octiduo ante suam mortem, anno videlicet 1464, aliud ediderit diploma, quod refert Laertius Cherubinus, quo statuebat, « quod nulli Ordinum Minorum, aut Prædicatorum deinceps « liceat de supra dicta dubietate disputare, prædicare, vel publice, aut « private verbum facere, seu aliis suadere, quod videlicet hæreticum, « vel peccatum sit, tenere vel credere sanguinem ipsum sacratissimum, « ut præmittitur, triduo passionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi « ab ipsa divinitate quomodolibet fuisse, vel non fuisse divisum, vel « separatum, donec super dubietatis hujusmodi decisione, quid tenen- « dum sit, fuerit per Sedem Apostolicam definitum. *Mandavit pro- « pterea* universis et singulis eorumdem et aliorum quorumcumque « Ordinum per totum orbem constitutis Fratribus, cujuscumque status, « gradus, vel conditionis existant, præsentibus et futuris, sub excom- « municationis latæ sententiæ pœna, quam ipso facto incurrent, et a « qua nisi in mortis articulo constituti, nonnisi per Pontificem Ro- « manum absolvi possent, ne contra statutum et ordinationem præ- « dictam venire, aut facere, vel tentare quomodocumque præsumant. »

Non est igitur verum, quod affirmant Suarez, et Vazquez, Clementem VI. et Pium II. eam doctrinam condemnasse, quæ asserebat sanguinem in triduo mortis a divinitate sejunctum fuisse, cum nihil proferre possint huic suæ assertioni stabiliendæ, præter unicas illas Joannis Cardinalis Dominicani litteras, quibus plura opposuit noster Franciscus de *Ruvere* Cardinalis Franciscanus, qui et postea fuit Pontifex nomine *Sixtus IV.* et libellum, sive processum compactum ab Inquisitore item Dominicano, quem perperam Gabriel Vazquez dicit ex mandato Clementis per litteras Apostolicas efformatum: cum ejus exemplaria extent, neque ulla ibi conspiciantur brevia, aut Bullæ, sive diplomata Pontificia, præter unam illam Cardinalis epistolam: atque hanc solam allegavit pro definitionis fundamento Inquisitor supra dictus Brixiensis, dum vehementer causam urgeret contra B. Jacobum Picenum. — Adde quod Dominicus de Dominicis, ferme illius ætatis vir doctus, in libro, quem de sanguine Christi scripsit, asseverat decretum Clementis authenticum non esse: neque ex probatis testimoniis

constare. Et certe libellus, sive processus a Rossello efformatus, nulla alia fide, quam Rosselli constat, neque Notarii syngrapha, neque publici alicujus ministri testimonio roboratur. Unde vix satis mirari possum, qua de causa Silvester in *Rosa aurea* tract. 3. qu. 31. asseverat Clementem summum Pontificem prædictam propositionem damnasse, et quod magis mirum est, condemnationem, et retractationem Barcinonæ factam per Inquisitionem prædictam approbatam fuisse a Pio II. id enim expressis verbis ipse negat Pius in supra dicto diplomate ad B. Jacobum Marchianum dato. *His adde quod*, ut aliquid tamquam fidei dogma declaretur, oportet auctoritate Scripturæ, aut traditione aliqua niti: difficile autem est aliquid horum ostendere, quibus nixi fuissent, et moti summi Pontifices ad illam definitionem proferendam; nam omnes vel Scripturæ vel SS. Patrum auctoritates, quibus sanguini Christi effuso nostrorum remissio peccatorum, et reliqua subsequentia beneficia tribuuntur, parum urgent: quia, ut diximus in priori Conclusione, omnia ista sanguini appropriantur, non quod per solam sanguinis effusionem salvati aut liberati simus, cum et alia fuerint in Christo opera meritoria nostræ salutis, atque per sudorem et lacrymas salvare potuisset, si ita voluisset, sed quia omnia ejus merita terminata, et consummata sunt in morte et passione. Unde ad mortem Christi principaliter hæc referuntur; ad sanguinis vero effusionem, tamquam ad medium, per quod mors subsecuta est, sicut et cruci hæc ipsa beneficia, tamquam instrumento, tribuuntur.

Urget Vazquez proferens, ut putat, firmum hujus definitionis fundamentum, quod gloriatur se collegisse ex VI. Synodo *actione* 16. ubi damnatur hæreticus quidam *Constantinus* nomine, quod dixerit sanguinem fuisse dimissum a Verbo in triduo mortis, et ex eadem Synodo *actione* 8. ubi probatur confessio Macharii Antiocheni Antistitis licet Monothelitæ, in eo quod dixerit Christum assumpsisse carnem et sanguinem, et ex Concilii Alexandrini Epistola, quæ est 10. apud Cyrillum recitata et approbata in Concilio Ephesino, et Chalcedonensi anathematismo 5. ubi dicitur Verbum divinum particeps factum carnis et sanguinis. — **Verum hæc nihil urgent**, nam quod attinet ad Constantini condemnationem, ea merito proclamata est, ipsemet Vazquez admittit, quia non solum sanguinem, verum et carnem, et voluntatem humanam Christum exuisse, palam confessus est in Concilio: Synodus enim interrogavit ipsum: *Ubi itaque remansit ipsa caro, et sanguis?* Constantinus respondit: *Exuit eam.* Synodus vero iterum rogavit: *Et humanam voluntatem simul exuit cum carne?* Constantinus respondit: *Etiam, Domini.* Unde partim damnatus est tamquam Manichæus, et partim tamquam Monothelitarum assecla, quia unam duntaxat in Christo voluntatem confitebatur. *Idem* dicendum ad Macharium, qui ut hæreticus in ea Synodo depositus est, et illius confessio damnata, in eo quod unam tantum in Christo voluntatem et operationem confiteretur; unde inane est ab ejus confessione petitum testimonium. Ad auctoritatem vero Cyrilli, et Conciliorum illius epistolam approbantium fecimus satis supra.

Conclusio tertia. — Capilli, ungues, lacrymæ, sudores, et aliæ partes excrementitiæ non sunt assumptæ hypostatice

A VERBO DIVINO IMMEDIATE, SED DUMTAXAT QUIA ERANT IN NATURA HUMANA, QUÆ ASSUMPTA EST. Hæc est communior contra Suarem disp. 15. sect. 7. qui probabilius existimat ungues, dentes, et capillos assumptos fuisse secundum hypostasim a Verbo divino.

Probatur: Tum quia partes illæ excrementiæ ad integritatem humani corporis non pertinent, unde non remanebunt in corporibus gloriosis: tum quia partes illæ nec directe, nec indirecte ullatenus conferebant ad finem Incarnationis, nempe hominum salutem: igitur non videntur assumptæ.

DICES: S. Ambrosius lib. *De Incarnatione* cap. 6. et Athanasius in Epistola ad Epictetum, agentes contra hæreticos, qui dicebant divinitatem, et carnem Christi esse ejusdem substantiæ, inferre videntur consequenter dicturos Verbum in carnem, capillos, sanguinem, et ossa conversum fuisse: ergo censebant illi Patres has partes corporis spectare ad ejus integritatem. — **Nego** Patres illud inferre, sed tantum referunt errorem hæreticorum illorum: nam S. Ambrosius ita scribit: *Deinde cum isti* (nempe hæretici) *dicant, quia Verbum in carnem, capillos, sanguinem, et ossa conversum est, et a propria natura mutatum est, datur illis locus, ut infirmitatem carnis ad infirmitatem Divinitatis quadam facta divinæ naturæ mutatione detorqueant.* S. Athanasius vero, contra eosdem hæreticos sic scribit: *Quinimo etiam in aliam impietatem transitum facitis, asserentes Verbum in carnem, in ossa, in pilos, nervos, imo prorsus in corpus, mutata priori natura abiisse.* Non igitur prædicti Patres inferunt tamquam absurdum Verbum mutatum fuisse in capillos, si mutatum fuisset in corpus vivens, quasi et capilli viverent: sed id supponunt ex sententia illorum hæreticorum.

PETES: an aliqua particula sanguinis Christi revera in terris substantialiter manserit, et adhuc asservetur. — **Respondeo**, magnam esse circa hanc difficultatem Theologorum controversiam, plurimi namque cum Joanne a Turrecremata censent nullam particulam sanguinis Christi in terris post ipsius resurrectionem mansisse; sed sanguinem, qui circumfertur nomine Christi, non esse eum, qui fluxit ex ejus corpore, sed ex aliqua imagine Christi percussa a Judæis Berithi, cujus historiam refert Athanasius lib. *De Passione imaginis Domini nostri Jesu Christi*, qui auctor licet a quibusdam non censeatur magnus Athanasius, tamen liber ille non debet esse levis auctoritatis, siquidem prædicta historia recitata fuit sub nomine Athanasii, et approbata in Concilio Nycæno 2. Actione 4. Hic autem auctor cap. 7. illius libri loquens de sanguine, qui fluxit ex percussa illa imagine ait: *Hic est sanguis ille dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur, nec esse aliter æstimandum a vere Catholicis præter id, quod scribitur a nobis quasi ex carne, et sanguine Christi aliquid possit in mundo inveniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur.* Cæteri vero Theologi putant Christi sanguinis particulas adhuc in terris asservari, nec omnem effusum in passione sanguinem fuisse a Christo resumptum. Probat Sylvester in *Rosa aurea* tract. 3. quæst. 31. *Primo* quidem auctoritate Pii II. qui in Bulla ad Abbatem Monasterii Xanctonensis ita definit: *Petitio exhi-*

bita continebat, quod licet tanto tempore cujus memoria non extitit in Ecclesia dictæ domus, ut pie creditur, quædam particula pretiosi sanguinis Domini nostri Jesu Christi in ligno crucis, pro redemptione humani generis salubriter effusi, etc.... Nos igitur, qui de prædictis certam notitiam habemus, attendentes, quod veritati fidei nullatenus repugnat affirmare Redemptorem nostrum de sanguine præfato ob ipsius passionis memoriam aliquam partem in terris reliquisse, etc. Igitur censet summus Pontifex probabilissimum esse, quod aliqua Christi Domini sanguinis particula substantialiter in terra remaneat. *Adde quod* refert Platina in vita Leonis III. Pontificem profectum fuisse Mantuam ad visendum Christi sanguinem, qui tunc ob assidua miracula in magna veneratione erat: inde vero approbato sanguine, ad Carolum fuisse profectum. — *Confirmatur* ex lib. 6. revelationum B. Birgittæ, ubi beata Virgo his verbis eam alloquitur: *Cum tempus vocationis meæ instaret de hoc mundo, ego ipsam* (scilicet præputii) *sacram membranam commendavi S. Joanni custodi meo cum sanguine illo benedicto, qui remansit in vulneribus ejus, quando deposuimus de cruce.* Accedunt narrationes innumeræ, quæ falsitatis omnes damnari ab homine cordato non possunt, et tamen ex iis superesse aliquam sanguinis a Christo fusi portionem (sub alia tamen, quam sanguinis forma) fit extra dubium. Hujusmodi est, quod rubor in plerisque instrumentis passionis dominicæ adhuc cernitur, rubor non est nudus color ex sanguinis aspersione relictus (nam qualitates secundæ non propagantur eo modo), sed vera sanguinis substantia, quæ primum instrumentis illis adhæsit, eisque affixa perseverat. Ut de spina sacelli regii Parisiensis, et de ferro lanceæ, olim Nurimbergæ, nunc Romæ asservato, et de sacra sindone Taurinensi, ac Vultu sancto Romano, sive linteo Veronicæ, referunt multi scriptores. Et specialiter quoad sindonem Taurinensem declaravit Julius II. ruborem, qui in ea tunc cernitur, esse reliquias sanguinis fusi, idemque de Veronicæ sudario habent qui de eo agunt. — *Confirmantur* denique hæc omnia ex eo, quod caro præputii sub summorum Pontificum oculis, et Romanæ Curiæ conspectu reverenter custoditur, et digne colitur; nam quotannis in conspectu Cardinalium in feriis Paschalibus ostenditur in Basilica Lateranensi, atque etiam Latino, atque Italico præconio ex alto suggestu populo proponitur adorandus sanguis et aqua, qui ex Christi morientis latere effluxerunt. Igitur non est improbabile aliquas Christi Domini sanguinis substantiales particulas adhuc in terris remanere.

✳ " Opponunt adversarii omnes illos Scripturæ textus in superiori Conclusione laudatos quibus Christi Domini sanguis dicitur effusus impressione redemptionis nostræ, et salutis. — **Verum respondeo** textus illos non esse intelligendos de sanguine Christi ab illius corpore seu mortuo seu resurgente separato, sed de actuali illius effusione qua Christus ipse adhuc vivens suum pretiosissimum sanguinem obtulit Patri in redemptionem humani generis: unde Apostolus non soli sanguini, sed et orationi, clamori valido et lacrymis ac precibus nostræ redemptionis pretium tribuit, ad Hebr. 5. v. 7. ubi de Christo ait: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia: et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex*

iis quæ passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ. Quibus verbis duo præsertim docet Apostolus: primum, quod non solus sanguis, sed et preces, supplicationes, lacrymæ Christi morientis oblatæ sint in nostram redemptionem: alterum, quod totum Christi meritum illiusque satisfactio pro nobis terminata fuerint in ejus morte. *Consummatus*, inquit, *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Unde ad Hebr. 2. v. 10.: *Decebat*, inquit, *eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Unde præclare Tostatus, ad cap. 13. Gen. quæst. 351. dicit Ecclesiam potius fundatam esse in Christo vivente quam mortuo: quia, inquit, redemptio nostra est ex meritis passionis Christi, in qua passione omnia fundamenta a Christo instituta habent efficaciam: sed passio Christi est in vivo, et non in mortuo, quia mortuus nihil potest pati sensitive. *Notanda sequentia:* et ideo sanguis Christi, de corpore Christi viventis, et pœnalitates suæ tunc profuerunt ad redemptionem nostram: quod autem fuit in Christo post mortem, non facit aliquid ad redemptionem nostram effective, eo quod ibi non est aliqua actio meritoria, sed solum ad significationem: sicut et corpus Domini sepeliri non confert effective aut promeritorie ad redemptionem nostram. Et ita sanguis qui fluxit de mortuo non redemit nos, sed sanguis qui de vivo: sed quod de mortuo fluxit, redemptionem et ablutionem significat; sed ipsam non facit.

Opponunt 2. Illud axioma commune ex S. Damasceno lib. 3. *De Fide*, cap. 23. ubi de Verbo divino ait: *Quod semel assumpsit nunquam dimisit:* cum itaque sanguinem semel assumpserit nusquam illum dimisit. — **Respondent communiter Theologi**, illud axioma intelligendum esse de partibus principalibus humanitatis, puta anima, corpore, et illius partibus integrantibus; unde Richardus a Mediavilla in 3. dist. 2. art. 2. quæst. 1. dicit quod si pes a corpore Christi fuisset abscissus, remansisset semper divinitati conjunctus: non vero de partibus minus præcipuis, atque solito e corpore defluentibus, quæ cum amplius non essent corporis partes, nullam cum divinitate habebant conjunctionem. Tale pariter fuit præputium a Christi corpore in circumcisione abscissum, quod usque in hodiernum diem in Ecclesia Lateranensi asservatur et ostenditur: nec tamen ut divinitati conjunctum adoratur. Itaque sanguis in passione effusus nec in resurrectione resumptus a Christo, qui Romæ, Mantuæ, in monasterio S. Mariæ Xantonensi, et apud S. Maximinum custoditur, tametsi e Christi Domini corpore profluxerit tempore passionis; attamen cum ipsi non sit amplius conjunctus, non videtur neque divinitati nec propterea cultu latriæ adorandus. " ✳

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM VERBUM ASSUMPSERIT ANIMÆ RATIONALIS FACULTATES, NEMPE INTELLECTUM ET VOLUNTATEM.

Notandum 1. Ex Doctore Subtili in 2. dist. 15. animæ rationalis facultates non esse ab ea realiter distinctas, ut abunde probavimus in Physicis disp. *De anima*, q. 3. conclusione 2. Quam utique veritatem

aperte tradit S. Augustinus lib. 1. *De Trinitate*, cap. 11. ubi ait: *Hæc tria igitur, memoria, intelligentia, et voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita: nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique, nec tres substantiæ, sed una substantia.* Cui subscribit sanctus Bernardus Serm. 11. in Cantica: *Quædam*, inquit, *in anima intueor, memoriam, intelligentiam, et voluntatem. Et hæc tria ipsam animam esse.* Quam utique veritatem probat Doctor; *Primo*, quia natura semper tendit ad unitatem, nec pluritatem patitur, nisi id aliqua necessitas postulet: sed nulla apparet necessitas statuendæ distinctionis realis inter animam, et ejus facultates; quippe cum nec seorsim existere possint; nec anima physice suas facultates producat: nam si anima per realem actionem suas ederet facultates, sequeretur quod independenter ab eis esset productiva, subindeque tales facult tes ei essent frustraneæ; quidni enim suos vitales actus, sicut et suas facultates immediate posset edere? Ex quibus aperte colligitur, quod si spect tur hæc naturalis ratio, cum Christus animam rationalem assumpserit, etiam et intellectum et voluntatem, et ejus facultates assumpsisse dicendus est. Verum quoniam huic veritati obluctantur hæretici, quorum *aliqui*, ut vidimus in præludio hujus Tractatus, a Christo Domino humanum intellectum ablegant: *alii* voluntatem humanam proscribunt, contendentes eum fuisse intelligentem et volentem, intellectu dumtaxat ac voluntate Verbi: idcirco operæ pretium duxi hac in Quæstione demonstrare Christum Dominum revera intellectum et humanam voluntatem habuisse.

Notandum 2. Hæreticos Monothelitas, de quibus egimus in præludio hujus Tractatus, duas in Christo esse perfectas et integras naturas, divinam et humanam, contra Apollinarem et Arium, easque inconfusas adversus Eutychem agnovisse; an autem revera negaverint in Christo duplicem voluntatem, solam divinam agnoscentes; an vero dumtaxat negaverint duplicem actionem, quam unam utriusque naturæ fuisse putaverint, eamque divinam, controvertitur apud Theologos. Nam Vazquez in 3. part. disp. 77. cap. 11. contendit Monothelitas in homine Christo non negasse operandi ac volendi potentiam, sed solum actionem. *Eorum*, inquit, *error erat, in Christo solum esse effectum voluntatis divinæ, non autem humanæ, cujus nutu membra inferiora ad suas actiones, et opera moverentur: ita ut membra solum parerent motui voluntatis divinæ, quæ erat pro humana: at vero humanam nullam esse, quæ sicut in nobis membra ad suas actiones moveret. Ita quod illum affectum voluntatis in Christo, quo moveri dicebant membra ad suas operationes, unam voluntatem, et unam solum operationem, eamque* theandricam *nuncupabant, quo vocabulo primum usus est S. Dionysius Epistola* 4. *quæ est ad Cajum.* Dicebant autem operationem theandricam in Christo compositam esse, non ex duabus operationibus, nempe ex duobus affectibus duarum voluntatum, quos operationes vocabant; sed ex una operatione voluntatis, et actione membrorum, aut alterius voluntatis, quam operationem, seu motum, aut opus vocabant. Quem utique legitimum erroris sensum se primum detexisse gloriatur Vazquez. Cui subscribit De Lugo disp. 25. et nonnulli alii. — Verum reclamant cæteri Theologi, contendentes hæreticos illos non solas operationes humanæ voluntatis, sed hanc insuper vo-

luntatis facultatem sustulisse. Quam utique veritatem ex ipsismet SS. Patribus copiosissime probat *Petavius* lib. 8. cap. 4. maxime vero ex eo, quod SS. qui eos hæreticos impugnaverunt, semper distincte asserant illos negasse duas in Christo voluntates et duas operationes. Unicum hic profero Euthymium in Panòplia sub finem tituli 18. inter alias Patrum sententias, quas ibi colligit: *Quorum*, inquit, *eadem natura, horum eadem est voluntas, et operatio: quorum autem differens est natura, horum differens est voluntas, et operatio. Porro non hypostaticas, neque personales, neque gnomicas dicimus voluntates illas, et operationes, hoc est, volendi, operandique facultatem.* Quo certe nihil clarius est, ut ostenderet voluntatem, operationemque, de qua quærebatur inter Monothelitas et Catholicos, non solum actionem esse, sed etiam facultatem. *Adde quod* ipsimet hæretici voluntatem et operationem humanam, tamquam duo negaverint: nam in 6. Synodo Actione 8. Macharius Antiochenus Antistes Monothelitarum patronus, interrogatus, an duas confiteretur naturales voluntates, et duas operationes naturales in Incarnatione Christi Domini, respondet, *se neque naturales voluntates duas, neque duas naturales operationes agnoscere.*

Notandum 3. Monothelitas non fuisse primos illius hæresis repertores, et assertores, nam, ut cæteros taceam, narrat Hippolytus in Collectaneis Beronem Valentini repudiata hæresi, *constituta unica, et singulari operatione, divinitatem Christi, et humanitatem confudisse.* Similiter Apollinaris unam in Christo operationem docuit, ut ex aliquot illius dictis Martinus Papa refert in Concilio Lateranensi, ajebat enim: *Quorum una operatio, horum una est essentia: ergo facta est essentia Verbi, et carnis.* His maxime præluserunt Euthychiani, quos *Monophysitas* communi vocabulo nuncuparunt, quorum propaginem Monothelitas fuisse diximus in præludio: nam et illi longe ante hoc exorti, unicam in Christo statuerunt operationem et voluntatem, ac duas anathemate damnarunt: sic Severus commemoratus ab Agathone Papa in epistola Synodica, quæ est in Actis Synodi sextæ, anathema dixit Synodo Chalcedonensi, et epistolæ S. Leonis ad Flavianum, *iisque omnibus, qui in duabus naturis unum dicunt, vel dixerunt Dominum nostrum Jesum Christum post ineffabilem et incomprehensibilem unitionem*, et consequenter confitentes duas operationes, aut proprietates. Ab ipsis tamen Monophysitis in hoc dissentiebant Monothelitæ, quod hi duas perfectas et integras naturas in Christo cum Catholicis agnoscerent, ut constat ex 6. Synodo, in qua diligenter exposita et damnata est hæc hæresis, quippe in Actione 6. Macharius Antiochenus factionis illius Antistes, in ea quam jussus edidit suæ fidei professione, diserte prædicat Christum post Incarnationem in duabus perfectis naturis sine confusione ac divisione, in una existere persona, et hypostasi una, nusquam differentia naturarum unitione sublata: sed servata potius utriusque proprietate naturæ, et in unam concurrere personam, et unam hypostasim. Non conveniebant autem illi hæretici in hæresis suæ ratione reddenda, et expositione facienda, nam alias quamdam operationem Dei et hominis Christi statuebant, quam et *Dei-virilem*, et *Theandricam* nominabant; alias vero agnoscebant duas operationes et voluntates, ut narrat Agatho Romanus Pontifex in Epistola Synodica, quæ refertur Actione 1. Synodi 6; alias nec

unam, nec duas dicendas esse decernebant, ut in *Ecthesi* Heraclii, et *Typo* Constantii, de quibus egimus in præludio hujus Tractatus. — Restat ergo probandum contra hos, et alios hæreticos, duos in Christo fuisse revera intellectus, duas voluntates, ac earum facultatum operationes ; quod utique præstabimus in duabus sequentibus Conclusionibus.

Conclusio prima. — CHRISTUS HABUIT DUPLICEM INTELLECTUM, DIVINUM, ET HUMANUM. Hæc est contra Apollinaristas contendentes Verbum divinum non assumpsisse mentem humanam, seu intelligendi facultatem, cujus vices Verbum divinum præstare affirmabant.

Probatur primo ex Scriptura sacra, illis omnibus oraculis, quibus apparet Christum Dominum exercuisse operationes intellectus humani, maxime vero illis, quibus dicitur admiratus. Sic Matth. 8. admiratur fidem Centurionis ; quam utique admirationem docent Theologi Christo Domino convenisse, quoad scientiam experimentalem : sicut qui novit eclypsim futuram per scientiam, non minus eam demiratur cum illam novit experientia. Ex quo sic argumentor: Christus non potuit admirari ratione intellectus divini, quippe ea tantum admiramur, quorum causa nos latet ; nec etiam ratione animæ sensitivæ, cujus non est investigare, et detegere causas rerum : igitur restat ut illa admiratio Christo convenerit ex parte animæ rationalis intellectu suo præditæ: ideoque in Christo fuit humanus intellectus. — *Secundo*, id ipsum constat ex illis locis, in quibus refertur Christum Dominum habuisse scientiam, et sapientiam, consilium, cæterasque perfectiones ad intellectum humanum pertinentes ; omnia enim ista ipsi competere non poterant ratione intellectus divini ; maxime vero si attendas illud augmentum scientiæ experimentalis, secundum quod dicitur Lucæ 2. *Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum, et homines.* — Denique hæc Catholica veritas colligitur ex iis oraculis, in quibus habetur Christum Dominum orasse, et pernoctasse in oratione Dei ; oratio enim est creatæ mentis in Deum elevatio. — *His adde*, quæ diximus in 1. Quæstione, demonstrando Christum assumpsisse integram naturam humanam, quia id omne assumpsit, quod sanandum erat : intellectiva autem facultas sauciata erat per peccatum, ut dictum est in quarto volumine, ubi demonstravimus omnes animæ facultates per originale peccatum in plurimis esse vitiatas : igitur ut sanaretur debuit a Christo cum ipsa anima assumi. Nulla sunt, aut saltem levia, quæ adversus hanc veritatem possunt obtrudere hæretici.

Conclusio secunda. — CHRISTUS REVERA HABET VOLUNTATEM DIVINAM, ET HUMANAM. Hæc est de fide determinata in plurimis Conciliis contra Monothelitas, maxime vero in 6. *Synodo* ubi hæc hæresis examinata, et proscripta fuit, et in Concilio *Lateranensi* sub Martino I. Consultatione 5. Canonibus 12. 13. et 14. et in VII. Synodo Act. 7. et in confessione fidei, ubi prædicti hæretici damnantur ; et in Concilio *Florentino* in decreto Eugenii.

Probaturque imprimis e Scripturæ testimoniis, quibus duæ in Christo insinuantur voluntates. Sic Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu;* Lucæ 22. *Non mea, sed tua voluntas fiat;* Joan. 6. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui*

misit me. Habebat ergo voluntatem Patri subjectam : non divinam, ergo humanam. *Similiter* ex illis oraculis, quibus legimus Christum obedivisse : sic ad Philipp. 2. *Factus obediens usque ad mortem*. Hebræos 5. *Didicit ex iis, quæ passus est obedientiam*. Obedientia enim est actus voluntatis : non divinæ, quia obedientia superiorem agnoscit. Deus autem superiorem non habet: ergo humanæ. *Tertio*, eadem veritas firmatur ex illis locis, in quibus Christus dicitur nobis meruisse salutem, meritum enim pertinet ad voluntatem : non divinam, quia meritum est alicujus in perfectionem tendentis : ergo humanam. — *Denique*, colligitur ex illis locis, in quibus Christus dicitur actus studiosos et laudabiles fecisse, tamquam exemplar, quod imitari debemus: tales autem actus studiosos exercere non potuit sine voluntate humana, nam si non sit humana voluntas, nec erit liberum arbitrium ; absque libertate autem actus laudabilis et studiosus esse nequit.

Probatur secundo illis omnibus argumentis, quibus SS. Patres Monothelitarum hæresim impugnaverunt: quorum *primum* formatur ex eo, quod Monothelitæ duplicem in Christo perfectam naturam agnoscerent. Sic enim Patres sextæ Synodi in sermone ad Imperatorem Constantinum : *Perfectum igitur in divinitate et in humanitate, perfectum secundum antiquas Patrum traditiones, et divinam Chalcedone sancitam formulam prædicamus : atque uti naturas duas accepimus, ita et duas naturales voluntates, et naturales ipsius operationes agnoscimus. Quippe neutram in Christo naturam in ejus Incarnatione voluntatis expertem, aut operationis audebimus asserere, ne earum proprietates perimentes, naturas una perimamus*. Eodem argumento utitur sanctus Damascenus lib. 3. cap. 15. dicens : *Salva naturarum differentia, salvæ erunt et operationes, non enim natura ulla est operationis expers*. etc. Eodem modo ratiocinatur sanctus Maximus in Epistola ad Nicandrum : *Quomodo*, inquit, *si natura proprie Deus, et natura proprie homo idem erat, non et divinam voluntatem, et operationem natura proprie, et humanam voluntatem, operationemque natura proprie habuit, horum neutro secundum naturam deficiens, per quæ consentanea rebus nomina præferens, et his rursus res ipsas affirmans, manifeste agnoscebatur idem divina pariter, et humana naturaliter obtinens, ac volens, et operans, indeque ea, ex quibus, et in quibus, et quæ erat creditus? Quandoquidem naturali voluntate, et naturali operatione sublata, quinam Deus erit, aut homo? Quinam hoc, et illud secundum substantiam esse monstrabitur, si non utriusque naturæ sine ullo defectu proprietatem retinet? — Probant secundo:* Si esset una dumtaxat in Christo voluntas, ea vel simplex esset, vel composita. Si simplex, vel solius esset Dei propria, vel solius hominis : si composita, multa ex eo absurda sequerentur, velut creatam simul et increatam esse, tum neque Deum neque hominem esse Christum, sed mixtum aliquid ex utroque : quod utique argumentum sic urget sanctus Maximus apud Euthymium tit. 18. « Si una tantum in ipso voluntas, ait, et una dicitur a nobis operatio, « eumdem vel non esse natura hominem, sed solum Deum, vel natura « solum hominem, et non Deum ; vel neque hominem neque Deum, « perspicue profitebimur, veluti si naturalem Dei voluntatem forte dixe- « rimus. Aut hæc omnino divina erit, aut humana : si divina, natura- « liter per ipsam Verbum divinum volet, Deum se natura tantum, et

« ejusdem cum genitore suo voluntatis, non hominem ostendens : non « enim natura fert, ut ex eo, quod natura divinum est, id quod natura « est humanum, propriam formam, ac notam accipiat ; quemadmodum « neque fieri potest, ut per id, quod secundum substantiam humanum « est, id, quod divinum est, substantia dignoscatur. Nec dispar erit « consequentiæ ratio, si voluntatem eamdem Christi humanam esse « dicamus. »

Objiciebant Monothelitæ, *Primo* quidem nonnullas veterum Patrum auctoritates. — *Verum* eas esse partim mentitas, partim fraudulenter ab illis concinnatas et depravatas ; partim denique male interpretando, et aliorsum detorquendo, demonstratum est in VI. Synodo, ubi illorum artes et calumniæ patefactæ convictæque sunt : nam quidam libri falso ab istis attributi veteribus commemorantur. Sic act. 3. et 12. et 11. Epistola Mennæ Constantinopolitani ad Vigilium Papam de una Christi voluntate ; et Vigilii ipsius duo libri alter ad Justinianum Imperatorem, alter ad Theodoram ejus conjugem, unam operationem asseverantes. In *actione* vero 5. et 8. ejusdem Synodi plura loca ex variis SS. Patrum monumentis a Machario Antiocheno collecta perhibentur, quæ authenticis collata codicibus Patriarchii Constantinopolitani, deprehendit Synodus mala fide decerpta esse ac detruncata, et ideo communibus omnium suffragiis damnata sunt. Porro testimonia, quæ specie aliqua illorum hæresi blandiuntur, pauca sunt. Primum quidem desumebant ex S. Cyrillo lib. 4. in Joannem ubi magnum illud Ecclesiæ lumen ait : *Christum unam cognatam operationem per ambas naturas ostendisse.* — **Verum** huic objectioni respondet S. Martinus Papa apud Euthymium : « *Unam,* inquit, *actionem* vocat « unitione : cognatam vero, ratione partium ; utpote quæ ejusdem « fuerit in omnium efficiente imperio, et sanctæ carnis attractu : etenim « per ambo ista Deus Verbum manifeste illam ostendebat eo ipso, quod « per carnem vivificabat, eam per totum vivificam esse demonstrans. « Quemadmodum et ignis per ferrum urens, visione illa, qua secum « jungitur, urendi vi præditum efficit ferrum. Adeo ut propterea non « solius ignis secundum naturam deinceps sit adustio ; sed etiam ferri « propter unitionem : ac similiter divina Verbi in miraculis operatio, « non ejus tantummodo fit ob naturam ; verum etiam sanctæ carnis « ipsius, propter hypostaticam cum illo copulationem : siquidem actionis « secum participem illam in divinis præstandis adhibebat ».

Objiciebant insuper testimonium Greg. Nysseni, ut videre est in 6. Synodo, Actione 12. qui scribens contra Eunomium asserit : *Ita Divinitatem per corpus, quod induit, communem omnium revera salutem operari, ut propria carnis perpessio Dei sit operatio.* Cui consentaneum est illud Philonis in libro *De Cherubinis,* ubi ait : *Proprium Dei esse facere, quod nefas sit factæ ulli rei tribuere : proprium vero creaturæ pati.* Ex quibus colligebant naturam humanam in Christo non fuisse operativam, sed divinam dumtaxat in illo fuisse operatam. — **Verum** S. Maximus in disputatione contra Pyrrhum, et S. Damascenus lib. 3. cap. 13. retorquent illud argumentum in hæreticos : si enim propterea una in Christo esse deberet operatio, quod solius Divinitatis proprie sit actio, humanitatis autem passio ; eadem consequentiæ necessitas efficiet, ut una sit dumtaxat in eodem Christo natura Dei, si nempe

illa sola sit operatrix, et creata dumtaxat patibilis : quippe natura dumtaxat colligitur per motionem et operationem. Igitur ubi est dumtaxat unius naturæ operatio, ibi et unica natura : nec refert, quod omnis natura creata patiatur ; id enim non obstat, quominus etiam sit activa, omne enim creatum agens, maxime corporeum, agendo repatitur.

Objiciebant 3. Omne instrumentum non habet ex se actionem, sed dumtaxat ab agente principali : sed natura humana, ex SS. Patribus, dicitur instrumentum Divinitatis : igitur ex se non erat operativa, sed dumtaxat deserviebat, ut instrumentum, ad ipsius Divinitatis operationem. *Major* constat ex Philosophis. *Minorem* vero probabant ex S. Cyrillo in dialogo *De Incarnatione Verbi*, parte 5. ubi ait : *Christus usus tamquam instrumento propria carne ad opera carnis, et ad naturales ægritudines, et ejusmodi alia, quæ extra reprehensionem erant, anima vero itidem propria ad humanas, et expertes vitii passiones : nam et esuriisse dicitur, et longinquarum peregrinationum labores pertulisse*, etc. Idem habet S. Athanasius oratione 1. *Deus existens*, inquit, *proprium corpus habuit, et hoc usus instrumento. homo propter nos factus est. Ideo quæ propria sunt carnis ipsius esse dicuntur, quoniam in illa inerant, ut sunt esurire, sitire, etc.* — **Distinguo majorem:** instrumentum artificiale, quod agendi principio caret, et sola moventis impressione movetur, concedo : instrumentum naturale, vel substantivum, quod propria forma, et efficiendi virtute, ac potestate præditum est, ideoque veram habet affectionem, et confert in opus conficiendum, nego. Similiter distincta *minore*, nego *consequentiam*. Nam natura humana in Christo si sit divinitatis instrumentum, non est instrumentum artificiale, sed naturale ; quia ex ipsa propriam exercet actionem, nec tantummodo patitur. — *Adde quod* cum Christus duplicis generis habuerit operationes, *alias* quidem pure naturales, ut sunt cognitio, volitio, locutio, contactus, etc.; *alias* vero naturæ vim excedentes, ut omnes miraculosæ operationes, quas Christus operatus est, vel contactu, vel sermone, ut est infirmitatum curatio, mortuorum excitatio, et cætera ejusmodi miracula, quorum naturalis causa non fuit natura humana ; priorum actionum ipsa humanitas principalis erat causa : non autem instrumentum dumtaxat ; posteriores vero actiones sola Divinitas operabatur, et humanæ naturæ actione, puta, vel contactu, vel locutione ad illos mirabiles effectus patrandos, tamquam instrumento utebatur.

Objiciebant denique : Si Christus habuisset duas voluntates, etiam habuisset pugnam voluntatum, quippe humana repugnasset divinæ, et consequenter non fuisset omnis expers peccati, peccat enim omnis, qui divinæ voluntati reluctatur : sed hoc asserere injuriosum est Christo Sancto Sanctorum : igitur, etc. — **Nego majorem**, quamquam enim Christus duas habuerit voluntates, inde non est consequens, quod humana reluctata fuerit divinæ, imo ipsi in omnibus semper erat subdita ; siquidem Christus factus est æterno Patri obediens usque ad mortem, ad Philipp. 2. Hinc Matth. 26. ajebat : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* et Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Quapropter testabatur Joannis 5. *Non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* Adde quod hac ratione non minus negare debuissent Monothelitæ

appetitum sentientem in Christo : hic enim appetitus multo facilius cum divina voluntate pugnare videtur, quam humana voluntas; nec exinde, ut volebant hæretici, cavendum erat ne Christus peccato labefactaretur ; nam, ut notavit S. Ambrosius lib. *De Incarnationis dominicæ sacramento*, cap. 7. *Qui alios a carnis lubrico vindicabat, numquid formidare poterat, ne et ipse dominatu quodam carnis istius vinceretur?*

Objiciebant præterea summos Pontifices Romanos, maxime *Vigilium, et Honorium*, a suis partibus stare, ac eorum sententiæ patrocinari, ut apparet in disputatione Pyrrhi cum S. Maximo. — **Verum** quam falsa et mendax fuerit illa assertio, ut evidentius appareat, operæ pretium est hic fusius examinare, an revera isti duo summi Pontifices a Monothelitarum partibus steterint, quod utique præstabo **duobus in sequentibus paragraphis.**

§ I.— Utrum Vigilius Romanus Pontifex fuerit Monothelita.— Ita accusatur a Pyrrho in disputatione cum sancto Maximo martyre, affirmans, quod ille Pontifex suo calculo probaverit libellum sibi oblatum a Menna Patriarcha Constantinopolitano, in quo affirmatur unam in Christo esse voluntatem. *Verum* hanc calumniam his verbis purgat sanctissimus Martyr: *Admiror quomodo Patriarchæ cum sitis, audetis mentiri : qui tibi antecessit in suis ad Honorium litteris scripsit, commonefactum quidem fuisse de eo libello, non autem oblatum, nec ostensum ; ipse vero in tua ad Joannem Papam Epistola dixisti oblatum esse, et ostensum, lectum etiam per Constantinum quæstorem : utri igitur credemus? Tibi, an ei, cui successisti? uterque enim non potest verum dixisse.* Unde cum Pyrrhus concessisset sic fuisse scriptum a Sergio suo prædecessore, fateri coactus est Vigilium ex hoc capite non **posse culpari.**

Urgebis: Revera Mennas obtulit suum libellum Vigilio, ut constat ex epistola Sergii ad Cyrum Episcopum Alexandrinum, quæ lecta est in sexta Synodo, actione 12. in qua affirmatur porrectum a Menna ipsi Vigilio libellum istum. Ait enim : *Unde nos, quæ nostræ erant scientiæ, per nostra rescripta ei significavimus, dirigentes etiam sermonem acclamatorium Mennæ sanctissimo quondam Patriarchæ : hujus ab eo conservandæ regiæ urbis porrectum ab eo, hic præsenti Vigilio sanctæ memoriæ prædecessori sanctitatis vestræ, habentem, et diversa testimonia paterna de una operatione, et una voluntate Salvatoris nostri Christi.* Igitur revera libellus ille fuit oblatus Vigilio, et ab eo probatus. — **Respondeo negando consequentiam;** quamquam enim verum esset, quod ipsi Vigilio fuerit libellus oblatus ; non est tamen consequens, quod ab eo fuerit approbatus. *Respondeo secundo*, in isto libello Mennæ fuisse a Græcis Monothelitis addita illa verba de *una operatione, et de una voluntate Salvatoris nostri Christi ;* cum enim hunc libellum protulissent Monothelitæ in VI. Synodo actione 3. lectum fuisse ex eo, *quod una sit in Christo voluntas*, tunc, ut ibidem refertur, exurgentes Legati Sedis Apostolicæ vitiatum esse codicem a Monothelitis exclamarunt, additamque esse illam Mennæ nomine ad Vigilium epistolam, sive libellum, eo quod acta ipsa germana id non haberent; ejusque rei certum illud attulerunt argumentum, quod Mennas diem obierit anno 21. Justiniani Imperatoris ; quinta vero

Synodus, in cujus exordio dicitur lecta epistola Mennæ, congregata est duntaxat ejus imperii anno 27. Hinc enim necessario inferendum est non potuisse a Menna tempore quintæ Synodi mitti libellum ad Vigilium, utpote cum Menna jam sex annis ante congregatam Synodum obiisset. Falsificatio autem istius libelli, et impostura exemplo apparuit, ut constat ex actis illius sessionis 3. ubi hæc habentur: *Et inspicientes tam piissimus Imperator, quam gloriosissimi Judices una cum quibusdam ex sancta Synodo. Deo amabilibus Episcopis, et aperientes, ac discernentes, invenerunt tres quaterniones, in principio libri additos, non habentes subnotationem numeri, qui secundum consuetudinem affigitur in quaternionibus: sed in quarto quaternione habente primum numerum, et in sequenti quaternione secundum, et tertium, atque quartum subsequente; alias vero, et dissimiles esse litteras eorumdem, in exordiis submissorum quaternionum, in quibus continebatur sermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium.* Ex quibus apparet hæreticorum fraus, et vafrities. — Cum autem in sui erroris patrocinium instarent Monothelitæ, actione 12. ut rursus libellus ille legeretur, Judices, et Concilium dixerunt: *Superflua præsens lectio sermonis existit, quia penitus fictus et falsus est, eo quod neque in repositis gestis hic venerabilis Patriarchii epistolarum Mennæ sanctissimæ memoriæ hujus Regiæ urbis Antistitis sermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium invenitur, sed et in superius posita* actione 3. *dum relegeretur primus liber gestorum sancti Concilii, inventi sunt additi tres falsi quaterniones hunc sermonem attinentes.* Ex quibus collige fraudes, et imposturas, quibus usi sunt Monothelitæ, ut suas in partes Romanum Pontificem pertraxisse viderentur.

Eadem Actione 3. denuo objicitur a Monothelitis, quod Vigilius duos scripserit libros: alterum ad Justinianum Imperatorem, alterum vero ad Theodoram Augustam Justiniani conjugem; in quibus libris habebatur: *Anathematizamus autem Theodorum, qui fuit Episcopus Mopsuestiæ, tamquam qui alienus semper extiterit ab Ecclesia, et SS. Patribus adversarius, qui non confitetur incarnatum esse Dei Verbum, id est, Christum esse unam subsistentiam, et unam personam, et unam operationem.* Addiderunt autem Monothelitæ libros istos in 7. Actione v. Synodi reperiri. — *Verum* Legati Romanæ Sedis iterum falsitatis accusaverunt Monothelitas; quia nempe ipsi addiderant, *et unam operationem:* hancque rationem demonstrandæ falsitatis et imposturæ subjecerunt; quia si mentio ibi facta fuisset unius operationis, dubio procul illud fuisset insertum in definitione Concilii. — *Insuper,* oportuisset, et Synodum ejusdem unius operationis errorem esse professam, quandoquidem Vigilius receptus est a Synodo. Quod cum non possit dici, neque de Vigilio id sentiendum est. — Hinc Actione 12. ejusdem Concilii, dum iidem libelli rursus apponerentur, sic Judices, sic etiam Concilium: *In memoria habemus, quod tunc* (hoc est Actione 3.) *prosecuti sunt, qui ex parte Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ falsatam fuisse prædictam 7. Actionem, eo quod sint fallaces duo libelli, qui in ea continentur quasi porrecti a Vigilio, Justiniano, et Theodoro piæ memoriæ.* His igitur constat falso Vigilium Romanum Pontificem erroris Monothelitarum accusari. Quantum autem ad Honorium, res longe difficilior, ut apparebit in sequenti §.

§. II. — An Honorius Monothelitarum dogma fuerit professus, et ejus assertoribus patrocinatus. — Affirmativam partem tuentur nedum hæretici, sed etiam nonnulli Theologi Catholici cum Melchiore Cano lib. 6. *De Locis Theologicis*, cap. ultimo; existimantes Honorium revera fuisse errori Monothelitarum patrocinatum: *Tum quia* in suis duabus Epistolis, quæ lectæ sunt Actione 12. et 13. sextæ Synodi, approbat doctrinam Sergii principis Monothelitarum, et decernit dicendum non esse Christum habere duas voluntates, neque duas operationes: *Tum quia* in eadem VI. Synodo damnatur tamquam hæreticus, eo quod, inquiunt Concilii Patres Act. 13, invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit; quapropter decernente eodem Concilio nomen ejus e sacris diptychis expunctum est, et scripta tamquam profana, atque animæ perniciosa igne cremata sunt: *Tum quia* in VII. Synodo Actione ultima dicitur anathema Honorio una cum Sergio, cæterisque Monothelitis, ut legitur in Epistola ejusdem Synodi ad Clericos universos: *Tum quia* Actione 7. Synodi octavæ lecta est, et approbata Epistola Concilii Romani sub Adriano II. in qua refertur, quod Honorius a VI. Synodo post mortem judicatus, quia de hæresi fuerat accusatus: *Tum denique quia* ab Agathone Epistola ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur Act. 4. VI. Synodi, anathema dicitur Honorio tamquam Monothelitæ, et a Leone II. Epistola ad eumdem Imperatorem, quæ habetur ad finem ejusdem Concilii, scriptum est Honorium in Monothelitarum hæresi defunctum, adeoque justa anathematis sententia fuisse condemnatum. – *Verum* his non obstantibus reclamat numerosior et nobilior Doctorum cœtus cum Ecclesiasticis Annalistis et Historicis, quorum sententiam esse veriorem ac certiorem, ut probemus efficacius, et luculentius demonstremus, tria hic sigillatim censeo esse demonstranda: *Primum* quidem, quod revera Honorius Monothelitarum erroris non fuerit assertor. *Secundum*, quod non sit ejusdem erroris accusandus, eo quod cum Sergio datis et acceptis initio controversiæ litteris communicaverit. *Tertium* denique, quod in VI. Synodo minime damnatus ac proscriptus fuerit tamquam hæreticus. Sed ut hæc evidentius appareant, *repetenda* sunt ea quæ diximus initio hujus Tractatus de Monothelitarum hæresis origine, propagatione, et damnatione. Maxime vero revocandum est, quod cum Cyrus Patriarcha Alexandrinus hæreticorum Nestorianorum ad Ecclesiam revocandorum prætextu Synodum congregasset, in ea definitum est cap. 7. *unam esse Dei-virilem operationem in Christo;* cujus Synodi acta misit quam primum ad Sergium Constantinopolitanum Antistitem, una cum Epistola plena adulationis, quæ lecta est in VI. Synodo Actione 13; at cum hæc definitio de unica Christi operatione nota fuisset Sophronio Jerosolymorum Patriarchæ, omni conatu institit apud Cyrum, ut illam rescinderet, quod cum obtinere non potuisset, scripsit ad Sergium Constantinopolitanum, necnon ad Honorium summum Pontificem, quatenus illa definitio Synodi Alexandrinæ rescinderetur. Ut vero accepisset istas litteras a Sophronio Sergius, scripsit ad Honorium celebrem Epistolam, quæ habetur Actione 12. VI. Synodi, in qua exponit ad bonum pacis sibi videri utramque sententiam esse silentio reprimendam, sive quæ unicam in Christo defendit vo-

luntatem et operationem, sive quæ duplicem admittit: suam tamen sententiam in omnibus subjicit judicio, atque censuræ Apostolicæ Sedis. Acceptis a Sergio Epistolis, ad eum duplicem Epistolam scripsit Honorius, in quibus volunt adversarii eum fuisse Monothelitis patrocinatum. Defuncto Honorio, suffectus est in ejus locum Severinus: cui Joannes IV successit, qui coacto Romæ Concilio damnavit Monothelitas. Defuncto Joanne, ejus successor Theodorus anathema dixit Paulo Constantinopolitano Antistiti, quod faveret Monothelitis, quem Episcopatu privavit. Martinus Theodori successor cogit Concilium Lateranense, in quo rursum damnantur Monothelitæ, definiturque duas in Christo esse voluntates, et operationes, in cujus assertionis odium Martinus pellitur in exilium, ubi variis ærumnis martyrii coronam promeretur. Cum autem post ejus obitum Imperium teneret Constantinus Pogonatus vere orthodoxus, egit primum cum Domno Martini successore, deinde cum Agathone, qui mortuo Domno successerat, de congregando Concilio generali. Congregatur igitur VI. Synodus generalis Constantinopoli : præsunt Legati Sedis Apostolicæ, præsens est etiam Imperator cum viris gravioribus. Monothelitæ, quorum Antistes erat Macharius Antiochenus Patriarcha, pacifice audiuntur. Tandem definitur duas esse in Christo voluntates, et duas actiones, et anathema dicitur auctoribus ac præcipuis defensoribus illius hæresis.

Honorius non est dicendus Monothelita propter datas, et acceptas Epistolas a Sergio initio controversiæ. — *Probatur:* nullus dici debet hæreticus, quod datis et acceptis litteris communicet cum aliquo Episcopo, qui ab omnibus celebratur, et habetur ut Catholicus, nec in alicujus erroris suspicionem venit: at quando Honorius a Sergio Epistolam accepit, ad eumque rescripsit, Sergius ab omnibus ut Catholicus habebatur, nec in alicujus erroris suspicionem veniebat: igitur propter communicationem cum ipso, Honorius non est damnandus ut hæreticus Monothelita. *Major* constat : alioqui hæresis essent insimulandi omnes sancti Patres, qui communicaverunt cum hæreticis antequam in erroris suspicionem venissent, ut Hieronymus cum Ruffino, Augustinus cum Juliano. *Minor* vero probatur, nempe quod Sergius tunc temporis, ut Catholicus, et optimus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Pastor haberetur. Probatur, inquam, *primo* ex Epistola Sophronii Jerosolymorum Antistitis ad Sergium, ubi ipsum multis encomiis celebrat: *Vobis*, inquit, *mittimus (confessionem fidei) qui non solum dogmata probata ab adulterinis discernere scitis, sed quæ deficiunt, propter perfectam in Christo charitatem, perfecte supplere potestis. Accedam igitur ad dicendum illa, quæ a principio in Ecclesia sancta Catholica collactatus, et nutritus didici, et a teneris unguiculis accepi, et vos divine prædicare audivi*, etc. Igitur tunc temporis Sergius, ut Catholicus habebatur. — *Deinde*, qui suam doctrinam submittit judicio Romani Pontificis, nec illa apertum errorem continet, ut hæreticus non potest haberi: at Sergius in sua ad Honorium Epistola suam doctrinam apertum errorem non continentem submittit ipsius judicio, ait enim circa finem : *Adhortamur vos, sacratissimi, hæc omnia legere, et Deo placitam, ac plenissimam charitatem quæ in nobis est nunc quoque sequentes, si quid amplius, minusve inveneritis, hoc per datam vobis a Deo gratiam adimplere, atque per sanctas syllabas vestras una cum*

vestra optabili sospitate, quæque super his vobis fuerint placita, significari. Quibus constat quam humiliter Sergius se Honorii judicio submittat, dum rogat, ut ipse Romanus Pontifex, si quid minus, vel amplius in Epistola esse cognoverit, ut adjiciat pariter, vel dimoveat, licet hæc subdole ab eo proferrentur, ne detegeretur ut hæreticus. — *Denique*, nihil erat in Epistola Sergii ad Honorium, ex quo judicare posset, ipsum Sergium Monothelitis patrocinari : ita enim suam sententiam declarat, ut dumtaxat bonum pacis sectari videatur, et Ecclesiæ tranquillitati providere ; cum aliunde suam sanam et integram fidem testaretur, circa Christi divinitatem et humanitatem in unitate personæ, ait enim : « Nos vero considerantes incipientem ex hoc inter « quosdam hic contentionem exardescere, et scientes, quod semper ex « ejusmodi decertationibus illæ hæresum dissensiones effectæ sunt ; « necessarium judicavimus, omne studium ponere ad sedandum atque « amputandum talem superfluum verborum conflictum, et ad sæpe « dictum sanctissimum Alexandriæ Patriarcham scripsimus, ut post- « quam unitatem cum his, qui pridem separabantur, eo auxiliante, « composuit, de cætero nullum permitteret unam, aut duas proferre « operationes in Christo Deo nostro, magis autem, sicut sancta et uni- « versalia Concilia tradiderunt, unum, eumdemque Filium unigenitum « Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum operatum confi- « teri, tam divinam quam humanam, et omnem Deo decibilem, et ho- « mine dignam operationem, ex uno eodemque incarnato Deo Verbo « indivise procedere, et ad unum eumdemque redigere ; eo quod unius « quidem operationis vox, quamquam a quibusdam sanctis dicta est « Patribus, tamen peregrina videretur, et perturbare aures quorumdam « suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuse, atque se- « cundum subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum na- « turarum, quod non est unquam, nec fuit. Similiter autem, et duarum « operationum dictio multos scandalizat, utpote a nullo Sanctorum, « ac probabilium Ecclesiæ institutorum edita. Insuper, et conse- « quens ei est, prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem « habentes, tamquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri « passionem, humanitate vero ejus obsistente ejus voluntati, et resi- « stente, et perinde duo contraria volentes introduci : quod impium « est. Impossibile est quippe in uno eodem subjacenti duas simul, et « erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates. Nam salutaris Deum « gerentium Patrum doctrina, operæ pretium instruit, quod numquam « intellectualiter animata Domini caro separatim, et ex appetitu pro- « prio contrario nutui uniti sibi secundum subsistentiam Dei Verbi « naturalem motum suum effecit, sed quando, et qualem, et quantum « ipse Deus Verbum volebat. Et (ut plenius dicatur) quemadmodum « corpus nostrum regitur, et ornatur, et disponitur ab intellectuali « et rationali anima nostra ; ita et in Domino Christo tota humanitatis « ejus conspersio ab ipsius Verbi Deitate semper in omnibus mota, « Dei mobilis erat, secundum Nyssenum Gregorium dicentem contra « Eunomium ita : secundum quod Deus erat Filius, impassibilis utique « est, et immortalis : si quæ autem passio de eo in Evangelio dicitur, « per humanitatem profecto, quæ suscipiebat passionem, hujusmodi ope- « ratus est. Operatur quippe vere Deitas per corpus, quod circa ipsum

« est, omnium salutem, ut sit carne quidem passio, Dei autem ope-
« ratio. » *Nec refert*, quod ibidem videatur improbare sententiam Sophronii culpantis definitionem Synodi Alexandrinæ, et oppositam definitionem, ac Cyri sententiam approbare: id enim dumtaxat præstat, ut significet quantum tranquillitatis illa definitio Ecclesiæ Alexandrinæ dederit; quam utique pacem interturbare rescindendo illam definitionem Alexandrinæ Synodi durum existimabat. « Quomodo, inquit,
« non esset durum, et valde onerosum, quando hoc resolvere, ever-
« tereque erat futuram quidem omnem illam concordiam, atque uni-
« tatem, quæ bene fuerat effecta, tam apud Alexandrinam magnam
« civitatem, quamque per universas sub ea provincias, quæ nullo
« tempore usque nunc acquieverant, nomen saltem simplex divini,
« atque laudabilis Patris nostri Leonis, aut sancti et magni atque
« universalis Chalcedonensis Concilii mentionem facere: nunc vero
« præclara, et magna voce in divinis Missarum arcanis hoc præci-
« cantes? » Igitur non est cur exinde Sergius alicujus erroris ab Honorio accusaretur. Quapropter nullam habuit causam, cur Honorius illo tempore sese a Sergii communicatione subtraheret, subindeque ideo non est Monothelitarum erroris insimulandus.

Nec etiam arguendus est erroris, propter doctrinam in suis ad Sergium litteris expressam. — Honorius enim, ut diximus supra, duas ad ipsum Sergium Epistolas dedit: sed in earum neutra Monothelitarum error continetur, nec aliquid quod in ipsius erroris patrocinium veniat: igitur ex iis Epistolis non est damnandus Honorius. Probatur *minor: Primo* quidem ex priore Epistola: siquidem in ea docet: *Primo*, quod Christus Dominus Deus, et homo sit, qui coruscavit carne plena divinis miraculis ipse, et carneus effectus, plene Deus et homo. *Secundo* fatetur, quod passiones, et opprobria passus non est in utraque natura, cum constet divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones, et idcirco ipsius humanitas non de Cælo, sed de sancta est assumpta Dei Genitrice. *Tertio* docet propter ineffabilem conjunctionem humanæ, divinæque naturæ Deum dici passum, et humanitatem de cælo descendisse: *Nam*, inquit, *per se veritas in Evangelio ita loquitur: Nullus ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo, profecto nos instruens, quod Divinitati unita est caro passibilis ineffabiliter, atque singulariter, ut discrete, atque inconfuse, sic indivise videretur conjungi, ut nimiram stupenda mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis cognoscatur uniri. Quarto* docet Christum Dominum operatum divina media humanitate Verbo Dei naturaliter unita, eumdemque operatum humana ineffabiliter, atque singulariter. Quibus significat se ob idiomatum communicationem credere unum in Christo volentem et operantem, sicut unica est ejus persona: cum tamen astruat ob diversas proprietates duarum simul indivise et inconfuse conjunctarum naturarum, æque et voluntates distinctas et inconfusas in eo reperiri. — *Denique*, fatetur quod sit unus operator divinitatis, atque humanitatis: *Quia*, inquit, *Dominus noster Jesus Christus Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator Divinitatis, atque humanitatis, plenæ sunt sacræ Litteræ luculentius demonstrantes; utrum autem propter opera divinitatis, et humanitatis geminæ*

operationes debeant derivate dici, vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare. Profitetur ergo Honorius in Christo unum operatorem dicens non convenire personæ unitatem *operationis*, sed *operantis*. Sic S. Joannes Damascenus lib. 3. cap. 14. de his agens, docet non dici posse ratione unius personæ, *unam voluntatem*, sed *unum volentem*, nec *unam operationem*, sed *unum operantem*, in duabus scilicet naturis, quas dum asserit indivise, inconfuse, et inconvertibiliter conjunctas, duas plane necessario introducit operationes et voluntates. His quidem nihil magis Catholicum dici potuisse, nihil magis pium ac sanctum, nihil denique his temporibus ad pacem in Ecclesiis conservandam utilius excogitari videri potuit. Quam quidem Catholicam veritatem (dicam libere cum Campensi, inquit Baronius) non solum nulla Synodo potuerit umquam damnare, sed si Angelus de cælo aliud annuntiaverit, præter id quod dictum est, illatum in hujusmodi ab Apostolo susciperet anathema.

Dices: Idem Pontifex in eadem Epistola aperte dixit: *unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi.* — **Respondet S. Maximus** in disputatione contra Pyrrhum, quod unam dixerit voluntatem, *Non humanitatis et divinitatis simul,* sed *humanitatis solius;* cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent; respondit Honorius, inquit sanctus Martyr, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse; carnis, inquam, et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quæ naturaliter ejus humanitatem signabat; quæ utique responsio firmatur ex ipsamet Epistola Honorii, cum enim dixisset, *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi;* statim subdit: « Quia profecto a divinitate « assumpta est nostri natura, non culpa, illa profecto, quæ ante pec- « catum creata est numquam post prævaricationem vitiata. » *Et infra:* « non est itaque assumpta, sicut præfati sumus, a Salvatore vitiata « natura, quæ repugnaret legi mentis ejus: sed venit quærere et sal- « vare quod perierat, idest, vitiatam generis humani naturam: nam « lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit vel contraria Sal- « vatori; quia super legem natus est humanæ conditionis. Et siquidem « scriptum est: non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit « me, Patris, et: non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater, et alia « hujusmodi: non sunt hæc diversæ voluntatis, sed dispensationis « humanitatis assumptæ; ista enim propter nos dicta sunt, quibus « dedit exemplum, ut assequamur vestigia ejus, pius Magister disci- « pulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Do- « mini omnibus præferat voluntatem ». Hæc Honorius: cum igitur audis unam Honorium dicere voluntatem, intelligere debes eum ita locutum respectu duarum inter se pugnantium contrariarum voluntatum ad malum et bonum.

Instabis: Honorius in eadem Epistola ait, Sergium Sophronio, recte provideque scripsisse cum novitatem vocabuli abstulit, improbando videlicet dictum Sophronii, qui duas in Christo voluntates admittebat. — **Respondeo**, Honorium non magis culpare Sophronium, quod duas voluntates admitteret, quam adversarios, qui unicam in Christo voluntatem profitebantur; sed solum voluit, quod pacis servandæ gratia,

taceretur assertio unius, aut duarum voluntatum : *Nos enim*, inquit, *non unam operationem vel duas, non unum Jesum Christum, ejusque sanctum Spiritum sacris Litteris percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum*. Quibus significat, quod sit quidem dicendus unus operator divinitatis atque humanitatis. — An autem essent duæ voluntates, aut operationes, definire noluit, duplici de causa: Prior est, quia in novis decernendis caute est procedendum : putabat autem illud novum : nam neque in Evangeliis, neque in Synodis, res ei clara videbatur. *Non oportet*, inquit, *ad dogmata hæc Ecclesiastica retorqueri, quæ neque Synodales apices super examinantes, neque auctoritates canonicæ visæ sunt exclamasse : ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicari, quas neque Evangelicæ vel Apostolicæ litteræ, neque Synodalis examinatio super his habita, visæ sunt terminasse*. Posterior est, ne, si duas operationes, Nestorio, si unicam, Eutycheti favere videretur. *Et nos*, inquit, *secundum sanctiones divinorum Eloquiorum oportet sapere, vel sperare, illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare, nec aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur : aut certe, si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur*. Secunda causa cur nil decreverit circa hanc controversiam, forte fuit, ne hac definitione, Ecclesiastica pax interturbaretur, et Ecclesiæ unitas tunditus tolleretur. *His adde* quod non magis culpandus videatur Honorius propterea quod censuerit utramque assertionem, unius aut duarum voluntatum esse tacendam, quam ipse Sophronius, qui idem servandum silentium censuit : sed a nemine Sophronius arguitur hæresis, quod censuerit abstinendum ab isto novo loquendi modo : ergo neque ob id culpari debet Honorius. Quod autem Sophronius consenserit abstinere hac loquendi formula, constat ex epistola Sergii ad Honorium, ubi ait : « Ad ultimum stetit, et placuit quatenus prædictus Sophronius vene-
« rabilis nullum sermonem de cætero, de una, sive duabus operatio-
« nibus movere debeat, sed ei sufficiat præfata, cautaque, ac trita
« SS. Patrum traditio, atque doctrina. His itaque contentus sæpe no-
« minatus venerabilis Vir, et hæc custodire certificans, etc. ».

Similiter in posteriori epistola Honorii nihil est, quod pro eo tempore potuerit hæresi accusari : siquidem in illa tantum hæc habentur:
« Unius, vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum a
« prædicatione fidei eximatur : nam qui hæc dicunt, quid aliud nisi
« juxta unius vel geminæ naturæ Christi Dei vocabulum, ita et ope-
« rationem unam vel geminam suspicantur propter simplicitatem homi-
« num, et amputandas inextricabiles quæstionum ambages, non unam
« vel duas operationes in Mediatore Dei et hominum esse definit? Sed
« utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum al-
« terius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus,
« et divinam quidem, quæ Dei sunt operantem, et humanam, quæ
« carnis sunt exequentem, non divise, neque confuse, aut convertibi-
« liter Dei naturam in hominem, et nec humanam in Deo conversam
« edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes » *Et infra :*
« Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellæ adinventionis,

« non nos oportet unam, vel duas operationes definientes prædicare, « sed pro una (quam quidam dicunt) operatione, oportet nos unum « operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confi- « teri, et pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis voca- « bulo, ipsas potius duas naturas, idest, Divinitatis, et carnis as- « sumptæ in una persona unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise, « atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes. Et « hoc quidem beatissimæ fraternitati vestræ insinuandum prævidi- « mus, quatenus unius confessionis propositum, unanimitati vestræ « sanctitatis monstraremus, ut profecto in uno spiritu anhelantes, pari « fidei documento inspiremus » *Addit præterea:* « scribentes etiam com- « munibus Fratribus Cyro, et Sophronio antistitibus ne novæ vocis, « idest, unius, vel geminæ operationis vocabulo insistere, vel morari « videantur; sed abrasa hujusmodi novæ vocis appellatione, unum « Christum Dominum in utrisque naturis, divina, vel humana præ- « dicent operantem. Quamquam hoc, quod ad Nos prædictus frater, « et Coëpiscopus noster Sophronius misit, instruximus ne duarum « operationum deinceps prædicare innitantur; quod instantissime pro- « miserant prædictum virum esse facturum, si etiam Cyrus Frater, et « Coëpiscopus noster ab unius operationis vocabulo discesserit ». Hucusque ex epistola posteriori Honorii ad Sergium sexta Synodus; ex quibus liquet ipsum vocabulum unius, aut duarum operationum æqualiter tacendum utrique parti significavisse, propter bonum pacis: quod et Legati Sophronii servandum promittunt. Cum igitur neque ob indictum de utraque voce silentium, neque ob communicationem et consensionem cum Sergio Sophronius non venerit usquam in suspicionem erroris; ita nec Honorius propter eadem debet in suspicionem hæresis venire: maxime cum hac ratione Honorius consuluerit paci, ut nullum præjudicium fecerit veritati. Nam altero tantum ex his duobus modis potuisset veritati præjudicium fieri, vel quia firmasset Monothelitarum hæresim de unica voluntate, atque operatione Christi: at non ita; quia diserte prohibet dici *unicam*, quemadmodum vetat dici *duas:* vel quia hac sua simulatione et indifferentia visus esset occulte favere Eutychianis: at non ita, quia vult expresse, ut credamus utrasque naturas in Christo unitate naturali copulatas, non divise neque confuse, aut convertibiliter Dei naturam in hominem, et nec humanam in Deum conversam; sed naturarum differentias integras: igitur tantum abest, ut hæreticus censeri debeat ob epistolas, quin potius est, quod merito asseramus, eum tunc temporis rebus Ecclesiæ prudenter providisse, ne scilicet diu vexatam Ecclesiam ab hæreticis Eutychianis et Nestorianis, et nondum omni ex parte firma ac solida pace fruentem, novis suborientibus controversiis, divexari pateretur.

Probabilius est, Honorium in sexta Synodo non fuisse hæreticis annumeratum, nec damnatum. — Hæc ultima Honorii vindiciarum pars longe probatu difficilior apparet, quam præcedentes; propterea quod in actis sextæ Synodi, quæ per Ecclesiam universam vulgantur, et in omnium manibus sunt, hæreticis legitur annumeratus; quod idem præstiterunt sequentes aliquæ generales Synodi, ut prænonuimus in hujus controversiæ exordio. Nihilominus verius cum nobiliori Docto-

rum, et Ecclesiæ Annalistarum cœtu dicendum arbitror, Honorii nomen insertum fuisse a Monothelitis ipsis, cum cæteris damnatis sui erroris defensoribus, quo facilius sextæ Synodi auctoritatem et definitionem elevarent, et suæ prætensæ innocentiæ, ac justæ damnationis patrocinium accerserent. Tanti namque faciebant Honorii memoriam, ut etiam usque modo Patriarchæ Constantinopolitani Monothelitæ nomen ejus suis in diptichis insertum servaverint, expunctis nominibus successorum ipsius, a quibus fuerant damnati: ad hanc autem tuendam sententiam non levioribus, sed, ut mihi videtur, gravissimis moveor argumentis.

Primum repeto ex Synodo Lateranensi sub Martino Papa et Martyre celebrata anno Christi 649. hoc est, post decem annos ab obitu Honorii: cui Synodo interfuerunt centum et quinque Episcopi, præsidente ipso summo Pontifice, in qua exacte librata est et tractata causa Monothelitarum; et post diligentem inquisitionem damnati sunt una cum hæresi, atque ipsorum scriptis, Theodorus Pharanites Episcopus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, et Paulus successores Patriarchæ Constantinopolitani, auctores et propugnatores erroris: de Honorio autem adeo altum silentium fuit, ut nullam prorsus, vel ab hæreticis de hæresi calumniam passus, nec a sancta Synodo levissima sit suspicione pulsatus: cum cæteris autem damnatis illius erroris auctoribus et Patronis eamdem sententiam minime effugisset Honorius; aut certe suo graviter officio defuisset Martinus cum Concilio, qui personam ipsius acceptasset in præjudicium veritatis; quod sane de tanto Pontifice atque Martyre glorioso, nullus absque crimine judicare potest. Quippe hac exceptione approbasset ipsius Honorii doctrinam, et sic tacendo videretur approbare quod decernendo improbabat: igitur si silentium istius Concilii testimonium sit validissimum innocentiæ Honorii, estne credibile sextam Synodum adversus illum Pontificem insontem potuisse ferre sententiam, et eum cum hæreticis numerare? Quid notitiæ potuit habere sexta Synodus circa mentem et sententiam Honorii, quod Patres Concilii Lateranensis latuerit? Recentior enim erat apud hos, quam apud illos, Honorii memoria ac doctrina; et faciliori negotio Patres Lateranenses poterant ipsius mentem nosse, utpote qui plurimos adhuc Honorii familiares superstites haberent, cum quibus causam illam tractaverat Honorius, et a quibus illius mentem rescire poterant. Dicitur Honorius damnatus in sexta Synodo, ob solam lectionem duarum ipsius ad Sergium epistolarum: sed hæ erantne ignotæ Romæ, aut a Romanis et Latinis Præsulibus minus intellectæ, quam Constantinopoli, cujus Synodi maxima pars Orientales erant? quocirca oportuit illas epistolas in idioma Græcum traducere: certe nullus æqui judicii istud censebit.

Secundum argumentum petitur ex Concilio Romano celebrato sub Agathone anno 680. hoc est, eodem anno, quo celebrata est sexta Synodus, cui aderant centum viginti quinque Episcopi, ut constat ex epistola Synodica, quæ fuit velut instructio Legatorum, qui missi sunt ab eodem Agathone ad sextam Synodum, et extat in ejusdem Synodi sextæ actione 4. in qua quidem Synodica epistola tria habentur: *Primum* est professio fidei, ubi expresse continetur doctrina Catholica de duabus voluntatibus et operationibus in Christo. *Secundum*, repe-

titur damnatio eorumdem Monotheliti erroris patronorum, Theodori, Cyri, Sergii, Pyrrhi, et Pauli; nec levis quidem fit mentio, quod similiter erraverit Honorius: quod certe dissimulandum non erat, si verum esset. *Tertium*, denique affirmatur Agathonis prædecessores *veram fidem docuisse semper, et usque ad animæ ipsius exitum constanter defendisse, non seductos blanditiis, non periculis territos, etc.* Qua fronte autem hæc subscriberentur a centum viginti quinque Episcopis, una cum summo Pontifice, si non ita pridem Honorius laboraret eodem errore, qui damnabatur in ea Synodo Lateranensi, et cujus damnatio procuranda erat a Legatis proficiscentibus ad illam sextam Synodum? Quis ita levis, ut credat tot Præsules toti Ecclesiæ in Concilio Œcumenico congregatæ tam turpiter imponere voluisse, et ita fuisse excordes, et ac suæ famæ prodigos, qui, ut Honorii nomen illibatum servarent, mallent se aperto mendacii periculo, coram universo Ecclesiæ cœtu exponere? *Confirmatur* ex epistola nomine Agathonis solius ad Imperatores Constantinum, Heraclium, atque Tyberium per eosdem Legatos directa, quæ pariter refertur initio actionis 4. ejusdem sextæ Synodi, ubi fidei Symbolum, quod veritatem de duplici voluntate et operatione expresse continet, profertur, subditque Pontifex ore libero, firmaque ac iterata contestatione fatetur, numquam aliquando Apostolicam Sedem a recto fidei tramite deviasse. Ait enim: *Christi adnitente præsidio hæc Apostolica ejus Ecclesia numquam a via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa est.* Et paulo post: *Hæc est enim veræ fidei regula, quam in prosperis et adversis viraciter tenuit, ac defendit hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus illibata ad hoc tempus permansit.* Et de suis prædecessoribus paulo post speciatim hæc addit: *Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus, et Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum Fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum: quorum et pusillitas mea, licet impar, et minima, quo suscepto, tamen divina dignatione, ministerio, pedissequa cupit existere. Væ enim mihi erit, si veritatem Domini mei, quem illi sinceriter prædicaverunt, prædicare neglexero.* Hæc Agatho, quæ quidem non adeo firmiter asserere, libere prædicare, ac sincere confiteri potuisset, si ad eamdem firmandam, quam confutat, hæresim, Honorius in crimen adduci potuisset. Quæ utique verissima judicabis, si spectaveris, quis hæc dixerit, ubi, ad quos, et quando scripserit; nempe sanctissimus, et omnium ore laudatissimus Agatho, in Synodali magno Patrum conventu, consensu omnium scribens ista ad ipsos Imperatores Constantinopoli degentes, quorum prædecessores favissent errori, ut constat ex Heraclii *Ecthesi*, et *Typo* Constantis: idque scriberet tempore, quo Œcumenica Synodus celebranda erat, ea scilicet in urbe, cujus Patriarchas ipse Agatho cum suo Concilio damnaverat; sese autem exposuisset justæ accusationi de personarum acceptione, si in præjudicium veritatis, illius erroris reum cum ipsis fautoribus,

ac Patronis Monothelitarum excepisset. — *His adde,* quod pridem ante illos summos Pontifices S. Maximus Honorium ab ipsa calumnia vindicavit, in illa disputatione, quam habuit cum Pyrrho; cum enim hic hæreticus pro se stare Honorium acclamaret; *Quid,* inquiebat, *de Honorio ad respondendum habes, qui aperte antecessori meo unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi esse tradidit?* Sanctus Maximus illum ab hac erroris insimulatione liberat, ostendens ipsum semper fuisse acerrimum veræ fidei propugnatorem, et unam voluntatem in Domino dixisse, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis solius, ne oppositas in Christo voluntates carnis et spiritus admitteret. *Confirmatur* ex eo, quod anno 640. hoc est, secundo ab obitu ipsius Honorii, cum Monothelitæ occasione prædictarum epistolarum ad Sergium, suas in partes illum pertrahere conarentur, Joannes tum in Petri Cathedra sedens eum advocavit, qui sub Honorio duas illas epistolas scripserat, ut mentem defuncti Pontificis aperiret, et quid censuisset ille ad Constantinum Imperatorem scriberet. Paruit ille, et ut refert S. Maximus martyr, mandavit Imperatori eatenus dumtaxat Honorium unam in Christo voluntatem dixisse, quatenus negaret humanam voluntatem contrariam, carnis scilicet, et spiritus; non vero duplicem negasse, quarum altera divina sit, altera humana. *Constat* igitur ante sextam Synodum, tum ex ejusdem Honorii litteris, tum ex S. Maximi scriptis, atque ex Conciliis duobus Romæ celebratis, tum ex litteris Romanorum Pontificum, Joannis, Martini, et Agathonis, nullatenus Honorium posse erroris insimulari; ac subinde nullus rerum justus æstimator adduci poterit, ut credat Honorii nomen, cum aliis istius hæresis patronis, a sexta Synodo esse insertum; quin potius istud dolosa Monothelitarum arte ac fraude compactum esse, facile judicabit. Qualiter autem id factum fuerit, mox aperiemus.

Tertium argumentum, quo vindicari potest Honorii fides integra, et apparere fictitiam esse illius in sexta Synodo damnationem, colligitur tum ex terminis, tum ex circumstantiis damnationis illius, quæ legitur et exaratur in actione 28. hujus Concilii, cujus verba hæc sunt: *Sanctum Concilium dixit: secundum promissionem, quæ a nobis ad vestram gloriam facta est, retractantes dogmaticas epistolas, quæ a Sergio quondam Patriarcha hujus a Deo conservandæ regiæ urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Episcopus Phasidis, quam ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ; similiter autem, et epistolam ab illo, idest, Honorio rescriptam ad eumdem Sergium: hasque invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, et a definitionibus sanctorum Conciliorum, et cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas hæreticorum; eas omnimodo abjicimus, et tamquam animæ noxias execramur. Quorum autem (idest, eorumdem) impia execramur dogmata, horum et nomina a sancta Dei Ecclesia projici judicamus, idest, Sergii quondam Præsulis hujus a Deo conservandæ regiæ urbis, qui aggressus est de hujusmodi impio dogmate conscribere, Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Petri, et Pauli, qui et ipsi præsulatu functi sunt in sede hujus a Deo conservandæ civitatis, et similia eis senserunt: ad hæc, et Theodori quondam Episcopi Pharan: quarum omnium supra scriptarum personarum mentionem fecit Agatho sanctissimus, ac ter beatissimus Papa antiquæ Romæ, in suggestione, quam*

fecit ad piissimum, et a Deo confirmatum Dominum nostrum et magnum Imperatorem, eosque abjicit, utpote contraria recte fidei sentientes, quos anathemati submitti definimus. Cum his vere simul projici a sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus, et Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit. Hactenus, quæ fertur sententia adversus hæreticos in Synodo condemnatos.

Hoc est præcipuum adversariorum propugnaculum, quo nituntur quotquot Honorium Monothelitarum erroris reum esse volunt. *Verum* falsatam esse præfatam sententiam, et hæreticorum vafritie ac dolo falso insertum Honorii nomen, pluribus, iisque non levioribus momentis demonstro. *Primo* quidem, quia Synodus dicit se eos damnare, quos ait prædamnatos ab Agathone Pontifice in ipsius epistola ad Imperatorem: at in illa epistola cum hæreticis damnatis non habetur Honorius; imo constantissime testatur Agatho, numquam Ecclesiam Apostolicam a via veritatis in quamlibet erroris partem deflexam esse, nec per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse, nec hæreticis novitatibus depravatam succubuisse: quod certe falsissimum esset, si ipsum Honorium in errorem, quem ipse Agatho damnaverat, lapsum fuisse judicasset: igitur cum testetur Synodus, eos dumtaxat damnari, quos Agatho prædamnaverat in sua epistola ad Imperatorem, consequens est Honorium in illa Synodo non fuisse damnatum, utpote qui cum damnatis hæreticis ab Agathone non fuerit nominatus. *Secundo* dicitur in ea sententia idcirco damnatum esse Honorium, quod ejus epistolæ ad Sergium alienæ sint ab Apostolicis dogmatibus, et a definitionibus SS. Conciliorum, et cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas hæreticorum doctrinas: sed hæc omnia falsissima sunt, ut supra probatum est; quippe in illis epistolis nihil est quod Catholicam doctrinam non redoleat. Deinde etiamsi illæ epistolæ, (quod dici non potest) aliquid erroris præferrent, numquid ex iis damnandus a Synodo erat ipse Honorius, et non more majorum disquirendum, an inveniri posset ipsum, mutata sententia, errorem ejurasse antequam diem extremum clauderet? *Insuper* cum notum esset, quod extaret posterior ejusdem Honorii epistola ad eumdem Sergium: cur non expectata est ejus lectio, quæ dumtaxat facta est in sequenti sessione, ex qua posteriori epistola certo argumento constare poterat, ut supra diximus, ipsum Pontificem asseruisse duas operationes, et totidem in Christo voluntates? Sane nullus est, qui hanc præposteram, et præcipitatam Romani Pontificis condemnationem, de impostura et falsificatione suspectam esse non judicet. *Tertio,* cum isti Synodo præessent Apostolicæ Sedis Legati, quomodo altum silentium servassent audientes damnari, tam præcoci impetu ejusdem sedis Antistitem, maxime in re tam aperta, et jam sufficienter discussa, tum per præcedens judicium Joannis Romani Pontificis missum Constantinopolim, tum per defensionem S. Maximi martyris, qui in publica disputatione cum Pyrrho toti orbi Catholico promulgata, hanc ab Honorio calumniam propulsaverat? Tum denique cum in epistolis Agathonis cujus vices gerebant, expressissimum haberent nullum e Romanis Pontificibus in aliquem errorem lapsum? Quonam modo, tam profundo

lethargo laborassent, ut ne unus, vel alter quidem ista senserit, ac insurrexerit, saltem defensor litterarum Agathonis, cum præsertim ex iis accepissent nihil ab ipsis decernendum, præterquam illa tantum ipsa, quæ iisdem ipsis litteris continerentur? *His adde* quod etiamsi revera epistolæ Honorii aliquem errorem redolerent, cur non institerunt Legati, ut supersederetur, donec constitisset ipsum non deposuisse illum errorem, sed in eo fuisse defunctum? Potestne alicui in mentem venire, qui noverit quanta animi firmitate ipsi Legati obstiterint Monothelitis, dum Vigilium Romanum Pontificem suas in partes pertrahere tentabant; ipsi tamen animo quieto audierint damnari alterum ejusdem sedis Antistitem, ne verbulo quidem in ejus defensionem prolato? Quid? Ob damnationem Theodori Mopsuesteni, et condemnationem scriptorum Theodoreti, et Ibæ Episcoporum, oportuit totum Christianum orbem commoveri, ac Œcumenicam Synodum congregari; nec tamen nisi cum maximo labore id actum est: Antistes autem primæ Sedis, qui omnes judicat et a nemine judicatur, damnatus esset ex simplici illarum Epistolarum lectione, nulla disquisitione facta, an illum errorem, priusquam diem extremum obiret, ejurasset? *Quarto*, si revera Honorius damnatus fuisset ut hæreticus, cur post celebratam sextam Synodum, illius nomen cum damnatorum Patriarcharum nominibus e sacris diptichis non fuit expunctum? nam refert Anastasius Bibliothecarius, Synodo absoluta, omnium damnatorum Patriarcharum nomina fuisse deleta, ipsorumque imagines de Ecclesiis fuisse sublatas. Constat autem Honorium cum orthodoxis Pontificibus in Basilica sancti Petri sepultum esse, illiusque sepulchrum plurimis elogiis, ac honorificis titulis, quos refert Baronius ad *annum Christi* 638. num. 2. *et sequentibus*. Inter cætera autem illius Epitaphium hoc præfert:

Quem doctrina potens, quem sacræ regula vitæ,
Pontificum pariter sanxit habere decus.
Sanctiloqui semper in te commenta magistri
Emicuere tui tamquam fœcunda nimis.
Namque Gregorii tanti vestigia justi
Dum sequeris cupidus, et meritumque geris.
Æternæ lucis Christo dignante perennem,
Cum Patribus sanctis posside jamque diem.

Qui versus quamquam nullam elegantiam præ se ferant, et illius sæculi rudiorem Musam sapiant: nihilominus sufficienter aperiunt ipsum fuisse virum probum, ac sancti Gregorii imitatorem: quæ certe de homine hæretico dicta non pateretur Romana sedes, nec illius nomen in albo orthodoxorum Pontificum insertum sineret, ejusque imaginem musivo contextum in apside sanctæ Agnetis Ecclesiæ, quam ipse instauraverat, pateretur hactenus cerni publice venerationi Christianorum expositam. — His igitur sufficienter constare debet falsata esse istius Synodi acta, et Monothelitarum vafritie Honorii nomen, ac Epistolas dolose cum damnati erroris assertoribus esse inserta.

Verum inquies: quis adduci poterit, ut credat, quod aliquis eo pervenerit audaciæ, ut corrumperet acta Concilii generalis? — **Respondeo**, id mirum non videri homini rerum Ecclesiasticarum perito; hæc namque stropha frequentissima fuit apud Græcos, quos falsificasse

acta quintæ Synodi, falsitatisque convictos supra vidimus in causa Vigilii. — *Insuper*, Sanctus Gregorius lib. 5. Epistola 14. quæ est ad Narsen, testatur eos corrupisse acta Concilii Chalcedonensis, ubi addit se suspicari, quod etiam Ephesinam Synodum corruperint, unde ibidem subjicit veraciores esse codices Romanorum, quam Græcorum; *Quoniam*, inquit, *Romani sicut non acumina, ita nec imposturas habent*. Similiter eos corrupisse Canones secundæ Synodi, evidens est ex Actione 16. Concilii Chalcedonensis, et litteris sancti Leonis de Patriarcha Constantinopolitano. — *Denique*, eos corrupisse acta septimæ Synodi non minus, ac præcedentium, testatur Anastasius Bibliothecarius in præfatione Historiæ ad sextam Synodum; post quam subdit: *Sic igitur Græci, accepta occasione celebratorum universalium Conciliorum, frequenter egisse clarescunt, et nunc minuendo, nunc addendo, vel mutando, nunc in absentia sociorum, nunc in abscondito angulorum, nunc extra Synodum, nunc post Synodum astutia sua, imo fraude communibus sanctionibus abutuntur, et ad suos libitus cuncta, quæ sibi visa fuerint, etiam violenter inflectunt.*

Petes: quisnam ille fuerit audax interpolator, qui ejusmodi acta Synodalia temerare ausus fuerit, et Honorii nomen cum damnatis hæreticorum patronis inserere. — **Respondeo**, non improbabile videri, id quod docet Baronius ad annum 681. num. 29. hujus impostura artificem et auctorem censeri *Theodorum* Patriarcham Constantinopolitanum Monothelitam, et illius hæresis audacissimum defensorem, qui eo insolentiæ prorupit, ut nomina Romanorum Pontificum ab excitata controversia defunctorum, e sacris diptichis, atque imprimis *Vitaliani* abstulerit, retento solo nomine *Honorii*, ut constat ex eo quod Georgius Constantinopolitanus, qui in hujus locum suffectus fuerat in sexta Synodo *Actione* 8. postulavit, ut nomen Pontificis *Vitaliani* restitueretur, quod ultro concessum est. Cum vero astutissimus ille simulata pœnitentia suam in sedem restitutus fuisset anno 682. mortuo scilicet post tres annos, et totidem menses Georgio, credibile est, quod ipse summa rerum potitus, et Synodi prototypum nactus, nomen suum e damnatorum numero deleverit. Neque enim dici potest, quod in ea Synodo non fuerit damnatus: *Tum quia* Synodus de omnibus Episcopis Constantinopolitanis ab exorta hac hæresi judicium tulit, et condemnavit Sergium, Pyrrhum, Paulum, et Petrum: orthodoxi autem declarati sunt Thomas, Joannes, et Constantinus prædecessor istius Theodori; quidni ergo ipse Theodorus, cum eadem sentiret, quæ cæteri Patriarchæ hæretici, et propterea fuerit destitutus, non itidem cum hæreticis fuerit damnatus? *Tum quia* Anastasius Bibliothecarius, qui actiones ejusdem sextæ Synodi in compendium redegit, ista habet: *Deinde*, inquit, *protulit piissimus et serenissimus princeps tomum ad relegendum, in quo uno hæreticum dogma Macharii erat conscriptum, et ejus in manu subscriptum apertissime unam voluntatem in Domino affirmantem: sub ipsius subscriptione, et Theodori Patriarchæ utique juxta eum tenorem ibi subscriptio erat.* Constat igitur Theodorum ejusdem erroris reum fuisse; et tamen nihil hujusmodi reperitur in actis, quæ præ manibus habentur: unde non leve ducitur argumentum, quod ex autographo actorum Synodalium expunxerit ea, quæ in sui ignominiam vergebant, et inseruerit Honorii nomen, ac in sui nominis

locum reposuerit, tum, ut quod conceperat in Ecclesiam Romanam odium ea ratione tentaret explere: tum maxime, ut culpa sua cæterorumque successorum Sergii, necnon et ipsiusmet Sergii minor videretur, utpote qui in eodem errore comitem habuissent universalis Ecclesiæ Pontificem.

Instabis: Quomodo ergo in septima Synodo Actione ultima, non est detecta illa fraus? siquidem in ea dicitur anathema Honorio et Sergio cæterisque Monothelitarum hæresis defensoribus; quod etiam reperitur in Epistola Synodi nomine missa ad Constantium Imperatorem, et Irenem matrem ejus. — **Respondeo**, pariter acta istius Concilii a Græcis fuisse interpolata in odium Romanæ Ecclesiæ, nominis Honorii in locum Theodori suffectione, ut factitatum fuerat in sexta Synodo per ipsum Theodorum Constantinopolitanæ Sedis Patriarcharum damnatorum culpa minor appareret, quibus nimirum præivisset Romanæ Ecclesiæ Pontifex Honorius. — *Respondent* aliqui, Patres hujus septimæ Synodi deceptos ex corruptis actis sextæ Synodi, dixisse anathema Honorio. *Verum* id non habet speciem probabilitatis; nam Legati Adriani Romani Pontificis, qui ejus nomine præerant Concilio, non passi fuissent tantam injuriam inferri Romano Pontifici, quem ab errore immunem Joannes summus Pontifex, et S. Maximus Martyr declaraverant.

Urgebis: Si hæc ita sint, cur ergo Concilium Romanum sub Adriano II. testatur Honorium in sexta Synodo fuisse accusatum? nam in illius Concilii Epistola habetur: *Honorium judicatum fuisse post mortem a sexta Synodo, quia de hæresi fuerat accusatus.* — **Respondeo**, in ea non dici damnatum fuisse Honorium a sexta Synodo, ut falso supponit objectio, sed tantum quod damnatus sit ab Orientalibus: quod utique non negamus; sed merito habemus, quod conqueramur de illa injusta damnatione, tum quod omnino innocens fuerit Honorius; tum quod prima Sedes ab alia inferiori non est judicanda. Itaque illius condemnatio non emanavit a Synodo Œcumenica, a qua tamen fuisset revera damnandus si isto errore fuisset infectus.

Objiciunt aliqui Agathonis auctoritatem, quasi in ea damnaretur Honorius. — **Verum** contrarium apertissime constat, quippe expressissime habet, ut supra vidimus, Ecclesiam Romanam numquam a tramite Apostolicæ Sedis aberrasse, nec hæreticis novitatibus depravatam succubuisse, quod aperte falsum esset, si ipsemet in ea Honorium damnaret.

Objiciunt denique epistolam Leonis secundi ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur ad finem sextæ Synodi, cujus acta confirmat et approbat: in qua scribitur Honorium in Monothelitarum hæresi defunctum, ait enim: pariter anathematizamus novi erroris inventores, idest, Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Successores, magis quam Præsules, necnon et Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed profana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est. — **Respondet** Baronius ad *annum Christi* 687. n. 19. *et sequentibus*, illam Leonis Epistolam spuriam esse, idque probat, quia contradictoria continet; nam *primo* scribitur: *data nonis Maji indi-*

ctione decima: et tamen in contextu habetur, quod Leo imperatorias litteras accepit, et acta Synodalia, elapsa nuper indictione decima, mense Julio, et suscepit Legatos e Synodo redeuntes. *Secundo* quia Leo non potuisset suscepisse Legatos una cum litteris et actis sextæ Synodi, mense Julio; quippe dumtaxat decem menses sedit, creatus est autem Pontifex mense Augusto. *Tertio* ait se recepisse mense Majo, indictione decima, Epistolam Imperatoris, et tamen constat illam ab Imperatore missam dumtaxat eadem indictione, mense Decembri. Quæ omnia cum aperte sibi contrarientur, fatendum est illam Epistolam Leonis nomine vulgatam spuriam ac ementitam esse. Adeoque ex his omnibus momentis constat Honorium istius erroris prorsus immunem fuisse, et nullatenus a sexta Synodo hæreticis fuisse annumeratum, ac cum ipsis damnatum.

Urgebis: Ideo Leo Pontifex scripsit ad varios orbis Christianæ Præsules, maxime vero ad Hispanos eorumque Regem Ervigium, ad quos transmisit fidei definitionem, et acta sexta Synodi per Petrum notarium regionarium, quatenus ipsorum omnium subscriptionibus munirentur, quæ in illo Œcumenico Concilio statuta fuerant: sed in illis ipsis actis per Leonem transmissis reperitur illa Honorii damnatio, et ejusdem Epistolarum proscriptio: igitur revera Leo probavit illam Honorii damnationem, et ut legitimam habuit. — **Negat majorem Baronius** ad annum 683. num. 21. et sequentibus, demonstratque illas Epistolas, quæ nomine Leonis circumferuntur ad Præsules Hispaniæ, et Regem Ervigium, spurias esse ac supposititias: *primo* quia in singulis istis Epistolis asseritur ipsam Œcumenicam Synodum absolutam fuisse indictione 9. Constat autem ex ultima ejusdem Synodi actione illam absolutam fuisse dumtaxat in indictione 10. *Secundo* in Epistola ad Præsules Hispaniæ, hæc habentur: *De diversis autem Conciliis huic sanctæ Apostolicæ Sedi, cujus ministerio fungimur, subjacentibus, Archiepiscopi sunt a nobis destinati, qui cum pio Principe, simul et omnibus, qui ejus mandato convenerunt, Ecclesiarum Præsulibus præsidentes; ac confidenter primum quidem sancta quinque universalia Concilia, etc.* Sed falsum est, quod aliquis Archiepiscopus Roma missus Synodo interfuerit; nullus enim in actis illius Synodi refertur: igitur apparet hoc esse commentitium. *Tertio* denique in Epistola ad Regem Ervigium dicit, quod Imperator scripserit ad Agathonem Papam, ut Legatos dirigeret Constantinopolim ad Synodum celebrandam: constat autem tum ex litteris Agathonis, tum ex ipsis Synodi actis, quod Imperator scripserit non ad Agathonem, sed ad ejus prædecessorem Donum Pontificem. *Adde quod* illa Epistola tradat Imperatorem hæc scripsisse nona indictione; quod æque falsissimum deprehenditur; siquidem illæ ad Donum litteræ Imperatoris, datæ reperiuntur indictione sexta pridie idus Augusti, quæ certe de impostura roborant argumentum.

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM NATURA HUMANA IN CHRISTO PROPRIAM HABUERIT EXISTENTIAM, ET SUBSISTENTIAM CREATAM SUBSTANTIALEM.

Notandum 1. Quæstionem hanc aliis verbis communiter proponi a Theologis: an videlicet in Christo sit unicum esse, vel multiplex: etenim triplex esse communiter assignatur a Philosophis, scilicet essentiæ, existentiæ, et subsistentiæ. Esse essentiæ illud est, quo res constituuntur in aliqua determinata specie entis, illud scilicet, quod coalescit ex partibus essentialibus et quidditativis cujusque rei, a quo deducitur abstractum essentiæ, quod sola ratione differt a suo concreto esse, ut passim docet Doctor, maxime in 1. dist. 8. quæst. penultima. Esse existentiæ est, quo res est actu, et realiter ponitur extra causas, et extra nihil; unde existentia, et actualis essentia realiter non differunt. Esse subsistentiæ substantialis est ipsamet realis existentia substantiæ cujuslibet, qua dicitur ens per se subsistens: subsistentia namque sumitur variis, maxime duobus, modis: *primo* quatenus est modus entis existentis per se, et independenter a quolibet subjecto inhæsionis ipsum sustentantis, qualiter differt ab accidente; *vel* quatenus significat modum existendi incommunicabiliter, ut *quo* et ut *quod*, hoc est, per modum partis et superioris. Priori modo sumpta subsistentia dicitur differentia substantiæ, et modus illius existentiæ: posteriori vero dicitur suppositum in rebus ratione expertibus, et persona in rebus ratione præditis.

Notandum 2. Omnes Doctores Catholicos convenire, in Christo esse unicum esse subsistentiæ personale, quia in ipso est unica persona; siquidem natura humana Christi subsistit per ipsam Verbi subsistentiam personalem, ut supra probavimus: non conveniunt autem omnes iidem Doctores, an etiam in Christo sit unicum esse subsistentiæ substantialis; siquidem plurimi e sanctis Patribus infra laudandis triplicem in Christo subsistentiam admittunt, sicut et substantiam, ac essentiam, nempe divinam, corpoream, et spiritualem. Unde gravis hac de re extitit aliquando controversia inter Præsules Hispanos, et Benedictum II. Nam Scriptores historiæ Hispanicæ, puta Ambrosius Maurus lib. 12. cap. 38. et Mariana lib. 6. cap. 18. referunt, quod cum Patres Concilii Toletani 11. in sua confessione fidei dixissent in Christo tres esse substantias, ubi illam confessionem ad se ab illis Præsulibus transmissam, ut auctoritate Pontificia probaretur excepisset Benedictus II. tria in ipsa notavit, quod non satis recte dicta viderentur; maxime vero, quod tres in Christo substantias profiterentur. Quod utique significavit verbo tenus per Virum Hispanum, quem cum Petro Notario regionario Sedis Apostolicæ Legato Romam miserant: quod cum accepissent Tolètani Patres, Julianus Toletanus Antistes, nomine totius Concilii, et præsulum Hispaniæ scripsit librum apologeticum, postulante Rege Egica, in quo multis testimoniis confirmabat, tres in Christo, secundum sanctorum Patrum, et Œcumenicorum Conciliorum sententiam, admittendas esse substantias, illumque librum ad ipsum Benedictum transmiserunt; sed cum jam esset vita functus, illum

excepit Sergius ipsius successor, qui, ut refert Rhodericus Archiepiscopus in Historia capit. 13. necnon et Garcias Loaysa Doctor Complutensis, et Archiepiscopus Toletanus in annotationibus Concilii 15. gratum habuit, et probavit Sergius Pontifex. — An autem Apologeticus ille scriptus fuerit a succedente Concilio Toletano 13. an vero illo tempore inter 14. et 15. controvertitur apud eosdem auctores, putatque Baronius sub anno 684. et 685. scriptum fuisse, et transmissum Apologeticum illum ante celebratum Concilium 13. notatque plures quam tres propositiones in illa fidei confessione suspectas habuisse Benedictum, idque probat ex eodem Concilio 13. ubi Patres sic loquuntur: *Tertium sane quartumque capitulum contuentes, non solum sensum, sed et ipsa pene verba ex libris beatorum Ambrosii, atque Fulgentii nos prælibasse monstravimus.* Dicunt autem *monstravimus*, certe non alibi nisi in illo priori Apologetico ad Benedictum misso, pro defensione earumdem propositionum; ibi ergo omnia quatuor capita notata a Benedicto confirmata fuerunt, et transmissa ad eumdem Benedictum intermedio illo tempore inter Concilia Toletana 14. et 15. licet postmodum locupletatum fuerit, ut colligi videtur ex illis verbis Concilii 15. studiosius relegentes, etc. et ab unanimi Patrum Concilii 17. consensu approbatum: quod utique constat, quia in actis illius Concilii, post confessionem fidei, habetur: ex quibus apparet non inutilem moveri controversiam, an in Christo tres admittendæ sint subsistentiæ.

Notandum 3. Maximam esse inter Doctores Scholasticos circa resolutionem primæ difficultatis controversiam. Plurimi enim Thomistæ cum Cajetano in 3. par. q. 17. art. 2. et Capreolo in 3. dist. 6. q. 1. contendunt Christi humanitatem non existere per existentiam creatam, sed per unionem hypostaticam assumptam esse ad existendum per ipsam existentiam Verbi divini, idque firmare nituntur auctoritate sancti Thomæ ex dictis in 3. par. eadem quæstione. Verum, ut observat Suarez disp. 36. sect. 2. S. Thomas intelligendus est de esse subsistentiæ personali, non vero de esse existentiæ, et subsistentiæ substantiali. Cæteri vero Theologi cum Subtili Doctore in 3. dist. 6. q. 1. contendunt in Christo duplicem esse existentiam, nempe divinam, qua existit natura divina, et creatam qua natura humana realiter existit.

Conclusio prima. — In Christo sunt duo esse existentiæ: alterum increatum naturæ divinæ; alterum creatum naturæ humanæ. Hæc est Doctoris, illamque

Probat octo rationibus, quarum prima est: Terminus generationis, seu id quod recipit esse per generationem, et transit a non existente in rerum natura ad esse existens, vel est ipsamet existentia, vel aliquid habens existentiam: alioqui non reciperet esse existentiæ per generationem: sed humanitas Christi, aut Christus ipse, qua homo, vere est genitus a Matre, et productus in tempore ab ea, cooperante Spiritu sancto: ergo illa humanitas recipit esse existentiæ per generationem, quod ante non habebat: sed esse increatum, seu existentia Verbi non producitur per temporalem generationem: ergo terminus illius generationis habuit aliud esse existentiæ ab existentia Verbi. *Major* est Aristotelis 5. *Meth.* textu 7. *Minor* vero est S. Damasceni lib. 4. *De fide*, cap. 13.

Reponunt Thomistæ, quod esse increatum, non absolute, sed sub humanitate terminabat generationem. — **Contra**: esse increatum, ut erat in humanitate, non dicebat nisi respectum ad ipsam: at talis respectus non potest esse terminus generationis realis et actualis. Præterea, sunt duæ naturæ in Christo habentes distinctas entitates actuales: ergo et distinctas existentias, quia existentia nihil aliud est, quam actualis entitas; unde quemadmodum non potest intelligi esse personale, vel subsistens, absque subsistentia, ita neque esse actuale, absque existentia; et ista quidem ratio fundatur in nostro generali principio, quo dicimus essentiam et existentiam non distingui realiter.

Tertio Doctor probat conclusionem ex illo Aristotelis, *Vivere viventibus idem est, quod esse:* at humanitas Christi vivebat vita actuali distincta a vita Verbi: alias sicut Verbum vere non est mortuum, sic humanitas vere non fuisset mortua, si non alia vita, quam vita Verbi vixisset: ergo habuit esse actuale distinctum ab esse Verbi: esse autem actuale est esse existentiæ: ergo etc.

Quarto, humanitas ut condistincta a Verbo, est aliquid, vel nihil. Si nihil, ergo Verbum nihil assumpsit; si aliquid, aut illud est tantum in potentia objectiva, ut Antichristus, aut in actu. Si in potentia objectiva tantum, Verbum non plus assumpsit humanitatem, quam quodlibet ens possibile. Si in actu; ergo humanitas, ut condistincta a Verbo, habet existentiam, nam humanitas in actu, et humanitas existens idem sunt. *Confirmatur:* nam Verbum assumpsit humanitatem, vel extra causas, et extra nihil, vel adhuc dumtaxat in suis causis existentem. Si primum, habemus intentum: si secundum, Verbum non tam ipsam humanitatem, quam causas assumpsit, quia res in sua causa nihil est aliud, quam ipsa causa, ut productiva illius rei.

Quinto, si humanitas assumpta dimitteretur, non necessum esset illam annihilari, sed revera existeret; quo supposito, aut existeret vi cujusdam novæ productionis, aut vi antiquæ productionis, per quam primum est effecta, ut a Verbo assumeretur. Non primum, quia non apparet ulla necessitas, ut denuo producatur: ergo existeret vi suæ productionis: igitur illa productio terminata est ad humanitatem actualiter existentem.

Sexto, arguit ad hominem, quia Verbum posset assumere naturam Angelicam: sed secundum adversarios natura Angelica assumpta non perderet propriam existentiam: ergo nec assumpta natura humana debet propriam existentiam perdere. *Minorem* admittunt adversarii, docent enim existentiam in rebus pure spiritualibus, esse realiter ab essentia indistinctam. *Consequentiam* probat Doctor: *primo*, quia non magis est connexa propria existentia cum natura Angelica, quam sit connexa cum natura humana. *Secundo*, quia ideo dicitur natura humana non habere propriam existentiam in Verbo, quia sequeretur idem suppositum in se habere plures existentias: sed idem sequitur ex assumptione naturæ Angelicæ cum propria existentia: ergo si hæc propria existentia existens possit assumi, etiam et illa poterit.

Septimo, fundamentum relationis, ut sic, præcedit relationem ut sic: ergo fundamentum relationis actualis realiter existentis, præcedit ipsam secundum realem existentiam: sed unio naturæ humanæ ad Verbum est relatio actualis realiter existens: ergo præcedit ipsam

secundum realem existentiam, et consequenter debet habere existentiam realem antecedenter ad illam unionem anterioritate naturæ ; non vero temporis, quia ex supradictis natura humana Christi non extitit prius tempore, ante unionem : sed quod habuit pro illo priori, habuit in eodem instanti temporis : ergo pro illo instanti temporis habuit eamdem existentiam. Sed illa existentia non erat existentia Verbi : ergo in illo instanti habuit aliam existentiam ; quod est nostrum intentum. *Confirmat* Doctor : quia prius natura quam assumebatur natura, anima perficiebat corpus Christi, quia natura constituebatur ex corpore et anima, et non poterat consequenter esse natura illa, antequam anima perficeret corpus : sed in illo priori anima non poterat perficere corpus, nisi utrumque existeret : ergo prius existebat utrumque, quam perficiebatur natura. Sed in illo priori non habebant existentiam Verbi : ergo aliam : sed illa alia non fuit perdita ob assumptionem : ergo manebat cum assumptione, et consequenter manebat cum existentia Verbi, quæ advenerat per assumptionem.

Octavo, omnis modus, præsertim extrinsecus, supponit rem, cujus est modus : sed unio hypostatica est modus extrinsecus : ergo supponit humanitatem : igitur quemadmodum illa unio est actualis, ita supponit humanitatem existentem.

Objiciunt 1. Adversarii nonnullas SS. Patrum auctoritates : primam quidem depromptam ex epistola Synodica Sophronii approbata in 6. Synodo actione 11. ubi de Christi humanitate loquens, ait : *In illo* (idest in Verbo) *et non in se ipsa habuit existentiam unam.* Item S. Damascenum lib. 3. *De fide*, cap. 22. dicentem naturam humanam existere per existentiam Verbi. *Tertio*, testimonium S. Leonis Papæ epistola 11. dicentis humanitatem Christi ipsa assumptione fuisse creatam. Et S. Fulgentii lib. *De Incarnatione*, cap. 3. ubi sic ait : Ipsa acceptatio carnis fuit conceptio virginalis : igitur censent illi SS. Patres naturam humanam non prius fuisse existentem, quam assumeretur a Verbo, ideoque illam existere per existentiam Verbi. — **Respondeo** *primo ad Sophronium*, ipsum significare voluisse humanitatem non bis extitisse, semel in seipsa, et postmodum in Verbo, sed quamprimum ita extitisse in Verbo, ut prius tempore non extiterit, quam in ipso subsisteret. Quod utique confirmatur ex antecedentibus, et consequentibus verbis ipsius epistolæ ; dicitur enim : *Simul caro, et simul Verbi Dei caro ; simul caro animata rationalis.* Et subjungitur : *itaque in illo, et non in seipsa habuit existentiam unam*, idest, *non prius tempore existit in se, quam in Verbo.* Quod ultro concedimus ; sed aliud est habere existentiam in Verbo, et aliud existere existentia Verbi. Primum enim non repugnat existentiæ creatæ ; secundum vero sic. *His adde* responderi posse, quod Sophronius per *existentiam*, subsistentiam personalem intellexerit. Observat enim *Budæus* in Commentario linguæ Græcæ, quod eodem nomine interdum exprimitur *existentia, et subsistentia.* — Ad S. Damascenum dico auctoritatem illam esse fictitiam ; siquidem contrarium docet, nam eodem cap. 22. ait : *Carnem ab ultimo ortu Deo Verbo unitam esse ; imo potius in ipso extitisse, et personalem cum eo identitatem habuisse ;* ubi observa ipsum non dicere *carnem per Verbum*, sed *in Verbo extitisse*, quia Verbum non est ipsamet existentia humanitatis, sed terminus existentiæ illius. — Ad *SS. Leonem*,

et *Fulgentium* respondeo, ipsos nihil aliud velle, quam quod in eodem instanti temporis humanitas formata fuerit, et assumpta; sic enim ait Leo: *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata postea assumeretur, sed ut ipsa, idest, in ipsa assumptione crearetur;* ubi illud prius, et posterius ad temporis successionem maniteste referuntur. Fulgentius vero ita rem exposuit: *Hanc carnem tunc ex natura Virginis concipientis exhibuit, cum in eadem Deus concipiendus advenit:* non est igitur aliquod intervallum existimandum inter initium carnis, et adventum Majestatis.

Objiciunt 2. Ex opposita sententia tria sequuntur absurda: *Primum,* Verbum divinum existere per existentiam creatam. *Secundum,* existentiam creatam esse perfectionem Verbi. *Tertium,* Beatissimam Virginem non esse Matrem Dei. *Primum,* probant a simili, quia quemadmodum Verbum dicitur velle per voluntatem creatam, et intelligere per intellectum creatum, quia habet voluntatem et intellectum creatum, ita dicitur existere per existentiam creatam, si dicatur habere existentiam creatam. *Secundum* ita probant: existentia est complementum et perfectio subsistentiæ: sed in Christo unica est subsistentia, nempe Verbi: ergo existentia creata erit complementum, et perfectio ejus. *Tertium* probant, quia ex opposita sententia sequitur actionem Virginis Mariæ terminatam fuisse ad existentiam creatam, vel ad existens creatum, proindeque ab ejusmodi existente creato habebit, quod sit actio productiva existentis creati, non vero Dei, ac proinde non erit Mater Dei. — **Respondet Doctor Subtilis,** non esse absurdum, quod Verbum dicatur existere per existentiam creatam; non quidem qua Deus est, sed quatenus homo; non propterea dici debet Verbum existere per existentiam creatam secundum quid, sed simpliciter, nam existentia illa nata est reddere illud, quod afficit, simpliciter existens, non autem secundum quid: licet enim Paulus existat existentia albi, quia formaliter est albus, non tamen simpliciter, sed secundum quid existit illa existentia, quia illa existentia est secundum quid; et maxime respectu existentiæ, quæ est in se existentia simpliciter; sed in supposito existentia naturæ humanæ est in se existentia simpliciter, prout ens dividitur in ens simplex, et in ens secundum quid, et ens simpliciter est subsistentia, ens secundum quid est accidens; existentia autem naturæ humanæ est existentia substantiæ: igitur cum Verbum divinum simpliciter sit homo, simpliciter existit illa existentia, etsi dicas, quod ista existentia naturæ humanæ non est existentia hujus suppositi, sed adveniens ei, jam habenti esse perfectum, ideoque videtur esse existentia suppositi secundum quid, si illud non est natum dare existentiam secundum quid, qualis est omnis natura substantialis, qualitercumque se habeat ad illud, cui dat esse. Quod si omnino fiat altercatio, pro eodem accipi primum suppositum, et non simpliciter, non est contentio, nisi in verbo. — *Respondetur* etiam secundum absurdum nullum esse, quia tantum abest, ut existentia sit complementum subsistentiæ, quin potius subsistentia ulterius actuat existentiam, illamque supponit. — *Ad tertium dico,* Virginem Deiparam non ea ratione dici Matrem Dei, quod non genuerit existens aliquod creatum; sed quod existens illud creatum ab ipsa genitum ulterius fuerit completum et terminatum per subsistentiam Verbi. Unde licet formalis terminus

illius generationis sit humanitas cum sua existentia ; tamen ultimus terminus, qui generatur, non est humanitas, sed hic homo, quia illa humanitas, et existentia ejus non producitur in se, sed in Verbo, et ideo Verbum vere dicitur generari, et nasci ex Virgine : sicut interfectores Christi, inquit Suarez disput. 36. sect. 1. vere privarunt humanitatem Christi existentia sua, non enim extitit humanitas in triduo mortis, tamen quia humanitas non est passa, nec privata existentia secundum se, sed ut in hoc supposito existens, ideo vere dicitur hic homo interfectus, et Deus mortuus.

Objiciunt 3. Si humanitas Christi habeat propriam existentiam creatam, Christus non erit ens per se. *Consequens* probatur: humanitas habens existentiam creatam est formaliter ens in actu; Verbum divinum quoque est ens in actu: at ex duobus entibus in actu non fit ens per se: ergo, etc. — **Respondeo**, ex duobus entibus in actu completis non fieri ens per se, bene tamen ex duobus entibus in actu incompletis, ut in hypothesi, humanitas siquidem destituta propria subsistentia non censetur ens in actu omnino completum.

Conclusio secunda. — Recta ratione dici potest in Christo esse tres substantias, et subinde tres subsistentias substantiales.

Probari potest primo auctoritate Conciliorum Toletanorum 14. et 15. in quibus illa propositio asserta est etiam per libellum apologeticum a Juliano Archiepiscopo Toletano primum editum, et deinde ab illo Concilio 15. approbatum non solum per Sergium Benedicti successorem, sed etiam per ipsum Benedictum II. Si vera sint ea, quæ refert Rodericus lib. 3. *Historiæ Hispanicæ*, cap. 13. ubi hanc controversiam referens ait: *Prius in tempore liber de tribus substantiis, quem dudum Romam miserat Primas sanctissimus Julianus, et minus caute tractando, Benedictus Romanus indixerat reprobandum, ob id quod voluntas genuit voluntatem.* Additur: « Sed S. Julianus veridicis « testimoniis in hoc Concilio per oracula eorum, quæ Romam trans- « miserat, verum esse firmavit; et apologeticum fecit, et Romam « misit per suos Legatos Presbyterum, Diaconem, et Subdiaconem « viros eruditissimos in omnibus Dei servos, et in divinis Scripturis « imbutos, cum versibus etiam acclamatoriis, secundum quod et olim « transmiserat de laude Romani Imperii. Quod Romanus Pontifex Be- « nedictus digne et pie recipiens cunctis legendum indixit, atque « acclamando, Laus tua, Deus in fines terræ, lectum sæpius notum « fecit, qui et rescriptum Domino Juliano per supra fatos Legatos « cum gratiarum actione et cum honore remisit, et omnia quæcumque « scripsit justa et pia esse deprompsit. » Ex quibus constat illam propositionem, quod in Christo sint tres substantiæ, licet primum non probatam a Benedicto, et una cum aliis notatis propositionibus visam fuisse incaute positam, quasi longe aliud voluissent Toletani Patres, tamen mutato judicio explicationem Juliani, et ejus librum approbasse Benedictum.

Confirmatur auctoritate SS. Patrum, qui tres in Christo substantias, aut Christum ex tribus substantiis compositum esse docuerunt. Sic enim S. Aug. lib. 3. *De Trinitate*, cap. 17. ait: *Quandoquidem sic*

Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona, et per hoc jam ex tribus, Deo, anima, et carne: quibus manifeste docet perinde ex tribus, atque ex duabus substantiis unum constare Christum. Similiter S. Isidorus lib. *De differentiis,* cap. 7. *Nos,* inquit, *ex duabus subsistimus substantiis, animæ videlicet, et corporis: ille* (videlicet Christus) *ex tribus, Verbi, animæ et corporis:* quem etiam loquendi modum imitata est Toletana Synodus undecima in professione fidei, ubi cum dixisset duas in Filio esse naturas subdit: *Idem Christus in his duabus naturis tribus extat substantiis: Verbi, quod ad solius Dei essentiam referendum est: corporis, et animæ, quod ad verum hominem pertinet.* — His subscribit Stephanus Eduensis Episcopus lib. *De Sacramento altaris,* cap. 17. *Credimus,* inquit, *in Christo duas fuisse naturas, divinam, et humanam, et tres substantias, divinam, carnem, et animam.* His addere possumus S. Bernardum sermone 3. *De vigilia nativitatis* post medium, ubi ita loquitur: *Et attende, quia sicut in illa divina singularitate Trinitas est in personis, unitas est in substantia: ita in ista speciali connexione trinitas est in substantiis, in persona unitas.*

Dices: Plurimi e SS. Patribus hunc dicendi modum improbant: igitur est respuendus. Probatur *antecedens;* siquidem S. Damascenus lib. 3. *De Fide,* cap. 16. non putat dicendum esse Christum ex tribus componi substantiis: *Etenim,* inquit, *omnis compositio ex his dumtaxat quæ proxime componunt fieri dicitur, non enim dicimus domum ex aqua et terra compositam esse, sed ex lateribus et lignis, alioqui necesse erit dicere hominem ex quinque, ut minimum, constare naturis, nempe ex quatuor elementis, et anima. Sic in Jesu Christo Domino nostro non partem consideramus partium, sed ea, quæ proxime inter se componuntur, divinitatem, et humanitatem.* Simili modo loquuntur Patres Concilii Francofordiensis in Epistola Synodica ad Episcopos Hispaniæ, necnon et Paulinus Aquilejensis in libello *sacrosyllabo:* igitur, etc. — **Respondeo**, præfatos Patres talem loquendi modum non improbare, quod revera sit erroneus, sed quia forte posset aliquem inducere, vel ut cogitaret Christum constare tribus naturis distinctis, aut tres habere substantias personales, sicut et substantiales; vel ut significarent oppositum modum loquendi magis proprium et accommodatum esse, ut fidem nostram simpliciter profiteamur: tametsi contra hæreticos Apollinaristas negantes animam in Christo, et contra Valentinianos et Marcionistas negantes in Christo verum corpus, recte quis dixerit tres in Christo esse substantias. Nam, ut inquit Concilium Francofordiense loco mox laudato, *aliud est contra hæreticos contendere, aliud vero puram fideliter confiteri fidem; ibi enim veritas animæ et carnis in Christo ostendenda est, hic perfecta humanitas in eodem confitenda est. Adde quod,* ut inquit S. Damascenus, in compositione non computantur partes remotæ, sed proximæ: non enim dicendum est hominem compositum esse ex quinque substantiis, sed ex duabus; quia quatuor earum, nempe elementa, conveniunt in uno corpore. Hac igitur ratione sincerior videtur modus loquendi Concilii Francofordiensis, et Damasceni, ut Christus dicatur ex duabus naturis et substantiis constare, divina scilicet et humana.

Petes: an Christus dici possit aliqua duo? — **Respondeo cum Doctore** in 3. dist. 6. qu. 2. nec masculine, nec neutraliter Christum posse dici *duo* simpliciter. Non quidem *masculine*, quia nomina hæc, *unus, totus, alius, duo,* in masculino genere sumpta, significant hypostasim et personam, ut diximus in tractatu de Trinitate; in Christo autem non sunt duæ personæ, nec duo supposita: igitur Christus non potest dici duo in genere masculino. Neque etiam ita dici posset duo *neutro* genere, quia si Christus dici posset duo neutraliter, maxime propter duas naturas, quas habet: sed ea ratione non potest dici duo, nam ex Logicis abstracta non possunt prædicari de concretis simpliciter, sed tantum cum additione et explicatione: non enim dicitur, *album simpliciter est albedo,* quia plus dicit *album,* quam *albedo:* siquidem albedo solam formam significat; *album* vero formam et subjectum. Unde hæc enuntiatio non est legitima: *Christus est natura divina,* vel *natura humana,* quia Christus plus dicit, quam naturam divinam seorsim, et naturam humanam: siquidem præter illas naturas dicit etiam suppositum Verbi. Hinc Athanasius in Symbolo ait: *Perfectus Deus, et perfectus homo; non duo tamen, sed unus est Christus.* Attamen quemadmodum dici potest per expositionem, quod album est id quod habet albedinem, ita in sensu expositorio dici potest, Christum esse id quod habet duas naturas; vel rectius, in quo sunt duæ naturæ, divina videlicet et humana.

Dices: Ubicumque est aliud et aliud, ibi sunt duo: sed in Christo est aliud et aliud: ergo in eo sunt duo. *Probatur minor:* Christus secundum quod homo, est aliquid; et etiam secundum quod Deus, est aliquid: sed secundum quod homo, non est idem aliquid, ac secundum quod Deus: ergo est aliud aliquid. — **Respondet Doctor** *ibidem,* particulam *secundum quod,* seu *in quantum,* sumi posse dupliciter, nimirum, vel reduplicative vel specificative. Priori modo significat, quod terminus, qui apponitur, sit ratio cur prædicatum dicatur de subjecto: et sic neganda est *minor,* et ejus *probatio.* Sicut enim non sequitur, lac in quantum *album* est aliquid; et in quantum *dulce* est aliquid: ergo in quantum album est idem aliquid, quod est quatenus dulce, vel est aliud aliquid: at non potest dici, quod sit idem aliquid, quia certum est, quod lac quatenus dulce, reduplicative loquendo, non sit album: ergo est aliud aliquid: ergo verum est, quod lac sit duo, quod est absurdum: quia si lac diceretur duo, sequeretur quod essent duo supposita. Igitur sicut nulla est prima consequentia hujus argumenti, ita nec valet *minor* argumenti de Christo in sensu reduplicativo: unde sicut de lacte non potest dici, quod in quantum dulce in sensu reduplicativo sit album vel non album; quia dulcedo est ratio impertinens, ut lac dicatur album vel non album, quia posset esse album quamvis non esset dulce; eodem modo suppositum Christi, nec in quantum Deus, est idem quod est quatenus homo, quia posset esse Deus absque eo, quod esset homo; neque etiam est sic ab eo diversum, quia alias suppositum Verbi, seu Christus non posset revera dici homo. Si vero *ly in quantum,* aut *quatenus,* sumatur specificative, ita ut sit sensus, quod Christus quatenus homo, idest, qui est homo, seu non obstante quod sit homo, est etiam Deus, sic negari potest *minor,* necnon et *minor probationis* illius; Christus enim, qui

est homo, est omnino idem, qui est Deus, quia idem suppositum Christi est Deus, et homo. Nec inde sequitur, quod *Deus* sit ratio formalis, ob quam sit homo; aut *humanitas* ratio formalis, ob quam sit Deus, quia id solum verum esset, si particula *in quantum* acciperetur in sensu reduplicativo.

Dices 2: Christus non tantum est Deus: ergo est Deus, et aliquid aliud: et consequenter est duo. Probatur *consequentia:* quia si verum sit, quod homo currat, et non solus currat, consequens est, quod aliquid aliud præter hominem currat: ergo similiter si ponatur particula exclusiva ex parte prædicati, ut fit in prædicto argumento, dicendo, quod Christus sit Deus, et non tantum sit Deus, sequitur, quod sit aliquid aliud. — **Respondet Doctor** negando *consequentiam,* cum *consequentia probationis;* quia non eodem modo discurrendum est de particula exclusiva quando additur subjecto, ac quando additur prædicato; nam quando additur subjecto, significat, quod omne subjectum non habens formam, cui prædicatum tribuitur, etiam non possit habere illud prædicatum, licet omnia, quæ talem formam habent, possint etiam tale prædicatum habere; sic v. g. dum dicitur, *solum album currit,* non sequitur, quod homo et canis et equus albus non currat, sed tantum, quod nigrum non currat, nec aliquid aliud, quod non est album. Quando vero particula exclusiva tantum ponitur ex parte prædicati, tunc posset dici, quod nullum aliud prædicatum conveniat subjecto: sic dum dicitur; *lac est solummodo album,* sensus esset, quod ex qualitatibus sola albedo conveniret lacti. Et in hoc sensu negatur, quod Christus sit solum Deus, quia per illam propositionem significatur, quod nihil competat ei si nisi Deitas, quod est falsum; etiam pari ratione negari debet, quod sit solum homo. Conceditur autem, quod non sit tantum Deus, nec tantum homo; sed inde non infertur, quod sit aliud quam Deus, aut aliud quam homo; quamvis enim non dicatur de Christo aliquod prædicatum, quod sit aliud a Deo, et de quo non posset dici, quod non sit Deus; tamen de ipso potest dici prædicatum, de quo Deus non dicitur essentialiter et formaliter. Igitur non valet paritas exempli; nempe, quod quando dicitur, quod non tantum homo currat, significetur, quod aliquod aliud suppositum currat: quando vero dicitur, quod Christus non sit tantum homo, non significetur, quod sit aliud suppositum: quæ tamen significatio pendet ex instituto hominum, qui per unam particulam exclusivam, significant aliud suppositum, non vero per aliam.

SECTIO TERTIA.

DE MODO LOQUENDI IN HOC MYSTERIO.

Quoniam plerumque accidit, quod ex impropria fidei mysteriorum expressione errores nedum, sed et hæreses infensissimæ suboriantur, operæ pretium est in præsenti varios modos exprimere, quibus sermo de Christo Domino faciendus justa, rectaque fidei lance secundum SS. Patrum ac Conciliorum probatorum doctrinam, trutinetur. Cum enim Christus duplici natura constet, divina scilicet et humana, arcto hypostaticæ unionis fœdere copulatis; inde fit, quod quæ uni ex naturis proprie conveniunt, propter illam intimam societatem, etiam alteri

tribuantur. Verum quoniam fieri potest, ut illa attributio proprietatum unius naturæ alteri, redolere posset aliquem loquendi modum erroneum et hæreticum; hinc merito varios dicendi modos, diversasque enunciationes proponunt Theologi, inquirentes, an absque ullo erroris periculo queant usurpari. Ut itaque cæteris morem geramus, placet celebriores illos, et minus usitatos loquendi modos de Christo Domino hic ventilare: cum autem omnes illæ locutiones, ex communicatione idiomatum, qua unius naturæ proprietates alteri tribuuntur, originem ducant; hinc ab illius explicatione etiam auspicanda est præsens Sectio.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM PER COMMUNICATIONEM IDIOMATUM OMNIA, QUÆ SUNT DEI, DE HOMINE; ET VICISSIM QUÆ SUNT HOMINIS, DE DEO PRÆDICENTUR.

Notandum 1. Quod in Christo distingui potest triplex communicatio: scilicet naturarum, proprietatum, et operationum. *Prima* est mutua quædam attributio naturarum inter se, quatenus ex eo, quod ambæ sint sibi invicem unitæ in eodem supposito, illæ prædicantur de se invicem. *Secunda* est mutua quædam attributio proprietatum ejusmodi naturarum distinctarum, quatenus proprietates unius naturæ ita attribuuntur alteri ratione hujus unionis, ut etiam prædicentur aliquo modo de ipsa. *Tertia* denique est mutua attributio operationum ejusmodi distinctarum naturarum, quatenus ratione unionis, operationes unius naturæ ita attribuuntur alteri, ut etiam aliquo modo de ipsa prædicentur. Sola secunda stricte loquendo dicitur *communicatio idiomatum:* hæc enim nihil aliud est, quam aliqua participatio proprietatum utriusque naturæ, qua fit, ut Christus ratione naturæ divinæ dicatur omnipotens, immortalis, etc. et ratione naturæ humanæ asseratur mortalis, subditus, etc. imo etiam ratione illius considerationis, Deus in Christo dicatur mortalis; et homo vice versa immortalis. Hæc autem communicatio dicitur *idiomatum* a nomine græco ἴδιωμα, quod latine *proprietatem* significat. Quam utique communicationem sic definit S. Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho, dum eam fieri dicit: *Quando illa, quæ utrivis Christi parti naturaliter competunt, vicissim alterius propria redduntur propter inexplicabilem unitionem, nulla unius in alteram secundum naturalem rationem mutatione, confusioneque facta.*

Notandum 2. Communicationem istam concipi posse fieri duobus modis: *Primo* quidem in concreto ratione personalitatis, quæ utramque naturam facit subsistere: *Secundo,* in abstracto, quatenus attributa divinæ naturæ, seipsis et non per aliqua dona supernaturalia ipsi humanitati communicantur. Sciendum est enim prædicationem, seu enuntiationem unius de aliquo, oriri ex identitate eorumdem; illorum autem, quæ sunt eadem, alia sunt eadem formaliter, alia vero sunt dumtaxat ratione alicujus tertii, in quo conveniunt. *Eadem formaliter* dico, non quæ habent omnino eamdem rationem, sed quorum unum est de ratione formali alterius. V. g. *homo est animal,* dicitur prædicatio formalis, quia animal est de ratione formali hominis. Ex his

vero, quæ sunt eadem dumtaxat ratione tertii, non oritur prædicatio formalis, sed materialis solum et identica ac subjectiva, ut in hoc exemplo, *album est dulce*, quia dulcedo non enuntiatur de albedine formaliter, sed solum materialiter et subjective, scilicet ratione lactis, quod est materia et subjectum in quo conveniunt.

Notandum 3. Ex Doctore Subtili in 1. dist. 8. qu. 4. in divinis non solum concreta prædicari de concretis, verum etiam quædam abstracta; non quidem formaliter, sed solum identice, quia, inquit, ea quæ sunt in divinis, non sunt tantum eadem ratione ejus, in quo conveniunt, et quasi uniuntur, verum etiam ratione infinitatis : quod enim præstat tertium aliquod in creaturis, ut aliqua duo enuntientur de se invicem in concreto, hoc præstat infinitas in divinis, ut etiam aliqua duo de se invicem verificari possint in abstracto. Hinc istæ prædicationes veræ sunt, *Sapientia divina est divinitas*, quia utrique extremo convenit infinitas : vera etiam est hæc, *Divinitas est Paternitas*, quia saltem alteri extremo, nempe divinitati, convenit infinitas formaliter : hæc vero non item vera est in abstracto, *Paternitas est spiratio activa*, licet enim in concreto verum sit Patrem esse spirantem active, quia hæc duo paternitas et spiratio passiva non habent aliunde, quod identificentur, nisi a tertio, in quo quasi uniuntur ; cum tamen, ut diximus, utrique non conveniant infinitas formaliter, hinc fit, quod illa prædicatio non sit admittenda. — Ex quibus sequitur, quod in his, quæ non sunt pure divina, prædicatio abstracti de abstracto non sit vera per identitatem, quia quatenus abstracta, non habent amplius illud tertium ratione cujus enuntiarentur de se mutuo. Ideoque quantumcumque in concreto verum sit hominem esse animal ; tamen in abstracto falsum est humanitatem esse animalitatem. — His ita prælibatis, duo maxime hic sunt determinanda : *Primum*, an vera sit mutua idiomatum communicatio in Christo. *Secundum*, qualiter illa fiat, an videlicet per communicationem divinorum attributorum humanitati, idque proprie, realiter et substantialiter, ita quod humana natura dici possit formaliter immensa, omnipotens, ut volunt quidam Lutherani ; an vero solum per attributionem proprietatis unius naturæ, etc.

Conclusio prima. — Revera admittenda est in Christo communicatio idiomatum.

Probatur primo auctoritate SS. Patrum, nam Gregorius Nyssenus lib. 5. *Contra Eunomium*, ita scribit : *Sic mortis perpessio ad eum, qui patibilis naturæ particeps fuit, refertur propter hominis cum ipso copulationem, et sublimia Deoque digna nomina in hominem descendunt, adeo ut ille, qui in cruce conspectus est, Dominus gloriæ nominetur, ob ejus cum eo, quod abjectum est, et humile, commixtionem ; nominum quoque gratiæ in humanam simul transeunte naturam.* Origenes in Epistol. ad Rom. *Per indissolubilem*, inquit, *unitatem Verbi et carnis, omnia, quæ carnis sunt, adscribuntur et Verbo, quomodo et quæ Verbi sunt prædicantur in carne.* S. Ambrosius lib. 2. *De Fide*, cap. 4. *Unde illud*, inquit, *quod rectum est, Dominum Majestatis crucifixum putemus? Sed quia idem Deus, idem homo, Christus Jesus Dominus Majestatis dicitur crucifixus ; quia consors utriusque naturæ, idest, humanæ atque divinæ, in natura hominis subiit passionem, ut indiscrete et Do-*

minus Majestatis dicatur esse, qui passus est, et Filius hominis, sicut scriptum est: qui descendit de cælo. — Eamdem veritatem luculenter explicat S. Joan. Damasc. lib. 3. cap. 15. *Unus est Christus,* inquit, *et una ipsius persona, sive hypostasis, duas tamen naturas obtinet, divinitatis, et humanitatis. Porro cum ex divinitate naturaliter gloria procedat, utrique communis est, propter hypostasis identitatem. Ex carne vero humilia proficiscuntur, et eadem ambobus communia; quippe unum est, et idem, qui hoc, et illud est, nempe Deus, et homo, et ad eumdem pertinent, tam quæ sunt divinitatis, quam quæ humanitatis propria.*

Probant hanc veritatem SS. Patres ex Scripturis sacris, in quibus plerumque humanitati tribuuntur ea, quæ Divinitati proprie conveniunt; et vicissim Divinitati, quæ dumtaxat humanitati propria sunt: sic Joan. 3. Christus ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo;* nam solum Verbum proprie loquendo de cælo descendit, et erat in cælo, eo sensu, quo id intelligi voluit Christus, dum hæc loqueretur. Sic etiam Joan. 10. Christus dixit Judæis: *Antequam Abraham fieret, ego sum.... Exultavit, ut videret diem meum,* nempe Incarnationis; Christus tamen ut homo non existebat ante Abrahamum, sed ut Verbum: igitur illa prioritas existentiæ, quæ Verbo erat propria, humanitati appropriatur. — Sic pariter Apostolus ad Romanos scribens, eumdem Deum ac Dei Filium, vocat et Davidis Filium, ut observat S. Cyrillus in libro *Ad Theodosium Imperatorem.* Cum enim dixisset, *segregatum se esse in Evangelium Dei de Filio suo,* mox eumdem, ait, *factum esse ei de semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, etc.* Unus igitur idemque Filius Dei est et hominis; et homo Filius Dei est, et Dei Filius, ac Deus, homo est, atque hominis Filius. — Sic pariter in Epistola ad Hebræos eumdem, quem capite primo *Filium Dei* nominavit, ac *splendorem gloriæ, figuramque substantiæ ejus, qui omnia portat Verbo virtutis suæ,* in sequenti *Paululum ab Angelis minoratum Jesum* ait, *propter passionem mortis, gloria et honore coronatum, ut pro omnibus gustaret mortem.* Ex quibus priora verba sola sibi Verbi divinitas; posteriora sola sibi humanitas vindicat. — His Œcumenicarum Synodorum decreta concinunt, et in illis fidei conditæ formulæ, quæ *Jesum Christum Filium Dei unicum, vel unigenitum* asserunt, *ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero;* quem eumdem, *propter nos homines, et propter nostram salutem incarnatum* prædicant, *et natum de Virgine, passum, mortuum, ac sepultum.* — Declarat hoc S. Leo Papa in Epistola decima ad Flavianum; ubi sanctissimus Pontifex ait: *Propter hanc unitatem personæ in utraque natura intelligendam, et Filius hominis,* inquit, *legitur descendisse de cælo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine, de qua est natus, assumpserit: et rursus Filius Dei crucifixus, ac sepultus, cum hæc non in divinitate ipsa, qua Unigenitus consempiternus, et consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus; unde unigenitum Filium Dei crucifixum, et sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur, secundum illud Apostoli: si enim cognovissent, numquam Dominum Majestatis crucifixissent.*

Probant secundo ex eo, quod Verbum suam, propriamque fecerit humanitatem, adeoque quod cum ea connexum est, eique naturaliter convenit, hoc in se totum transtulit, ac sibi accomodavit, deque seipso prædicari voluit. Cujus ineffabilis communicationis rationem profert sanctus Cyrillus, Epistola ad Valerianum : *Cujus,* inquit, *proprium est corpus, huic merito, quæ hujus propria sunt adscribuntur omnia, uno excepto peccato.* Cui præluserat sanctus Athanasius, sermone 4. *Contra Arianos,* ubi ait: *Decuisse Dominum humanam carnem induentem, totam hanc cum propriis ipsius affectionibus induere : ut quemadmodum proprium ipsius corpus esse dicimus, sic et corporis affectiones ipsius esse tantum proprie dicantur.*

Observandum est autem SS. Patres quasdam tradere regulas, quibus recte efferri possit hæc idiomatum communicatio, quas plures Theologi colligunt, præcipuas vero subjicio: *Primo* namque S. Cyrillus, anathematismo 4. docet triplex vocum genus esse, quæ de Christo Domino, tum a Scriptura sacra, vel a SS. Patribus efferuntur. Aliæ enim soli divinitati congruunt, ut hæc : *Ego in Patre, et Pater in me est.* Joan. 14. Aliæ sunt humanæ penitus, ut ista Joan. 8. *Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo.* Aliæ sunt mediæ utrique naturæ convenientes, ut cum scribit Apostolus ad Hebræos 13. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. — Secunda regula* est, quod interdum totus Christus ab una natura, ejusque proprietatibus denominari solet, interdum a duabus, ut observat S. Joan. Damasc. cap. 3. lib. 3. *Quando,* inquit, *ex naturis compositam hypostasim consideramus, interdum ab utraque Christum denominamus, velut Deum, et hominem simul, necnon Deum incarnatum : alias ab una tantummodo parte, Deum dumtaxat, et Dei Filium : vel hominem tantum, et hominis filium. Nonnumquam ab solis sublimibus denominamus, aliquando vero ab solis humilibus. Unus enim est, qui et hoc, et illud similiter existit.* Habet et Cyrillus illam ipsam regulam in libro *Ad Theodosium,* eamque declarat similitudine hominis, qui modo carnis solius, modo animæ vocabulo totus exprimitur : *Sic igitur, et Christus in sacris litteris prædicatur, interdum quidem sic, tamquam totus sit homo, tacita ipsius divinitate, quod dispensatione quadam usurpatur : alias tamquam Deus, nulla humanitatis facta mentione, in quo nulla ei fit injuria, propter amborum in unitate concursum.— Tertia regula* est, quod de eadem Christi persona propter naturam, numerum, et unitatem personæ, contraria interdum enuntiantur: sic S. Athanasius in epistola ad Epictetum ait : *Imprimis admirabile esse, ut idem et pateretur, et non pateretur : nam patiebatur eatenus, quod proprium ejus corpus pateretur, et in patiente inerat, non patiebatur autem, quod natura Deus sit Verbum impatibile.* Quæ utique eleganter sic explicat S. Fulgentius lib. 3. *Ad Trasimundum,* cap. 8. ubi inter cætera ait : *Hinc incomprehensibilis in cruce ; inviolabilis in vulnere ; impassibilis in passione ; immortalis prædicatur in morte.* Toletana quoque Synodus 14. ait : *Ipse vivit moriens, ipse moritur vivens, ipse impassibilis patiens, ipse passioni non subjacens. — Quarta regula* est, quod prædicata, quæ Christo attribuuntur, debeant spectari secundum convenientiam, et proprietatem, quam habent cum natura, ratione cujus

ei tribuuntur: *Nam*, inquit S. Leo epist. ad Flavianum, *quamvis in Domino Jesu Christo Dei, et hominis una persona sit, aliud tamen est unde contumelia in utroque communis; aliud unde communis, et gloria: de nostro enim illi est minor Patre humanitas: de Patre illi est æqualis cum Patre divinitas.* — *Quintam* tradit Doctor Subtilis in 3. dist. 7. q. 2. quod quæcumque naturæ cum persona unitionem exprimunt, a lege communionis idiomatum excipiuntur: *Quia*, inquit Doctor, *illa communicatio in prædicationibus fit propter unionem, et ab ea tamquam a causa, et fonte proficiscitur, et ita præsupponit unionem: non ergo fit secundum illa, quæ exprimunt unionem.* Quæ utique profert, ut satisfaciat argumento, quod sibi proposuerat, quod erat ejusmodi: si Deus est factus homo: ergo Deus est factus Deus. *Consequentia* probatur; quia propter unionem naturarum est communicatio idiomatum: et ita sicut occidens hominem, occidit Deum, ita si factus est homo, factus est Deus. Huic ergo captiunculæ recte occurrit illa regula. Nam hoc, quod est factum esse, naturæ ac personæ copulationem exprimit; quare non potest alteri communicari: proinde non est *consequens:* si Deus factus est homo, idest, si unitus est homini, etiam factus est Deus, sive unitus est Deo.

Conclusio secunda. — COMMUNICATIO IDIOMATUM NON FIT EO QUOD ATTRIBUTA DIVINA FORMALITER COMMUNICENTUR HUMANITATI, ET HUMANA DIVINITATI. Hæc est communis inter Theologos contra Lutheranos, maxime Ubiquistas.

Probatur. Nam *vel* attributa divinitatis formaliter sunt in humanitate, et non attributa humanitatis in divinitate: *vel* par est ratio attributorum uniuscujusque naturæ ad alteram sibi conjunctam: neutrum dici potest. Nam non potest intelligi quomodo attributa naturæ divinæ insint humanitati, quia non possunt illi inesse tamquam formæ informantes, cum ratio formæ informantis dicat imperfectionem: non etiam tamquam formæ assistentes, quia formæ assistentes non communicantur formaliter iis rebus, quibus assistunt: non tamquam unitas hypostasis Verbi humanitati, quia alias deberet natura divina esse quid unum cum humana in illo ipso, in quo uniretur. *Adde quod* non est possibile attributa divinitatis inesse formaliter naturæ humanæ Christi Domini, nisi denudetur natura humana suis attributis, quæ sunt opposita attributis divinitatis. — *Confirmatur* ex iis omnibus locis Conciliorum et Patrum, in quibus habetur utramque naturam, et utriusque naturæ proprietates esse in Christo inconfusas, impermixtas, distinctas.

Denique, si aliquod e divinis attributis conveniret formaliter humanitati, maxime immensitas: sed hæc non potest formaliter convenire ipsi Christi Domini humanitati. *Majorem* admittunt Ubiquistæ. *Minor* vero probatur: *Primo* ex iis Scripturæ locis, in quibus dicitur, quod humanitas Christi non est ubique. Matthæi, et Marci ultimo. Angelus loquens mulieribus de Christo, quem quærebant, et qui resurrexerat, ait: *Non est hic,* Joan 11. *Gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.* — *Secundo* ex Patribus, Basilio libro *De Spiritu sancto,* cap. 22. concludente divinitatem Spiritus sancti ex ejus immensitate. Quomodo etiam arguit Didymus, lib. *De Spiritu sancto.* Et S. Ambrosius lib. 1. c. 7. ac S. Gregorius Nyssenus adversus Eunomium, ubi

ait : *Qui dicit, Vado, localem discessum significat. Quod autem per omnia graditur, et in omnibus existit, et omnia continet, non habet, quo discedat, eo quod a divina plenitudine non est vacans.* Et S. Aug. epistola 57. ad Dardanum : *Secundum hanc carnis formam non est,* inquit, *putandus ubique diffusus. Cavendum est etiam, ne ita divinitatem homini, ut corporis veritatem destruamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est ita sit ubique ut Deus : nam in Deo sumus : et tamen ubique non sumus : Christum autem ubique totum præsentem esse non dubites, tamquam Deum : et in aliquo loco esse propter verum corporis modum.* Eis adstipulantur S. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. in Joan. cap. 14. *Hic animadvertendum est, quod etsi corporis sui præsentiam hinc subduxerit, Majestate tamen Divinitatis semper adest.* Theodoretus, dialogo 3. *Corpus Dominicum surrexit quidem, a corruptione, et interitu alienum, et impatibile est et immortale ; et divina gloria glorificatum, et a cœlestibus adoratur potestatibus ; corpus tamen est, et habet, quam habuit prius, circumscriptionem.* S. Maximus in disp. cum Pyrrho: *In sanctis Evangeliis scriptum est: Postridie voluit ire Jesus in Galilæam, ire nimirum voluit, quatenus ibi non erat, non erat autem humanitate, divinitate autem ubique est.* — *Tertio* ex eo, quod docuimus in primo volumine, immensitatem sic esse propriam naturæ divinæ, ut implicet alicui creaturæ communicari : quia est id quo res ita est in omnibus rebus, ut implicet aliquam rem esse, aut esse posse, in qua non sit tota in toto, et tota in qualibet parte. Et hinc est, quod SS. Patres ex immensitate Verbi divini, aut Spiritus sancti intulerunt divinitatem istarum personarum, ut diximus in Tractatu *De Trinitate.*

Objicies 1, varios Scripturæ locos, qui videntur significare Christum Dominum esse ubique ratione suæ humanitatis. Sic Matt. 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matt. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Ephes. 4. Christus dicitur *ascendisse cœlum, ut impleret omnia.*— **Respondeo**, primum locum intelligi de præsentia per auctoritatem, et non per indistantiam localem : ita ut sensus sit, quod nihil in Conciliis in suo nomine congregatis, nisi sua decernetur auctoritate. *Ad secundum* dico, Christum Dominum esse nobiscum usque ad consummationem sæculi, per protectionem, et auxilium ; non vero per localem præsentiam. Sic dicit Deus Jeremiæ 1. *Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum, ut eruam te,* hoc est, auxilium tibi præsto, quo eruaris. *Ad tertium,* respondeo hunc sensum esse verborum istorum (*ut impleret omnia*) hoc est, ut omne genus hominum spiritualibus bonis repleret, juxta illud Psal. 64. *Replebimur in bonis domus tuæ,* et Ecclesiastici 24. *A generationibus meis adimplemini.* Vel ut adimpleret omnia, idest, ut ad effectum perduceret omnia, quæ de se scripta erant in Lege, Prophetis, et Psalmis.

Instabis: Verbum divinum est ubique : Christus homo est Verbum divinum : ergo est ubique Christus homo : ergo cum Christus non sit homo sine humanitate, ejus humanitas est etiam ubique. — **Respondeo**, Verbum divinum esse ubique per suam divinitatem, et Christum hominem esse Verbum divinum per suam personalitatem ; quare non est consequens, quod sit ubique Christus homo, seu quod sit ubique Christus per suam humanitatem.

URGEBIS: Si persona Verbi esset alicubi, ubi humanitas ab eo assumpta non sit, jam Verbum est alicubi homo, et alicubi non est homo: absurdum *consequens*: ergo et *antecedens*. — **Respondeo ad sequelam**, Verbum est alicubi homo, et alicubi non est homo, idest, existit alicubi Verbum, ubi humanitas Verbi non existit, concedo: est alicubi homo, et alicubi non est homo, idest, ibi est Verbum incarnatum, ubi non est homo, nego.

INSTABIS ITERUM: Quando duæ res sunt sibi invicem unitæ inseparabiliter, ubicumque una illarum est, ibi debet esse et altera: atqui personalitas Verbi, et humanitas assumpta a Verbo, sunt sibi invicem unitæ inseparabiliter, et persona Verbi est ubique locorum: ergo humanitas Christi est ubique locorum. — **Respondeo distinguendo majorem**: si sint illæ res sibi invicem unitæ adæquate ac totaliter, concedo: secus, nego. Sic anima nostra est unita pedi inseparabiliter; neque tamen ubicumque est anima, ibi est pes, cum non sit pes in aliis partibus corporis, puta in capite, in brachiis: licet ubi est pes ibi sit anima. A pari, non est humanitas Christi, nisi ubi est Verbi personalitas, licet alicubi existat Verbi personalitas, ubi non existit humanitas.

OBJICIES 2. Si humanitas Christi non est ubique: ergo moveri potest de loco in locum: ergo quando sic movetur, vel secum defert personam Verbi sic unitam, et tunc sequitur, quod Verbum movetur localiter, quia quod sic defertur movetur localiter: vel non defert: ergo desinit esse ei unita; quod est absurdum. — **Respondeo**, humanitatem Christi posse moveri de loco in locum, et quando sic movebatur, non secum detulisse proprie personam Verbi, neque etiam non detulisse, sed semper fuisse illi unitam, quocumque tandem in loco talis humanitas constitueretur: sic est nobis intime præsens Deus per immensitatem suam, neque tamen quando movemur localiter, Deum nobiscum deferimus, neque deserimus non deferentes.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM TRES ILLÆ PROPOSITIONES SINT VERÆ: DEUS EST HOMO, ET DEUS FACTUS EST HOMO, HOMO FACTUS EST DEUS.

NOTANDUM 1. Ex Doctore Subtili in 3. dist. 7. qu. 2. propositionum *alias* esse in materia naturali, *alias* in materia contingenti, et *alias* in materia remota. *Propositiones in materia naturali* illæ sunt, in quibus naturalia prædicantur de subjecto, cujus sunt naturalia, vel saltem aliqua consequentia immediate naturam. Hujusmodi propositiones ratione modi prædicandi dicuntur iterum propositiones *per se*, et priores quidem *in primo modo dicendi per se*: posteriores vero *in secundo modo dicendi per se* Propositiones in materia naturali in primo modo dicendi per se, illæ sunt, in quibus prædicatum est de definitione subjecti, ut hæc, *homo est animal*: propositiones in materia naturali in secundo modo dicendi per se illæ sunt, in quibus e converso subjectum cadit in definitionem prædicati, ut docet Doctor hic. V. g. in hac propositione naturali in secundo modo dicendi per se, *homo est risibilis*, prædicatum *risibilis* non est de definitione sub-

jecti, nempe hominis, sed e converso subjectum illud cadit in definitionem talis prædicati, ut continens causam adæquatam et immediatam ejus. *Propositiones in materia contingenti* illæ sunt, in quibus prædicata vel sunt accidentia, vel saltem extrinseca ad subjecta, de quibus enuntiantur. *Propositiones in materia remota*, sunt illæ, in quibus opposita, vel repugnantia prædicantur de quibusdam, respectu quorum sunt repugnantia, vel opposita. — Porro inter propositiones in materia naturali seu necessaria, is est ordo, ut quædam sint mediatæ, aliæ vero immediatæ; et mediatæ quidem ordinentur ad immediatas, ita quod non sit status donec perventum fuerit ad primam omnino immediatam. Ille autem ordo servatur quoque inter propositiones contingentes. V. g. hæc propositio mediata, *homo currit*, reducitur ad hanc immediatam. *Petrus currit:* igitur *currere* non competit immediate homini, sed primum Petro, vel alteri individuo, et illo mediante homini. Propositio itaque hæc, *Deus est homo*, non censetur immediata: igitur ad immediatiorem revocatur, nempe ad hanc, *Verbum est homo*, cui primo convenit esse hominem, et ratione ejus Deo. — Propositionum iterum aliæ sunt *evidentes* naturaliter; aliæ vero *creditæ*. Propositiones evidentes sunt, vel quæ habent evidentiam ex terminis naturaliter cognitis, ut hæc: *totum est majus sua parte:* vel saltem sunt ex aliquo medio naturaliter cognoscibiles, ut ista, *homo est risibilis*, quæ per animal rationale, tamquam per medium naturaliter cognoscibile fieri potest naturaliter evidens. *Propositiones creditæ* sunt, quæ neutro modo fieri possunt evidentes, ut, hæc, *Deus est homo*, quia neque ambo extrema cognoscuntur naturaliter, neque unio inter illa est etiam naturaliter nota. — Ulterius propositionum quædam sunt *formales*, aliæ *propriæ*, aliæ in quibus prædicatum est *univocum:* et aliæ in quibus non solummodo prædicatum est univocum, sed etiam *prædicatur univoce*. *Propositiones formales* sunt, in quibus proprium prædicabile enuntiatur de proprio subjicibili, sive interim illud sit essentiale, sive tantum accidentarium, seu subjicibile. *Propositiones propriæ* sunt, in quibus prædicatum reale secundum germanam proprietatem suam enuntiatur de subjecto reali. Propositiones, in quibus prædicatum est *univocum*, non tamen prædicatur univoce, illæ sunt, in quibus prædicata sunt denominativa, vel saltem modum prædicandi denominativorum obtinent: sic album prædicatur de nive, et de pariete. Propositiones tandem, in quibus prædicatum *enunciatur univoce*, sunt illæ, quæ verificant aliquod superius de inferioribus, quod est illis inferioribus intrinsecum. — *His ita prælibatis*, resolvendum est, an tres illæ propositiones prænominatæ in titulo Quæstionis sint probandæ ut legitimæ; an vero earum aliqua sit ut erronea vel ut suspecta rejicienda.

Notandum 2. Ex eodem Doctore pro faciliori intelligentia secundæ propositionis, quod prædicatum *factum esse*, vel *fieri*, aliquando ponitur in propositionibus de secundo adjacente, aliquando vero in propositionibus de tertio adjacente. Quando ponitur in propositionibus de secundo adjacente, denotat effectionem rei simpliciter; quando vero est in propositionibus de tertio adjacente, significat tantum effectionem, seu rem fieri secundum illud, quod specificatur per prædicatum. V. g. in hac propositione de secundo adjacente, *Petrus est factus*, signifi-

catur Petrum esse productum simpliciter: in illa vero, quæ est de tertio adjacente, *Petrus factus est albus*, significatur Petrum non fieri simpliciter, sed dumtaxat album, ita quod illa effectio connotet effectionem albedinis in Petro, non vero effectionem, et productionem Petri, licet etiam significet Petrum fieri album: sicut enim vere de eo enunciatur, quod fiat simpliciter, quando accipit esse simpliciter post non esse simpliciter, ita vere enuntiatur ipsum fieri tale, quando per actionem agentis accipit esse taliter, quod prius non habebat.

Notandum 3. Similiter ex eodem Doctore, ibidem num. 9. quod *effectio secundum quid* non semper importat mutationem in eo quod tali modo fieri dicitur: licet enim agens naturale supponat passum quod transmutat, et quod est in potentia ad terminum, ex quo necessario sequitur mutatio, quia quod transit de potentia ad actum, necessario mutatur; attamen agens supernaturale, qualis est sanctissima Trinitas, dum efficit unionem hypostaticam, non præsupponit Verbum, tamquam aliquid potentiale ad terminum istius unionis; neque alterum terminum, nempe hominem, vel unionem hominis inducit, tamquam actum, vel formam Verbi, quæ ipsi insit per inhærentiam, sed summo modo univit hominem Verbo sine ulla inhærentia: ideoque in ista unione nullus fuit transitus a potentia ad actum. Non minus tamen unio hypostatica veram habet rationem effectionis; licet enim Verbum non fuerit mutatum, attamen revera factum est homo. Quod autem de novo fit tale, aliquando mutatur, aliquando vero non: mutatur quidem, quando id quod advenit habet rationem formæ perficientis subjectum, quod erat in potentia ad illam recipiendam, sicut communiter accidit in effectionibus passivis, quando videlicet agentia naturalia efficiunt aliqua subjecta talia esse in actu, qualia dumtaxat erant in potentia. *Nec refert*, quod omni effectioni correspondere debeat necessario aliqua passio: ac proinde quando dicitur Verbum factum hominem, videtur quod in eo deberet correspondere passio, quæ esset correlativum illius effectionis. *Dico enim*, quod passio correspondens isti actioni, non in Verbum, sed refundenda sit in naturam humanam unitam Verbo: quæ propterea non tam censetur terminus, quam subjectum istius effectionis passivæ, licet significetur ad modum termini in ista propositione, *Verbum factum est homo;* subindeque licet in hac effectione reperiatur aliqua mutatio, illa non in Verbum, sed in naturam humanam est refundenda.

Conclusio prima. — Hæc propositio, Deus est homo, est vera et proprie dicta, non tamen in materia naturali. Prima pars est omnium Theologorum,

Eamque Doctor sic probat: Ut ista propositio sit vera et proprie dicta, sufficit quod aliqua e divinis personis subsistat in humanitate, et vere dici possit talis naturæ suppositum: sed de fide est unam e divinis personis, nempe personam Verbi, subsistere in natura humana, et vere dici illius humanæ naturæ suppositum: ergo hæc propositio, *Deus est homo*, est proprie dicta.

Insuper: Si non esset ista propositio propria, maxime, *vel* quia homo non potest esse prædicatum; *vel* quia Deus non potest esse proprie subjectum propositionis: *vel* quia Deus, et homo non sunt suffi-

cienter unum, ut alterum de altero proprie prædicetur: atqui homo potest esse prædicatum proprie dictum respectu Dei supponentis pro Verbo incarnato: nam *homo* significat suppositum subsistens in natura humana, quæ univoce convenit Christo, et cæteris hominibus; *Deus* etiam supponere potest pro Filio Dei incarnato: siquidem nomen significans naturam in concreto potest supponere pro quolibet supposito illius naturæ: sed nomen *Deus* est concretum significans naturam divinam: ergo potest supponere pro persona Filii Dei. *Denique* hæc duo sunt sufficienter unum inter se, ut alterum de altero enuntietur, quia sunt unum unitate suppositi: igitur illa propositio est vera et proprie dicta.

Dices: Illa propositio non est vera et proprie dicta, cujus contraria potest esse vera: sed contraria istius propositionis, nempe *Deus non est homo*, potest esse vera, si subjectum illud supponat indefinite; nam non est potior ratio, cur subjectum illud *Deus*, ut supponens indefinite pro individuo Deitatis, recipere debeat prædicatum istud, *homo*, ratione Verbi, quod vere factum est homo, quam non recipere ratione Patris, vel Spiritus sancti, pro quibus etiam potest supponere, qui tamen revera non sunt homines facti: ergo illa propositio, *Deus est homo*, non videtur absolute, et simpliciter vera. — **Nego minorem**: falsum est enim simpliciter Deum non esse hominem: quippe cum revera Filius Dei, qui Deus est, sit homo. Unde ad *probationem* dico, subjectum *Deus* non supponere indefinite, nisi forte dumtaxat ex rigore sermonis, et vocis, non vero ex usu ejusdem vocis recepto apud fideles Christianos, apud quos notum est, et familiare, quod in illa propositione, *Deus est homo*, et similibus, subjectum illud *Deus*, non supponat indefinite, sed determinate pro persona Verbi.

Dices 2: In dividentibus ordinatis, prima dividentia sunt magis diversa, et minus consequenter prædicabilia de se invicem: sed prius dividitur ens in infinitum, et finitum, quam ens finitum dividatur in aliqua alia: ergo finitum, et infinitum sunt magis diversa, et minus prædicabilia de se invicem, quam ulla entia finita, in quæ dividitur ens finitum: sed aliqua entia finita sunt ita incompossibilia, ut vere non possint prædicari de se invicem: ergo multo minus ens infinitum prædicari poterit de ente finito, et vice versa: igitur cum homo sit ens finitum, non potest prædicari de Deo. — **Distinguit minorem Doctor**: prima dividentia habent diversitatem quantum ad hoc, quod in paucioribus formalitatibus conveniant, concedit: quantum ad repugnantiam, qua excluderent se invicem a conjunctione et prædicatione, negat: nam repugnantia major non oritur ex majori diversitate: siquidem calor, et frigus minus sunt diversa, quam calor, et substantia; et tamen calor, et frigus excludunt se ab invicem, ac se mutuo destruunt: non ita calor, et substantia: igitur, etc.

Dices 3: Si homo prædicetur de Deo, aut prædicatur ut relativum, seu ut relatio, aut ut absolutum. Non *primum*, quia homo non est relatio, nec relativum. Non etiam *secundum*, quia sic prædicari posset de tribus personis, secundum S. Augustinum lib. 5. *De Trinitate*, cap. 8. et 10. et consequenter tres personæ Divinæ essent homo; quod est falsum: ergo homo nullatenus prædicari potest de Deo. — **Negat minorem Doctor** pro secunda parte, quia prædicatur de Deo, ut est quid

absolutum: et sic negat etiam sequelam probationis. Ad S. autem Augustinum dicit, quod quando docet, quod quidquid prædicatur de Deo, ut absolutum, prædicatur etiam de tota Trinitate, loquitur de prædicatis intrinsecis, et essentialibus; non vero de prædicatis extrinsecis absolutis, qualis est homo respectu Dei.

Dices 4: Si vera esset, et propria prædicatio hominis de Deo, reduci deberet ad aliquod ex quinque prædicabilibus: sed ad nullum reduci potest; non quidem ad *genus*, *speciem*, aut *differentiam*, quia prædicatum *homo* non est de essentia Dei; non etiam ad *proprium*, quia tunc *Deus* spectaret ad definitionem hominis: non etiam ad *accidens*, quia nullum accidens de Deo prædicari potest, sicut nec ipsi inesse. — **Respondet Doctor**, quod in hac prædicatione aliquid assimiletur prædicationi speciei, quia per unionem hypostaticam Verbum fit individuum naturæ humanæ: aliquid etiam participat de ratione accidentis in habitudine ad subjectum: *Quia*, inquit, *ista natura temporaliter advenit Verbo perfecto in se æternaliter existenti*. Unde illa prædicatio fieri potest per modum accidentis logici, non vero metaphysici: quod utique non est inconveniens, quia nec significat hominem esse accidens in se, nec denotat illum informare Verbum accidentaliter, et ipsi inhærere. *Respondeo secundo*, negari posse *majorem*, quia cum unio hominis cum Verbo sit singularissima, nec habeat ullum exemplum in rebus creatis, ideo non mirum si prædicatio illa sit etiam specialis, nec ad aliquod genus prædicationis rerum creatarum possit revocari.

Dices 5: Idem non prædicatur denominative de eodem: sed de Deo prædicatur homo denominative, quia dicitur *Deus humanatus*: ergo non prædicatur de ipso in abstracto: igitur illa prædicatio, *Deus est homo*, non est propria. — **Respondet Doctor** negando *minorem*: quia esse humanatum non est denominativum proprium derivatum ab homine, sed a fieri hominem; nam idem est esse humanatum, ac fieri hominem; unde si Verbum necessario esset homo, sicut necessario est Deus, non diceretur *humanatus*, sicut non dicitur *Deificatus*. Quod autem dicatur humanitas de ipso in fieri, non impedit quominus possit dici de ipso alio modo, quam in fieri: bene enim quod dicitur calefieri, dicitur etiam calidum, et quod dicitur dealbari, dicitur album. Si autem quæras, quod est proprium denominativum hominis? Dicit Doctor, quod sit esse *humanum*: hoc autem non dicitur de Deo, quia significaret, quod homo spectaret ad ipsum alio modo, quam natura spectat ad suppositum, quod est falsum: humanitas autem, quæ est proprium abstractum hominis, non dicitur de Verbo; falsum est enim, quod Verbum sit humanitas.

Probatur secunda pars, nempe, quod illa propositio non sit in materia necessaria; quia, inquit Doctor, in omni propositione necessaria et per se, prædicatum debet esse de intrinseca ratione subjecti, si illa prædicatio sit in primo modo dicendi per se: vel si sit in secundo modo, subjectum debet continere causam inhærentiæ et connexionis prædicati cum subjecto, ut docent communiter Logici: sed nec *homo* est de essentia Dei, nec *Deus* continet causam naturalem, et per se connexionis talis prædicati cum tali subjecto: ergo illa propositio non est per se.

Deinde, in omni propositione *per se*, prædicatum, quod enuntiatur de communi subjecto, enuntiari quoque debet de omnibus contentis sub subjecto: sed *homo*, qui enuntiatur de Deo, non enuntiatur de omnibus personis, quæ sunt Deus, nempe de Patre, et Spiritu sancto: igitur, etc.

Denique, in omni propositione *per se*, requiritur, quod subjectum secundum naturalem illius vim, seu ex rigore, sit determinatum; nam si sit indeterminatum, et determinari possit ad supponendum pro quibusdam determinatis, poterit quidem efficere propositionem veram, non vero propositionem per se: sic in hac propositione, *animal est homo*, subjectum istud *animal*, est indeterminatum ac indefinitum, et limitari potest ad hoc, ut supponat, vel pro solo animali rationali, vel pro Petro et Paulo; inde fit, ut illa propositio quidem vera sit, non tamen est propositio per se. At in hac propositione *Deus est homo*, subjectum se habet hujusmodi; quia est indeterminatum ex stricta sua significatione, ut supponat vel pro Patre, vel pro Filio, vel pro Spiritu sancto, et solum determinatur ex communi usu fidelium, ut dumtaxat supponat pro Filio: igitur ex se non est propositio per se, et in materia singulari.

Conclusio secunda. — Hæc propositio, Deus factus est homo, est vera, et propria.

Probatur 1. ex Scriptura sacra; nam Joan. 1. *Verbum caro factum est*. Et ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Idipsum constat ex Symbolo Nycæno his verbis: *Et homo factus est*.

Probatur etiam ratione a Doctore Subtili: Effectio, sive simplex sive secundum quid, dicit tantum duplicem habitudinem, scilicet ipsius rei factæ ad facientem, necnon ad illius rei non esse præcedens; sive interim illud esse sit simpliciter, sive secundum quid: sed in Verbo incarnato reperitur duplex illa habitudo, scilicet Dei, ut est factus homo, ad actionem totius Trinitatis, et etiam ad non esse hominis præcedens; quippe Verbum ante suam Incarnationem non erat homo: igitur illa propositio est vera et proprie dicta. *Deinde*, id quod est, et non fuit semper, revera dicitur factum: sed Deus per Incarnationem est homo, et non fuit semper: ergo per Incarnationem factus est homo. *Denique*, recte dicimus aliquid fieri hoc vel illud, quando jam antea erat simpliciter, sed non habebat illam entitatem, quam postea acquisivit: sic dicimus parietem fieri album, quia licet antea esset paries, tamen non habebat albedinem, quam postmodum habuit per actionem agentis dealbantis: ergo a simili verum est, quod Deus factus est homo, quia cum antea esset simpliciter, non habebat tamen humanitatem, quam in Incarnatione assumpsit.

Dices: Si illa propositio esset vera, sequeretur quod Deus esset factus simpliciter: sed consequens est falsum: ergo et antecedens. *Probatur sequela majoris*, quia si verum est, quod Petrus factus est homo, etiam verum est, quod sit factus simpliciter: ergo pari ratione, si verum est, quod Deus factus sit homo, etiam erit factus simpliciter. — **Negat sequelam** Doctor: et ad probationem negat consequentiam. Disparitas enim est, quod non sequatur vi formæ, sed materiæ, quod si Petrus est factus, etiam sit factus simpliciter, cum enim esse

simpliciter Petri sit esse hominem, consequens est vi materiæ, quod si Petrus factus est homo, factus est simpliciter : sed Deus habet aliud esse simpliciter, quam esse hominis ; unde non sequitur, quod si sit factus homo, etiam factus sit simpliciter ; sicut non sequitur, quod idem Petrus est factus albus : ergo factus est simpliciter, quia Petrus habet aliud esse, quam esse album.

Dices 2: Si Deus factus esset homo, sequeretur ipsum esse mutatum ad humanitatem : sed hoc est falsum : ergo, etc. *Probatur sequela* : quia alia omnia quæ dicuntur talia fieri, mutantur ad illa per susceptionem eorum, ad quæ mutantur. **Nego sequelam** : et ratio disparitatis est, quia scilicet omnia alia, quæ fiunt, vel simpliciter, vel secundum quid, non possunt terminare unionem sui cum forma, respectu cujus dicuntur fieri absque mutatione ; Deus autem potest terminare unionem sui cum natura humana, absque ulla sui mutatione. *Adde quod* cætera sint perfectibilia per formas, quas acquirunt ; Deus autem non est perfectibilis per humanitatem.

Dices 3: Si Deus factus est homo, sequitur, quod Deus factus sit Deus : sed hoc est absurdum : ergo, etc. Patet sequela *majoris*, quia per communicationem idiomatum homo est Deus : ergo si fiat homo, etiam fit Deus. — **Negat sequelam** Doctor cum consequentia illius probationis ; quia, inquit, per communicationem idiomatum non prædicantur de se invicem prædicata utriusque naturæ, cum expressione ipsiusmet, ut supra notavimus ex ipso in assignandis regulis communicationis idiomatum ; et sic dici non debet, quod Deus assumpsit naturam divinam, sicut assumpsit naturam humanam ; unde quamvis esset verum dicere non solum quod assumpserit humanitatem, sed etiam quod assumpserit hominem, de quibus agemus infra ; tamen non est verum dicere, quod assumpserit Deum.

Conclusio tertia. — Hæc propositio, homo factus est Deus, ex rigore sermonis est simpliciter vera : ea tamen parcius, ac nonnisi adhibita cautione, utendum est.

Probatur prima pars illis Scripturæ textibus, quibus Christus dicitur factus Filius Dei. Sic ad Rom. 1. *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* : sed Christus secundum quod homo, est ex semine David secundum carnem : ergo secundum quod homo, factus est Filius Dei : igitur ista propositio, *homo factus est Deus*, potest esse vera, ex rigore sermonis.

Probatur etiam auctoritate SS. Patrum, apud quos hæc loquendi formula est frequens et familiaris. Sic Greg. Nazianzenus orat. 35. *Hic homo*, inquit, *Deus effectus est, postquam cum Deo coaluit.* Similiter S. Augustinus 1. *De Trinitate* 13. *Talis fuit illa unio*, inquit, *ut Deum faceret hominem, et hominem Deum.* Item S. Damascenus lib. 3. c. 11. *Verbum*, inquit, *caro est factum, et caro Verbum, et Deus homo, et homo Deus.* Athanasius lib. *De Humana Natura suscepta : Iste ipse Deus*, inquit, *factus est caro, ut caro ejus fieret Deus Verbum.* Et Maximus martyr in Centuria prima Theologicorum capitum cap. 62. *Certa*, inquit, *fiducia sperandæ deificationis naturæ hominum est Dei incarnatio, quæ in tantum hominem Deum fecit, in quantum ipse homo factus est. Etenim, qui citra peccatum homo factus est, plane*

citra mutationem in Deitatem, naturam nostram deificavit, ac tantum propter se illam evehet, quantum propter hominem sese dimisit. Quibus perinde significat Deum factum hominem, atque hominem esse Deum factum. Hæc autem omnia eleganter confirmat S. Augustinus, serm. 15. *De Natividate Domini*, cap. 2. ubi utrumque defendit, et Filium Dei factum esse filium hominis, et filium hominis esse factum Filium Dei; atque aliter sentientes refellit: *Non ergo vobis subrepat*, inquit, *quorumdam sententia minus attentorum in regulam fidei, et in Scripturarum divinarum oracula. Dicunt enim: Qui filius est hominis, factus est Filius Dei: qui vero Filius Dei, non est factus filius hominis. Hoc ut dicerent, quod verum est, attenderunt, sed verum eloqui non valuerunt. Quid enim attenderunt, nisi quia humana natura potuit in melius commutari, in deterius autem divina non potuit? Hoc verum est, sed etiam sic, idest, nequaquam in deterius Divinitate mutata, Verbum tamen caro factum est.* Mox veram illis fidei regulam opponit: *Quis enim Christianus neget, ex illa femina filium hominis natum, sed tamen Deum hominem factum, et ita hominem Deum factum? Ergo, et homo factus Deus dicitur, et quod idem est, in melium commutatus.*

*Probat **Conclusionem Doctor**: Illud simpliciter dicitur factum, quod per actionem alicujus agentis fit tale: prius autem tale non erat: sed homo per actionem Trinitatis fit Deus, propter suam unionem hypostaticam cum Deo: ergo vere et simpliciter dici potest, quod homo factus sit Deus. *Deinde*, ratione solius unionis, qua Deus unitus est homini, Deus dicitur factus homo: ergo ratione ejusdem unionis dici debet, homo factus est Deus, quia non minus homo unitus est Deo, quam Deus homini. *Denique*, si quæ sit ratio, ob quam ejusmodi propositio non debeat admitti, maxime quia *homo* supponit pro supposito: falsum est autem suppositum Christi esse factum Deum: vel etiam, quia participium illud *factus* non dicit effectionem simpliciter, sed effectionem talem, quam præcedere debet illud quod dicitur taliter fieri: sed istæ rationes nullæ sunt: nam homo hic non supponit pro supposito, sed dumtaxat pro humanitate singulari: neque illud, quod fieri dicitur tale, necessario debet præcedere tempore affectionem talem, sed sufficit si præcedat natura, habeatque suam existentiam prius natura, quam accipiat talem denominationem: certum est autem, quod humanitas Christi saltem prius natura existat, quam uniatur Verbo, et consequenter prius natura, quam fiat Deus: igitur nihil officit, quominus vera sit illa propositio, *homo factus est Deus.*

Objicies 1. S. Cyrillum libro adversus Anthropomorphitas cap. 22. ubi ait: *Neque enim, ut quidam volunt, homo Deus effectus est.* Item S. Damascenum qui lib. 3. cap. 2. cum scripsisset eodem momento ac simul extitisse carnem Christi, et Verbi propriam fuisse, inde concludit sic: *Quare non hominem Deum factum dicimus, sed Deum inhumanatum.* Et Fulgentium libro *De Incarnatione*, cap. 10. *Neque ipsa caro, idest ipse homo, in se formam Dei viventis accepit, sed Deus, qui in forma Dei erat, formam servi accepit.* — **Responderi** potest has et similes sanctorum Patrum sententias solum repudiare sensum, qui Nestorio placebat, nempe, quod antequam humanitas Christi assumpta esset a Verbo, jam subsistens erat, et perfectus homo. Quem utique sensum, ut hæreticum repudiamus; unde merito Petrus Dia-

conus lib. *De Incarnatione*, cap. 5. ajebat: *Secundum hanc ergo Prophetæ sententiam, Deus factus est Christus, non autem Christus factus est Deus, sicut dicunt hæretici, qui per provectum, non per naturam, Christum Deum audent asserere, etc.* Igitur negant SS. Patres Christum factum fuisse Deum, eo sensu quo affirmabant Nestoriani, quasi prius homo extitisset, ac deinde progressione quadam ad Divinitatis consortium merito virtutum suarum fuerit evectus.

Verum quamquam hæc secundum sermonis rigorem vera esse possint, nihilominus quoniam hæc loquendi formula arridere posset novis Nestorianis; ideo, ut fert *secunda pars* conclusionis, ea cum cautela utendum est. Et satius dicendum arbitror cum seraphico Doctore in 3. dist. 7. qu. 3. quod prædicta locutio, qua dicitur, *homo factus est Deus*, « distingui debet per hunc modum, quo distincta est prædicta, *Deus* « *est factus homo*, ex eo quod res hujus participii *factus* poni potest « circa totum, vel circa prædicatum, vel circa utrumque extremum. In « primo sensu locutio est vera, et est sensus *homo factus est Deus*, idest, « factum est, ut homo esset Deus: et hoc quidem verum est. Si autem « determinat prædicatum, sensus est: *homo est Deus, qui factus est:* « et hoc quidem falsum est. Si autem cadat circa utrumque extremum, « et dicat ordinem subjecti ad prædicatum, tunc est sensus: *homo* « *factus est Deus*, idest, qui prius erat homo, factus est Deus po- « sterius: et hoc quidem adhuc falsum est: quia esse hominem num- « quam antecessit in illo supposito esse Deum, nec divinum esse ali- « quatenus inchoatur. Et sic patet, quod si ista locutio aliquo modo « posset concedi in primo sensu; in duobus tamen aliis concedi non « potest, nec debet: *homo factus est Deus*. Unde hæc magis est im- « propria: *homo factus est Deus*, quam hæc: *Deus factus est homo*, « et rarius invenitur scripta. » Si tamen alicubi legatur, vel inveniatur, tunc secundum primum sensum est accipienda.

QUÆSTIO TERTIA.

AN HÆC PROPOSITIO SIT VERA, CHRISTUS EST CREATURA.

Notandum 1. Ex Doctore Subtili in 3. dist. 11. qu. 1. nu. 6. creationem sumi duobus modis: *Primo* quidem, proprie, et stricte: *Secundo*, minus proprie, et universalius. Et quidem secundum hanc acceptionem habere duplicem respectum: unum quidem ad causam efficientem, a qua producitur; alterum autem ex nihilo sui, quod supponit. *Creatio proprie sumpta* respicit solum Deum tamquam causam efficientem, excludendo quamcumque aliam: respicit etiam purum nihil, quod supponit, et ex quo producitur simpliciter. *Creatio vero generalius, et minus proprie sumpta*, dicit quidem habitudinem ad primam causam efficientem, non ut immediate et solam producentem, nec excludendo consortium alterius causæ. Dicit etiam ordinem ad non esse sui; non quidem simpliciter, sed secundum quid, nempe ad formam expellendam per adventum illius formæ, quæ producenda est. Et hoc modo sumpta creatione, omnia alia entia, præter Deum, dicuntur creari, quia suum recipiunt esse a primo efficiente; et licet etiam producantur a causis secundis, attamen, inquit Doctor, non dicuntur aliarum causarum creaturæ; quia creatura, quocumque modo sumatur, numquam dicit relationem, ut sic,

ad causam secundam. Priori autem genere creationis, *solummodo Angeli*, inquit ibidem Doctor, *et anima intellectiva, et gratia, et quædam hujusmodi, quæ de nihilo producuntur, a primo efficiente dicuntur creari*. Certum est autem, quod sumendo creationem *proprie*, et in stricta sua acceptione, Christus nullatenus dici possit creatura, etiam ut homo. Cujus veritatis rationem hanc profert Doctor, quod creatura hoc modo sumpta respicit solum Deum, tamquam causam efficientem, et tamquam principium, a quo producitur: sed Christus, etiam ut homo, non habet solum hos respectus: siquidem dicit etiam habitudinem ad alias causas efficientes; Christi enim humanitas non a solo primo efficiente producta est immediate in esse, sed etiam a beata Virgine, quæ aliquam causalitatem habuit respectu ad ejus productionem. Non habuit etiam respectum ad purum nihil, quo tamquam a termino produceretur: habebat enim præjacentem materiam, scilicet materiam corporis, quæ transformabatur a forma sanguinis, ad formam corporis organici animati. Difficultas autem est, an Christus secundo modo creationis dici possit creatura, idque *vel* simpliciter et sine additamento: *vel* cum additamento, et determinatione, nempe quatenus homo.

Notandum 2. Ex eodem Doctore ibidem q. 2. n. 1. has dictiones, *in quantum, quatenus, secundum quid*, et similes, intelligi posse duobus modis, scilicet reduplicative, et specificative. *Reduplicative* quidem, quando absolute significant prædicatum inhærere toti subjecto, et assignant causam aliquam ejusmodi inhærentiæ, seu conjunctionis prædicati cum subjecto, ut in hac propositione, *homo in quantum animal est sensitivus*, in qua prædicatum *sensitivus* significatur inesse toti subjecto, nempe homini; notatur etiam causa, propter quam insit, nempe quia homo est animal. *Specificative* sumuntur, quando distrahunt, vel saltem possunt distrahere prædicatum in ordine ad subjectum, vel subjectum in ordine ad prædicatum, ut in hoc exemplo: *Æthiops, secundum quod habet dentes, est albus*: in quo significatur albedinem non inesse toti subjecto absolute, imo prædicatum istud *albus* distrahit a toto subjecto, et limitatur ad aliquam ejus partem, scilicet ad dentes Æthiopis. Nec est, quod dicat Vazquez, disp. 66. cap. 10. particulas istas, *in quantum* et *secundum quid*, non sumi reduplicative, quando repetitur idem subjectum, idque esse falsum in omni Schola, et secundum omnes Scholasticos: turpiter enim ipsemet hæc asserendo fallitur, siquidem in præsenti materia sanctus Thomas et S. Bonaventura, ac Subtilis Doctor concedunt hanc propositionem, *Christus, in quantum homo, est creatura*, habere posse sensum reduplicativum; illi autem Doctores longe melius noverunt, quam Vazquez, quis sit sensus reduplicativus.

Notandum 3. Quod cum propositio aliqua est falsa ex repugnantia terminorum seu extremorum, quacumque determinatione vel reduplicatione posita, quæ non tollit repugnantiam eorum, non tollit etiam rationem falsitatis illius propositionis, quia manente causa, manent etiam effectus: repugnantia autem extremorum est causa falsitatis propositionis, quare manente repugnantia, etiam manet falsitas ejusdem propositionis; *reduplicatio* autem non habet vim tollendi repugnantiam extremorum propositionis falsæ absolute, quia illa nihil distrahit, nec

addit extremis: *specificatio* autem habet vim tollendi repugnantiam extremorum, et consequenter solvendi falsitatem propositionis, quia vel addit, vel distrahit, seu diminuit aliquid ab extremis, ratione cujus distractionis, propositio, quæ erat antea falsa sine additione vel distractione, jam fiat vera per illam additionem vel distractionem.

Conclusio prima. — NON EST IMPROBABILE HANC PROPOSITIONEM, CHRISTUS EST CREATURA, SINE ULLO ADDITAMENTO, ET PROPTER SOLAM COMMUNICATIONEM IDIOMATUM, ESSE VERAM DE RIGORE SERMONIS: NIHILOMINUS VITANDA EST PROPTER PERICULUM ERRORIS ARIANORUM. Ita S. Thomas, ut eum exponit Cajetanus 3. part. quæst. 16. art. 8; et *Subtilis Doctor* consentire videtur qu. 1. n. 7. ubi cum exposuisset opinionem Varronis hoc ipsum affirmantis, illam non impugnat, ut præcedentes opiniones, sed solum addit: *Cui ista opinio non placet, potest dicere ipsam esse falsam propter istas rationes, etc.* Quibus, saltem tacite illam sententiam sustineri posse admittit.

Probatur autem Conclusio: *Primo* quidem auctoritate SS. Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum, qui Christum creaturam et creatum appellant. Siquidem ex Græcis S. Greg. Nazianzenus orat. 38. quæ est de Nativitate Christi, ait: *O novam mixtionem! o mirandam temperationem! qui est, fit: et qui creatus non est, creatur.* Idem docet Greg. Nyssenus serm. 13. in Cantica: *Increatum dicimus Verbum*, inquit, *quod initio rerum existebat, creatum autem illum dicimus, quic caro factum est, etc.* Subscribit S. Cyrillus lib. 10. *Thesauri*, cap. 1. ubi hæc habet: *Nam cum ipse natura increatus sit, et omnium Dominus, et creator, creatura etiam factus, primus invenitur inter homines, quos assumpta humana natura reformavit.* Similiter Sophronius in illa epistola, quæ habetur in sexta Synodo actione 11. sæpe vocat Christum *creatum*, et *increatum*. — Ex Latinis vero S. Hilarius lib. 12. *De Trinitate*, ubi licet contendat contra Arianos Christum non esse creaturam ratione communicationis idiomatum, aperte concedit Christum posse dici creaturam: *Filius itaque suus est*, inquit, *qui est in homine, et ex homine factura, neque tantum factura, sed etiam creatura.* Subscribit S. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 3. *Non vereor*, inquit, *ne quis dicat: Creatum ergo Christum asseris? Respondebo, ita creatum dico, quemadmodum factum sub lege, hoc est, factum ex muliere, factum sub lege.* Adstipulatur S. Hieronymus in 2. cap. ad Ephes. *Nos*, inquit, *libere proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam, quem vermem, et hominem, et crucifixum, et maledictionem tota spei nostræ fiducia confitemur.* S. Leo serm. 3. Pentecostes: *Si homo*, inquit, *ad imaginem Dei factus legem Dei servasset, Creator hominum creatura non fieret.* Tandem, ut cæteros præteream, rem istam aperte docet S. Gregorius lib. 3. *Moral.* cap. 29. ubi ait: *Redemptor noster, quia Divinitatis ejus status capi ab humana mente non potuit, hunc se nobis, ad nos veniens, creatus, natus, mortuus... quasi transeundo monstravit.* Quibus docet non plus esse periculi Christum dicere creatum, quam natum, et mortuum.

Suadetur etiam ratione: *Prima* quidem, quia non videtur majus periculum Christum appellare creaturam, quam tribuere illi proprietates, quæ eamdem imperfectionem redolent et includunt, ut esse mor-

talem, passibilem, finitum, etc.: sed hæc tribuuntur Christo: ergo etiam creaturæ appellatio ipsi potest attribui. *Deinde*, non plus repugnat Christo incipere esse post non esse, quam desinere esse, quia utrumque æque repugnat æternitati: sed de Christo proprie, et de rigore sermonis dicitur, quod desierit esse, alioqui vere non diceretur mortuus: igitur similiter dici potest, quod inceperit esse post non esse, et consequenter quod sit creatura. *Præterea*, esse creaturam est de essentia hominis, quia homo essentialiter est ens dependens et finitum: sed omnia, quæ sunt de essentia hominis, dicuntur de Christo: ergo pariter de eo dici potest, quod sit creatura. *Denique*, si negetur de Christo, quod sit creatura, maxime quia illa appellatio repugnat Verbo et naturæ divinæ: sed hæc ratio nulla est, quia licet repugnet naturæ humanæ assumptæ esse Creatorem, aut æternam, tamen non obstante illa repugnantia, vere dicitur de Christo, quod sit Creator et quod sit æternus: ergo pari ratione negari non debet absolute quin sit creatura, cum utrobique sit par ratio.

Conclusio secunda. — Probabilius est, et verius (etiam præciso periculo scandali et erroris) Christum non esse simpliciter creaturam appellandum. Ita Subtilis Doctor, ut colligere licet ex locis jam citatis: quamquam enim nil expresse circa hanc sententiam definiat, tamen hanc ultimam conclusionem probabiliorem judicat; siquidem solvit omnia fundamenta adversæ sententiæ, non vero hujus: at S. Th. eam expresse docet lib. 4. *Contra gentes* c. 18.

Probatur autem Conclusio a Doctore qu. 1. n. 9. *Primo* quia ad hoc, ut aliquid dicatur creatura sine ulla determinatione, debet accepisse suum primum esse, vel totale vel partiale post non esse: sed Christus neutrum accepit post non esse: non quidem esse totale: quippe nullum tale esse habet proprie, alias sequeretur naturas in ipso esse permixtas, eo modo quo partes physicæ ad compositionem totius invicem miscentur: non etiam accepit primum esse partiale; quia illud est esse Verbi divini, quod est æternum.

Reponeş, sufficere, quod creatio terminetur ad aliquod esse, licet illud non sit primum, ad hoc ut aliquid dicatur creatura. — **Contra**: quia quoties prædicatum convenit formaliter parti minori, vel accidenti respectu subjecti, tunc non debet denominare simpliciter totum cujus est pars, vel subjectum cujus est accidens: licet enim, v. g. *esse album* competat dentibus Æthiopis, ex eo tamen non licet inferre totum Æthiopem esse album: similiter licet in Petro sit unica albedo, vel plures, non oportet propterea inferre Petrum esse unum, vel plures ratione unitatis vel pluralitatis albedinis, quam habet. Unde cum ratio creaturæ conveniat minori parti, nempe dumtaxat humanitati ipsius Christi, non potest recte totum Christum denominare creaturam. *Deinde*, esse creaturam, est unum ex prædicatis transcendentibus naturæ humanæ: prædicata autem transcendentia non minus conveniunt supposito secundum se, quam naturæ: igitur si prædicatum illud conveniat Christo, non minus tribuetur ejus supposito, quam naturæ: sed falsum est, quod suppositum Christi dici possit creatura, aut creatum: ergo quantumvis conveniret naturæ humanæ, non propterea absolute deberet tribui Christo.

Unde ad fundamenta præcedentis Conclusionis minus probabilis dico *primo*, SS. Patres esse intelligendos de creatione improprie dicta, quatenus scilicet *creatio* significat idem quod *factura* seu quid factum, quia revera Christus factus est: *vel* dico, quod loquuntur SS. Patres cum determinatione, ita quod Christus dicatur creatura ratione humanitatis assumptæ, quæ secundum se vere et proprie diceretur creatura, si hæc appellatio suppposito Verbi, quo subsistit, quadrare posset, vel si illa proprium suppositum haberet, quia ex se habet quidquid necessum est, ut natura dicatur creata, secundum rationem naturæ. *Ad primam rationem* respondeo cum Suarez dupliciter: *primo* quidem attributa creaturarum revera convenire Christo ratione naturæ creatæ, quando illa non includunt suppositum creatum, quod sit ex nihilo productum; et ideo ex illis attributis solum inferri potest Christum esse creaturam, non proprie, sed improprie accipiendo nomen creationis et creaturæ. *Respondeo secundo* quædam esse prædicata creaturarum, quæ aperte cognoscuntur convenire Christo ratione dumtaxat naturæ humanæ, ut esse *mortalem* et *passibilem*, de quibus non potest esse controversia inter Catholicos et Nestorianos. Alia vero sunt prædicata, de quibus dubium esse potest, an tribuantur Christo ratione naturæ humanæ, an vero etiam ratione suppositi; de quibus maxime controvertitur inter Catholicos, et Hæreticos, ut esse mutabilem, esse finitum, etc. quæ licet in proprietate et rigore sermonis, dici possent de Christo ratione naturæ humanæ; attamen quoniam posset esse difficultas, an etiam hæc ipsi convenirent ratione suppositi, ideirco securius est, et cautius ab eis abstinere. *Ad secundam rationem* dicit Doctor, non magis repugnare Christo incipere esse post non esse, quam desinere esse post esse, desitione scilicet opposita inceptioni, de qua loquimur, quæ nimirum fiat per annihilationem. Unde concedit, quod æque repugnet Christo annihilari, ac creari; non tamen æque repugnat mori, atque creari; quia mori denotat solummodo desitionem vivendi, non vero desitionem essendi simpliciter; creari vero significat inceptionem essendi simpliciter. *Ad tertiam rationem* dico, quod esse creaturam in propria et stricta acceptione, non sit de essentia hominis, sed tantum in latiori usurpatione nominis *creaturæ*, quia non est de essentia hominis, quod sit persona creata, sed tantum, quod per naturam creatam constituatur. *Ad ultimam denique rationem* respondet Doctor, quod magis repugnet Christo esse creaturam, quam Creatorem; quia esse Creatorem convenit primo et principali constitutivo Christi, nempe supposito Verbi et naturæ divinæ; esse vero creaturam convenit tantum esse Christi minus principali, nempe ejus humanitati. Cum autem hoc prædicatum, creatura, natum sit, et ordinetur ad denominandum non solum naturam, sed etiam suppositum: hæc vero denominatio creati repugnet supposito Verbi, quo Christus subsistit: ideireo toti Christo repugnat esse creaturam.

Dices insuper: De Christo prædicatur in quid, quod sit *homo:* igitur id, quod prædicatur, est aliquid creatum, vel increatum: sed non est increatum; alioqui dicendo, quod Christus est homo, idem esset ac dicere quod sit Deus; quod est absurdum: ergo est aliquid creatum; et consequenter esse creatum seu esse creaturam, prædi-

catur de Christo simpliciter. — **Negat consequentiam Doctor**, quia quamvis *homo* prædicetur de Christo, et homo sit creatus et creatura, non sequitur quod Christus sit creatus aut creatura: siquidem argumentum constat quatuor terminis, quia quando dicitur, quod Christus sit homo, tunc prædicatum *homo* accipitur in concreto, ut concernit suppositum: quando vero dicitur, quod homo sit creatura, accipitur *homo*, ut præscindit a supposito: homo autem in concreto, et homo in abstracto sunt duo termini: et præterea Christus est alius terminus, et etiam creatura est alius terminus: ergo sunt quatuor termini in illo argumento, et ideo non potest valere consequentia. *Respondeo secundo* distinguendo *subsumptum:* illud quod prædicatur est aliquid creatum, quoad illud esse formale, quod dicit homo, concedo: quoad materiale, nego. Quando enim prædicatur de Christo, quod sit homo, prædicatum illud *homo* considerari potest, vel secundum suum esse formale, quatenus duntaxat significat nostram naturam humanam, vel quoad esse materiale, nimirum quoad esse suppositi divini: non sequitur autem, quod quidquid dicitur de formali prædicato alicujus prædicati possit dici simpliciter de subjecto ejusdem: non enim recte quis diceret de pariete, qui est albus, quod sit color, aut qualitas: licet hoc dici posset de albedine, quæ formaliter significatur per album. Similiter non possum dicere de Petro, quod sit tota essentia hominis, quamvis possem dicere de humanitate significata per *ly homo*, quod potest prædicari de Petro: igitur a pari, non possum dicere de Christo, quod sit creatura, licet id possit prædicari de humanitate, quam significat formaliter *ly homo*, quod de Christo prædicatur.

Urgebis: Christus est homo: aut ergo increatus homo, aut creatus: non increatus, quia alias homo esset æternus, omne enim increatum æternum est: ergo est creatus; et consequenter de eo dici potest, quod sit creatus, aut creatura. — **Respondet Doctor** negando ultimam consequentiam, quia argumentum procedit a dicto *secundum quid* ad dictum *simpliciter:* sicut procederetur in hoc argumento: *Petrus est factus albus:* ergo *est factus:* nam quando dicitur, quod Petrus sit factus albus, prædicatum *albus* distrahit significationem, quam haberet *factus*, si simpliciter et sine addito diceretur, *Petrus est factus:* sic enim significaret, quod Petrus esset factus simpliciter. Ita etiam *homo* in hac propositione, *Christus est creatus homo*, distrahit significationem, quam haberet *ly creatus*, si simpliciter diceretur de Christo, et efficit, ut significet tantum, quod Christus acceperit esse hominis: non vero quod acceperit esse creaturam simpliciter, sicut revera significaretur, si diceretur quod esset creatus absque addito. *Respondeo secundo* distinguendo *majorem* assumpti: ergo increatus homo, aut creatus: quantum ad formale, vel materiale, quod dicit homo, concedo: quoad utrumque vero simul, nego. Nam materiale illius prædicati, nempe suppositum, est increatum: formale vero nempe humanitas, est quid creatum: unde quoad utrumque simul, neque est creatum tantum, neque increatum tantum.

Dices tandem: Christus ratione corporis est conceptus, seu dicitur conceptus, ex eo quod ipsius corpus sit conceptum: ergo pari ratione dicetur creatus, ex eo quod ipsius anima sit creata. *Consequentia* patet; quia totum non minus debet denominari a proprietate partis

imperfectioris, quam perfectioris: igitur cum anima præstet corpore, Christus magis denominari debet a proprietatibus animæ, quam corporis. — **Negat consequentiam Doctor**, et ejus probationem distinguit: totum non magis denominari debet a proprietate partis imperfectioris, quam perfectioris, quando nihil obest, concedit: quando aliquid impedit, negat. In proposito autem aliquid obest; tum quia esse conceptum non significat, quod primum esse rei, quæ dicitur concepta, accipiatur post non esse simpliciter sui ipsius, sicut istud significat esse creatum; tum quia esse conceptum dicitur de supposito ratione naturæ tantum, nec per se et immediate prædicari debet de supposito; esse vero creatum convenit supposito ratione sui immediate, non minus quam convenit naturæ; unde non debet dici de supposito, nisi suppositum istud sit revera creatum; quæ certe Christi supposito non competunt.

Conclusio tertia. — SI HÆC PROPOSITIO, CHRISTUS QUATENUS HOMO EST CREATURA, SUMATUR REDUPLICATIVE, EST APERTE FALSA; SECUS VERO SI SUMATUR SPECIFICATIVE. Hæc Conclusio duas habet partes: quarum

Probatur prima: Reduplicatio numquam tollit repugnantiam extremorum, quia neque addit, neque demit aliquid ab extremis, sed proprium munus ejus est denotare causam conjunctionis extremorum, seu adhæsionis prædicati cum subjecto: ergo ista propositio, quæ ante reduplicationem erat falsa, ut diximus in præcedenti Conclusione, per illam reduplicationem non potest fieri vera. Hoc aperte docet S. Epiphanius impugnando hæresim Arianorum, quæ est 59. ubi latissime disputat contra Arianos Filium Dei non esse creaturam appellandum: quamvis enim de eo, qua Deus est, potissimum contendat; tamen his argumentis utitur, quæ ad Christum ex toto pertinere videntur, et universe adstruit nihil creati in Christo reperiri, etiam qua homo est, *Ecquid*, ait, *prodesse nobis creatura posset, aut ad salutem hominum conferret, vel ad divini Verbi Incarnati gloriam, divinitatemque perfectam? Quid, inquam, nobis profuerit, si creaturam illum dixerimus? Quid est, in quo creatum aliquid creatis prodesse, aut utilitatem afferre possit? Ad hæc quomodo Deus Deum creavit, et adorandum proposuit, cum ipsemet dixerit: non facies tibi similitudinem ullam, neque in terra, neque in cælo, neque adorabis illam: quomodo igitur sibi filium creavit, adoraveque jussit? præsertim cum Apostolus dicat: et servierunt creaturæ potius, quam Creatori, et stulti facti sunt. Stultum enim est creaturæ Divinitatem tribuere, ac primum legis violare mandatum: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Propterea sancta Dei Ecclesia creaturam non adorat, sed Filium genitum, Patrem in Filio, Patris vim in Spiritu sancto.* — Hic Epiphanius videtur admittere, inquit Petavius, nulla ratione Filium Dei creaturam oportere dici, ne ut hominem quidem. Nam argumenta, quæ affert, generatim hoc probant, et *creaturæ* nomen alienum esse contendit ab Incarnati Verbi gloria. Tum nihil creaturam creaturis prodesse dicit, aut in iis operari: Christus autem homo plurimum, et contulit generi humano, et in eo est operatus. Adorari quoque creaturam dum negat, Christum hominem non esse creaturam indicat: quippe quem adorare fas sit pro indiviso, Deum simul et hominem; ut suo loco dicturi sumus.

Probatur secunda pars: Specificatio habet vim reddendi propositionem veram, quæ antea falsa erat. Ratio est, quia addendo, vel diminuendo aliquid ab extremis, jam tollit repugnantiam illorum, ut in hoc exemplo, propositio illa, *Æthiops est albus*, absolute est in se falsa; efficitur autem vera per hanc specificationem, *Æthiops, secundum quod habet dentes, est albus*, quia ejusmodi specificatio restringit subjectum, seu assignat aliquam ejus partem, in qua sit albedo, seu hoc distrahit prædicatum a toto subjecto, et illud limitat ad illam partem subjecti, quæ capax est recipiendæ albedinis, nempe ad dentes: ita in proposito, propositio hæc, *Christus est creatura*, in se absolute est falsa; sed redditur vera per hanc specificationem: Christus *in quantum homo* est creatura, quia illa specificatio denotat partem, vel quasi partem hujus subjecti, idest Christum secundum humanitatem, ad quam limitat prædicatum *creatura:* quod certe non satis mature Vazquez, in 3. par. d. 66. cap. 2. dixit Doctorem Subtilem non ponderasse: nam ille non advertit Scotum ponderasse particulam illam sumptam specificative, scilicet *in quantum*, efficere veram propositionem; licet sumpta reduplicative relinquat illam falsam, si antea ex repugnantia terminorum falsa erat.

Objicies 1. Saltem ex dictis sequitur hanc propositionem esse absolute veram: *Christus est creatura. Probatur* quia ex Aristotele 5. *Physicorum* textu comment. 1. *Quod convenit toti secundum partem, illud dicitur de toto*, sic v. g. totus homo sanatur, quia thorax sanatur: ergo cum naturæ humanæ conveniat esse creaturam, sic dicetur de Christo, et maxime cum determinatione illius naturæ, seu in quantum est homo: ergo simpliciter dicitur quod Christus est creatura secundum quod homo, sicut simpliciter verum est dicere, quod homo sanatur secundum thoracem. — **Respondet Doctor** negando *consequentiam*, et ad probationem dico, quod quando opposita possunt inesse alicui toti per diversas partes, neutrum oppositorum denominat totum, ex vi sermonis. Patet exemplo scuti, cujus si altera pars sit alba, et alia medietas nigra, falsum erit dicere, scutum esse, vel album, vel nigrum simpliciter: quando vero aliquod prædicatum natum est inesse toti per aliquam partem determinatam, quia scilicet illi parti præcise inest, tunc ex hoc quod denominat partem, sequitur quod denominat totum; quemadmodum visio, v. g. nata est inesse animali secundum oculos, et ideo si secundum oculos insit, de virtute sermonis, inest toti. Sic intelligi debet Aristoteles, quia enim thorax seu cor est id, cui primo convenit sanitas, ideo si homo dicatur sanus secundum thoracem, simpliciter dici poterit sanus. Applicando hæc ad propositum dicit esse creaturam, non posse denominari de toto, non quia dumtaxat oppositum æque possit inesse Christo, atque istud prædicatum, puta esse Creatorem: sed quia, ut dictum est, nec principaliori parti, nec primo esse totius istud prædicatum convenit.

Petes 1. An vere, et proprie dici possit, quod Christus D. *incepit esse*. — **Respondeo**, quod etsi secundum rigorem sermonis hæc possit esse vera simpliciter, tamen in sensu reduplicativo apparet falsa, quippe significat Christum habuisse initium durationis, quod absolute falsum est; qui enim dicitur habuisse initium durationis simpliciter, conci-

pitur etiam habuisse illud initium secundum suum suppositum, quod falsum est. *Nec obstat*, quod *incipere esse* conveniat humanæ naturæ, quæ per hoc nomen *homo* significatur; quia terminus in subjecto positus per reduplicationem non supponit formaliter pro natura humana, quæ incepit, sed magis materialiter pro supposito, nisi sumatur in sensu specificativo, quo prædicatum incepit esse, distrahat a supposito, et dumtaxat enuntietur de humanitate seorsim sumpta, quo sensu intelligendi sunt SS. Patres, qui cum S. Augustino Epist. 105. fatentur Christum habuisse initium; ait enim S. ille Doctor: *Antequam mundus fieret, nec nos eramus, nec ipse Mediator Christus.*

Petes 2: An hæc propositio sit Catholica, *Christus est homo Deifer?* — **Respondeo** *primo*, ipsam probari a plurimis Patribus; maxime vero a S. Basilio, qui in Psalm. 45. ad hæc verba, *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, hæc enarrat: *Forte de carne loquitur* Deifera, *quæ sanctificata est per conjunctionem cum Deo:* et in Psalm. 49. enarrans hæc verba, *In Idumæam extendam calceamentum meum*, ait: *calceamentum Deitatis est* Deifera *caro, per quam in homines venit.* Similiter S. Maximus Martyr in expositione cap. 7. libri *De cœlesti Hierarchia*, ubi S. Dionysius Thronos appellat *Deiferam vim*, disputat, qua ratione sancti Patres carnem Salvatoris Deiferam nominant: *Atque caro*, inquit, *secundum substantiam, et hypostasim unita est Deo Verbo; ideo carnem gestare a Patribus ipse dicitur, et carnem induisse: quid igitur est absurdi, si et illius caro* Deifera *nominetur, tamquam Deum Verbum portans indissolubili unitione, adeo ut ipsius caro dicatur, et sit proprie, et ex rei veritate?* — *Respondeo* 2. hanc propositionem ut hæreticam repudiari ac damnari a nonnullis SS. Patribus. Sic illam proscribit S. Cyrillus, ut impurum, impiumque dictum Nestorii lib. 1. *Contra ipsum*, et in Epistola decretoria, quam cum anathematismis ad eumdem Nestorium scripsit, quæ in Ephesina Synodo probata est, illius hæretici, in illa proferenda voce *Deifer*, mentem sic aperit: *Sed nec illud dicimus, habitasse Verbum, quod ab eo processit, in eo, qui a sancta Virgine genitus est, tamquam in vulgari homine, ne* Deifer *homo intelligatur esse Christus.* Similiter S. Joan. Damascenus lib. 3. cap. 12. eumdem hæreticum exagitat his verbis: *Nestorius Deo invisus, eum, quem Virgo peperit,* Deiferum *appellare superbe est ausus; nos autem absit, ut* Deiferum *ipsum dicamus, aut cogitemus, quin potius incarnatum Deum.* — Non solum autem Catholici Doctores, sed etiam hæretici, puta Apollinaristæ, illam vocem respuerunt; refert enim S. Greg. Nazianzenus Epistola 52. quæ est secunda ad Cledonium, quod Apollinaris prohibebat Christum appellari *hominem Deiferum*, sed potius *Deum carniferum*, vel *Deum hominiferum:* at longe alio sensu a Doctoribus Catholicis illam vocem improbabat, utpote qui Christum negaret esse hominem; at nihil præter carnem assumptum putaret. Igitur illa vox omnino repudianda est eo sensu, quo Nestoriani illam usurpabant: nihilominus sine ullo pietatis catholicæ detrimento usurpata fuit a SS. Patribus ante subortam hæresim Nestorianorum, ut significarent, quod Christi humanitas erat Deifera, non quod Deum portaret, quasi aliquod onus et extraneum, sed suum ac proprium, hoc est, intime, et personaliter con-

junctum, et eumdem hypostatice secum factum, ut supra explicat Sanctus Maximus.

Petes 3: Utrum Christus recte possit appellari *homo Dominicus?* — **Respondeo** 1. appellationem illam placuisse plurimis SS. Patribus: nam S. Athanasius in expositione fidei iterato Christum appellat *hominem Dominicum*. Similiter S. Epiphanius in Ancorato: *Sic*, inquit, *in carne passus est Christus, in ipso, inquam, homine* Dominico, *quem ipsemet effinxit e cœlo veniens sanctus, Deus, et Verbum*. Usus est etiam eadem appellatione pluribi S. Augustinus, maxime lib. 83. quæstionum, quæst. 36. ubi ait: *Hic præstantissimum illud, et unicum exemplum* Dominici *hominis proponendum est*. Memorabilis etiam est de hac locutionis formula locus apud Rufinum in appendice apologiæ pro Origene, quam nomine Pamphili Martyris edidit, ubi hæc narrat: « Damasus, « inquit, Episcopus, cum de recipiendis Apollinaristis deliberatio habe- « retur, editionem Ecclesiasticæ fidei, cui eidem editioni, si Ecclesiæ « jungi velint, subscribere deberent, conscribendam mandavit cuidam « amico suo Presbytero viro disertissimo, qui hoc illi ex more nego- « tium procurabat. Necessarium visum est dictanti in ipsa editione « *De Incarnatione Domini, hominem Dominicum* dici. Offensi sunt in « hoc sermone Apollinaristæ, novitatem sermonis incursare cœperunt: « adesse sibi cœpit, qui dictaverat, et ex auctoritate vera Scriptorum « Catholicorum virorum, confutare eos, qui impugnabant. Accidit, ut « et uni ex ipsis, qui novitatem sermonis causabantur, ostenderet in « libello Athanasii Episcopi scriptum esse sermonem, de quo quæstio « dicebatur. Quasi suasus jam ille, cui probatum fuerat, rogavit dari « sibi codicem, quo, et aliis ignorantibus et contradicentibus, satisfa- « ceret. Accepto codice, inauditum excogitavit adulterationis genus, « locum ipsum, in quo sermo iste scriptus erat, rasit, et ipsum ser- « monem rursum rescripsit, quem raserat, codex redditus simpliciter « receptus est. Movetur iterum pro eodem sermone quæstio: ad pro- « bationem codex profertur: invenitur sermo, de quo erat quæstio, ex « litura in codice positus: fides proferenti talem codicem derogatur, « eo, quod litura illa corruptionis et falsitatis videretur indicium. Sed « quoniam (ut iterum eadem dicam) viventi hæc facta sunt a vivente, « continuo egit omnia, ut fraus commissi sceleris nudaretur, ac ne- « quitiæ macula non innocenti viro, qui nihil tale gesserat, adhæreret, « sed in auctorem facti, atque in uberiorem ejus infamiam redun- « daret. » — *Verum* S. Hieronymus, qui in lib. 2. *Apologiæ contra Rufinum* narrationem istam ridendo repudiat, etiam dictum illud improbat, quod prius etiam improbaverat S. Gregorius Nazianzenus, qui Apollinaristas Christum *hominem Dominicum* appellantes, ita suggillat in epistola 51. quæ est prima ad Cledonium: *Ne homines*, inquit, *isti decipiant, neque porro decipiantur, asserentes mentis expertem hominem Dominicum, ut ipsi vocant, vel potius Dominum, ac Deum nostrum; non enim hominem a Deitate disjungimus, sed unum, et eumdem profitemur*. Præcipuum autem ad illam repudiandam dictionem momentum esse videtur S. Augustini auctoritas, qui in 1. lib. *Retractationum*, cap. 19. semetipsum castigans, et priorem sermonem emendans ait: *Non video utrum recte dicatur homo Dominicus, qui est mediator Dei*

et hominum homo Christus Jesus, cum sit utique Dominus. Dominicus autem homo, quis in ejus sancta familia non potest dici? Et hoc quidem, ut dicerem apud quosdam legi Tractatores Catholicos divinorum eloquiorum, sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem: postea quippe vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi. Quibus verbis S. Augustinus unicam illius damnandæ locutionis affert rationem, quod Jesus Christus non sit homo Dominicus, quia totus et integer spectatus revera homo Dominicus est, ut sic enim utramque naturam signat, sive Deum et hominem. Probari tamen posset illa locutio eo sensu, quod Dominicus diceretur ab humanitate considerata in abstracto, quæ sic spectata non est Dominus, sed pertinens ad Dominum. Non est autem rarum apud SS. Patres humanitatem Christi hominem dici, et pro simplicibus vel abstractis complexa nomina in usum adhiberi. Non me latet S. Thomam in 3. part. q. 16. art. 3. locutionem istam *homo Dominicus* improbare hoc argumento: *Quod*, inquit, *cum dicitur homo Christus Jesus, designatur suppositum æternum, et quod est persona Filii Dei. De persona autem Filii Dei prædicatur et Dominus essentialiter, et ideo non debet prædicari denominative, quia hoc derogat veritati unionis.* Sed qui hominem Dominicum dixerunt, non personam aliquam sub vocabulo *hominis* intellexerunt; quin potius naturam ipsam a Domino assumptam, et in communi consuetudine loquendi tam enucleata et exacta vocum proprietas observari solet, ut ad Dialecticorum vel Philosophorum trutinam exigantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PRÆCELLENTIIS CHRISTI DOMINI.

Christum omnibus divinis charismatibus refertum, eximiisque dotibus, quas Deus homini concedere potest, illustratum, nemo fidelium est qui in dubium revocet: cum enim in ipso habitet plenitudo Divinitatis corporaliter, ut loquitur Apostolus, intimumque, ac personale cum Divinitate commercium ipsius humanitas habeat, certissimum est, quod ipse Deus totius excellentiæ, bonique Oceanus in Christi Domini humanitatem uberrime quidquid perfectionis est derivaverit. Non est tamen instituti præsentis ratio omnes illas hic recensere, et examinare divinas Christi dotes, ac præcellentias, sed dumtaxat discutere tres præcipuas, ad quas cæteræ tamquam ad fontem, et scaturiginem revocantur. Sunt autem *Gratiæ, Virtutes, et Scientiæ*, quibus mirum in modum ornatus Christus gloria, ac honore coronatus extitit. De quibus sigillatim agendum est in præsenti Articulo tribus in sequentibus Sectionibus.

SECTIO PRIMA.

DE GRATIA CHRISTI.

Quadruplicem in Christo gratiam agnoscunt, et communiter distinguunt Theologi, nimirum gratiam unionis ad Verbum, quæ substantialis appellatur: gratiam habitualem seu sanctificantem: gratias gratis datas, et gratiam capitis. *Gratia unionis* est ipsamet unio hypostatica, quæ ea ratione dicitur gratia, quia præter ullum debitum et humanæ naturæ meritum concessa est ipsi humanitati assumptæ a

Verbo. *Gratia habitualis* est habitus supernaturalis a Deo creatus et intusus in anima, quo illa sanctificatur, et Deo efficitur grata. Gratiæ *gratis datæ* sunt illa dona supernaturalia, quibus Christus illustratus est ad debite implendum munus Legislatoris, et Redemptoris. *Gratia* denique *capitis* est ipsamet gratia habitualis Christi Domini, quatenus in illo existens est principium sanctificandi alios, nempe Angelos et homines quorum est caput. Quod utique quadruplex genus gratiæ declarat S. Joannes 1. cap. Gratiam quidem unionis cum ait: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis:* gratiam autem sanctificantem et gratis datam, cum ibidem de Christo dicit: *Vidimus eum plenum gratiæ, et veritatis.* Plenum, inquam, gratiæ qua sanctificabatur, et veritatis, qua alios sanctificabat. Denique gratiam capitis, cum subdit: *De plenitude ejus omnes nos accepimus.* De triplici priori gratiarum genere dumtaxat agendum est in præsenti sectione; nam de gratia capitis erit sermo in Disputatione sequenti.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM HUMANITAS CHRISTI SANCTIFICETUR FORMALITER PER GRATIAM UNIONIS, AN VERO REQUIRAT ALIQUOD DONUM AB IPSA UNIONE DISTINCTUM.

Notandum 1. Hic non esse sermonem de justificatione et sanctificatione a statu *contrario*, qua quis transit a statu peccati ad statum adoptionis filiorum Dei: cum enim Christus Dominus nusquam peccaverit, ita nec sanctificari potuit hujusmodi sanctificatione, quæ fiat per transitum a statu peccati ad statum gratiæ: sed dumtaxat hic loquimur de justificatione et sanctificatione a statu privativo, qua quis transire potest a statu purorum naturalium ad statum gratiæ; qua utique sanctificatione absque dubio Christus sanctificatus est: licet enim de facto nusquam sine gratia extiterit, tamen certum est, quod ejus naturalia, prioritate saltem naturæ, præsupponi debuerint ad gratiam sanctificantem. Sed difficultas est per quid formaliter Christus dicatur sanctificatus, et justus. — Sciendum insuper, quod ad justificationem tria desiderantur: *Primum*, quod per illam justificationem et sanctificationem homo reddatur Deo gratus, et fiat objectum dilectionis divinæ, et ea ratione ordinetur ad vitam æternam et beatitudinem supernaturalem. *Secundum*, quod per illam fiat sanctus et impollutus, non habens ullam peccati maculam. *Tertium denique*, quod dicatur *justus*, hoc est, jus tenens ad vitam æternam, et juste se habeat in ordine ad Deum, seipsum, et proximum. Certum est autem, quod hæc tria fuerint in Christo Domino. Primo namque fuit a Deo dilectus; nam Pater æternus Matth. 3. testatur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Item fuit omni sanctitate præditus, ut testatur Angelus Virginem alloquens Lucæ 1. *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quapropter prænunciatur a Daniele ut *Sanctus Sanctorum.* Tertio denique fuit justus, hoc namque titulo promittitur a Prophetis, et ejus adventus postulatur a sanctissimis viris. Sic Isaiæ 45. *Nubes pluant Justum, etc.* Sed controvertitur apud Theologos per quid hæc tria Christo conveniant, an videlicet per aliquod donum creatum gratuitum ipsius animæ infusum;

an vero per ipsam gratiam unionis; ita quod sicut Christus erat subsistens formaliter per subsistentiam Verbi, sic etiam sanctificatus fuerit formaliter per ipsius Verbi sanctitatem.

Notandum 2. Sanctitatem a S. Dionysio, libro *De Divinis nominibus*, cap. 12. sic definiri: *Sanctitas est ab omni scelere libera, perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas*. Quæ utique definitio convenit triplici sanctitati, quam in divinis distinguunt Theologi. Est enim in Deo sanctitas *essentialis*, quæ est propria ipsi divinæ essentiæ, quatenus hæc distinguitur formaliter a suis attributis: quæ etiam dicitur *radicalis*, quia essentia divina, cui competit, est radix attributorum, et eorum omnium, quæ illis conveniunt. *Secunda* potest appellari sanctitas *moralis*, seu formalis, quæ nihil aliud est, quam ipsamet divinæ voluntatis rectitudo in Deo tam in amando, quam in operando libere ad extra. Nam conformatio affectus cum lege æterna est vera sanctitas; hinc est, quod omnia Dei opera dicuntur sancta et justa. Dicitur autem *sanctitas moralis*, quia convenit actibus voluntatis divinæ, qui respectu objectorum ad extra sunt plane liberi. *Tertia* tandem potest appellari *transcendentalis*, qua quidquid ex propria sua ratione est divinum formaliter, etiam sanctum est; nam quidquid divinum est maxime est purum, omnimode incontaminatum, et immune ab omni scelere et inquinamento. Appellatur autem *transcendentalis*, sicut enim res, seu entitas, est aliquid transcendens, conveniens omnibus, quæ sunt in Deo, nihil enim in Deo est, quod non sit realiter aliquid divinum, et subinde quod non sit aliqua divina entitas, vel essentialis, vel attributalis, vel personalis: ita sanctitas illa, quæ ejusmodi entitati divinæ imbibitur, dicitur transcendentalis. Hinc est, quod cum personalitates divinæ secundum se sint aliquid, et entitates reales, quatenus condistinguuntur ab essentia divina, et attributis, hanc transcendentalem sanctitatem sibi vindicant, et ideo hæc alio nomine recte potest appellari *personalis*, ad distinctionem sanctitatis essentialis et moralis.

Notandum 3. In Verbo Incarnato hæc tria posse distingui: *Primum* est Divinitas, seu divina essentia. *Secundum* est propria subsistentia, seu ipsa Verbi personalitas, ut condistincta formaliter ab ipsa essentia divina. *Tertium* est unio personalis ipsius Verbi cum humanitate. — Hinc controversia est apud Theologos per quid horum Christi Domini humanitas revera sanctificetur sanctitate substantiali. *Quidam* enim Thomistæ cum Vazquez, disp. 41. volunt illam sanctitatem esse repetendam præcise ab ipsa Divinitate. *Nonnulli* cum Suarez, d. 18. sect. 1. contendunt illam oriri ab ipso modo unionis, quem ipse Suarez putat esse aliquid substantiale. *Plurimi* e nostris docent illam sanctitatem personalem fieri formaliter per ipsammet personalitatem Verbi unitam humanitati. *Nos* vero extremas inter has sententias medio tutissimi ibimus, docentes sanctitatem substantialem Christi, neque ex sola unione, neque ex Divinitate, aut personalitate Verbi seorsim, sed conjunctim esse mutuandam. At quoniam nonnulli Theologi cum Paludano in 3. d. 3. q. 2. non aliam sanctitatem in Christo agnoscunt, quam quæ a gratia habituali petitur; et idcirco volunt gratiam illam sanctificantem, qua nos formaliter justificamur, fuisse absolute necessariam animæ Christi, ut esset sancta et grata Deo; prius resolvendum

est, an anima Christi Domini, seclusa omni alia gratia, tam actuali, quam habituali, fuerit vi unionis hypostaticæ singulariter sancta, grata, et accepta Deo, sanctitate, et gratitudine substantiali, seu personali.

Conclusio prima. — ANIMA CHRISTI DOMINI, SECLUSA OMNI GRATIA, TAM ACTUALI, QUAM HABITUALI, REVERA ERAT SANCTA, DEO GRATA, ET ACCEPTA IN ORDINE AD BEATITUDINEM PER SANCTITATEM PERSONALEM, AC SUBSTANTIALEM. Hæc est communior et tutior.

Probatur 1. Auctoritate Concilii Francofordiensis in epistola ad Episcopos Hispaniæ, ubi sic ait: *Christus natura unctus, non per gratiam, quia in illo fuit plene Divinitas.* Et S. Cyrillus l. 4. in Joan. cap. 29. dicit, *Christum unctum esse, non sicut alios Sanctos, et Reges; sed quia Verbum caro factum est.* Similiter S. Nazianzenus Oratione 4. *De Theologia: Christus igitur,* inquit, *propter humanitatem, ea enim humanitas unita est, non actu, et operatione, ut in aliis, qui Christi nuncupantur, sed totius Unctoris præsentia.* S. Athanasius, oratione contra Arianos, ubi introducit Verbum ita loquens: *Ego sum Chrisma, sicut unctio, Christus autem, sive unctus, est homo, qui a me assumptus est.* S. Dionysius Alexandrinus, in Epistola contra Paulum Samosatenum, ubi dicit Christum Joanni antecellere, *Quia in Joanne erat quidem opus, labor justitiæ: in Jesu vero natura;* ita quod, ut explicat Turian. Scholio 1. et 2. Christus esset Sanctus, Justus, et Unctus, non labore et exercitatione virtutis ex gratia, sed ipsa Deitate, qua non poterat non esse bonus.

Probatur insuper ratione: Unumquodque ens substantiale intellectuale ex vi hujus est sanctum et gratum Deo, ex vi cujus præcise sumptum habet jus ad vitam æternam: sed Christus est ens substantiale intellectuale, et habet jus ad vitam æternam ex vi unionis hypostaticæ præcise sumptæ: ergo ex vi talis unionis præcise Christus est sanctus, et gratus Deo: sed hæc sanctitas est substantialis ac personalis: igitur eam Christus sibi vindicat. *Major* constat a simili: non enim alia ratione quis dicitur sanctus per gratiam habitualem, ut diximus in 2. Notabili, quam quia est Deo gratus, et jus habet ad vitam æternam. *Probatur minor:* Christus ex vi istius habet jus ad vitam æternam, et est Deo gratus, ex quo habet, quod sit Filius Dei naturalis: sed id habet ex unione hypostatica: igitur ex illa habet, quod sit Deo gratus, et sibi jus vindicet ad vitam æternam. *Major* est S. Pauli *Ad Galat.* 4. dicentis: *Quod si Filii, et hæredes: hæredes quidem Dei:* ubi fundat jus ad possessionem Dei in ratione filiationis. *Minor* etiam constat ex dictis, ubi probavimus Christum esse Filium Dei naturalem. — *Deinde,* illud est substantialiter et intrinsece sanctum, quod intrinsece et substantialiter constituitur ac completur per aliquid divinum: sed Christus, ut subsistens subsistentia Verbi, constituitur, fit, et completur per illius suppositum, quod divinum est: ergo ut sic est substantialiter et intrinsece sanctus. *Minor* est de fide, et fusius in præcedentibus a nobis est probatum. *Major* etiam vera apparet: omne enim divinum sanctum est; quippe divina sanctitas non solum in ipsam divinam essentiam, sed etiam in id omne, quod in Deo est, delibatur et effluit: ergo cum omne constitutivum suam

rationem formalem conferat constituto, consequens est, quod suppositum Verbi sit substantialiter sanctum, et illam sanctitatem tribuat suo constituto.

Dices: Si Christus sit substantialiter, et intrinsece sanctus, præcise ex vi unionis hypostaticæ, etiam eadem ratione erit impeccabilis: sed hæc sequela militat in doctrinam Doctoris Subtilis, docentis Christi impeccabilitatem non esse repetendam præcise ex vi unionis hypostaticæ, sed vel ex gratia sanctificante, vel ex ratione beatitudinis qua fruebatur: igitur etc. — **Respondeo**, negari posse sequelam *majoris:* siquidem sola sanctitas formalis, saltem inamissibilis, qualis erat sanctitas Christi, pugnat formaliter cum impeccabilitate; non autem sanctitas substantialis et personalis. Et ratio disparitatis est, quod sanctitas personalis primo et per se respicit entitatem et rei substantiam, ad quam impeccabilitas primo et per se non spectat, quia posse peccare, voluntatis est, non autem naturæ. Quod autem entitas personalis respiciat primo entitatem rei, quam sustentat, ex eo colligitur, quod illa sanctitas sit sanctitas Verbi, ut sustentantis et suppositantis, ac proinde ei confertur quod dicitur sustentari ac suppositari; hoc autem proprie convenit entitati, et naturæ assumptæ: sanctitas vero formalis respicit primo potentiam, nempe voluntatem, ad quam spectat immediate et proxime posse vel non posse peccare; gratia enim, seu charitas, quæ est forma, qua sanctificamur, recipitur primo et immediate in voluntate. Itaque ratione hujusmodi sanctitatis personalis, nec Christus erat simpliciter impeccabilis, nec ejus actiones præcise erant meritoriæ; quia illa sanctitas potest æque afficere subjectum incapax peccabilitatis aut impeccabilitatis, et actionum meritoriarum; nam si Verbum assumpsisset lignum, aut quamlibet aliam naturam rationis et libertatis expertem, illi tribuisset istam sanctitatem substantialem, ac suppositi; neque tamen illa natura assumpta esset peccabilis aut impeccabilis, nec ratione illius sanctitatis esset elicitiva actionum meritoriarum: in natura autem intellectuali, qualis est ea, quæ a Verbo revera assumpta est, sanctitas personalis tribuit impeccabilitatem, necnon et vim merendi; non quidem de condigno et formaliter, sed de congruo et causaliter; quia nempe sanctitas substantialis per illam unionem impressam erat causa et velut origo omnium gratiarum, quibus Christus formaliter erat sanctus et proxime impeccabilis.

Dices 2: Non est potior ratio, cur Christi suppositum humanitati conferat substantialem ac divinam sanctitatem, quam æternitatem, immensitatem, et cætera divina attributa: at ista non confert; non enim natura assumpta dicitur æterna, infinita, et immensa: igitur nec sanctitatem divinam, et substantialem conferre debet. — **Distinguo majorem**: non est potior ratio ex parte Verbi, concedo: ex parte naturæ assumptæ, nego. Non repugnat, inquam, ex parte Verbi, quia ipsam naturam sustentando, ipsi confert id omne, quod requiritur ad ejus complementum et ornatum, ad quod ipsa non habet ex se incompatibilitatem et repugnantiam, qualem revera habet ad infinitatem, immensitatem, æternitatem; quia illa attributa ita sunt peculiaria divinæ naturæ, ut nullatenus alicui naturæ creatæ convenire possint; siquidem creata natura cum sit ex se finita et limitata tum in entitate tum in duratione, habet ex se repugnantiam, ut sit infinita, immensa,

et æterna: similem autem repugnantiam non habet, ut dicatur sancta; sicut enim ex se nihil habet repugnans, ut subsistat subsistentia divina, ita pariter nihil habet, quo repugnet ipsi attribui sanctitatem substantialem divinam, quæ ipsi supposito divino imbibitur.

Instabis: Humanitas Christi non habet majorem repugnantiam ad potentiam, et scientiam divinam, quam ad divinam sanctitatem: sicut enim sanctitatis est capax, ita capax est scientiæ et potentiæ: sed non potest reddi omnipotens, aut sciens proprie per omnipotentiam et scientiam Verbi: ergo nec potest dici sancta a sanctitate Verbi. — **Nego majorem**, quia *esse sanctum* nihil aliud hic intelligitur, quam esse unitum alicui, ratione cujus conjunctionis resultat in unito dignitas, saltem moralis et congruentiæ, ob quam dignum censeatur quod diligatur a Deo, sit expers peccati, et jus habeat ad beatitudinem æternam; quæ omnia non præsupponunt aliquam formam intrinsece existentem: at esse omnipotentem et scientem non solum significat aliquid esse conjunctum physice cum aliquo habente scientiam aut omnipotentiam; sed insuper, ut scientia et omnipotentia intrinsece inexistat, sive per identificationem, sive per inhærentiam: igitur inter utrumque non est paritas.

Objicies 3. Doctor Subtilis dist. 10. n. 5. expresse dicit: *Ista negatio extranceitatis in Christo non est nisi propter gratiam habitualem Christi, quia propter illam solam habet jus in hæreditate æterna; non autem propter solam unionem personalem:* ergo non censet Doctor, Christum habere aliquam sanctitatem petendam ab unione personali. — **Respondeo** 1. Doctorem solum hoc protulisse contra suammet responsionem, et ipsam replicam non solvisse, quia volebat eam alias examinare et solvere; unde ait: *responsionem quære:* quapropter sicut conclusio istius replicæ non est ex propria Doctoris sententia, ita nec *major* unde illa propositio deducitur; absurdum enim esset, quod quoties aliquis contra suam doctrinam objectionem aliquam proponeret, cujus solutionem differret, toties illa objectio censeri deberet esse ad ejus mentem; siquidem fieri posset, quod in solutionibus, quas promittit, solveret istas propositiones, et eas negaret. *Respondeo* 2. Quod quamvis gratis admittatur Doctorem approbavisse illam doctrinam, inde tamen non sequitur eum velle, quod Christus ex vi unionis hypostaticæ præcise non habeat jus ad vitam æternam, nec ita sit gratus Deo, ut Deus ipsi negare posset vitam æternam; sed quod tale jus haberet ratione gratiæ habitualis, quæ supposita acceptatione divina sibi jus illud vindicaret: non quidem ratione sui, sed ratione illius divinæ acceptationis: quæ utique foret etiam necessaria, ut sanctitas personalis jus illud ex integro obtineret, ut fusius dicemus in tractatu de Gratia.

Objicies 4. Si unio hypostatica ratione naturæ et personalitatis divinæ haberet vim sanctificandi, sequeretur, quod ubicumque adesset talis unio, subjectum sanctificaret, et Deo gratum efficeret, necnon et acceptum ad beatitudinem æternam: sed hoc est falsum: igitur etc. *Major* patet: quod enim ex vi alicujus ponitur, semper necessario admittitur ex positione illius, a quo profluit: igitur si unio personalis Verbi haberet vim sanctificandi necessario, illam sanctitatem conferret omni subjecto cui uniretur. *Minor* vero probatur; quia simpliciter et

absolute loquendo. Verbum poterat assumere naturam aliquam irrationalem: hæc autem est omnino incapax sanctitatis et gratitudinis supernaturalis, nam hæc soli naturæ rationali convenire possunt: igitur etc. — **Respondere possem** *primo distinguendo majorem:* si subjectum illud esset capax sanctitatis, concedo: secus, nego. Quemadmodum enim licet ipsa personalitas divina, quatenus afficit naturam intellectualem, eam personam efficiat; non posset tamen personam efficere naturam irrationalem, si illam assumeret; quia illa natura non est capax talis personalitatis: ita nec illam naturam irrationalem sanctam redderet, propter similem defectum capacitatis. Quod utique confirmatur: tum quia gratia habitualis, quæ ex ratione sua alios homines, quos afficit, efficit filios Dei adoptivos; non tamen Christum filium Dei adoptivum constituit; ita similiter gratia unionis potest efficere naturam rationalem assumptam gratam et sanctam, quamvis talem non efficeret naturam irrationalem, si illam assumeret: tum quia unio hypostatica ex natura sua, confert aliquam exigentiam ad gratiam habitualem, et beatitudinem: sed non conferret illam naturæ lapidis, aut equi, si istam assumeret: igitur unio hypostatica potest tribuere effectum formalem uni subjecto capaci illius effectus, quamquam eumdem non tribueret omni alteri subjecto talem capacitatem non habenti. Verum quia mox diximus illam personalem sanctitatem non censeri distinctam ab ipsa Verbi personalitate et subsistentia, idcirco *Respondeo* 2. distinguendo *majorem:* redderet naturam assumptam eo modo sanctam, quo capax est sanctitatis, concedo: aliter, nego. Cum autem irrationalis natura non sit capax sanctitatis, quæ confert jus ad beatitudinem, idcirco, si Verbum eam assumeret, non ei conferret istam sanctitatem; sed tantum substantialem, quæ non est alia a subsistentia Verbi.

Conclusio secunda. — Sanctitas substantialis Christi Domini non petitur immediate ex ipsa unione naturæ humanæ cum Verbo.

Probatur primo: Unio illa non est formaliter et secundum se aliquid substantiale et divinum, sed tantum respectus extrinsecus adveniens, ut probatum est in prima Disputatione: sed relatio secundum se formaliter non potest conferre sanctitatem substantialem: igitur Christi humanitas dici non potest substantialiter sanctificata per ipsam unionem.

Deinde: Modus elli substantialis, in quo Suarez vult consistere formaliter unionem hypostaticam, est aliquid creatum, utpote inexistens ipsi humanitati: sed nihil creatum potest conferre sanctitatem substantialem: tum quia non est sanctitas per essentiam, utpote cum sit aliquid finitum; neque etiam per participationem, quia neque est participatio essentiæ divinæ, cui maxime convenit prædicatum sanctitatis per essentiam, nec habet necessariam connexionem cum ipsa essentia divina per modum prædicati, aut essentialis, aut attributalis, aut personalis: igitur ab isto substantiali modo non potest repeti illa substantialis sanctitas.

Denique: Idcirco illa unio diceretur conferre illam substantialem sanctitatem humanitati Christi, quia ipsi uniret bonum increatum,

quod est substantialiter et essentialiter sanctum: at ex hac ratione non posset dici, quod illa unio conferat ipsam sanctitatem præcise et immediate: sicut a simili unio gratiæ habitualis cum anima non confert ipsa per se præcise animæ sanctitatem, quæ non per illam unionem, sed per gratiam sanctificantem sibi adhærentem, dicitur revera ac formaliter sanctificari: igitur nec unio humanitatis Christi cum persona Verbi, quæ substantialiter facta est, potest esse ratio formalis præcisa, et immediata, unde petenda sit illa substantialis sanctitas.

Objicit Suarez varias auctoritates SS. Patrum, ex quibus colligit Christum, ut hominem, formaliter ex vi ipsius gratiæ unionis fuisse absolute et simpliciter sanctum et Deo gratum. Sic SS. Patres explicantes illud Psal. 44. *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ:* et illud Isaiæ 6. ac Lucæ 1. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, etc.* dicunt hanc unctionem, qua Christus homo fuit unctus, et a qua *Christus* est appellatus, esse ipsam Divinitatem, seu Verbum, per cujus præsentiam humanitas sanctificatur. Ita Nazianzenus in priori Conclusione laudatus, unde ibidem subdit, *Christum esse Divinitate delibutum, hæc enim humanitatis unctio est.* Et S. Cyrillus lib. 3. *Thesauri*, cap. 3. *Ipse*, inquit, *seipsum unxit, Divinitas enim humanitatis unctio est.* Et S. Augustinus lib. 15. *De Trinit.* cap. 26. *tunc ait unctam fuisse invisibili Deo humanam naturam, quando divina est juncta persona:* quapropter in Enchiridio cap. 40. unionem humanitatis ad Verbum *summam gratiam* appellat: igitur censent SS. Patres Christi sanctitatem esse maxime petendam ab ipsa unione humanitatis cum Verbo. — **Distinguo consequens:** censent SS. Patres illam sanctitatem esse repetendam ex parte unionis formaliter sumptæ, seu quatenus præcise unio est, nego: materialiter sumptæ, seu quatenus connotat ipsam personam Verbi, et illa mediante divinam essentiam ipsi humanitati conjunctam, concedo: hæc enim Verbi personalitas per se immediate illam sanctificationem confert humanitati per immediatam sui cum illa conjunctionem.

Objicies 2. Unio hypostatica, qua unio est formaliter, et ut est quid creatum in humanitate, est aliquid excellentius et perfectius gratia habituali: sed gratia habitualis per se immediate sanctificat formaliter subjectum, cui inest: igitur illa unio sanctificat humanitatem, non tantum ut conditio, seu via ad sanctitatem, sed etiam per seipsam immediate, et ut est forma vim sanctificandi obtinens, illam sanctitatem confert. — **Distinguo majorem:** est aliquid perfectius secundum se, et præcise, quatenus unio est, nego: siquidem illa unio sic spectata est dumtaxat respectus extrinsecus, qui minorem habet perfectionem, quam ipsa gratia, quæ secundum suam entitatem præstantior est, et nobilior omni respectu extrinseco: est quid perfectius ratione personalitatis Verbi, quæ dicitur uniri humanitati, concedo: unde illius dignitas non ex sua ratione formali, sed dumtaxat ex parte extremorum est petenda.

Conclusio tertia. — Sanctitas personalis, aut substantialis non est petenda præcise a Divinitate, nec a personalitate Verbi seorsim, sed conjunctim. Hæc Conclusio tres habet partes, quæ in unicam collineant.

Prima autem constat, quia Christi humanitas non potest præcise sanctificari substantialiter immediate per id quod sibi non censetur immediate conjunctum: sed Divinitas unitur dumtaxat humanitati mediante personalitate; siquidem unio naturæ divinæ cum humana est dumtaxat hypostatica, et personalis: igitur illa sanctificatio non fit, nisi mediante ipsa personalitate.

Secunda pars etiam constat: Personalitas enim Verbi, ut formaliter a natura divina distincta, non est sanctitas, nec essentialis, nec formalis: ergo ut sic non potest sanctificare Christi humanitatem. *Consequentia* est aperta. *Antecedens* probatur: si personalitas Verbi, ut formaliter ab essentia divina distincta, esset sanctitas, vel hoc ei competeret ex peculiari suo conceptu; vel ratione divinæ entitatis cum ipsa identificatæ: sed neutrum dici potest. Non quidem primum, non enim ulla apparet ratio, cur personalitas Verbi sit potius sanctitas formaliter, quam personalitas Patris, aut Spiritus sancti, vel quodlibet aliud divinum attributum. Non etiam secundum, cum enim ipsa divina entitas non solum personalitati Verbi, sed etiam aliis personalitatibus, necnon et omnibus divinis attributis identificetur; consequens est, quod si ratione illius identificationis, Verbi personalitas esset formaliter sanctitas, etiam personalitates Patris, et Spiritus sancti, et quodlibet attributum divinum essent formaliter sanctitas; et sic humanitas Christi esset sancta, non solum a personalitate sibi immediate unita, et a natura divina, sed etiam ab intellectu, a divinitate, ab omnipotentia, et aliis attributis et perfectionibus Dei, quod est absurdum. — *Confirmatur* ex eo, quod relationes, divinas personas constituentes, in suo conceptu formali non dicant ullam perfectionem: quia alias (ut docuimus in tractatu de Trinitate) darentur in Deo tres perfectiones relative realiter ab invicem distinctæ; ex quo ulterius consequens esset, perfectiones divinas inter se comparatas inæquales esse, et cuilibet ex divinis personis aliquam perfectionem deesse, cum una persona non habeat personalitatem alterius: sed si personalitas Verbi ex se formaliter esset sanctitas, sequeretur, quod ipsa haberet peculiarem perfectionem a perfectione Patris distinctam: sequeretur insuper, quod in divinis personis tres essent sanctitates, sicut sunt tres personalitates; quod utique nullus Scotistarum, aut Thomistarum admittet: igitur nec admittere debet personalitatem Verbi esse formaliter sanctitatem.

Probatur denique tertia pars, nempe quod illa sanctitas substantialis petenda sit ab ipsa Divinitate humanitati media personalitate conjuncta. Hoc namque indicant SS. Patres supra laudati, dum aperte docent humanitatem Christi sanctificari per ipsam divinitatem. Sic præcipue aperte loquitur S. Nazianzenus Orat. 2. in Pascha, ubi postquam adduxit figuram agni Paschalis, ita de Christo scribit: *Perfectus autem non modo propter humanitatem Divinitate delibutam, idemque effectam, quod id, a quo peruncta est, atque ut audacter loquar, Divinitatis sociam,* vel secundum aliam versionem, *simul Deum*. Ita ut denotetur hominem fuisse sanctificatum in Christo, non tantum, quia fuit Divinitati sociatus, sed maxime, quia fuit simul Deus et homo. Igitur illa sanctificatio maxime a Divinitate, ut hypostatice humanitati conjuncta, petenda est.

Suffragatur etiam ratio; quia ab ipso petenda est Christi substan-

tialis sanctitas, quod ex se formaliter et essentialiter est sanctum et sanctificativum: sed Divinitas, sub conceptu naturæ divinæ unitæ humanitati, est essentialiter et formaliter sancta et sanctificativa: igitur ab ea præcise est petenda Christi substantialis sanctitas. *Major* constat. *Minor* pariter, natura enim divina secundum se est essentialiter sancta, habet etiam sibi formaliter convenientem sanctitatem formalem, quæ est attributum ipsi conveniens: igitur cum illa ex se, et in se habeat omnem sanctitatem, vel essentialiter, vel formaliter, consequens est, quod per sui unionem cum humanitate eam sanctificet: ac proinde ab illa est petenda illius humanitatis sanctificatio substantialis. *Nec refert*, quod Deitas non sit immediate conjuncta humanitati, sed dumtaxat media personalitate: hoc enim non obstat quominus illa sanctitas personalis unionis sit sanctificativa per se ipsius humanitatis, cui tandem media personalitate conjungitur. Sicut enim albificatio parietis maxime petitur ab albedine sibi conjuncta, licet albedo ipsi non insit, nisi mediante inhærentia: ita natura divina habet vim principaliorem sanctificandi humanitatem, quamvis requiratur unio ipsius cum personalitate, quæ immediate humanitati conjungitur tamquam conditio, sine qua non: sicut requiritur inhærentia albedinis parieti, ut paries fiat albus. His adde, quod personalitas Verbi non distinguatur realiter, sed tantum formaliter ab essentia divina: unde illa mediatio unionis non obest, quin Divinitas immediate immediatione reali sanctificet humanitatem; quamvis id non præstet immediatione formali.

Dices: Gratia habitualis sanctificat formaliter animam, quia illam veluti deificat, et ad divinæ naturæ consortium promovet: sed personalitas Verbi, ut formaliter a natura divina distincta, perfectiori modo humanam naturam deificat, quam gratia habitualis; cum illa deificet substantialiter, hæc vero accidentaliter: igitur illa sanctitas substantialis maxime petenda est a personalitate Verbi. — **Distinguo majorem:** gratia habitualis sanctificat formaliter animam per quamdam divinæ naturæ participationem: Siquidem, inquit S. Petrus, *magna, et pretiosa nobis Deus dona donavit, per quæ efficimur consortes divinæ naturæ*, concedo: sanctificat per communicationem aut imitationem cujuslibet perfectionis divinæ, nego. Similiter distinguo *minorem:* personalitas Verbi, ut formaliter a natura divina distincta, perfectiori modo deificat, quam gratia habitualis, per imitationem divinæ naturæ, ut natura est, nego: per applicationem alicujus divini, nempe personalitatis Verbi, concedo. Et nego *consequentiam*.

Dices 2: Per id præcise sanctificatur Christi humanitas, cui immediatius unitur: sed immediatius unitur subsistentiæ Verbi, quam naturæ divinæ: siquidem huic dumtaxat media personalitate conjungitur: ergo Christi humanitas magis principaliter et immediatius sanctificatur per personalitatem Verbi, quam per naturam. — **Distinguo majorem:** si illud cui immediatius unitur sit formaliter sanctitas, aut habeat sanctitatem formaliter, concedo: secus, nego. Unde cum personalitas Verbi ex se formaliter non sit sancta, nec habeat sanctitatem divinam sibi formaliter, sed dumtaxat realiter convenientem, inde est, quod ipsa præcise non habeat vim sanctificandi seorsim a Divinitate, sed tantum conjunctim.

Dices 3: Illud immediate sanctificat humanitatem Christi, quod

ipsa sui communicatione sic eam elevat ad esse divinum, ut sit ei positive prima radix fundans in ea jus aliquod beatitudinis supernaturalis obtinendæ (sic enim gratia habitualis, quia in nobis, et in Angelis est positive prima radix vitæ æternæ obtinendæ, lumen vero gloriæ illam supponit, nos, et Angelos sanctificat): atqui personalitas Verbi, ut condistincta virtualiter a divina essentia, ita est immediate unita humanitati, ut vi ipsius immediatæ unionis sit ei positive prima radix fundans in ea jus aliquod obtinendæ beatitudinis supernaturalis: hæc enim, ut infra docebitur, fuit ei debita positive ex vi unionis istius: et si per impossibile, personalitas Verbi divini esset distincta realiter ab essentia divina, et nihilominus facta fuisset unio humanitatis ad Verbum divinum, quo altius non potest sublimari, haberet aliquod jus ad vitam æternam: igitur personalitas Verbi, ut condistincta ab essentia divina, est quasi forma sanctificans immediate et formaliter humanitatem Christi Domini. — **Distinguo majorem**: si illud quod naturam elevat ad esse divinum sit ex se, aut essentialiter, aut formaliter sanctum, et conferat jus aliquod proximum ad beatitudinem supernaturalem, concedo: si sit dumtaxat sanctum sanctitate transcendentali, et tantum conferat jus remotum et inchoatum ad illam beatitudinem, nego. Et similiter distincta *minore*, nego *consequentiam*. Siquidem suppositum Verbi non habet ex se sanctitatem formalem, sed dumtaxat transcendentalem; neque ex se præcise confert jus ad beatitudinem, sed tantum cum divina natura, quæ ipso mediante, unita humanitati, ei tribuit jus completum ad beatitudinem obtinendam.

Instabis: Quidquid ex se divinum est, formaliter sanctum est, et sanctificativum: sed personalitas Verbi ex se, et ut condistincta a Divinitate, est aliquid divinum: igitur etiam ex se formaliter est sancta, et sanctificativa. — **Distinguo majorem**: est formaliter sanctum, et sanctificativum, ea sanctitate quam sibi vindicat, concedo: omni alia sanctitate, nego. *Minorem* etiam distinguo: suppositum Verbi est sanctum sanctitate formali, nego: sanctitate transcendentali, concedo. Igitur potest equidem ex se præcise conferre humanitati sanctitatem transcendentalem, sed hæc non est sufficiens, ut habeat jus ad beatitudinem.

Urgebis: Illud est præcise et formaliter sanctum sanctitate formali, quod secundum se adorari potest absoluta adoratione latriæ; quia tunc adoratur tantum propter suam excellentiam peculiarem, et sanctitatem propriam: at personalitas Verbi divini, ut condistincta formaliter a divina essentia, adorabilis est absoluta adoratione latriæ, ut docet Ecclesia, dum in Prætatione Missæ de S. Trinitate sic canit: *Ut in confessione veræ, sempiternæque Deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in Majestate adoretur æqualitas:* quibus verbis significat adorationem latriæ deberi personalitatibus divinis, ut condistinctis ab essentia, sicut debetur deitati, ut condistinctæ a personalitatibus. — **Distinguo majorem**: quod ut sic adoratur adoratione latriæ propter se præcise, et in abstracto, nego: propter se, et propter divinam naturam sibi realiter identificatam, et ut accipitur in concreto, hoc est quatenus connotat non solum personalitatem, sed etiam naturam divinam cum ipsa personalitate constituentem perso-

nam divinam, concedo. Et sic distincta *minore*, nego *consequentiam*. Nec enim Ecclesia prætatis verbis significat personalitates divinas in abstracto sumptas esse præcise sic adorabiles, sed tantum docet, quod in Deo summe adorando sit unica essentia in tribus Personis subsistens, quæ idcirco in Majestate pares sunt, et æquales. *Vel* si contendas Ecclesiam intelligendam esse de personalitatibus, ut in abstracto acceptis, neganda erit *major:* non enim necessum est, ut id quod est secundum se adorabile adoratione latriæ absolutæ, sit formaliter sanctum, et vim habeat conferendi jus ad beatitudinem ex se præcise, et seorsim a quolibet alio, sed ad id sufficit, quod habeat sanctitatem transcendentalem, quæ in eo omni, quod divinum est, delibatur.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM IN ANIMA CHRISTI FUERIT GRATIA HABITUALIS, ET AD QUID NECESSARIA.

Notandum 1. Nomine *gratiæ habitualis* significari qualitatem illam supernaturalem animæ divinitus infusam et inhærentem, eamque non solum sanctificantem, et efficientem dignam, quæ diligatur a Deo, et ab ipso acceptetur et ordinetur ad beatitudinem æternam; sed etiam elevetur ad statum et gradum supernaturalem, ut illius ope et concursu possit anima supernaturales actus, ac æternæ vitæ meritorios elicere. Hinc varios ob fines illa gratia censetur esse utilis et necessaria: *Primo* quidem, ut sanctitatem formalem conferat. *Secundo*, ut anima connaturaliter, et ex comprincipio supernaturali sibi inexistente, ac ipsam ad statum supernaturalem sublimante, possit actus supernaturales connaturaliter edere. *Tertio* denique, ut vitam æternam tamquam præmium supernaturale possit etiam connaturaliter promereri. Quæritur autem, an ad hunc triplicem effectum gratia habitualis fuerit in Christo necessaria.

Notandum 2. Sanctitatem *formalem* in hoc a *personali* distingui, quod *personalis* subjecto insit et conveniat ex præcisa ratione unionis hypostaticæ, et personalitatis, ac subsistentiæ, per quam divina natura, quæ est totius sanctitatis fons et origo, unitur humanæ: sanctitas autem *formalis* est qua subjectum, quod denominatur sanctum, tale dicitur propter aliquam formam sibi intrinsece inhærentem, et quatenus per istam formam, tamquam per quoddam principium sibi inexistens, redditur potens elicere actus supernaturales divinæ dilectionis. Differunt *secundo*, quia una substantialis est, et infinita, saltem ratione principii: altera vero accidentalis, creata, et limitata; fit enim per gratiam habitualem, quæ est qualitas. *Tertio*, sanctitas personalis afficit naturam humanam per modum termini; taliter enim ipsi conjungitur, qualiter ipsa divina natura, divinaque personalitas, ex qua petitur. Constat autem ex dictis, naturam divinam non uniri humanitati formaliter, seu per modum formæ, aut compartis, cujus divinitas est omnino incapax; sed mediante personalitate Verbi, quæ gerit vices suppositi creati, terminando communicationem et dependentiam illius humanitatis. *Accidentalis* vero afficit per modum formæ. *Hæc autem* utraque sanctitas *primo* convenit in eo, quod utraque re-

vera sit realis, et intrinsece unita ipsi humanitati, mediante personalitate Verbi: formalis vero fit per gratiam sanctificantem, quæ est vera et realis qualitas inhærens animæ, quam formaliter sanctificat. *Secundo*, conveniunt istæ duæ sanctitates, quod ipsum subjectum elevent ad aliquod esse divinum et supernaturale; personalis quidem ad esse supernaturale Verbi, quatenus per illam homo est Deus, et naturalis Filius Dei: posterior vero ad esse divinum per participationem, ut dicemus in *Tractatu De Gratia*. Hinc controversia est apud Theologos, an gratia sanctificans fuerit Christo necessaria, ut fieret et denominaretur formaliter sanctus; an vero dumtaxat, ut volunt Thomistæ, ad completam illius sanctificationem, et ad operandum connaturaliter in ordine gratiæ.

Notandum 3. Actus meritorios alios esse supernaturales *quoad suam entitatem*, ut est dilectio Dei super omnia tamquam Auctoris gratiæ et gloriæ; alios vero tantum *quoad modum*, qui scilicet sunt equidem naturales secundum suam entitatem, sed quia ordinantur in finem supernaturalem, et fiunt ab homine existente in gratia, hac ratione dicuntur supernaturales, puta dare eleemosynam propter Christum. *Insuper* advertendum est, actum supernaturalem quantum ad substantiam, posse concipi produci duobus modis, nimirum vel modo connaturali, vel modo supernaturali. Dicitur produci *connaturaliter*, quando elicitur a principio intrinseco permanenter inhærente principio vitali, quod est elicitivum talis actus, ratione cujus adjuncti comprincipii vitale principium corroboratur, et completur ultimo illius virtus ad exercendos tales actus. Dicitur autem produci *supernaturaliter*, quando elicitur per aliquod supernaturale auxilium actuale, seu transiens, corroborans ipsam potentiam, vel per aliquid aliud, quod suppleat vices illius auxilii, puta uberiorem Dei concursum.

His ita præmissis, tria veniunt resolvenda: *Primum*, an revera Christus habuerit gratiam habitualem. *Secundum*, an ea opus habuerit, ut fieret formaliter, et complete sanctus. *Tertium*, an illa fuerit necessaria, ut eliceret actus supernaturales et meritorios.

Conclusio prima. — Anima Christi D. revera illustrata fuit gratia habituali. Hæc est communis inter Theologos; quamvis enim aliqui affirment humanitatem Christi sanctificatam fuisse formaliter per unionem hypostaticam, nullus tamen est, qui negaverit illam etiam sanctificari per gratiam.

Probant aliqui Conclusionem variis Scripturæ sacræ textibus, ex quibus dumtaxat unum aut alterum veritatem hanc apertius evincentem profero. Primum quidem illud Isaiæ 11. ubi dicitur de Christo, *Requiescet super eum Spiritus Domini:* quo loci per particulam *Spiritus Domini* intelligitur permanentia gratiæ in Christo, ut explicat S. Cyrillus initio libri 2. in Isaiam. Confirmat eamdem veritatem Propheta capit. 61. ubi loquens in persona Christi, ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me:* quæ utique verba de se vaticinata fuisse docuit ipsemet Christus Lucæ 4. et hunc sensum referunt, ideo Spiritus Domini per donum gratiæ habitualis inest Christo, quia ipse per unionem hypostaticam unctus est gratia substantiali, et increata.

Probatur item eadem veritas ex capit. 1. S. Joannis, ubi *de Verbo Incarnato* dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ, et veritatis:* ubi plenitudo gratiæ haud dubie intelligenda est de gratia creata, eaque habituali et perseveranti; statim enim subditur: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus:* nam quod accipitur de plenitudine alicujus fontis debet esse ejusdem conditionis quoad entitatem cum aliquo ex iis, quæ implent fontem, ut patet in aqua a fonte derivata, quæ est ejusdem naturæ cum ipsa, quæ ab ipso fonte immediate profluit: at plenitudo gratiæ Christi, ex qua omnes accipimus, est ad modum fontis (ut explicabimus in *Tractatu De Gratia*), ex quo fonte non solum gratias actuales, sed etiam gratiam sanctificantem, et permanentem accepimus. Quapropter Christus toties in Scripturis sacris dicitur *nostra justificatio et nostra justitia:* igitur sicut nostra sanctificatio et justificatio est creata, et habitualis ac perseverans, ita etiam gratia illa, quæ est in Christo tamquam in fonte, a quo nostra effluit, debet esse creata et habitualis. *Nec valet* reponere cum Erasmo, et Cajetano verba illa, *plenum gratiæ, et veritatis,* non esse construenda cum istis antecedentibus, *et Verbum caro factum est, et vidimus gloriam ejus, etc.*, sed cum his sequentibus, *Joannes testimonium perhibet*, quia, inquiunt, in Græcis Codicibus particula πλήρης, hoc est *plenus*, est masculini generis, et nominativi casus, sicut et hæc *Joannes*, cum tamen deberet esse accusativi casus, si referretur ad illud *Verbum caro factum est*, ut indicat hæc particula verbalis *vidimus*. Hoc, inquam, non obstat, nam Græci et Latini Codices, imo et communis usus totius Ecclesiæ Latinæ, quo in fine Missæ Evangelium S. Joan. recitatur, inserunt illa verba post citata, plenum gratiæ, et veritatis; igitur censent illa non spectare ad proxime succedentia, sed ad antecedentia, et consequenter ad Verbum Incarnatum. *Deinde*, verba illa intelligenda sunt de eo, de cujus plenitudine omnes homines paulo post dicuntur accepisse: sic enim plenitudo, et ejus redundantia sibi invicem correspondent: at non dicimus accepisse de plenitudine S. Joannis Baptistæ, sed de plenitudine Christi: igitur illa verba *plenum gratiæ et veritatis* dicuntur de Verbo incarnato. *Nec favet* Cajetano et Erasmo, quod vocabulum πλήρης sit in masculino genere, et nominativo casu, nam λόγος quod Latine dicitur *verbum*, Græce est masculini generis, et hæc verba *vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti a Patre*, leguntur per parenthesim, unde sicut ibi *Verbum*, Græce λόγος, est masculini generis, et nominativi casus, ita et hoc ejus adjectivum πλήρης; quasi esset hic sensus: Verbum caro factum est, quod est plenum gratiæ, et vidimus gloriam ejus, etc. — *Confirmatur* ex S. Augustino, lib. 15 *De Trinitate*, cap. 26, ubi præfata verba S. Joan., de gratia creata sanctificante a Christo accepta interpretatur; ait enim: *Dominus ipse Jesus non solum Spiritum sanctum dedit, ut Deus, sed etiam accepit, ut homo, et propterea dictus est plenus gratia, quia unxit eum Deus Spiritu sancto; non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia:* quibus verbis significat Christum habuisse gratiam creatam, et habitualem. Sed apertissime hanc veritatem docet S. Bernardus, homilia 4. super *Missus est*, ubi ait: *Singulariter sanctum fuit quidquid Virgo concepit, et per Spiritus sancti-*

ficationem, et per Verbi assumptionem, quibus distinguit sanctificationem duplicem in Christo, unam, quæ fit per unionem hypostaticam, et alteram, quæ fit per Spiritus sanctificationem, quæ utique alia non est, quam quæ fit per gratiam sanctificantem, creatam, et habitualem.

Probatur item ratione: Ubi est conformitas sanctitatis, ibi debet esse paritas gratiæ sanctificantis, quæ sit fundamentum talis conformitatis: atqui inter Christum, et Prædestinatos, est conformitas sanctitatis, juxta illud S. Pauli ad Rom. 8. *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus:* igitur cum forma sanctificans Prædestinatos sit aliquid perseverans, etiam et gratia Christi talis esse debet. — *Deinde*, id omne perfectionis, quod competit tam Angelis, quam hominibus justis, non est negandum animæ Christi: maxime dum illam illustrat, nec dedecet statum, et gloriam Incarnationis: sed gratia sanctificans, quæ tribuitur Angelis, et hominibus, maxime confert ad pulchritudinem et perfectionem supernaturalem animæ, nec ullam habet repugnantiam cum unione hypostatica; hæc enim primo et per se dicit tantum oppositionem cum propria subsistentia humanitatis assumptæ, quæ est aliquid omnino distinctum a gratia habituali: igitur illa non est Christo deneganda. — *Denique*, præter physicam unionem humanitatis ad Verbum, oportuit ut anima Christi etiam uniretur Deo per cognitionem et amorem supernaturalem: sed ad connaturalem illorum actuum elicitionem (qualis animam Christi decebat) necessaria fuit gratia habitualis, ut docebimus in sequentibus: ergo talem gratiam habuit.

Dices 1: Quidquid est incapax filiationis adoptivæ, etiam est incapax gratiæ habitualis: sed Christus est incapax filiationis adoptivæ: igitur, etc. *Minor* patet ex dictis. *Major* similiter constat: nam esse filium adoptivum est formalis effectus gratiæ habitualis, ut indicat Apostolus ad Rom. 8. et docet Concilium Trid. Sessione 6. cap. 10. dum definit justificationem (cujus formalis causa est gratia habitualis) translationem a statu peccati ad statum adoptionis filiorum Dei: sed forma nequit esse in subjecto sine suo effectu formali: ergo nec gratia habitualis in Christo, nisi esset ejus filius adoptivus. — **Nego majorem**, et ad ejus probationem *distinguo majorem:* esse filium adoptivum est effectus formalis primarius gratiæ habitualis, nego; secundarius, concedo: et sic distincta *minore*, nego *consequentiam*. Quamvis enim non possit separari effectus alicujus formæ a subjecto, cui forma illa communicatur, tamen separari potest ab ea effectus secundarius, ut patet in quantitate afficiente Corpus Christi Domini, cujus effectus primarius est extendere partes extra partes, in ordine ad se; secundarius vero illas extendere in ordine ad locum; in sacramento autem altaris Christi Domini Corpus habet quidem primarium illum effectum quantitatis, non vero secundarium. Quod autem filiatio adoptiva sit dumtaxat effectus secundarius gratiæ habitualis, constat; quia gratia habitualis est forma quædam absoluta, cum sit qualitas permanens; adoptiva autem filiatio divina est de genere relationum: at nulla relatio est primarius et formalis effectus alicujus qualitatis permanentis, sed solummodo resultat ad positionem illius in subjecto capaci: primarius itaque et formalis effectus gratiæ habitualis est

reddere suum subjectum gratum Deo gratitudine formali, et inhærente, ad quem effectum divina filiatio adoptiva sequitur, ubi, et quando subjectum, quod hæc gratia afficit, est capax filiationis adoptivæ. Unde cum Christus, pro eo instanti, quo gratia habitualis fuit illi infusa, fuerit incapax divinæ filiationis adoptivæ, quia per gratiam unionis jam erat Dei filius naturalis, naturalis autem filiatio habet oppositionem cum adoptiva; hinc est, quod habitualis gratia non potuit conferre Christo illam filiationem adoptivam.

Dices 2: Qui Deus est per essentiam non potest esse Deus per participationem: at si Christus habuisset præter gratiam unionis, etiam gratiam habitualem creatam, fuisset Deus per essentiam ratione unionis hypostaticæ, et etiam Deus per participationem, ratione gratiæ habitualis, quæ est quædam participatio naturæ divinæ: ergo falsum est, quod Christus habuerit gratiam habitualem creatam. *Major* constat: nam esse Deum per essentiam est esse Deum absque omni exceptione et limitatione: esse vero Deum per participationem, est esse talem partialiter et limitate: implicat autem esse Deum totaliter, et ex parte: sine exceptione, et cum exceptione: igitur, etc. — **Distinguo majorem**: qui Deus est per naturam non potest esse Deus per participationem, ratione ejusdem, per quod est Deus per naturam, concedo: ratione alterius, nego. Itaque Christus potuit esse Deus per essentiam ratione substantiæ et naturæ divinæ sibi communicatæ, et similiter per participationem ratione gratiæ habitualis.

Dices 3: Ubi subjectum continet in seipso eminenter aliquam perfectionem, illam non potest habere formaliter, seu per formam sibi inexistentem: at Christus ratione gratiæ unionis continet gratiam habitualem, et omnes alias gratias eminenter: siquidem gratia unionis longe nobiliori modo Christum efficit Deo gratum, et sanctum, quam gratia habitualis, quæ tantum accidentario perficit suum subjectum: igitur Christo repugnat habere in se gratiam habitualem. *Major* constat: etenim quia Sol est calidus eminenter, nequit esse formaliter calidus: similiter, quia anima rationalis continet eminenter gradum vegetativum et sensitivum, repugnat ipsi habere animam proprie et formaliter sensitivam et vegetativam, qualis est in brutis et plantis. — **Respondeo** quantum ad præsens institutum, distinguendo *majorem*: si continentia eminentialis non sit solum effectiva rei, quam continere dicitur, sed etiam executiva effectuum, quos res illa præstare potest, concedo: si tantum sit productiva illius rei, quam eminenter continere dicitur, non vero executiva effectuum quos res illa potest edere, nego. Gratia autem unionis, licet eminenter contineat omnem gratiam, non tamen potest eosdem edere effectus, quos gratia habitualis per se præstat in anima Christi, quippe illa nec animam Christi sanctificat formaliter, nec eam constituit in statu, ut connaturaliter actus supernaturales et meritorios possit edere.

Dices denique: Gratia habitualis et sanctificans conceditur maxime, ut anima fiat Deo grata: sed anima Christi non potest esse magis grata cum gratia habituali, quam sine illa. *Probatur:* anima quæ est Deo grata infinite non potest esse magis grata, quia infinito nihil est majus: sed per gratiam unionis anima Christi est grata Deo infinite ratione Divinitatis ei communicatæ, et hypostatice unitæ:

igitur non potest esse magis grata. — **Nego minorem**, et ejus probationem distinguo: quod est infinite gratum non potest esse magis in eodem genere gratificationis, concedo: in alio genere, nego. Anima autem Christi per gratiam unionis est quidem Deo grata infinite gratitudine substantiali, quæ non impedit quominus similiter grata fieri possit in alio genere, nempe per formam aliquam accidentalem superadditam. Quod utique confirmatur a simili; quamvis enim Christus ratione unionis hypostaticæ sit infinite perfectus substantialiter, illa tamen perfectio substantialis non impedit, quominus habuerit insuper omnes dotes accidentales, quibus illius humanitas fuit illustrata.

Conclusio secunda. — GRATIA HABITUALIS FUIT CHRISTO NECESSARIA, UT SANCTIFICARETUR FORMALITER.

Probatur: Christus debuit esse formaliter sanctus: sed talis esse non potuit absque gratia habituali: ergo hæc illi ad id fuit necessaria. *Major* constat ex superiori Conclusione; Christus enim omnem omnino sanctitatem habere debuit, quæ maxime ejus animam illustrare potest et consecrare, idque intimiori ac præstantiori modo: longe autem præstantius est sanctificari formaliter, seu per formam intrinsece inexistentem, ut sanctificantur homines et Angeli, quam duntaxat per aliquam denominationem et unctionem extrinsecam, ut loca et vasa sancta. *Minor* vero probatur: si seclusa gratia habituali Christus sanctificari potuisset formaliter, maxime per sanctitatem substantialem et personalem: sed ita sanctificari non potuit. Quod sic probo *primo:* per id non potest sanctificari formaliter, quod habere nequit rationem formæ sanctificantis: at neque personalitas Verbi, nec Divinitas ipsa, ex quibus petitur sanctitas substantialis, habent rationem formæ sanctificantis. Non quidem *personalitas:* hæc enim non afficit naturam humanam per modum formæ, sed per modum termini: neque etiam ex se, ut probavimus, habet vim sanctificandi, quia non est formaliter sanctitas. Hoc etiam *Divinitas* præstare nequit, quia Divinitas non potest esse forma sanctificans humanitatem: forma enim debet uniri intrinsece, et per se immediate ei cujus est forma: sed Divinitas non est unita humanitati per se, sed tantum ratione suppositi in quo facta est unio hypostatica; nulla enim unio realis fieri potest immediate inter naturam divinam et humanam: igitur Divinitas non potuit habere rationem formæ sanctificantis naturam humanam. — *Confirmatur,* quia si Divinitas sanctificaret formaliter humanitatem Christi, maxime vel ut forma physica, vel ut moralis: sed neutro modo id præstat. Non quidem, *ut forma physica;* tum quia forma physica ex se ordinatur ut pars ad actuandum et componendum: Divinitas autem non potest habere rationem partis informantis et actuantis, quippe hoc imperfectionem redolet: tum quia si Divinitas uniretur per modum formæ physicæ humanitati, ipsam formaliter efficeret Deum, communicatio enim formalis Divinitatis Deum efficit: sed hoc est absurdum: tum denique quia Divinitas per se formaliter solum præstat jus in ordine ad beatitudinem increatam: at illud jus non potest convenire primo et per se humanitati Christi, sed solum per communicationem idiomatum: igitur humanitas Christi non potest sanctificari physice per ipsam Divinitatem. Neque etiam ab ea sancti-

ficari potest formaliter, tamquam *per formam moralem*, tum quia forma moralis, licet connotet principium, et subjectum reale, tamen secundum se præcise non est realis, est enim dumtaxat respectus extrinsecus procedens ex ordinatione Dei talem acceptantis ad beatitudinem: Christus autem debuit esse realiter sanctus sanctitate formali: ergo illam sanctitatem debuit habere per aliquam formam intrinsecam sibi realiter inexistentem: tum quia omnis forma physica secundum entitatem præstantior est morali: igitur cum nostra sanctificatio fiat per formam physicam nobis realiter inexistentem, sequeretur nostram justificationem secundum suam entitatem esse præstantiorem sanctificatione Christi: tum denique quia Christus, ut Sanctus sanctorum, et prædestinatorum caput, debuit habere conformitatem cum suis membris in ratione sanctitatis: sed ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7. et Canone 11. justi non sanctificantur per aliquid extrinsecum, et morale, sed per formam intrinsece inhærentem: igitur hac ratione etiam Christus debuit sanctificari.

Dices: Christo concedenda est ea sanctificatio quæ præstantior est, et illustrior: at longe præstantius est sanctificari formaliter per ipsam divinitatem, quam per aliquid creatum: igitur, etc. — **Distinguo majorem**: si modus ille præstantissimus sit possibilis, concedo: secus, nego. Repugnat autem, ut mox probatum est, divinitatem aut aliquid divinum habere rationem formæ sanctificantis, et subinde repugnat, ut Christi humanitas formaliter sanctificetur per ipsam divinitatem.

Dices 2: Anima quæ est sancta sanctitate virtualiter et eminenter continente omnem sanctitatem, habet etiam sanctitatem formalem: sed anima Christi, ex vi præcise unionis hypostaticæ, est sancta sanctitate eminenter continente omnem sanctitatem, quæ a gratia vel actuali vel habituali oriretur: ergo illa non indiget gratia habituali, ut dicatur formaliter sancta. *Minor* constat: Christus per unionem hypostaticam habet sanctitatem increatam Dei, quæ eminenter continet omnem sanctitatem creatam, sicut divina entitas eminenter continet omnem creatam entitatem. *Major* vero probatur: idcirco Deus non eget gratia habituali, ut sit formaliter sanctus omnimoda sanctitate, quia ejus sanctitas eminenter continet quidquid sanctitatis est in gratia habituali: ergo a simili, si anima Christi virtute unionis hypostaticæ habeat sanctitatem oriundam a gratia, nullatenus indigebat tali gratia, ut censeatur omnimode formaliter sancta. — **Nego majorem**: siquidem ad sanctificationem formalem non satis est, quod aliquid contineat eminenter omnem aliam sanctitatem; sed debet etiam ipsi inesse per modum formæ afficientis et perficientis, qualiter sanctitas increata, aut aliquid divinum non potest esse in Christo, ut mox dictum est. Ad probationem *majoris*, dico falsum esse *antecedens;* non enim præcise Deus non indiget gratia habituali, ut sit sanctus formaliter, quia ipsius sanctitas eminenter continet omnem aliam sanctitatem, sed quia ipsa divina sanctitas increata inest ipsi extrinsece, per modum formæ, seu attributi divinam essentiam afficientis et perficientis.

Conclusio tertia. — Gratia habitualis fuit Christo necessaria, ut connaturaliter eliceret actus supernaturales et meritorios.

Probatur primo: Tunc agens connaturaliter operatur, quando habet proportionem ad actus, quos elicit: sed anima Christi, cum sit entitas naturalis, non potest habere proportionem ad productionem actuum supernaturalium absque gratia habituali: igitur ad illos effectus producendos illa fuit Christo necessaria. *Major* constat; non enim alia ratione visio dicitur connaturaliter elicita, quam quia fit per potentiam visivam, speciem intelligibilem, et medium proportionatum, quæ omnia complent et integrant principium, ut visionem producat. *Minor probatur*: si quid aliud præter gratiam habitualem posset ipsam animam Christi elevare ad statum supernaturalem, et ipsam inclinare intrinsece ad producendos actus supernaturales, maxime vel personalitas et subsistentia Verbi, vel divinitas ipsi communicata: sed neutra id præstat: ut enim taliter elevetur, et inclinetur anima, debet habere in se aliquod comprincipium operativum *ut quo*, et elicitivum talium actuum: sed id non potest præstare subsistentia Verbi, quia ipsa non est virtus activa, sed purus terminus naturæ. Ergo non potest concurrere ad actus per modum principii *quo*; sed dumtaxat per modum conditionis constitutivæ suppositi, et principii *quod* ad operationem concurrit. Non etiam id præstare potest divinitas, nam principium *quo* operativum, vel debet habere identitatem cum principio quod operatur, vel debet illud physice informare: utrumque autem divinitati repugnat respectu humanitatis; igitur nec subsistentia Verbi, nec divinitas possunt habere rationem principii *quo*, in humanitate, per ordinem ad producendos actus supernaturales connaturaliter. — Idem dicendum de actibus meritoriis: meritum enim præmii supernaturalis necessario requirit, ut actus meritorius sit supernaturalis, vel quoad entitatem vel saltem quoad modum: ergo si actus supernaturalis non possit connaturaliter produci ab anima absque gratia habituali, neque poterit etiam produci actus meritorius.

Dices 1: Illud tantum potest inclinare animam ad actus supernaturales per modum comprincipii, quod est ex se operativum: sed gratia habitualis non est ex se operativa: ergo illam non requirit anima Christi ad eliciendos actus supernaturales, et meritorios connaturaliter. — **Distinguo majorem**: Gratia habitualis non est per se operativa, nec ordinatur ad operandum primario et proxime, concedo: sic enim ordinatur ad sanctificandam animam, et eam efficiendam dignam, quæ a Deo diligatur et ordinetur ad finem supernaturalem: non est operativa radicaliter et secundario, nego: nam, ut probabitur in *Tractatu de Gratia*, illa habitualis gratia non solum animam illustrat et dignificat, sed etiam ei virtutem confert ad producendos actus supernaturales.

Dices 2: Ut anima Christi elevetur et inclinetur connaturaliter ad actus supernaturales sufficit, quod habeat in se auxilium aliquod actuale supernaturale: ergo ad id ei non opus est gratia habituali. — **Distinguo antecedens**: illud actuale auxilium sufficit, ut actus supernaturalis fiat, concedo: ut fiat connaturaliter, nego: agens enim naturale non inclinatur ad suum effectum, nisi præter actualem motionem inclinetur ad suum actum per aliquam formam in se residentem et permanentem; quapropter Deus, ut naturæ auctor, singulis agentibus naturalibus indidit aliquam formam seu virtutem, per quam naturaliter propendent ad suos actus eliciendos.

Adverte tamen nos hic dumtaxat agere de potentia ordinaria, qua scilicet Deus, ut auctor naturæ et gratiæ, solet causas secundas ad suos actus inclinare: si enim sermo sit de potentia absoluta et extraordinaria, haud dubium est, quod seclusa omni gratia habituali, Deus posset conferre virtutem animæ ad producendos actus supernaturales, et meritorios; idque vel per auxilium actuale supernaturalis ordinis, vel per uberiorem concursum, qualiter diximus, agendo de visione beatifica, Deum posse supplere vices luminis gloriæ; vel per aliquod aliud auxilium fortius aut saltem æqualiter supplens activitatem gratiæ habitualis. Deus enim, ut docuimus in Physicis, supplere potest omnem efficientiam causæ secundæ extrinsecæ, et non vitalis: atqui efficientia, qua gratia concurrit ad actus supernaturales producendos, est mere extrinseca, est enim ab illa ut ab habitu; omnis autem efficientia habitus est extrinseca, ut patet inductione facta per omnes habitus: igitur Deus potest per se, vel per aliquod auxilium fortius, supplere efficientiam gratiæ habitualis; et proinde facere, ut anima Christi exerceret actus supernaturales quoad substantiam, sine gratia habituali. *Adverte* insuper Vazquez et Suarez frustra, ut mihi videtur, hic contendere utrum Christus per gratiam habitualem præstantiorem sanctitatem habuerit, quam habuisset cum sola gratia unionis. Negat enim Vazquez, contendens sanctitatem personalem, quam putat esse formalem, fuisse infinitam; ac subinde non fuisse susceptivam alicujus augmenti. Suarez vero affirmat, quia, inquit, cum sanctitas formalis dicat aliquam perfectionem, per illam Christus dici debet formaliter perfectior et sanctior, imo complete et consummate sanctus. *Verum* existimo neutram sententiam esse probandam: non quidem Vazquezii, quia licet sanctitas personalis concederetur infinita in suo genere; non tamen inde sequitur, quod sit infinita in omni genere; proindeque cum ea non est incompossibilis ulterior sanctitas, nempe formalis. Non etiam Suaresii, quia licet sanctitas formalis dicat perfectionem, et per eam Christus dicatur formaliter sanctus, qualiter non dicitur per sanctitatem personalem; non tamen recte, et in rigore loquendo, dici potest magis, aut consummate sanctus; nam termini illi *consummatio*, aut *magis* respiciunt gradus ejusdem speciei in aliqua entitate, et reperiuntur in iis, quæ se habent similiter; non autem in iis, quæ se habent aliter: Christus autem per gratiam habitualem, non est sanctus similiter, ac per gratiam unionis, sed aliter: igitur per illam non est dicendus sanctior, sed aliter sanctus.

QUÆSTIO TERTIA.

QUALIS FUERIT GRATIA HABITUALIS CHRISTI.

Tres maxime difficultates præfert hujus Quæstionis titulus, de quibus fusissime disputant Auctores. *Prima* est, an Christi gratia fuerit infinita. *Secunda*, an fuerit summa. *Tertia* tandem, an potuerit augeri. Quæ omnia, ut omissis inutilibus tricis et verborum magis quam rerum contentionibus, hac unica Quæstione tribus in sequentibus Conclusionibus discutiemus. Verum ut dicendorum resolutio fiat apertior et evidentior,

Notandum 1. Christi gratiam habitualem posse intelligi infinitam variis, sed maxime altero ex his sex modis, ut cum plurimis Theologis observat Izambertus ad qu. 7. disp. 4. art. 3. *Primo* quidem in ratione entis, et qualitatis; siquidem gratia est qualitas secundum suam entitatem. *Secundo*, ratione alicujus modi physici ipsi gratiæ intrinseci, eique advenientis ex ejus unione ad Verbum, qui modus in ratione modi sit infinitus, sicque illam gratiam afficiendo ac modificando quamdam infinitatem ei conferat. *Tertio*, intelligi potest infinita in ratione gratiæ, quatenus videlicet posset infinite significare naturam. *Quarto*, per solam extrinsecam acceptationem Dei; ita quod illam Deus judicet dignam, quæ producat effectus conducentes ad infiniti boni possessionem. *Quinto*, per ordinem et moralem habitudinem, quam haberet ad divinum suppositum Verbi; quatenus illa inest humanitati subsistenti subsistentia Verbi. *Sexto* tandem, quod licet in seipsa et secundum suam entitatem spectata sit finita, tamen dicatur infinita quatenus secundum ordinariam Dei potentiam, nulla alia gratia habitualis datur major, et etiam illa sese extendit ad eos omnes effectus, qui cogitari possint a gratia habituali producendi.

Notandum 2. Ex Doctore Subtili in 3. dist. 18. quæst. 1. num 2. gratiam duobus modis posse concipi summam: scilicet positive, et negative. Dicitur *summa positive*, quatenus excedit omnem aliam gratiam existentem aut credibilem; et hoc sensu, si daretur aliqua summa gratia, non est possibilis altera, quæ ipsi æquaretur, quod enim positive summum est, etiam est unicum in ipso genere in ratione summi. Gratia vero *negative* dici potest summa, si tanta sit ac tam perfecta, ut nulla alia gratia sit possibilis, quæ eam excedat, quamvis possent dari multæ æquales, quæ nec eam excederent, nec ab ipsa excederentur. Dicitur autem summa negative, quia scilicet tantum ex eo summa censetur, quia dicit negationem excessus, per quam non possit nec excedere nec excedi. Fatetur autem *ibidem* Doctor, quod gratia positive summa nec Christo, nec alicui alteri possit conferri, quia quacumque possibili gratia producta, potest Deus alteram similem et æqualem producere; *Potuit enim*, inquit, *et potest aliam naturam æqualem assumere, et consequenter ei conferre gratiam similem ei, quam contulit animæ Christi.* An autem Christo dederit summam gratiam negativam, resolvendum est in præsenti.

Notandum 3, seu potius repetendum ex Physicis, qualitatis augmentum considerari posse duobus modis: nimirum *extensive*, eo quod scilicet sit in subjecto extenso: sic albedo lactis augetur ad ipsius lactis augmentum: secundo, *intensive*, quando perficitur qualitas per additionem novorum graduum; sic albedo fit major per additionem alterius in eadem parte subjecti. Duplices autem *gradus* distinguunt Philosophi, nempe *quidditativos*, seu specificos, quibus essentiæ rerum dicuntur indivisibiles, et esse sicut numeri, ita ut ipsis nihil possit addi, vel detrahi, quin essentia varietur: alios *individuales*, et entitativos, suntque realitates quædam ejusdem generis et speciei, quæ si separatim existant, vera erunt distincta ejusdem speciei individua; si vero uniantur in eodem subjecto, unicum efficient. V. g. si duæ albedines in gradibus remissis duobus in subjectis distinctis existant, duo erunt albedinis individua; si vero in eodem subjecto reponantur, unicam

quidem numero albedinem efficient, sed intensiorem. — Quod autem dixi de qualitatibus corporeis, idem dicendum de spiritualibus, tam naturalibus, quam supernaturalibus: nulla enim est qualitas, sive naturalis sive supernaturalis, quæ non possit augeri per additionem alterius gradus ejusdem rationis et speciei. An autem possit augeri in infinitum per additionem iteratam graduum, controvertitur, non solum apud Philosophos, sed etiam apud Theologos; maxime vero in præsenti materia, in qua Doctor Angelicus et Subtilis in aliquibus conveniunt, in aliis vero discrepant. Conveniunt, inquam, in hoc, quod uterque doceat gratiam Christi non fuisse actu secundum entitatem et gradus infinitam: differunt vero, quia S. Thomas contendit gratiam Christi esse infinitam saltem potestate, quia per absolutam Dei potentiam potuit augeri in infinitum, et consequenter non fuit summa possibilis, quia augeri potuit; Doctor vero Subtilis id negat. — Tria igitur hac in Quæstione sunt determinanda: *Primum,* quod gratia non fuerit de facto et actu infinita. *Secundum,* quod revera ita fuerit perfecta, ut præstantior nec produci, nec creaturæ communicari possit. *Tertium,* quod non possit augeri in infinitum; ac consequenter, quod non fuerit infinita potestate.

Conclusio prima. — Gratia Christi tam in ratione entis et qualitatis, quam in ratione intensionis non fuit de facto infinita. Hæc est communis inter utriusque Scholæ tam Angelicæ quam Subtilis sectatores.

Probatur primo, quia de facto nullum datur actu ens infinitum, nam Sapientiæ 11. *Deus omnia fecit in numero, pondere, et mensura:* sed gratia Christi tam secundum entitatem, quam secundum intensionem est ens actu: ergo nullo ex his modis potest esse infinita. — *Deinde*, si gratia Christi aliquam infinitatem haberet, illa esset repetenda, vel ex parte subjecti, quod afficeret, vel ex parte effectuum, quos produceret: siquidem debet esse proportio inter subjectum, et accidens, quod in eo recipitur, sicut et inter ipsum accidens, ac effectus, ad quos producendos ordinatur: atqui ex neutro capite colligi potest hæc gratiæ infinitas. Non quidem ex parte *subjecti*, quia anima Christi est ens finitum ac limitatum: neque etiam ex parte *effectuum:* nam nullus effectus a gratia productus aut producendus potest assignari qui, vel entitative, vel intensive sit infinitus, quatenus physice et efficienter ab ipsa gratia procedit: ergo gratia Christi, tam secundum entitatem, quam secundum intensionem est de facto finita. — *Denique,* repugnat aliquam entitatem creatam esse tantæ perfectionis, quantæ est entitas increata: sed si gratia esset infinita, tam secundum entitatem, quam secundum intensionem, esset æque perfecta, ac entitas increata: ergo, etc. *Major* constat, ens enim increatum longe præstantius est omni ente creato. *Minor* vero probatur, quia vel gratia est eadem realiter cum charitate, vel saltem necessario eam sibi habet annexam connaturaliter secundum eamdem intensionem, quam ipsa obtinet, ita ut si gratia sit infinitæ intensionis, etiam charitas debeat esse infinitæ intensionis: sed si charitas creata esset infinitæ intensionis, esset æque perfecta, ac charitas divina et increata, et æque perfectum posset producere actum dilectionis. *Insuper,* cum omnis entitas infinite perfecta

debeatur Deo connaturaliter, sequeretur etiam gratiam sic infinitam deberi Deo tamquam ejus nativa proprietas, quod aperte absurdum est: igitur nulla ratione Christi gratia censeri debet infinita.

Probant etiam aliqui hanc Conclusionem a posteriori; quia, inquiunt, si gratia Christi esset infinita, sequeretur lumen gloriæ ejus etiam esse infinitum: et si lumen gloriæ infinitum, visio beatifica infinita, et per consequens comprehensiva Dei, quod est absurdum; nam soli Deo proprium est posse seipsum comprehendere. *Verum* hæc ratio est insufficiens, quia dato quod lumen gloriæ sit infinitum, non sequitur ex eo præcise visionem beatificam Christi esse infinitam, visio enim non tantum elicitur a lumine gloriæ, sed etiam ab intellectu, qui est finitus et incapax infinitæ actionis. — *Præterea,* licet concederetur visionem beatificam Christi esse infinitam; non tamen sequeretur esse comprehensivam Dei; nam ad hoc, ut visio infinita sit comprehensiva, debet esse infinita simpliciter, et sine modificatione, sicut est visio illa, qua Deus seipsum comprehendit: visio autem Christi beatifica non esset infinita simpliciter, et sine modificatione; alias esset Deus ipse: ergo ex eo quod esset infinita, non sequeretur fore comprehensivam Dei. — Itaque dicimus Beatos in patria non propterea comprehendere Deum, licet viderent totum Deum, omnia divina attributa, omnes res possibiles, quæ relucent in essentia divina; et omnes respectus, et habitudines, quas Deus habet ad illa; quia ista omnia non cognoscerent tantum, quantum sunt cognoscibilia; proindeque visio eorum beatifica dici quidem posset infinita, non tamen comprehensiva, quia diceretur infinita cum modificatione, scilicet diceretur infinita extensive, non vero intensive.

Dices 1: Id omne perfectionis et gratiæ asserendum est in Christo, quod nec ejus statum dedecet, nec manifestam contradictionem involvit: talis autem est gratia infinita: igitur hæc est asserenda in Christo. — **Nego minorem**: siquidem, ut mox probatum est, repugnat gratiam aliquam esse actu infinitam. *Adde quod* illa gratia infinita omnino fuerit superflua, tum ad finem Incarnationis, quia etiamsi hominum redemptio exigeret meritum et pretium infinitum, non esset necesse, quod illa meriti infinitudo peteretur ex parte gratiæ habitualis infinitæ; quippe ad id sufficiebat Christi personalitas, quæ tale pretium meritoriis operibus per quamdam dignitatem externam conferret.

Instabis: Gratia habitualis in natura humana Christi conferebat ad illam exornandam, propter unionem hypostaticam: sed hæc fuit actu infinita: ergo et illa. — **Respondeo** 1. negando *majorem*, falsum enim est, ut diximus in prima Disputatione, quod gratia fuerit prærequisita tamquam medium necessarium ad unionem hypostaticam. *Deinde*, etiamsi revera prærequisita fuisset gratia habitualis in ordine ad unionem hypostaticam, non sequitur inde, quod debuerit esse actu infinita; nam sicut licet creaturæ ordinentur ad Deum tamquam ad finem, non dicunt infinitatem; ita neque gratia requireret aliquam infinitatem propter illam ordinationem ad unionem hypostaticam. *Denique*, falsum est, quod unio hypostatica formaliter sumpta sit infinita tam ratione sui, quam ratione extremorum immediate unitorum. Non quidem ratione sui, quia illa, ut diximus, est respectus extrin-

secus adveniens, qui revera est quid finitum. Non etiam ratione extremorum, quia humanitas est finita; personalitas autem Verbi, quæ est aliud extremum immediatum istius unionis, nec finita est, nec infinita.

Dices 2: Quod habet efficientiam infinitam, etiam in entitate infinitum est: sed gratia Christi habet virtutem et efficientiam infinitam, est enim fons inexhaustus, de cujus plenitudine infiniti homines, et Angeli, si darentur, possent suam gratiam mutuari. *Insuper* illa gratia habitualis Christi infinitum valorem conferebat ejus operibus, et ea efficiebat digna, quæ pro infinitis hominibus et Angelis redimendis et salvandis sufficerent. — **Nego minorem**, et ad *primam* illius probationem dico, gratiam Christi non ea ratione censeri fontem, de cujus plenitudine omnes accepimus, quasi illa in se contineat omnes omnino gratias quoad entitatem, quæ in universos homines, et Angelos effluunt, sicut in fonte continentur omnes aquarum guttulæ, quæ in fluviolum exundant; sed tantum, quod Christus fuerit causa meritoria omnium gratiarum, et cælestium charismatum, quæ intuitu illius meritorum Deus hominibus et Angelis concedit. *Ad secundam probationem* dico quod etiamsi Christi merita fuissent infiniti valoris, et capacia, quæ conferrent ad redemptionem infinitorum hominum, non inde sequitur, quod ejus gratia fuerit infinita secundum entitatem, quia infinitus ille meritorum valor non exigeret principium *quo* infinitum, sed tantum principium *quod:* ac subinde non esset opus, quod gratia habitualis Christi, quæ est tantum principium *quo* illius meritorum, esset infinita; sed dumtaxat requiritur, ut principium *quod*, scilicet persona Verbi, a qua ille valor derivatur, infinitatem quamdam illis tribueret ratione sibi identificatæ divinæ naturæ. *Adde quod* valor operum meritoriorum maxime sit petendus ab acceptatione Dei; unde si essent possibiles infiniti homines, et Angeli, Deus potuisset acceptare Christi Domini merita pro eorum redemptione et salute; hæc autem acceptatio non prærequirit gratiam infinitam, a qua illa opera bona tamquam a principio *quo* eliciantur.

Ex his colligo 1, gratiam Christi non posse recte dici infinitam ratione *extrinsecæ acceptationis Dei*, eo quod illa sit in supposito divino, ut aliqui moderni Theologi docent; quia illa extrinseca acceptatio est tantum moralis aliqua dignitas gratiæ moraliter dignificatæ a supposito Verbi Divini: sed propter istam moralem dignificationem gratia Christi dici non debet infinita. *Probatur:* suppositum Verbi non magis dignificat gratiam in humanitate Christi residentem, quam ipsam humanitatem assumptam, cui illa immediate unitur: sed propter istam dignificationem humanitatis non dicitur humanitas infinita: ergo nec ea ratione gratia Christi dici debet infinita. *Major* patet, quia humanitas Christi intimius unitur Verbo, et immediatius, quam quodlibet accidens ipsi humanitati inhærens: at ratione illius intimæ unionis humanitas dici non potest infinitæ dignitatis, sed tantum quod habeat infinitam dignitatem, propter Verbum infinitum, cui conjungitur. Nec refert, quod meritum Christi ratione supposití dicatur infinitum, saltem extrinsece, et ratione acceptationis divinæ: non enim idem dici potest de gratia, quia meritum revera offertur acceptandum in tantum, in quantum acceptari potest. Unde voluntas divina intuitu Verbi illud

acceptat in infinitum, hoc est, pro infinito merito, et pro infinitis hominibus, et Angelis, si tot existerent: gratia autem non offertur acceptanda, sed potius est principium partiale illius, quod acceptandum offertur; ideoque quemadmodum aliud principium partiale meriti, nempe voluntas Christi, non dicitur infinita, ita neque gratia dici debet infinita, quamtumvis meritum ab illo utroque principio procedens dici possit aliqua ratione infinitum.

Collige 2, gratiam Christi non etiam esse infinitam in ratione gratiæ, seu ratione *effectus formalis*, quo reddebat Christum gratum, aut effectus effectivi quatenus erat principium merendi pro hominibus et Angelis: nam uterque iste effectus sive formalis sive effectivus, quatenus erat a gratia, omnino finitus erat, quia nulla forma præstare potest effectum sive formalem, sive alium ultra suam entitatem; virtus enim entitatem non excedit: at entitas gratiæ est finita: igitur effectum infinitum præstare non potest; unde etiam effectus ille sive formalis sive effectivus, magis in personam Christi, quam in ipsam gratiam refunditur.

Collige 3, Christi gratiam non etiam censeri infinitam ratione alicujus modi physici intrinseci advenientis ei ex ipsa ejus conjunctione ad Verbum divinum; siquidem non potest explicari, quid sit ille modus infinitus: nil enim posset aliud concipi, quam quod ipsa gratia mediante anima, et voluntate Christi, cui inest, terminatur a supposito Verbi: at hæc ratio terminationis non potest conferre gratiæ aliquam infinitatem; tum quia hac ratione cætera accidentia, quæ sunt in Christo, etiam dicerentur infinita; tum quia potiori jure illa infinitas tribuenda esset ipsi voluntati, et animæ Christi, quæ immediatius ipsi supposito Verbi, quam ipsa gratia, unitur.

Conclusio secunda. — De facto collata est Christo summa gratia habitualis.

Colligitur ex illo Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ, et veritatis.* Quasi diceret Evangelista, Christum talem habuisse gloriam, qualem decebat haberi ab unigenito Dei Filio: decuit autem illi conferri summam gloriam: ergo et de facto collata est: at gloria correspondet gratiæ, et in illa fundatur; ergo si summa sit gloria animæ Christi, etiam illius gratia debuit esse summa. Confirmatur ex cap. 3. ubi Joann. Baptista faciens sermonem de Christo dicit: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Quæ verba sacri Doctores et interpretes explicant de Christo: quod etiam colligitur ex his verbis sequentibus, *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus:* sed qui non habet spiritum, et gratiam ad mensuram, necessario debet habere omnem gratiam possibilem, adeoque summam, quæ creaturæ conferri potest: igitur Christus talem habuit. — *Confirmari* potest auctoritate Philosophi dicentis, quod in unoquoque genere est unum, quod est metrum et mensura cæterorum, et cæteris quibuscumque sub eodem genere contentis præstantius est: ergo pariter in genere gratiæ: istud autem unum esse non potest aliud, quam Christus, quia est unus Mediator Dei, et hominum, unicum et supremum Ecclesiæ caput; ergo etiam unus, et unicus est, qui omnem gratiæ excellentiam et plenitudinem contineat.

Probat hanc veritatem Doctor Subtilis hac ratione: Deus Christo Domino contulit omnem omnino gratiam possibilem, et qua major alicui creaturæ concedi non potest, si illa sit possibilis: at ita est: ergo fatendum est illam ipsi contulisse. *Major* patet: cum enim Deus Christum, utpote Filium suum naturalem, magis diligat, quam justos quoslibet, qui dumtaxat sunt illius filii adoptivi, haud dubium est, quod ipsi omnes omnino contulerit dotes, quas filiis adoptivis conferre possit, et consequenter, quod ei dederit summam gratiam. *Minor* vero probatur, nempe quod summa gratia sit possibilis. Summa gratia potest creari: ergo est possibilis. Probatur *antecedens: tum quia* summa gratia est ens finitum et limitatum: omne autem ens finitum potest a Deo creari: igitur, etc.: *tum quia* in entibus permanentibus, quæ nata sunt habere, aut posse habere simul omnes partes et perfectiones ac gradus sibi compossibiles, potest Deus illas partes et gradus uno instanti producere et conferre: atqui gratia est ens permanens ex natura sua, cum sit qualitas supernaturalis: ergo Deus potest producere, et conferre omnes partes, et gradus sibi compossibiles: at gratia, quæ habet omnes gradus sibi compossibiles, est revera summa, quia ipsi nihil potest addi, alioqui non censeretur habere omnes gradus sibi compossibiles: igitur, etc.: *Tum denique*, quia Deus potest creare maximam gratiam, quæ producibilis est: sed illa maxima gratia est summa: ergo non est inconveniens, quod summa gratia ponatur in esse: igitur revera summa gratia est possibilis; sed probabilissimum est Deum Filio proprio contulisse omnes dotes possibiles: igitur, etc.

Probat secundo Doctor: Omnis perfectio Christo est tribuenda, cujus recipiendæ est capax absque ulla contradictione et inconvenientia: sed anima Christi est capax recipiendæ summæ gratiæ: ergo fatendum est illam ipsi esse collatam. *Major* constat ex dictis, dignificanda est enim Christi Domini humanitas, quantum fieri potest absque ulla inconvenientia. *Minorem* probat Doctor: subjectum, quod est receptivum alicujus accidentis habentis quosdam gradus intensionis, potest recipere omnes illos gradus, si non limitetur ad aliquem certum gradum intra summum: at anima Christi est susceptiva gratiæ: nec illius capacitas determinatur et limitatur ad aliquem certum gradum istius gratiæ: ergo potest quemcumque gradum recipere. *Probat majorem* per oppositum: ideo enim aqua non potest quemcumque gradum caloris recipere, quia calor est accidens disconveniens aquæ in aliquo gradu, nempe in summo, qualis competit igni; unde non posset summus ille gradus caloris inesse aquæ, nisi illam corrumperet, siquidem ille est ultima dispositio ad formam ignis. *Probatur minor:* ideo anima Christi ex se determinaretur ad certum gradum gratiæ suscipiendum, vel quia ulterior gradus ipsam dedeceret, vel quia non posset ipsi communicari, absque contradictione: sed nullus gradus gratiæ quamtumvis intensus dedecet animam Christi, nec ulla apparet contradictio, quod illa suscipiat quemcumque gradum gratiæ possibilem: igitur illa non est limitata ad aliquem gradum gratiæ recipiendum citra summum. — *Confirmat,* quia non minor est capacitas animæ Christi Domini respectu gratiæ recipiendæ, quam in Angelis. *Probat*: si minor esset in anima Christi capacitas ad recipiendam gratiam, quam in Angelis, maxime quia illa capacitas proportionaretur entitati: unde consequens

esset, quod entitas minus perfecta minorem haberet capacitatem : sed hæc ratio nulla est : *tum quia* major aut minor entitatis naturalis perfectio impertinens est ad receptionem gratiæ, quæ est ordinis supernaturalis : *tum quia* gratia receptibilis in Angelo est ejusdem speciei cum ea, quæ receptibilis est in anima : sed quotiescumque forma susceptibilis in aliquibus est ejusdem speciei, etiam illa, ut susceptiva, debent esse ejusdem speciei in ratione susceptivi : hinc quia albedo lactis et nivis est ejusdem rationis, etiam nix et lac sunt ejusdem rationis in suscipienda albedine : ergo cum gratia receptibilis in Angelo sit ejusdem speciei cum ea, quæ recipitur in anima rationali, consequens est, quod sit in anima et Angelo capacitas ejusdem rationis ad recipiendam gratiam. — Constat igitur ex his animam Christi esse susceptivam tantæ gratiæ, quantam quæcumque alia substantia finita intellectualis recipere potest ; ac subinde, quod Christus non habuerit repugnantiam, ut gratiam perfectissimam obtineret : igitur summa gratia ipsi est attribuenda ; nam, inquit Doctor num. 6, « pro« babile est dicere secundum Magistrum, quod Deus tantam ei gratiam « contulerit, quantam potuit ; in commendando enim Christum malo « excedere, quam deficere a laude sibi debita, si propter ignorantiam « oporteat in alterum incidere. Confirmat per illud Augustini : *De libero « arbitrio : Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, scias hoc Deum « magis fecisse, quam non fecisse :* Videtur autem simpliciter melius « secundum rectam rationem, summam gratiam esse alicui collatam, « quam non esse collatam, quia in hoc manifestatur summa miseri« cordia Dei in dando summum bonum gratiæ sine meritis : igitur « probabile est hoc esse factum, et non in alio, quam in anima Christi : « igitur, » etc. Ita Doctor, non minus pie, quam subtiliter.

Eamdem veritatem egregie etiam suadet Doctor Seraphicus dist. 13. art. 1. q. 2. his verbis : « Si loquamur de gratia Christo collata, secun« dum quod est singularis persona in se, et sit cum dicat donum crea« tum, necessario finitum est, et mensuratum. Finitas enim, et mensu« ratio circa creaturam potius dicunt complementum, quam imperfe« ctionem. Si autem loquamur de illa in comparatione ad gratias « aliorum hominum, sic improportionabiliter excedit ratione unionis « ad personam Verbi, ad quam unionem gratia illa disposuit animam « Christi. Gratia enim illa propter conjunctionem summam cum Verbo « æterno habet excedere in infinitum, et incommensurabiliter gratias « aliorum hominum tripliciter, scilicet quantum ad virtutem habitus, « et quantum ad usus, et quantum ad effectus. *Quantum ad habitus ;* « numquam enim aliqua creatura potest tantum proficere, quod tam « nobilis, et perfecti habitus sit capax, sicut anima conjuncta Deo in « unitate personæ. *Quantum ad usus* virtutum, quia omnes virtutes « in Christo habuerunt usus, qui spectant ad perfectionem : et pro« pterea dicuntur fuisse in eo omnes sensus, quia usum habuit com« pletum omnium donorum excellentiori modo, quam umquam adhuc « pertingi posset ab aliquo. *Quantum ad effectum,* similiter improportionaliter excedit gratia Christi : quia propter hoc, quod ille homo « erat Dei Filius, meritum illius pensatur secundum dignitatem illius « personæ, a qua exit opus : et propterea meritum passionis suæ infi« nitum excedit merita passionum nostrarum : et ob hoc, quod Deus

« erat. mors ejus pensata fuit a Deo, quantus erat ille, qui moriebatur. « Et ideo quantum ad sufficientiam, si infinita millia hominum essent « reatu originali astricta, per illius passionis effectum potuissent esse « libera. »

Alii ita probant: Magis est assumi ad esse divinum, quam ad summam gratiam : sed humanitas Christi assumpta est per summam unionem ad esse divinum : ergo et ad summam gratiam possibilem. *Præterea,* natura humana Christi assumpta est ad summam unionem quantum ad esse : ergo et assumpta ad summam unionem quantum ad operari : sed summa unio quantum ad operari non est, nisi per summum habitum gratiæ, quæ est principium operandi : ergo natura humana Christi assumpta fuit ad summum habitum gratiæ.

Objicies 1. S. Augustinus, 13. *De Trinitate*, cap. 5. dicit : *Beatum esse, qui habet quidquid vult, et nihil mali vult ;* quod non intelligitur de velle actuali ; quia si aliquis Sanctus in via posset esse beatus saltem pro aliquo instanti, pro quo potest habere quidquid vult, etiam et nihil mali vellet : sed intelligitur de potentia volendi, ut scilicet habeat quidquid potest recte velle : potest autem humanitas, v. gr. recte velle habere tantam gratiam, quantæ natura ejus est capax : quia velle liberum seu rationale semper est rectum, quia conformatur voluntati, seu inclinationi naturali, quæ semper est recta : inclinatio autem naturalis Michaëlis est ad tantam gratiam quantæ natura ejus est capax : natura autem animæ Christi non est ita excellens, nec per consequens tantæ gratiæ capax : ergo de facto non habet tantam gratiam, quantam habet Michaël cum sit beatus. — **Respondet Doctor Subtilis** beatum esse, qui habet quidquid vult, hoc est, quidquid Deus vult illum velle ; Deus autem non vult voluntatem aliquam velle libere majorem gloriam, quam sit ea quam ei contulit : et ideo illa voluntas non potest aliam gloriam recte velle. *Ad probationem* respondet naturalem appetitum cujuscumque voluntatis esse ad summam gloriam ; ita quod quælibet voluntas appetat naturaliter perfici summa gloria ; attamen non est ibi tanta inclinatio naturalis ad summam gloriam, ut oppositum ejus, idest, non summa gloria, insit violenter potentiæ habenti talem inclinationem, ut contingit in inclinatione illa naturali, qua grave inclinatur naturaliter deorsum, quia oppositum ejus, scilicet non esse deorsum, vel esse sursum, violenter inest ei. Ratio est, quia illa alia inclinatio non habet principium intrinsecum necessitans ad illud, quod ipsa est, ita quod oppositum ejus non possit inesse nisi violenter : inclinatur enim ad habendam gratiam summam, et tamen potest quietari in anima, quia non habet principium intrinsecum determinans eam ad aliquem gradum determinatum. Voluntas autem libera tunc est recta non modo quando sequitur hujusmodi appetitum naturalem, sed potius quando se conformat regulæ superiori, videlicet voluntati Dei ; quæ quandoque vult voluntatem rationalem sequi appetitum naturalem, quandoque non ; voluntas vero divina vult voluntatem beatam non plus velle gloriæ, quam decreverit ei conferre, non obstante appetitu naturali, cujus operatio, seu inclinatio tunc deseritur sine tristitia, quia in patria plus incomparabiliter voluntatis est in sequendo regulam superioris, quam inclinationem appetitus naturalis.

Objicies 2. Non est ponendum plus gratiæ in anima Christi, quam

requiratur ad ejus beatitudinem: sed perfecte potest beatificari sine gratia summa. *Probatur*: inclinatio naturæ Christi potest terminari sine summa gloria: ergo sine summa gratia; nam inclinatio ejus non est summa, quia ejus natura non est summa, quemadmodum, v. g. quia aqua non est summe gravis, potest quietari in loco deorsum, qui non erit omnium infimus. — **Respondet Doctor** inclinationem posse spectari dupliciter: *vel* ex parte fundamenti, nimirum naturæ cujus est inclinatio; *vel* ex parte termini, nimirum gratiæ recipiendæ. Inclinatio ex parte fundamenti est perfectior in perfectiori natura, quam in minus perfecta, et per consequens præstantior in Angelo, quam in anima Christi, quia inclinatio naturalis non distinguitur realiter a natura, cujus est inclinatio; sicque ubi perfectior natura, ibi perfectior inclinatio ex parte fundamenti. Inclinatio autem, ut respiciens talem terminum, nempe gratiam, non est perfectior in perfectiore natura; quam in minus perfecta; quia gratia quæcumque simpliciter naturam ornat et perficit, et ideo natura Christi potuit habere inclinationem ad summam beatitudinem. In explicationem hujus rei, possunt esse duæ superficies, una duorum pedum, altera unius pedis; prior est major et perfectior in se et in ordine ad plura accidentia recipienda; tamen per respectum ad intensionem albedinis utraque est æque perfecta, quia utraque potest æque intensam, ac summam albedinem recipere.

Objicies ultimo: Summa natura non est facta: ergo nec summa gratia. *Antecedens* probatur: quacumque natura facta potest excellentior fieri. *Consequentia* probatur: quia ordo Universi magis consistit in speciebus, quam in individuis, species enim plus ornant universum, quam individua: ergo convenientius debuit fieri summa natura, quæ differt specie ab aliis naturis, quam summa gratia, quæ tantum differt munere ab aliis gratiis non summis. — **Respondet Doctor**, debuisse potius fieri summam gratiam, quam summam naturam, quia in naturæ operibus manifestatur tantum potentia, et sapientia divina: in operibus autem gratiæ bonitas, et misericordia; præstat autem misericordiam manifestari, quam potentiam. *Addo* nulla necessitate congrua Deum fuisse compulsum ad summam naturam condendam; fuisse autem motum ad summam gratiam, intuitu scilicet naturæ in tam excellenti supposito subsistentis.

Conclusio tertia. — Gratia Christi non est potestate infinita, nec augeri potest in infinitum. Hæc est Doctoris, ibidem num. 2. eamque sic

Probat: Gratia Christi non potest augeri in infinitum, si revera augmentum hoc gratiæ repugnet: at repugnat gratiam sic augeri: igitur etiam istud augmentum in infinitum repugnat gratiæ Christi. *Major* constat, quia gratia Christi non est diversæ speciei a cæteris gratiis: ergo si cæteræ gratiæ non possunt in infinitum augeri, etiam hoc non erit affirmandum de gratia Christi. *Minorem* probat Doctor, ex hypothesi, quod Deus vellet gratiam unius, aut alterius gradus intendere per additionem aliorum graduum, vel illam succrescere faciet, et augebit usque ad supremum aliquem gradum finitum, ac determinatum, ultra quem alius non erit producibilis, v. g. usque ad

octavum gradum ; vel in illo augmento non dabitur status, sed ulterius in infinitum poterit procedi. Si primum, habetur intentum, quod scilicet omnis gratia habeat determinatos gradus suæ intensionis. Si secundum, sequetur illam gratiam posse esse actu infinitam ; quia quanto magis intenderetur per additionem plurium graduum, tanto magis erit perfecta intensive : unde si fiat progressus in infinitum in illa intensione, consequens est, quod illa gratia poterit esse infinitæ intensionis : sed repugnat aliquam gratiam esse infinite intensam : ergo repugnat gratiæ augmentum fieri in infinitum.

Reponunt Adversarii, rationem illam procedere a falso supponente, nempe quod infinitum in potentia possit fieri in actu ; sicut enim in continuo data quacumque divisio fieri potest in infinitum, nec tamen sequitur, quod in continuo sunt partes actu infinitæ : ita quamvis gratia possit augeri in infinitum per additionem novorum graduum, non sequitur quod illa possit esse actu infinite intensa, quia ex eo quod aliquid sit infinitum in potentia, non sequitur quod illud possit esse infinitum in actu. — **Contra primo** urget Doctor auctoritate Philosophi 3. *Physicorum c. de infinito,* dicentis quod *quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu.* hoc est, quidquid possibile est in potentia, etiam possibile est esse actu, quod maxime verum est in formis, ut interpretatur Averroes : igitur non potest procedi in infinitum, quin pariter illa forma possit in actu esse infinita, alioqui non posset tantum esse in actu, quantum potest esse in potentia. Non est autem paritas inter intensionem gratiæ, ac divisionem continui, quia quod in divisione continui partes omnes possibiles simul non possint esse actu, ratio est aperta, quia si partes illæ omnes essent actu, sequeretur illas esse indivisibiles, quod repugnat, quia hoc est contra rationem continui divisibilis : at vero quod formæ alicujus intensibilis omnes partes simul existant, nulla apparet repugnantia : si quæ enim esset, maxime quia addito supremo et ultimo gradu illius formæ, videretur exhausta Dei potentia, et abbreviata manus Domini, si ulteriorem gradum non posset producere : sed hæc repugnantia nulla est, nam omnipotentia Dei non spectat ad illa, quæ non sunt factibilia : unde quemadmodum non est exhausta Dei potentia, licet naturæ humanæ ne quidem minimum gradum essentialem possit addere ; quia id fieri nequit absque eo, quod mutetur species humana ; sic non videtur exhausta Dei potentia, etsi nullum gradum gratiæ Christi possit superaddere, quia supponitur jam omnem possibilem gradum ei fuisse superadditum.

Probat insuper Doctor eadem ratione, qua S. Thomas nititur evincere contrarium, ex hoc principio, quod gratia est quædam participatio Dei, ex quo sic arguebat S. Thomas: Deus est infinite participabilis a creatura : ergo gratia poterit infinite intendi, ut Deus infinite participetur. At Doctor Subtilis sic arguit: participare perfectionem infinitam Dei est partem aliquam accipere illius infinitæ perfectionis : ergo partem aliquam accipere secundum determinatum gradum : nam si secundum gradum indeterminatum et infinitum, quemadmodum perfectiones divinæ sunt infinitæ, et simul se totis existunt, sequeretur etiam, quod non repugnaret aliquam creaturam habere simul infinitos gradus perfectionis ; et sic æque esse perfectam, ac Deus ipse, qui

infinitam actu perfectionem possidet, quod est absurdum : igitur licet Deus, quantum est ex se, sit infinitus, et infinitæ perfectionis, non est tamen infinite participabilis a creatura aliqua specie determinata, quia non datur aliqua creatura, quæ sit infinite participativa Dei, licet Deus sit infinite participabilis syncategorematice, hoc est, ab infinitis creaturis possibilibus, si ita sint possibiles.

Objicies 1. Illud Lucæ 2. ubi dicitur : *Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum, et homines :* quibus apparet illum suscepisse gratiæ augmentum, sicut et ætatis ; igitur quemadmodum non habebat summam ætatem, ita nec summam gratiam. — **Respondeo primo** hujus textus varias proferri explicationes; nam S. Damascenus lib. 3. *De fide,* cap. 22. duas explicationes affert : quarum *prima* est, quod profectus ille intelligendus sit de Ecclesia, non de Christo ; nam quæ membris conveniunt, interdum capiti tribuuntur. *Secunda* est, quod sit intelligendus de augmento gratiæ et sapientiæ, non interno, sed externo, nempe secundum manifestationem, quia in dies illius sapientia et sanctitas magis, ac magis coram hominibus elucebat. Ita similiter hunc textum explicat S. Athanasius, orat. 4. contra Arianos : *Augescente,* inquit, *magnitudine corporis, una crescebat in eo Deitatis manifestatio.* Verum quia dicitur crevisse non solum externa apparentia apud homines, sed etiam interno profectu apud Deum, ideo rectius censerem dicendum cum Seraphico Doctore, in cap. 2. Lucæ, profectum illum sic esse intelligendum : *vel* quod Christus magis ac magis in dies claruerit in operibus charitatis ad Deum et proximum : *vel* cum Angelico Doctore 3. par. qu. 7. art. 12. quod profectus ille sit intelligendus quoad actus et effectus; non autem quoad habitus : cujus veritatis lucidum apparet exemplum in Sole, qui licet tantam claritatem habeat mane, quantam meridie ; respectu tamen nostri, non ita videtur fulgidus mane ac meridie.

Objicies 2. Summa gratia, quam habet Christus est finita : sed quocumque finito potest dari majus : ergo illa gratia, quantumvis summa, potest dari alia perfectior. *Major* constat ex dictis. *Minor* vero probatur; quia quacumque finita creatura potest dari alia præstantior, si istud non repugnet : at non repugnat quantumvis perfecta creatura aliam dari præstantiorem creaturam. *Probatur,* quia si id repugnaret, maxime quia inde sequeretur illam creaturam esse infinitam : sed hoc non est verum : illa siquidem fieret præstantior per additionem novi gradus, quo aliam creaturam excederet : sed novus ille gradus non efficeret illam infinitam : igitur etc. — **Negat minorem Doctor**; ad cujus probationem dicit, quod illa propositio, *quacumque gratia finita potest dari major,* potest intelligi dupliciter: *Primo,* sic ut velit, quod quacumque gratia finita potest dari major per additionem alterius gradus intra eamdem speciem; et in hoc sensu negat propositionem : quando enim gratia, aut quælibet alia qualitas habet summum gradum suæ perfectionis, quantumvis sit finita, non potest reddi major : non quia hoc posito fieret infinita si ulterius gradus adderetur, sed propter incompossibilitatem ; quemadmodum albedo v. gr. addita nigredini non potest illam intendere, non quia illam efficeret infinitam, sed quia cum illa est incompossibilis : at etiam novus gradus gratiæ est incompossibilis cum summa gratia, quia inde sequeretur illam non esse sum-

mam si per novum superadditum gradum fieri posset præstantior: igitur non ratione infinitatis, sed ratione incompossibilitatis repugnat, quod novus gradus addatur summæ gratiæ.

Objicies 3. Si repugnaret gratiæ cuicumque augeri et reddi perfectior, maxime hoc esset repetendum *vel* ex natura intrinseca gratiæ, *vel* ex defectu virtutis in causa effectiva, *vel* ex defectu capacitatis in subjecto: at neutrum dici potest. Non quidem *primum*, quia illa ex se est participatio gratiæ, seu charitatis divinæ infinitæ, quæ cum possit magis et magis participari in infinitum, etiam potest participantem præstantiorem in infinitum efficere. Non etiam *secundum*, quia Deus est infinitæ virtutis, et consequenter ad infinitos effectus, et gradus producendos potest suam explicare virtutem. Non denique *tertium*, quia subjectum capax recipiendæ alicujus formæ, potest illam recipere secundum omnem suum gradum. — **Negat minorem Doctor**, et ipsasmet rationes objectionis deducit ad suppositum pro confirmanda sua sententia. *Primam* quidem, quia omnis participatio divinæ perfectionis necessario est finita, ut supra diximus; alioqui sequeretur aliquam creaturam habere posse perfectionem infinitam, et sic æque esse perfectam ac Deus, quod repugnat. *Secundam* similiter, quia Deus non potest producere gratiam, nisi vel ex nihilo ipsam creando, vel ex subjecto, si illam producat per eductionem: at neutro modo potest producere gratiam infinitam, quia omnis natura, quæ producitur ex nihilo sui, vel mediate vel immediate, necessario est limitata et finita: quia omnis perfectio illimitata est a se necessario, et consequenter nequit produci ex nihilo: igitur cum omnis gratia sit a Deo producta ex nihilo sui, vel immediate vel mediate, non potest esse infinita. *Tertiam* denique rationem etiam deducit ad oppositum: omne enim suscipiens finitum nequit habere capacitatem ad perfectionem infinitam; quia etsi suscipientis capacitas sit respectu cujuscumque gradus in forma: non tamen capacitas alicujus finiti se extendit ad formam infinitam.

Ex his colligе gratiam Christi esse de facto summam, non solum *negative*, sed etiam *positive* per respectum ad omnes gratias, quæ vel hominibus, vel Angelis fuerunt concessæ; ita ut illa omnes plane excedat gratias tam Angelorum, quam hominum: tum quia omnes illorum gratiæ a Christo velut a capite omnis Ecclesiæ, sive militantis, sive triumphantis, sive patientis, in ipsos tamquam in mystici corporis membra derivantur: at vita longe nobilius residet in capite, quam in omnibus membris: ergo gratia habitualis, quæ est principium vitæ spiritualis longe præstantior est in Christo, quam in omnibus tam hominibus, quam Angelis: tum quia omnes Angeli et homines tantum propter Christum fuerunt Deo grati: ergo ipsis Christus longe magis fuit gratus, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis; ac subinde majorem ac præstantiorem habuit gratiam: tum denique quia ei, et quidem soli, conferri debet perfectissimum et summum operandi principium, cui soli concessum est perfectissimum et summum principium essendi: atqui humanitati Christi concessum est principium et summum principium essendi, nempe esse divinum per unionem hypostaticam: igitur ei soli conferri debuit perfectissimum et summum principium operandi per gratiam: at quod uni et soli

collatum est in summo, non tantum est summum de facto negative, sed etiam positive: igitur gratia Christi de facto est positive summa.

Quæres 1: *An Christus habuerit omnem plenitudinem gratiæ sanctificantis, idque ab instanti suæ conceptionis?*

Respondet Seraphicus Doctor dist. 18. art. 1. qu. 3. quod absque dubio in Christo secundum humanam naturam ab ipsius conceptionis primordio fuit gratia perfecta, et ordinata, et consummata plenitudo; non enim decebat Verbum increatum uniri animæ perfectissima unione, qualis est unio in unitatem personæ, quin anima esset Deiformis, in quantum erat possibile. Et ideo non tantum Deiformitatem habuit gratiæ et gloriæ, sed etiam super omnem gratiam et gloriam; nec tantum fuit in eo plenitudo *sufficientiæ,* sicut in Sanctis, de qua plenitudine dicitur Act. 6. Stephanus *plenus gratia, et fortitudine;* nec tantum plenitudinem *prærogativæ,* sicut in Virgine Maria, de qua plenitudine dicitur: *Ave gratia plena;* nec tantum plenitudo *numerositatis et copiæ,* sicut in tota Ecclesia, de qua plenitudine dicitur Ephes. 4. *Ascendit super cœlos, ut adimpleret omnia:* sed etiam plenitudo *superabundantiæ,* de qua Joannis 1. *Vidimus gloriam ejus, etc.* Plenum, inquam, plenitudine superabundantiæ, propter quod subdit: *et de plenitudine ejus omnes nos accepimus. — Confirmatur* ex illo Lucæ 1. ubi Angelus Mariam alloquens ait: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quibus duo denotat: *primum* quod eodem momento, quo Christi anima habuit gratiam unionis, habuit pariter gratiam habitualem, qua formaliter sanctus erat. *Secundo,* non dixit Angelus, quod ex te nascetur *erit sanctum,* sed quod ex te *nascetur sanctum,* ut videlicet significaret Christum ab eo tempore, quo formatus est in utero Virginis, habuisse sanctitatem et gratiam habitualem. Hoc ipsum egregie probat S. Augustinus lib. 13. *De Trinit.* cap. 26. ex Prophetia Isaiæ, qua dicitur, quod super Christum requiescere deberet Spiritus sanctus: « Dominus ipse Jesus, inquit, Spiritum « sanctum non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo, pro- « pterea dictus est plenus gratia: et manifestius, de illo scriptum est « in Actibus Apostolorum: Quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto, « non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur « unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. Nec sane tunc unctus est « Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum veluti columba « descendit: tunc enim corpus suum, idest, Ecclesiam suam, præfi- « gurare dignatus, in qua præcipue baptizati accipiunt Spiritum san- « ctum; sed ista mystica et invisibili unctione tunc intelligendus est « unctus, quando Verbum Dei caro factum est, idest, quando humana « natura, sine ullis præcedentibus bonorum operum meritis, Dei Verbo « est in utero Virginis copulata, ita ut cum illo fieret una persona ». Hæc S. August.

Quæres 2: *An præter gratiam habitualem, Christus etiam opus habuerit gratia actuali, quæ est motio quædam divina a Deo concessa in ordine ad operationem supernaturalem, qua transacta operatione, non regnat?*

Respondeo *primo,* probabilius videri gratiam actualem fuisse Christo

necessariam ad operationes liberas supernaturales spectantes ad statum viatoris v. g. ad amorem Dei, vel proximi: necnon ad actus virtutum moralium obedientiæ, humilitatis, etc. *Probatur*, quia gratia actualis vel est antecedens seu excitans, vel concomitans seu adjuvans: sed hæc utraque videtur fuisse Christo necessaria, quia gratia excitans est quædam sancta cogitatio, qua nobis proponitur bonum honestum prosequendum et malum inhonestum fugiendum: similiter est subditus quidam motus voluntatis, quem excitat divinus Spiritus in ordine ad timorem vel amorem Dei: sed Christus opus habuit illa motione intellectus, qua judicaret hic et nunc esse amandum Deum vel proximum, obediendum, etc. Similiter necessum fuit, ut ejus voluntas ad illos actus moveretur, et specialem Dei concursum haberet: igitur ipsi videtur fuisse necessaria gratia actualis tum excitans tum adjuvans. *Confirmatur*, quia propter similem rationalem indigebat Christus eodem Dei concursu naturali, quo indigent cæteri homines in actibus naturalibus, non obstante illius unione ad Verbum: ergo similiter non obstante gratia unionis, et habituali, egebat insuper gratiis actualibus, quibus egere solent homines ad actus supernaturales eliciendos.

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM GRATIÆ GRATIS DATÆ FUERINT IN CHRISTO.

Notandum 1. Nomine *gratiæ gratis datæ* Theologos nihil aliud intelligere, quam donum aliquod supernaturale, principaliter institutum ad salutem et utilitatem spiritualem aliorum: seu, ut loquitur S. Thomas 2. qu. 3. art. 4. ordinatum ad hoc, quod homo cooperetur alteri, ut reducatur ad Deum; homo autem ad id cooperari nequit interius, quia cum solius Dei sit movere et regere cor hominis; sed solum exterius, vel docendo vel persuadendo. Et ideo gratias gratis datas novem numerat Apostolus 1. ad Cor. 10. dicens: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum: alii operatio virtutum: alii Prophetia: alii discretio Spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum.*

Rationem hujusce divisionis profert S. Thomas; ad hoc ut homo alium instruat in rebus divinis, tria sunt necessaria: *primo*, ut habeat divinorum plenitudinem cognitionis, ut ex hoc instruere alios possit. *Secundo*, ut possit confirmare et probare ea quæ dicit, alias ejus doctrina non esset efficax. *Tertio*, ut ea quæ concipit possit convenienter suis auditoribus proferre. Ad primum necesse est, ut principia illius scientiæ, quam docere debet, sint ei certissima, et hoc præstat gratia fidei gratis data: ut recte se habeat circa principales conclusiones, et hoc præstat sapientia; atque ut abundet exemplis et cognitione effectuum per quos interdum oportet manifestare causas, atque id præstatur per scientiam. Ad secundum requiritur, ut confirmetur vel per opera, quæ solus Deus facere potest, et ad hoc duo sunt necessaria: *primum* est gratia sanitatum, quia in confirmationem veritatis annunciatæ redditur sanitas ægris; *secundum* est operatio virtutum, qua operetur stupenda v. g. mare dividere, sistere solem; vel per manifestationem eorum, quæ soli Deo sunt cognita; et hæc duplicis sunt

generis, futura contingentia, et occulta cordium. Ad primum datur Prophetia. Ad secundum discretio spirituum. Denique ad tertium, quod est proferre auditoribus ea quæ conceperit, duo requiruntur : nimirum genera linguarum, et interpretatio sermonum : quia potest hæc facultas proferendi concepta attendi tantum quoad duo, vel quoad idioma, in quo aliquis potest intelligi, ad quod valent genera linguarum; vel quoad sensum eorum, quæ proferenda sunt, ad quod ordinatur interpretatio sermonum.

Notandum 2. In hoc maxime differre gratias gratis datas a gratia gratum faciente seu justificante, quod *gratia gratum faciens* concedatur ad utilitatem propriam recipientis, gratia autem *gratis data* ad utilitatem totius Ecclesiæ, seu alterius personæ ad Deum ordinandæ. *Insuper* gratia gratum faciens reperitur in omnibus et solis justis; est enim ratio formalis, per quam aliquis justus formaliter constituitur; gratia vero gratis data, nec in omnibus nec in solis justis reperitur. Non quidem in omnibus, quia non est necesse, quod omnes hujusmodi gratiis illustrentur, quia non competit omnibus alios dirigere et ordinare in Deum. Nec etiam in solis justis, quia gratia gratis data non est incompossibilis cum peccato; siquidem plurimi etiam gravissimi peccatores, ut Caiphas et Balaam, illustrati sunt dono Prophetiæ; hinc S. Paulus 1. ad Cor. 13. docet Prophetiam haberi posse sine charitate, quæ inseparabilis est a gratia gratum faciente. *Tertio,* tandem maxime discrepat in eo, quod gratia gratum faciens sit habitus permanens in voluntate: gratia vero gratis data non sit habitus, nec possideatur permanenter, sed tantum per modum transeuntis; quod maxime constat ex eo, quia, ut inquit Aristoteles, habitibus utimur cum volumus: at, ut docent Theologi, Prophetæ v. g. non utebantur dono Prophetiæ quoties volebant, sed dumtaxat quando Deus id gratum habebat.

Notandum 3. Fidem, quæ inter gratias gratis datas numeratur, maxime quatuor modis posse accipi: *primo,* prout idem dicit quod fidelitas, et sic spectat ad virtutes morales. *Secundo,* quatenus sumitur pro fiducia, et sic revocatur ad spem vel naturalem vel supernaturalem. *Tertio,* prout est credulitas, seu assensus rebus revelatis, et obscure propositis; et hæc, si nitatur testimonio humano, revocanda est ad fidem humanam; si vero divino, est ipsa virtus Theologica et supernaturalis. *Quarto tandem accipitur* pro certa fiducia, seu confidentia in Deum, qua quis ita credit Deo, ut sibi persuadeat se divina illius ope posse facere quodcumque conducit ad salutem aliorum; de qua fide dicitur Marci 11. *Habete fidem Dei: amen dico vobis, quia quicumque jusserit huic monti: tollere, et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.* Hoc autem postremo modo accepta fides dicitur gratia gratis data.

Conclusio unica. — Revera Christus Dominus habuit omnes gratias gratis datas. Hæc est communis inter Theologos, excepto Abulensi, qui in caput undecimum libri *Numerorum* qu. 64. negat prophetiam proprie sumptam fuisse in Christo.

Probatur conclusio: *primo,* auctoritate S. Augustini epistola 57. quæ est ad Dardanum, ubi sic ait: *Sicut in capite sunt omnes sensus,*

ita in Christo omnes gratiæ. Quam etiam veritatem colligit S. Cyrillus lib. 2. in Joann. cap. 20. ex his verbis: *De plenitudine ejus omnes accepimus;* necnon ex illo ad Ephes. 4. *Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Ex quibus locis sic licet ratiocinari: in quocumque est plenitudo omnis gratiæ, et a quo omnis et quælibet gratia redundat in alios, ille debet etiam habere omnes et singulas gratias, quæ de facto conceduntur aliquibus; alioqui non haberet totius gratiæ plenitudinem, et gratia illi data fuisset ad mensuram: at Christus habuit omnem plenitudinem gratiæ, et ab ejus plenitudine derivantur non solum gratiæ gratum facientes, sed etiam gratiæ gratis datæ, in homines, qui ipsis illustrantur: igitur eas pariter Christus habere debuit.

Probatur secundo: Christus nobis datus fuit a Deo, ut noster esset dux, Legislator, Præceptor, et Doctor fidei: igitur habere debuit id omne, quod maxime conducebat ad munus Legislatoris et Doctoris perfectissime obeundum: sed ad id maxime conferunt gratiæ gratis datæ, debuit ergo illas habere: Probatur *antecedens* ex illo Isaiæ 55. et Joelis 2. ubi de Messia dicitur: *Lætamini in Domino Deo nostro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ.* Et Joan. 13. Christus Dominus se profitetur Doctorem, cum ait discipulos alloquens: *Vos vocatis me, Magister, et Domine, et bene dicitis, sum etenim.* Subsumptum autem apparet ex primo Notabili; inde enim constat singulas gratias gratis datas perfectissime conferre ad exequendum munus Doctoris justitiæ et beatitudinis æternæ.

Probatur tertio: Singulas illarum gratiarum species sigillatim expendendo: *Primo* quidem de *fide* id constat, hæc enim sumitur *vel* quatenus significat rerum fidei singularem et excellentem cum certitudine cognitionem, *vel* facilitatem et promptitudinem ad res fidei accommodate proponendas, *vel* denique fervorem fidei, et fiduciam specialem impetrandi ac patrandi miracula: sed quovis modo sumatur illa fides perfectissime fuit in Christo; habuit etenim omnium fidei mysteriorum excellentissimam cognitionem, summamque facilitatem illa revelandi et explicandi. Hinc ajebat Matthæi 11. *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare;* et Apostolis dicebat Joann. 15. *Omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis.* Similiter summam habuit in Deum fiduciam ab eo obtinendi et patrandi miracula: hinc Joann. 11. ajebat, cum esset Lazarum resuscitaturus: *Gratias ago tibi, quia audisti me, ego autem sciebam, quia semper me audis.* — *De Sapientia* itidem constat, quia ipsa nihil aliud est, quam perfecta mysteriorum fidei cognitio, qua conclusiones ex illis mysteriis per causas altissimas deducimus, et aliis facile explicamus. Fuisse autem in Christo patet ex Lucæ 2. quia sedit in medio Doctorum, ubi enim nostra lectio habet, *Stupebant super prudentia ejus,* Græca habet *super intelligentia;* qua acutissime et facillime profunda fidei et sacræ Scripturæ mysteria eis explicabat. Item ex Matt. 22. ubi futuram resurrectionem contra Saducæos, et suam divinitatem contra Pharisæos, sapientissime ostendit. — Idem constat de *Scientia,* quæ nihil aliud est, quam rerum creatarum, ut virtutum v. g. et vitiorum cognitio, et peritia deducendi conclusiones ex ejusmodi rebus, easque aliis proponendi: Christum autem id habuisse constat, tum ex plenitudine scientiæ tam

infusæ, quam beatæ, quam habebat, ut sequenti parte dicemus: tum ex eo, quod docuit obediendum esse Magistratui, Parentes esse honorandos, et alia præcepta ad Philosophiam morum spectantia, additis etiam similitudinibus ex rebus naturalibus desumptis, ut patet ex innumeris ejus parabolis. — De *gratia sanitatum*, et *gratia virtutum*, probatur similiter, quia illæ nihil sunt aliud, quam donum, quo redditur sanitas ægroto, et exercetur opus miraculosum, idest insolitum et excedens naturæ ordinem: Christum vero sanasse ægrotos, et miracula fecisse, clarius est, quam probatione indigeat. — De *interpretatione sermonum* probatur, quia illa nihil aliud est, quam peritia explicandi osbcuros et reconditos sensus Scripturæ sacræ, vel in alieno idiomate: Christum autem id præstitisse constat præsertim ex illis omnibus testimoniis, quibus contra Pharisæos probat per testimonia Veteris Testamenti suam divinitatem, æternitatem, et consubstantialitatem cum Patre, præsertim ex eo, quando David vocat eum Dominum dicens: *Dixit Dominus Domino meo, etc.* Nam hæc verba proferebat Hebraice, et profundissime interpretabatur de seipso, cui Pater divinus in Ascensione dicturus erat: *Sede a dextris meis.* — Hinc patet etiam habuisse *donum linguarum*, tum quia ex vi scientiæ infusæ et scientiæ beatæ rerum omnium, quas videbat in Verbo, notitiam illarum habuit: tum quia habebat etiam potestatem utendi illis cum volebat, quia ad hoc erat illi facultas expeditissima, et organum perfectissimum: deinde erat Doctor universalis, et ad eum spectabat unumquemque docere de propria salute; quapropter erat conveniens, ut linguis omnium loqueretur. Licet itaque non legatur expresse ipsum fuisse variis linguis locutum; communiter tamen deducitur satis evidenter ex multis Novi Testamenti testimoniis; constat enim primo locutum fuisse Hebraice in cruce, cum dixit, *eloi, eloi, Lama sabacthani;* locutum fuisse Punice, uti mulieri Chananeæ, et Latine Romanis, cum quibus versabatur Hierosolymis. — *De discretione spirituum* patet, quia ea nihil aliud est, quam cognitio, qua dijudicatur, et penetratur, quo spiritu quis impellatur ad aliquid dicendum vel faciendum; fuisse enim in Christo, constat ex illo Matt. 22. ubi indicavit Pharisæos proposuisse ei quæstionem de censu reddendo Cæsari, ut illum caperent in sermone, et quærimoniam Judæ ob perditionem unguenti effusi fuisse ex avaritia et affectu latrocinii. — Probatur tandem de *dono Prophetiæ*, quia Deuter. 18. Christus prædicitur et exprimitur nomine Prophetæ, *Prophetam*, ait Moyses, *suscitabit Domino de medio fratrum tuorum:* quem locum explicat de Christo S. Petrus cap. 3. et S. Ambrosius serm. 8. in Psalm. 18. circa id, *Particeps ego sum; habet*, inquit, *Christus participes suos, habet participes carnis, habet et Prophetiæ, quia Prophetam*, inquit, *suscitabit vobis Dominus*, etc. Et infra: *Ipse est verus Propheta, qui sine alterius munere futura cognoscit.*

Tandem ratione probatur: Esse Prophetam nihil aliud est, quam supernaturali cognitione intelligere ea, quæ distant ab ordinaria viatorum cognitione, eaque hominibus annunciare: at Christus supernaturali cognitione multa ejusmodi intellexit, et hominibus annunciavit, ut futurum excidium Hierosolymitanum, se tertia die resurrecturum, et multa alia, ut constat ex Evangelio: igitur Christus vere fuit Propheta.

Objicit Abulensis contra hoc ultimum gratiarum donum: *primo*,

Joann. Baptista fuit plusquam Propheta: ergo multo magis Christus, ac subinde non habuit donum Prophetiæ, sed aliquod aliud longe præstantius. *Secundo,* de ratione Prophetiæ est. quod res revelata non sit nota Prophetæ nisi dumtaxat sub involucris et in ænigmate: at in Christo nihil fuit obscurum, nihil divinæ ejus cognitioni abstrusum, et impervium. *Tertio,* nihil quod evacuandum fuit, in Christo extitit, quia evacuatio dicit imperfectionem: sed ex Apostolo 1. ad Cor. 13. *Prophetiæ evacuabuntur:* igitur Prophetiæ donum in Christo non extitit. *Denique,* si Christus fuisset Propheta, maxime vel ut Deus, vel ut homo: at non ut Deus, ut per se notum est: neque etiam ut homo: quia ut sic fuit beatus: beati autem non sunt Prophetæ: igitur, etc. — **Respondeo ad primum,** S. Joan. Baptistam dici plusquam Prophetam, non per exclusionem, sed per præcellentiam: ita quod præstantiori Prophetiæ dono, quam cæteri Prophetæ, fuerit illustratus. Hinc de eo vaticinatur ejus Pater S. Zacharias: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis.* Unde particula illa, *plusquam Propheta,* non est exclusiva doni Prophetiæ, sed significativa prærogativæ cujusdam ipsius S. Joan. Baptistæ supra cæteros Prophetas, quæ in eo maxime consistebat, quod non ut cæteri Prophetæ denuntiaverit Christum obscure et procul, sed aperte ipsum cognoverit et manifestum fecerit, eum digito demonstrando. *Ad secundum* dico, quod licet res revelatæ ut plurimum non apertæ fuerint Prophetis, sed abditæ, hoc fuit per accidens ad Prophetiæ donum, ad quod præcise spectat percipere, et annunciare ea, quæ naturalem hominum captum et notitiam excedunt, sive illa sint præterita, sive præsentia, sive futura: hoc autem perfectissime habuit Christus Dominus, ut constat ex iis omnibus quæ futura denunciavit. *Ad tertium* dico, Prophetiam fore evacuandam, ratione scilicet obscuritatis, quam ordinarie includit, quia incompatibilis est cum visione beatifica: in Christo autem Prophetia nullam obscuritatem involvebat; unde non erat, cur ab ipso evacuaretur. Vel dico Apostolum significare Prophetiam evacuandam, sicut ibidem dicit scientiam esse destruendam, non quantum ad habitum, sed quantum ad effectum instructionis aliorum, quia scilicet in altera vita nulli supererunt edocendi. *Ad quartum* denique respondeo, Christum fuisse Prophetam ut hominem. Nec refert, quod fuerit beatus, quia fuit simul Viator et Comprehensor; unde utriusque status præcellentias sibi vindicare potuit. Nec valet inferre exinde, quod Christus tantum extrinsece, et ratione dumtaxat status fuerit Propheta: istud enim negabo, quia licet illa cognitio sit Prophetica extrinsece ratione status; tamen Christus intrinsece erat Propheta ratione cognitionis prædictæ intrinsece inhærentis.

Hic autem *adverte,* quod licet in reliquis Prophetis Prophetia sit ad modum actus cito transeuntis, tamen fuit in Christo per modum habitus jugiter perseverantis, quo perfectissime omnia præterita, præsentia, et futura cognoscebat, ut significat S. Hieronymus, Epistola 125. ad Damasum *De tribus quæstionibus sacræ Scripturæ,* in quæstione tertia, quia erat ipse habitus scientiæ infusæ, et ipse habitus luminis gloriæ, per quos omnia clare cognoscebat. Idem ferendum judicium de cæteris gratiis, sapientia, scientia, fide, discretione spirituum; non vero de gratia miraculorum, et sanitatum, et dono linguarum.

SECTIO SECUNDA.

DE VIRTUTIBUS ANIMÆ CHRISTI, ET DONIS SPIRITUS SANCTI.

Triplex genus virtutum solito distingunt Theologi; aliæ enim dicuntur *Intellectuales*, aliæ *Morales*, aliæ *Theologicæ:* primæ intellectum illustrant: secundæ exornant voluntatem: tertiæ vero ad utriusque facultatis ornatum et operationem spectant. De intellectualibus fiet sermo in Sectione sequenti, ubi examinabimus Christi Domini intellectus virtutes et præcellentias, nempe sapientiæ ac scientiæ illius plenitudinem: impræsentiarum autem agendum est de virtutibus Theologicis et Moralibus, ad quas cum spectent etiam dona Spiritus sancti, resolvemus pariter, an illa omnia, quæ justis concedi solent, etiam Christo fuerint concessa: totum autem negotium istud tribus sequentibus Quæstionibus absolvetur.

QUÆSTIO PRIMA.

AN CHRISTUS HABUERIT OMNES VIRTUTES THEOLOGICAS.

Notandum 1. Virtutem *Theologicam* appellari, quæ immediate hominem ordinat circa Deum supernaturaliter attingendum per actus omnem naturæ captum transcendentes. Tres autem præsertim assignantur, scilicet Fides, Spes, et Charitas, quarum aliquæ imperfectionem quamdam involvunt, ut fides, spes: *Fides* namque cum sit argumentum non apparentium, obscuritatem et inevidentiam importat: *Spes* vero absentiam rei speratæ: *Charitas* vero cum ex se nullum defectum dicat, nec distinguatur a gratia sanctificante, ut cum Subtili Doctore docebimus in *Tractatu de Gratia*, vel saltem ad eam sit necessario consequens, ut volunt Thomistæ, haud dubium est illam fuisse in Christo Domino, de quo pariter conveniunt omnes Theologi; de fide vero et spe non ita consentiunt.

Notandum 2. Fidem et spem duobus modis posse spectari, scilicet, vel quoad actum, vel quoad habitum. *Quoad actum* quidem, quatenus nempe est actualis attingentia ipsius Dei, vel cogniti ab intellectu per fidem, vel ut certo expectati, et nondum possessi, per spem: *quoad habitum* vero, qui est supernaturalis qualitas jugiter in anima perseverans, qua inclinatur, et juvatur ad actus fidei, vel spei supernaturalis exercendos. Quamquam autem omnes Theologi conveniant fidem, et spem quantum ad actum non fuisse in Christo penes principale objectum illarum virtutum, scilicet Deum ipsum possidendum et videndum, quia Christus ab instanti suæ conceptionis, ut probabitur infra, jucundissima Dei fruitione per visionem et amorem potiebatur; tamen aliqui cum Durando contendunt, illas in Christo extitisse quantum ad habitum; imo etiam volunt aliqui cum Suarez in explicatione art. 4. q. 7. spem in Christo fuisse quantum ad actum, et habitum, quo Christus adhuc mortalis desideravit beatitudinem sui corporis, item et sui nominis exaltationem. Duplex enim distinguitur objectum spei, scilicet primarium et secundarium. *Objectum primarium* est quod per se speratur, ut beatitudo objectiva nempe Deus possidendus: *objectum* vero *secundarium* sunt aliqua bona corporis

vel animæ, quæ beatitudinem ipsam consequuntur, et consequenter possunt esse objectum spei, quales poterant esse in Christo nominis exaltatio, et corporis glorificatio.

Notandum 3. Duos ad fidem motus et actus requiri, alterum in intellectu, alterum in voluntate. Actus in intellectu est ipsemet assensus fidei elicitus ab intellectu, qui assentitur rebus revelatis; actus prærequisitus ex parte voluntatis est motio aliqua voluntatis imperantis intellectui, ut assensum præbeat objectis revelatis, licet obscure propositis, non obstante illius naturali inclinatione ad præbendum assensum dumtaxat rebus evidentibus. Quam utique motionem aliqui *voluntatis imperium* appellant, ut Theologi communiter; alii *piam voluntatis affectionem,* ut plerique Recentiores; aliqui *affectum credulitatis,* ut Patres Concilii Arausicani Canone 3. Apostolus vero ad Rom. 10. appellat obedientiam, cum ait: *Non omnes obediunt Evangelio,* quasi diceret: non omnes habent affectum, seu voluntatem credendi Evangelio. Porro hujusmodi voluntatis motionem ad actum fidei eliciendum ab intellectu, idcirco in nobis esse necessariam colligunt Theologi, quod cum sit objectum fidei inevidens et obscurum, non est per se sufficiens ad movendum intellectum, ut ipsi assensum præbeat, idcirco oportet, ut intellectus moveatur a voluntate, et ab ipsa veluti captivetur in obsequium fidei, ut loquitur S. Paulus.

His ita præmissis, tria veniunt in præsenti Quæstione statuenda: *Primum,* quod in Christi intellectu non fuerit fides, neque quoad actum, neque quoad habitum. *Secundum,* quod nec in ejus voluntate fuerit pia affectio, qua illa moveret intellectum ad assensum fidei. *Tertium,* quod similiter non fuerit in Christo spes Theologica, neque quoad actum, neque quoad habitum, tam circa objectum primarium, quam circa secundarium.

Conclusio prima. — Fides Theologica neque quoad actum neque quoad habitum fuit in Christo Domino.

Probatur primo: Quidquid intrinsece dicit imperfectionem, et oppositionem cum statu beatifico et cum clara Dei visione, non fuit in Christo: at fides infusa, tam quoad actum, quam quoad habitum, dicit imperfectionem, et oppositionem cum visione beatifica: igitur in Christo non est admittenda. *Major* constat; quia Christus fuit beatus ab instanti suæ conceptionis, ac subinde claram Dei visionem habebat, et consequenter ei repugnabat id omne quod erat oppositum statui beatitudinis, et illi intuitivæ Dei visioni. *Minor* etiam probatur: quia fides est per se cognitio inevidens, et assensus rei obscure propositæ, unde istud vulgare: *Fides est credere, quod non vides;* quocirca S. Paulus ad Hebræos 11. dicit: *Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium:* quod autem obscurum est, et inevidens, directe pugnat cum cognitione evidenti, et intuitiva: igitur, etc. *Deinde,* cognitio ænigmatica pugnat cum cognitione intuitiva: sed cognitio fidei est ænigmatica; cognitio vero beatifica est facialis et intuitiva; hinc Apostolus 1. ad Cor. 13. *Videmus nunc per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* igitur, etc. *Denique,* illud quod tantum est ex parte in viatoribus, et evacuandum in beatis, non fuit in Christo, quia beatus erat ab instanti con-

ceptionis: at quod cognoscitur per fidem evacuandam est in patria, ut ibidem docet Apostolus, dicens: *Cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est:* igitur fides non potuit esse in Christo.

Objicies 1. Illud Isaiæ 11. ubi Propheta delineans futuras Christi Domini virtutes, ait: *Erit fides cinctorium renum ejus:* ergo revera Christus habuit fidem. — **Distinguo**: habuit fidem, quæ est assensus supernaturalis rebus obscure divinitus propositis, nego; habuit fidem, quæ est fidelitas et veracitas in promissis, concedo. Propheta autem nomine fidei nil aliud significat, quam istam fidelitatem, ut ad illum locum observat S. Hieronymus: quæ virtus cum sit moralis, et dicat perfectionem sine imperfectione, quia importat conformitatem factorum ad verba et promissa, idcirco illa potuit esse in Christo.

Objicies 2. Fides est perfectior virtutibus moralibus: sed in Christo sunt virtutes morales, ut videbimus: ergo et fides; nam quo virtus est perfectior, eo potius videtur esse ponenda in Christo. — **Respondeo**, non quamcumque nobilitatem facere, ut virtus aliqua sit in Christo, sed eam, quæ sibi nullam annexam habet imperfectionem, aut oppositionem ad statum Christi: virtutes autem morales nec imperfectionem, aut oppositionem habent cum statu Christi; fides vero habet, ut dictum est: ergo tametsi perfectior sit virtutibus moralibus ex objecto, tamen propter istam imperfectionem, et oppositionem cum statu Christi, in eo ponenda non est.

Objicies 3. Etiamsi in Christo Domino non sint divitiæ, seu magni sumptus, circa quos occupatur magnificentia, non desinit tamen virtus magnificentiæ in eo locum habere: ergo a pari licet non sit respectu Christi Domini objectum fidei, quod est res divina non visa, non ideo tamen est negandum esse in ipso fidem Theologicam. — **Respondeo** negando *consequentiam:* siquidem in Christo Domino fuit magnificentia, licet ei defuerint opes, quia opes et sumptus magni sunt tantum objectum materiale istius virtutis, cum objectum formale sit modus servandus in opum distributione, atque in sumptibus faciendis; et si deficit aliquid sub ratione materiæ, non propterea oportet deficere habitum, sed tantum si deficit sub ratione formali objecti: non deficit vero in Christo ratio formalis objecti magnificentiæ, scilicet modus, quo sunt opes distribuendæ, ac sumptus faciendi. At vero in Christo Domino non reperitur ratio formalis fidei, nimirum res divina, ut non visa formaliter. Sic opposita penitus est ratio magnificentiæ, et fidei in Christo; quippe magnificentiæ objectum materiale respectu illius deest, nimirum opes, et sumptus faciendi, sed non deest objectum formale, nimirum modus, sub quo sunt opes distribuendæ, ac sumptus faciendi; fidei e contra objectum materiale non deest in Christo; nam objectum materiale fidei sunt res credendæ: est autem in intellectu ipsius Trinitas, Incarnatio, etc.; sed deest objectum formale, quia non est in eo Trinitas, ut non visa, Incarnatio ut obscure cognita, sed ut clare visa, atque intuitive cognita.

Conclusio secunda. — Non fuit in Christo Domino pia voluntatis affectio et motio per quam intellectus captivatur in obsequium fidei, et moveturad assentiendum veritatibus a Deo obscure revelatis.

Probatur: Medium sequitur rationem finis, et necessariam conditionem sui principalis: sed pia hæc voluntatis affectio est medium ad fidei actum, et habitum tamquam ad finem, et ordinatur ad illam ut accessorium ad principale: ergo qua ratione non admittitur in Christo fides, neque etiam in ipso asserenda est pia hæc voluntatis affectio. — *Confirmatur:* ubi aliquid ita subordinatur alteri, ut sit dumtaxat in illius subsidium, et ut ei deserviat, tunc si illud cui subordinatur absit penitus, neque etiam potest subsidium istud reperiri, alioqui esset frustraneum: at hæc pia voluntatis affectio ita subordinatur fidei infusæ, ut dumtaxat admittatur ut determinet intellectum ad credendum rebus revelatis: igitur non est in Christi voluntate asserenda.

Dices: Christus in se habet potentiam generativam et nutritivam, quæ ordinantur ad ipsius vitæ conservationem, eumque inclinant ad exercendos actus, qui nusquam erunt nec esse possunt in Christo pro eo statu, in quo nunc est: ergo pariter in ipso potest esse illa pia voluntatis affectio, quamvis ipsum inclinet ad actus fidei, quos propter repugnantiam status numquam eliciet. — **Nego paritatem**, longe enim dispar est ratio, quia virtutes generativæ et nutritivæ, quatenus considerantur in actu primo, nullam dicunt imperfectionem, nec privant Christum aliquo bono sibi intrinseco et suo statui conveniente, sicut ipsa fides, quæ cum intrinsece importet obscuritatem, privaret Christum intuitiva Dei visione. *Adde quod* virtutes illæ, et potentiæ pertinent ad naturæ humanæ integritatem, unde non sunt in Christo frustraneæ.

Dices 2: Fides fuit in Christo secundum meritum, ut docent plurimi Theologi cum S. Thoma 3. p. q. 7. art. 3. ad 2: sed istud meritum fidei consistit in illa pia affectione voluntatis moventis intellectum ad assensum fidei: igitur illa motio fuit in voluntate Christi. — **Distinguo minorem**: fuit virtualiter, quatenus voluntas Christi parata erat in omnibus perfectissime Deo obedire; ita quod etiam obediret Deo revelanti, et obscure proponenti veritates per fidem credendas, si aliunde illas clare et intuitive non videret, concedo: fuit actu, et formaliter, ita quod habuerit actuale fidei meritum propter illam motionem voluntatis, nego. Ad istud autem meritum virtuale non requiritur illa pia motio voluntatis, sed sufficit optima dispositio et promptitudo in voluntate ad obediendum fidei, si status permitteret; quam utique dispositionem velut in actu primo in Christo fuisse non inficior.

Conclusio tertia. — Spes non fuit in Christo, nec quoad actum, nec quoad habitum, tam circa objectum primarium, quam circa secundarium. Hæc Conclusio tribus partibus constat: quarum

Probatur prima, nempe quod illa virtus non fuerit in Christo quoad actum, quia quod possidetur, sperari non potest, juxta illud Rom. 8. *Spes autem, quæ videtur, non est spes,* idest, spes non est eorum, quæ habentur et possidentur, nemo enim sperat quod jam habet: atqui Christus a primo instanti suæ conceptionis fruebatur Deo tamquam summo bono, ut videbimus: ergo Deum sperare non potuit, seu erga Deum spei actum exercere. Explicatur vis hujus rationis: spes est quidam motus animi in id quod non habet: ergo sicut adepto termino cessat motus, ita etiam obtenta beatitudine cessat actus spei in Beatis, qualis fuit Christus a primo instanti suæ conceptionis.

Quod etiam non fuerit quoad habitum, patet, nam intrinsece, et realiter includit imperfectionem respectu Christi, scilicet inclinare voluntatem in actu primo in Deum summum ejus bonum, tamquam absens, et non possessum: status autem Christi talis fuit, ut semper Deum clare viderit; unde non præcise removetur iste habitus a Christo quia otiosus et superfluus esset, sed quod in eo arguat imperfectionem, et aliquam includat repugnantiam cum statu ejus, nimirum absentiam objecti, quod anima Christi semper præsens habuit.

Non fuit etiam spes in Christo circa objecta secundaria, puta sui corporis glorificationem. *Probatur:* ubi abest realis ratio specificativa alicujus habitus, ibi penitus abest habitus correspondens: atqui realis ratio specificativa habitus spei virtutis Theologicæ abest a Christo: ergo et habitus spei; nec ex consequenti habuit illum in ordine ad objecta secundaria. *Major* patet, quia nihil potest esse sine suo reali constitutivo. *Minor* probatur: realis ratio specificativa habitus spei virtutis Theologicæ est ipse Deus ut fruendus et possidendus, quia habitus specificantur per ordinem ad proprium et reale objectum; Deus autem ut possidendus et fruendus est proprium objectum spei: atqui hæc ratio Dei, ut objecti possidendi et fruendi, semper penitus abfuit a Christo, quia semper fuit beatus: ergo semper penitus abfuit a Christo habitus spei etiam quoad objecta secundaria. — *Confirmatur* hæc ratio: habitus tantum inclinat potentiam ad objecta secundaria, mediante, et præsupposita inclinatione ad primarium suum objectum; quia objecta secundaria sunt velut participationes vel appendices ad objecta primaria: ergo ubicumque non datur inclinatio ad primarium et specificans objectum, sicut in Christo respectu spei, etiam non dabitur inclinatio ad secundarium objectum. — *Præterea,* ad rationem spei requiritur, ut objectum non tantum sit arduum, sed etiam habeat aliquam incertitudinem, contingentiam, et fallibilitatem: atqui gloria corporis non fuit Christo difficilis et ardua, etiam spectata quoad modum conjungendi illam Christo, nec etiam fuit illi contingens et fallibilis: igitur Christus spem non habuit. *Major* suadetur exemplo: nemo enim v. g. sperare dicitur ortum solis die sequenti futurum, quia hoc est necessarium et infallibile, et nullo modo arduum. *Probatur* deinde ex eo, quod spes ita versetur circa difficile, ut tamen juxta modum, quo circa illud sese occupat, distinguatur ab audacia et fortitudine: at audacia et fortitudo versantur circa illud, ut est simpliciter difficile: ergo spes circa illud idem versatur quatenus habet aliquam incertitudinem et contingentiam, ita ut ad corroborandam voluntatem detur ei spes; quæ propterea a quibusdam solet timori comparari, in hoc quod utrumque sint de objecto non omnino certo, sed fallibili ex se. *Minor* duas habet partes: prior est gloriam corporis fuisse Christo infallibilem et certissimam: posterior est, non fuisse difficile Christo illam habere. *Probatur itaque prior;* quia si inter aliqua duo est naturalis quædam circumincessio et habitudo, uno obtento certum est alterum futurum: at est naturalis connexio inter gloriam animæ et gloriam corporis, imo tanta ut posita gloria in anima, necessario sequatur in corpore; saltem ab anima non separato, nisi speciali dispensatione impediatur, ut factum est in Christo: ergo gloria corporis fuit illi certa et infallibilis. *Probatur etiam posterior:* diffi-

cultas, quæ ad virtutem spei requiritur, et quæ consistit in objecto spei conjungendo cum ipso sperante, provenire debet ex conditione istiusmet objecti, et non ex mera libertate sperantis, quæ veluti compedes injiciat sibi, ne bonum alias sibi debitum facile obtineat: atqui gloriam obtinendi corporis difficultas in Christo fuit tantum ex mera voluntate ejus, qua statuit illam non aliter consequi, quam moriendo pro nobis. *Major* confirmatur; quia alias quodcumque bonum absens, etiam ex natura sua facillimum, posset esse objectum spei nostræ, cum liberum sit cuilibet impedimenta ad illud obtinendum sibi procurare, ipsa tamen bona communiter sperari non dicunt. *Minor* vero probatur ex ipso Christi Domini transfigurationis mysterio: in eo siquidem pro sua libertate ac beneplacito ex pluribus dotibus corporis gloriosi permisit solum claritatem manifestari: igitur cum Christus æque fuerit liber circa cæteras dotes ac circa glorificationem, quemadmodum ex beneplacito et mera voluntate sua, impedivit, ne in sua transfiguratione cætera apparerent, ita etiam penes ejus libertatem fuit omnes illas dotes corporis gloriosi quoad meritum, et redemptionem generis humani impedire, ne resultarent et redundarent ex beatitudine animæ in suum corpus.

Reponit Suarez, quod ad rationem spei non desideretur incertitudo et fallibilitas, quia, inquit, si id esset necessarium, sequeretur, quod in viatoribus confirmatis in gratia non esset amplius spes, cum illi sint securi de sua salute. — **Verum respondeo**, gloriam sive corporis sive animæ duobus modis dici posse necessariam et inevitabilem: *primo* quidem ex natura sua, quando scilicet ipse sperans habet in se necessarium principium illius gloriæ. *Secundo*, per accidens, quando principium illius gloriæ efficiendæ, quod est in ipso expectante et sperante, est quidem natura sua fallibile; de facto tamen, ratione alterius extrinseci superadditi, dicitur certo futurum id quod speratur; sicut homo justus habet gratiam, per quam potest obtinere gloriam, in qua gratia contingenter moritur, quia potuit in illa non mori, per accidens tamen, quatenus Deus illum speciali auxilio protegit, infallibiliter in illa moritur. Porro *prima inevitabilitas* et necessitas tollit ab objecto spei difficultatem et contingentiam illi propriam, quia tunc bonum expectatum conjungitur, et inevitabiliter et necessario ipsi expectanti, quia ad positionem illius quasi naturaliter sequitur, ut effectus a sua causa. *Secunda vero inevitabilitas* et necessitas non aufert ab objecto spei difficultatem et contingentiam illi propriam, ut patet in adultis justis morientibus in statu gratiæ, qui infallibiliter consequuntur gloriam, nihilominus illa consecutio dicitur contingens, quia possent non mori in statu gratiæ sanctificantis. Unde cum in gratia confirmatis statum suum ex speciali revelatione cognoscentibus reperiatur tantum illa secunda inevitabilitas per accidens, hinc est, quod in ipsis semper permaneat habitus spei. *Cæterum* in Christo fuit prior inevitabilitas respectu gloriæ corporis; siquidem ratione gloriæ animæ suæ beatæ habuit internum principium gloriæ corporis assequendæ, quippe gloria animæ, nisi per miraculum præpediatur, in ipsum corpus redundat.

Objicies illa verba Psalmi 17. *Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum;* quæ verba S. Apostolus explicat de Christo: ergo revera

Christus habuit spem. — **Respondeo**, ibi verbum *sperandi* non sumi pro actu spei, sed pro confidentia, qua quis confidit alteri suam salutem, unde etiam Apostolus non utitur verbo *sperandi;* nam ubi David dicit *sperabo in eum,* ipse scribit *ero fidens in eum.* Itaque potuit equidem esse desiderium aliquod in Christo respectu gloriæ corporis consequendæ, non vero spes proprie dicta: istud namque desiderium oriri potuit ex summa charitate in Deum, propter quem gloriam proprie corporis desiderabat.

Ex his colligo similiter virtutem pœnitentiæ non fuisse in Christo, quatenus illius actus primarius et specificativus est vel dolor peccati ex motivo emendationis; vel intentio expiandi debiti; etenim habitus non potest esse in subjecto, cui ab intrinseco repugnat actus illius primarius: sed humanitati Christi, ratione illius unionis ad Verbum, et plenitudinis ab intrinseco, repugnat objectum specificans actum primarium pœnitentiæ, nempe peccatum proprium pœnitentis, ut expiabile, vel emendabile, et consequenter etiam ipsi repugnat ille habitus pœnitentiæ. Si vero pœnitentia accipiatur pro ipsa virtute religionis, obedientiæ, vel charitatis, quæ etiam ex se militant in peccatum, et illud expiandum ac destruendum aggrediuntur, non inficior hac ratione virtutem pœnitentiæ in Christo extitisse.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN ET QUALITER VIRTUTES MORALES FUERINT IN CHRISTO.

Notandum 1. Nomine *virtutis moralis* hic intelligi omnem habitum electivum in medietate consistentem quoad nos, prout vir prudens definierit; cujus definitionis particulas luculenter explicatas habes in nostra Philosophia morali. Dicitur autem *moralis,* quia actus humanos, hominumque mores informat. Sunt autem quatuor principes virtutes morales, quarum tres dicuntur *appetitivæ,* quia in rationali appetitu resident et ordinantur ad regulandam voluntatem: illæ autem sunt Justitia, et Fortitudo, et Temperantia; et una *intellectualis,* nempe Prudentia, quæ hominum mentes illustrat, et dirigit in suis actibus recte debiteque eliciendis et componendis. Dicitur autem hæc virtus moralis, non quod ipsa in voluntate resideat, et eam immediate dirigat, sed quia intellectum ordinat ad moderandos et regulandos ipsius voluntatis actus liberos et studiosos, estque adeo necessaria, ut ea absente cæteræ virtutes futile et inane sibi nomen vindicent. Hæ autem quatuor virtutes vulgo dicuntur *Cardinales,* comparatione sumpta a cardinibus januæ. Quemadmodum enim janua cardine vertitur, sic universa vitæ nostræ moralis conversatio his virtutibus, quasi cardinibus, ad honestatem volvitur. Dicuntur etiam *principes,* quia ad ipsas omnes aliæ ordinantur. *Addo insuper* virtutum moralium alias esse, quæ nullam imperfectionem includunt, vel connotant in habente illas, ut sunt Fortitudo, et Justitia: alias vero, quæ aliquam imperfectionem includunt, et connotant, ut Continentia, qua scilicet præsentibus concupiscentiis homo cum difficultate resistit.

Notandum 2. Virtutes morales spectari posse in triplici statu, nimirum imperfecto, perfecto, et heroico, seu superexcellenti. In statu

imperfecto non est proprie virtus, sed dispositio quædam, quam nata est sequi virtus perfecta; vel est virtus dumtaxat inchoata, seu remissa. In statu *perfecto* est virtus intenta quidem et firma, sed quæ versatur tantum circa propriam materiam, ut Temperantia circa frænandas ac moderandas corporis et animi voluptates. In statu vero *superexcellenti* et *heroico*, dum extra proprium objectum sese extendit, ut Temperantia moderans voluptates etiam proposito mortis periculo; qua ratione videtur extendi ad Fortitudinem, seu strictissimam fœderationem, arctumque vinculum, cum ipsa virtute Fortitudinis contraxisse. Difficultas autem est, quonam ex illis statibus in Christo extiterint.

Notandum 3. Quod etsi morales virtutes humano studio comparentur, nihilominus etiam divinitus possunt infundi, quemadmodum et Theologicæ; cum hoc tamen discrimine, quod virtutes Theologicæ infundantur per se et necessario, quia nullis naturæ viribus, nulloque hominum labore ac studio possunt obtineri: morales autem dicuntur infundi dumtaxat per accidens, quia licet ex hominum industria, et exercitatione comparari queant, tamen citra omne hominis studium divinitus possunt ex summa Dei liberalitate in animam infundi: non quidem ea solum ratione, qua ordinantur ad finem supernaturalem, puta cum illæ virtutes hominem ordinant ad operandum ex motivo charitatis, et propter Dei gloriam, sed etiam cum referuntur ad finem naturalem; puta cum eliciunt suos actus ex motivo pacis publicæ, et propter honestatem humanam. Non enim possum probare quorumdam Modernorum sententiam, qui volunt virtutes morales posse solum infundi divinitus, quatenus ordinant hominem ad finem supernaturalem, et eum movent ad operandum ex motivo charitatis. Enimvero si virtutes morales, quatenus infusæ, per hoc distinguerentur a seipsis, quatenus acquisitæ, sequeretur neminem per virtutem moralem acquisitam elicere posse actum studiosum in ordine ad finem supernaturalem, et ex motivo charitatis, quod est aperte falsum.

Tria igitur hac in Quæstione sunt statuenda: *Primum*, an revera Christus habuerit omnes virtutes morales. *Secundum*, an illas habuerit in statu perfecto et heroico. *Tertium*, an eas obtinuerit proprio studio, an vero per infusionem, idque ab instanti suæ conceptionis.

Conclusio prima. — Omnes virtutes morales, quæ nullam imperfectionem includunt et connotant revera fuerunt in Christo.

Probatur *primo*, Nulla perfectio, etiam naturalis aut moralis, debuit deesse Christo: at virtutes morales sunt maximæ perfectiones, quia maxime perficiunt homines in ordine ad vitam humanam honeste, studiose, monastice, œconomice, et politice agendam: ergo non debuerunt deesse Christo. *Deinde*, Christus prompte eliciebat actiones morales, puta Justitiæ, Fortitudinis, et Prudentiæ, quoties sese offerebat occasio: ergo illas eliciebat mediantibus virtutibus moralibus, quia nemo potest prompte et expedite prorrumpere in illam actionem sine habitibus ordinatis ad illam. *Denique*, in Christo potuit esse aliqua difficultas in exercendis virtutum actibus, ut quando tempore mortis sensus mortem refugiebat: ergo ad eam superandam fuit conveniens eum habere virtutem Fortitudinis.

Objicies: Liberalitas, Temperantia, Continentia, et Prudentia non fuerunt in Christo: sed istæ virtutes sunt morales, nullamque dicunt imperfectionem repugnantem statui Christi: ergo in Christo non fuerunt omnes virtutes morales, quæ non habent imperfectionem annexam. *Minor* constat. *Major* probatur: primo enim, quod non fuerit *Liberalitas* patet, quia est virtus, qua recte dispensantur divitiæ: Christus autem fuit summe pauper. Quod non etiam *Temperantia* et *Continentia, probatur:* quia illa moderate componit sensus circa objecta sensibilia, ita ut ordinatos motus circa illa exerceat; hæc vero temperat motus carnis: Christus autem nullos habuit motus, qui coercerentur. De *Prudentia* etiam probatur, nam illa non acquiritur nisi cum scientia acquisita: at Christus in instanti suæ conceptionis non habuit scientiam acquisitam: ergo neque saltem pro illo instanti prudentiam. Hoc satis debili fundamento suadetur Vazquez in 3. p. D. Thomæ dist. 2. cap. 2. ut defendat Prudentiam non fuisse infusam in Christo in instanti conceptionis, sed paulatim acquisitam simul cum scientia acquisita. — **Respondeo**, negando *majorem*, et dicendo ad singulas partes probationis ejus, *primo*, virtutes morales non consistere in ipso exercitio actus studiosi, et moraliter boni, sed in qualitate permanente, quæ sit productiva actus illius, ut docetur in Ethicis: proindeque juxta illud, pauperes posse esse liberales sicut et divites, licet nihil possideant, quod possint erogare, quia sufficit qualitas illa permanens, seu habitus studiosus recte afficiens voluntatem circa actus liberalitatis exercendos, si sese offerret occasio; atque ita liberalitatem fuisse in Christo nullus negat. *Adde quod*, etiam quoad actum externum Christus liberalitatem exercuit, præsertim quando bis maximam hominum multitudinem satiavit, Matth. 14. et 15. *Secundo*, temperantiam et continentiam non acquiri ad coercendos inordinatos motus dumtaxat, sed ne illi motus adsint, ideoque temperantiam et continentiam in gradu communi temperare quidem motus inordinatos circa sensibilia, in gradu vero heroico non solum temperare, sed etiam efficere ut nullo modo adsint: Christus autem habuit temperantiam et continentiam in gradu heroico, et ideo eas virtutes habuit, ut in eo nulli essent motus inordinati circa sensibilia. *Prudentia* autem non solum reperitur cum scientia acquisita, sed etiam cum aliis virtutibus moralibus, quarum omnium est forma et regula; quapropter tametsi Christus in instanti conceptionis scientiam acquisitam non habuerit, non minus tamen prudentiam debuit habere, quæ tunc etiam esset moderatrix cæterarum virtutum, quas illi fuisse infusas in instanti conceptionis, inferius probabitur.

Objicies 2. In Christo non fuerunt illæ virtutes, quæ habent repugnantiam cum statu beatitudinis et perfectæ sanctitatis: sed virtutes morales habent repugnantiam cum statu beatitudinis, et perfectæ sanctitatis: igitur, etc. *Major* constat: Christus enim ab instanti suæ conceptionis fuit beatus. *Minor* etiam est evidens; quia virtutes illæ non remanent in Beatis, nec requiruntur in viris sanctissimis; siquidem ordinantur ad refrænandas passiones, quæ in viris sanctissimis frænatæ sunt; maxime vero in Christo, qui passiones habuit rationis imperio perfectissime subjectas, ut patebit infra: igitur, etc. — **Nego minorem**, et ad ejus probationem dico primo, virtutes morales rema-

nere in statu beatitudinis, non quidem quantum ad materiale, ut sunt voluptates et delectationes ciborum et venereorum, respectu temperantiæ, vel timor aut audacia circa pericula mortis, respectu fortitudinis, vel distributiones et commutationes rerum, respectu justitiæ, etc.; remanent tamen secundum quod est formale in ipsa virtute, nam electio recta secundum ordinem rationis circa honestatem et medium illarum passionum, ad quas moderandas virtutes illæ ex se ordinantur; seu remanent quantum ad actum primarium et internum, non vero quoad secundarium et externum; nam virtutes illæ *primo* et per se ordinantur, ut disponant appetitum ad faciliter et prompte eligendum in propriis materiis conformiter ad rationem; secundario vero ad refrænandas passiones: unde virtutes illæ possunt esse in viris sanctissimis, quantum ad illum primarium effectum, licet in ipsis esse nequeant quantum ad secundarium.

Conclusio secunda. — CHRISTUS HABUIT VIRTUTES MORALES IN GRADU HEROICO, IDQUE PER INFUSIONEM, AB INSTANTI SUÆ CONCEPTIONIS. Hæc Conclusio tribus partibus constat; quarum

Probatur prima: In eo non fuerunt virtutes morales in communi gradu, sed superexcellenti, in quo non sunt passiones immoderatæ, sed bene ordinatæ et compositæ: at in Christo non fuerunt passiones immoderatæ, sed ad nutum et voluntatem compositæ: igitur fuerunt in eo virtutes in gradu heroico. *Major* constat: cum enim virtus heroica maxime in eo consistat, ut passiones omnes reprimat, easque imperio voluntatis subjiciat, certum est ipsum habere virtutem heroicam, qui bene compositas habet passiones. Unde virtutes in statu perfecto dicuntur purgantes animum; in gradu autem heroico appellantur ab Aristotele et Plotino virtutes purgati animi. *Minor* etiam constat: nam, ut probabimus infra, Christus omnes suas passiones, omnes appetitus sensitivi motus pro voluntate ac nutu exercebat ac moderabatur. — *Deinde*, Christus habuit virtutes in statu perfectissimo, qui possibilis erat: sed revera possibilis est virtus in gradu heroico: ergo, etc. *Major* patet: convenientissimum enim fuit dignitati Christi, ut omnem omnino excellentiam et perfectionem haberet cum suo statu compossibilem. *Minor* constat ex Philosophis. — *Denique*, virtus illa censetur haberi in statu heroico, quæ secum alias virtutes annexas habet: at Christus habuit omnes virtutes sibi connexas: igitur, etc.

Probatur secunda pars ex Isaiæ c. 7. ubi de Christo adhuc infante dicitur: *Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.* In quem locum sic S. Hieronymus scribit: *Pannis involutus, et butyro pastus ac melle, habebit boni malique judicium, ut reprobans mala, eligat bona.* Præterea Christus ad minimum fuit æque perfectus ac primi parentes: at primi parentes statim atque creati sunt habuerunt omnes virtutes morales, ut docent communiter Theologi: ergo a fortiori Christus illas virtutes morales habuit. *Tandem* Christus a primo instanti suæ conceptionis fuit perfectus, tam quoad voluntatem, quam quoad intellectum; nam ideo etiam pro eo instanti vocatur Vir in sacris litteris, ut cum dicitur, *Fœmina circumdabit virum:* at perfectio voluntatis secundum ordinem naturæ fit maxime

per virtutes morales ex genere suo acquisitas: ergo Christus ab illo instanti illas habuit.

Tertia pars probatur: Christus non habuit virtutes illas per acquisitionem: ergo habuit per infusionem. *Antecedens probatur:* nam probabilius est virtutes morales omnes pro illo instanti conceptionis fuisse in Christo: non potuit autem omnes simul pro eo instanti acquirere, quia per aliquem actum intensissimum acquirendo unam, aliæ nondum adfuissent: ergo probabilius est non per acquisitionem, sed per infusionem, virtutes illas morales in Christo fuisse.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM CHRISTUS HABUERIT OMNIA DONA SPIRITUS SANCTI.

Notandum 1. Dona Spiritus sancti septem solito numerari ex Isaiæ c. 11. ubi loquens de Christo, ait: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus Consilii et Fortitudinis, Spiritus Scientiæ et Pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Quorum omnium donorum tria pertinent *ad voluntatem*, nempe timor, pietas, et fortitudo: reliqua autem quatuor *ad intellectum* spectant: *Pietas* enim hominem disponit in iis, quæ sunt ad alterum: *Fortitudo* in iis quæ sunt ad seipsum contra incursionem periculorum: *Timor* in iis quæ sunt ad seipsum contra concupiscentiam inordinatam delectabilium. *Intellectus* mentem perficit ad apprehensionem veritatis speculativæ: *Sapientia* ad perfecte judicandum: *Consilium* ad apprehensionem veritatis practicæ: *Scientia* denique ad recte formandum judicium practicum de ipsa veritate, ut docet Durandus in 3. dist. 34. q. 3. n. 6, ubi existimat in Christo, ut viatore, hæc dona fuisse tam quoad actum, quam quoad habitum; at in Christo ut solum comprehensore qualis nunc est, ea tantum esse, etiam quoad actum, quæ hominem perficiunt in vita speculativa; quæ vero illum perficiunt in vita activa et practica, esse solummodo quoad habitum; sed ei ut plurimum refragantur cæteri Theologi.

Notandum 2. Ex Doctore Subtili in 3. dist. 24. num. 6. verisimilius esse, quod dona Spiritus sancti non distinguantur a virtutibus Theologicis et moralibus, nisi per modum adjutorii prædictarum virtutum: nam ut egregie ratiocinatur: « Illi habitus tantum ponendi sunt « in viatore, quibus perficitur circa omne objectum, quantum perfici « potest in via. Hujusmodi sunt septem virtutes in genere, non cu- « rando de scientiis speculativis acquisitis: igitur præter scientias « speculativas acquisitas nullus erit habitus in viatore ponendus, « alius simpliciter a septem virtutibus. Probatio *majoris*, objectum « circa quod perfici potest viator, non potest esse nisi Deus, vel crea- « tura: sed circa Deum sufficienter perficitur tribus virtutibus Theo- « logicis, et hoc perfectissime quantum perfici potest, si illi tres habitus « sint perfectissimi in suo genere: circa creaturam vero (non loquendo « de speculativis) intellectus perfectissime perficitur per prudentiam, « si prudentia sit perfectissima; ipsa enim est de omni agibili, et « quantum ad omnem conditionem agibilis perfectissima notitia. — « Similiter quantum ad appetitum, perfectissime perficitur tribus vir-

« tutibus moralibus, si sint perfectissimæ; quia tam circa alium et « appetibile alteri, quam circa se et appetibile sibi; et hoc vel primo « et directe, vel secundario propter illa prima: et hoc intelligendo de « istis quatuor virtutibus Cardinalibus, quod non sint in aliquo unus « habitus numero, qui sit sibi universalis Temperantia, vel univer- « salis Justitia, hoc est, circa omnia, sed quod singulæ species Ju- « stitiæ insint suis propriis singularibus. Per tres autem virtutes Theo- « logicas sufficienter perficitur viator circa Deum immediate: quia circa « ipsum, ut immediate cognoscendum in via, sufficienter perficit fides; « quia de Deo in via non potest haberi nisi cognitio fidei, sicut di- « ctum est supra in isto tertio, dist. 24; circa autem ipsum, ut dili- « gibilem in se, sufficienter perficit Charitas; et ut appetibilem et « commodum mihi, sufficienter perficit Spes, sicut patet in Quæstio- « nibus superioribus de fide, spe, et charitate. Sed non convenit via- « torem habere circa Deum actus ordinatos alios, quam intelligere, « diligere ipsum in se, et appetere eum mihi, ut bonum meum: ergo, « etc. Consimiliter circa omne aliud bonum a Deo, ut circa objectum, « sufficienter perficitur viator habitibus intellectualibus et appetitivis: « sed isti habitus intellectivi perficientes intellectum sunt virtutes in- « tellectuales, et illæ sufficienter perficiunt viatorem quantum possi- « bile est, et ad considerandum, et ad syllogizandum practice; habitus « etiam appetitivi sunt virtutes appetitivæ, quæ virtutes sufficienter « perficiunt viatorem ad appetendum, vel ad diligendum, sive in or- « dine ad se, sive ad aliud: igitur homo perfectus tribus virtutibus « Theologicis, et virtutibus intellectualibus, speculativis, et practicis, « et virtutibus moralibus ordinantibus ad se, et ad alterum, perficitur, « quantum potest competere viatori: igitur non videtur aliqua neces- « sitas ponendi aliquos alios habitus ab istis, qui sunt virtutes Theo- « logicæ intellectuales, et Morales ».

Notandum 3. Generatim triplicem esse Timorem: *primus* est *naturalis*, qui est passio quo animal naturaliter fugit malum imminens: hic residet in parte sensitiva, et per se neque laudabilis est, neque vituperabilis. *Secundus* est *mundanus* seu humanus, quo scilicet quodcumque temporale malum, vel cujuscumque temporalis boni amissio ita timetur, ut propterea justitia deseratur, aut illicita committendo, aut debita omittendo: hic semper vitiosus est, atque a Scripturis reprobatus; maxime Ecclesiastici 7. et Matthæi 10. *Tertius* denique est *divinus*, qui rursus a quibusdam Theologis triplex distinguitur, nempe servilis, initialis, et filialis. *Servilis* est, quo non amore justitiæ, sed metu gehennæ, vel etiam temporalis pœnæ a malo opere quis abstinet, et quod legis est operatur: quod autem bonum sit timere pœnam, definit Concilium Trident. Sessione 6. et probant SS. Patres, atque imprimis S. Augustinus, qui passim docet nisi timore incipiat homo Deum colere, non pervenire ad amorem, ut in Psalm. 149. Unde hortatur homines, ut timore pœnæ faciant quod amore justitiæ nondum possunt: sic serm. 13. *De Verbis Apostoli: Fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.* Et *Tractatu* 43. in Joannem: *Si nondum potes amare justitiam, time vel pœnam.* — Timor *initialis* est ille, qui a malo retrahit et ad bonum impellit, partim metu pœnæ, et partim amore justitiæ. *Initialis* dicitur, quia proprie est incipien-

tium ducere vitam spiritualem. Medius est inter servilem, et filialem, de quo nunc dicturi sumus: sed ita ut propius accedat ad filialem, quam ad servilem, quia ordinem habet ad filialem, tamquam ad tendentem in Deum, et avertit a servili tamquam deserentem illum. Timor *filialis* est ille, quo quis metuit Deum offendere, et per offensam, idest culpam a Deo separari, vel certe Deum reveretur tamquam supremum omnium Dominum, et peccatorum justum vindicem. Hic timor dicitur *castus, filialis, reverentialis.* Castus, secundum quod Deus comparatur ad animas nostras tamquam sponsus, juxta illud 1. Cor. 11. *Despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* Filialis, secundum quod comparatur ad Deum tamquam ad Patrem Rom. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus, abba Pater.* Reverentialis, secundum quod per eum homines, etiam beatitudine donati, Deum reverentur. Hoc posito, dico donum timoris non sic nuncupari a timore naturali; quem tamen timorem in Christo viatore fuisse certum est; non etiam a timore mundano, qui nec fuit unquam, nec esse potuit in Christo, quia timor vitiosus est, atque carnalis; an autem in eo fuerit triplex timor divinus, nimirum servilis, initialis, et filialis, hic est determinandum.

Conclusio unica. — Omnia dona Spiritus sancti revera fuerunt in Christo.

Probatur ex illo Isaiæ cap. 11. laudato in primo Notabili, necnon ex illis omnibus sacræ Scripturæ textibus, quibus supra demonstratum est omnes gratias, omniaque divina charismata, quæ in universos homines derivantur, in Christo tamquam in capite præexistere, et ab illo in homines tamquam in sua membra effluere. *Probatur* insuper: Dona Spiritus sancti nihil aliud sunt quam perfectiones aliquæ potentiarum, quibus homo facile movetur a Spiritu sancto ad perfectissima opera exercenda: sed Christus movebatur a Spiritu sancto ad præstantissima opera: ergo, etc. *Major* patet ex omnibus Theologis ponentibus hoc discrimen inter dona, et virtutem tam infusam quam acquisitam, quod virtutes hominem perficiunt quoad communes actus, dona vero ad præstantissimos actus. *Minor* patet ex multis Christi operibus, ut quando Spiritus sanctus movit illum ad jejunandum quadraginta diebus et noctibus. — *Præterea*, quæ dicunt perfectionem sine imperfectione, et remanent in Beatis, fuerunt in Christo: at dona Spiritus sancti remanent in Beatis, non quidem singula quoad actum, sed quoad habitum, et sunt Beatis ornamento sicut aliæ virtutes. Dicunt etiam perfectionem sine imperfectione, ut patet discurrendo per singula: nam *Sapientia* est habitus, quo intellectus redditur facile mobilis a Spiritu sancto, ut firmiter judicet de rebus divinis propter rationes supernaturales: *Intellectus* est donum, quo facile est mobilis idem intellectus ad percipienda et explicanda prima principia religionis nostræ: *Scientia* donum, quo facile redditur mobilis, ut deducat conclusiones ex illis principiis: donum *consilii* est, quo redditur facile mobilis, ut in particulari judicet, quid hic et nunc sit agendum: donum *pietatis* est, quo voluntas redditur facile mobilis ad cultum Dei; vel, ut alii volunt, ad misericordiam erga proximum: donum *fortitudinis* est, quo eadem voluntas redditur facile mobilis ad con-

stanti animo inhærendum operi difficili: donum *timoris* denique, quo eadem voluntas redditur facile mobilis ad se submittendum divinæ Majestati propter ejus summam eminentiam: ista autem omnia nullam dicunt imperfectionem, sed potius perfectionem: ergo illa dona Spiritus sancti fuerunt in Christo, et nunc etiam remanent in illo.

Quod vero hæc dona fuerint in Christo secundum actum, patet ex multis ejus operibus; ut quando Matthæi 4. perrexit in desertum; quod sic describitur ab Evangelista, *Ductus est in desertum*, etc. quando ibi jejunavit quadraginta diebus, et quadraginta noctibus: quando Lucæ 6. *Exiit in montem orare et pernoctare in oratione Dei:* quando prudentissime respondit quærentibus, an liceret dare censum Cæsari: quando locutus est aliis mulierem in adulterio comprehensam adducentibus, ut ejus calculo condemnaretur: quando in deserto misericordia motus pavit populum.

Dices 1: Ea tantum dona Spiritus sancti sunt in Christo asserenda, quæ respiciunt vitam beatam, et contemplativam; non autem activam, quæ non habet locum in beatitudine supernaturali: sed ex donis Spiritus sancti superius enumeratis quædam sunt, quæ respiciunt dumtaxat vitam activam, ut consilium, scientia, pietas, et timor: ergo dona ista non sunt in Christo comprehensore asserenda. — **Respondeo** 1. *Majorem* esse veram de iis donis, quæ adæquate considerata respiciunt vitam activam, secus autem, si inadæquate dumtaxat. Ad *minorem* autem dico quinque præfata dona in hoc distingui a duobus aliis, quod alia duo nullo modo pertineant ad vitam activam, cætera autem quinque partim ad activam, et partim ad contemplativam ordinentur. *Respondeo* 2. Negari posse *majorem;* siquidem Christus Dominus non solum dum in terris cum hominibus agebat, sed etiam in cælis existens, agit vitam nedum contemplativam, sed etiam activam, quatenus circa nos, et Angelos exercet munia veri capitis moralis; hæc enim munia non consistunt in pura speculatione, sed in aliquo influxu, et actuali directione, quæ cum non consistant in aliqua simplici speculatione objecti beatifici, sed etiam ordinent ad aliquid præstandum circa membra sub se constituta, ista operatio nedum ad vitam contemplativam, sed etiam ad activam pertinet.

Dices 2: Donum consilii videtur importare dubitationem, et ignorantiam, quia ibi tantum adhibetur consilium, ubi est hæsitatio, et ignorantia de eo quod faciendum est: at in Christo non fuit ulla hæsitatio, et ignorantia: ergo nec opus dono consilii. — **Nego majorem**, falsum enim est quod consilium præcise et formaliter sumptum importet dubitationem et ignorantiam in consultante: nam passim in sacris Litteris, et Patribus tribuitur Deo, cui nulla inest hæsitatio et ignorantia; sed consilium formaliter dumtaxat importat actum intellectus, quo ipsa electio voluntatis dirigitur. Quod autem consilium ut est in nobis, habeat dubitationem et ignorantiam sibi annexas, id tantum provenit ex nostra imperfectione.

Sola potest esse difficultas de *dono timoris*, gravis enim circa hoc inter sanctum Bernardum, et Abailardum aliquando controversia fuit, an timoris donum esset in Christo admittendum; negabat quippe Abailardus timorem istum in Christo reperiri. Verum hunc errorem ejuravit, et contrarium postmodum docuit, ut constat ex epistola sua 2. ad universos

filios Ecclesiæ, ubi habet: *Castum timorem in sæculum sæculi permanentem, qui proprie charitatis reverentia dicitur, tam ipsi animæ Christi, quam electis Angelis, et hominibus inesse semper recognosco.* — Quod autem revera in Christo fuerit donum timoris, non quidem secundum eum actum, quo metuitur offensa Dei, vel separatio Dei; sed secundum actum quemdam reverentiæ Dei ortæ ex consideratione Justitiæ, et severitatis ejus erga delinquentes, imprimis vero eminentiæ ipsius, *probatur* hac ratione: timor respicit duo objecta, quorum unum est malum terribile, et aliud est illud, cujus potestate malum inferri potest, sicut aliquis timet Regem, in quantum habet potestatem occidendi; unde non timeretur ille, qui potest nocere, nisi haberet quamdam eminentiam potestatis, cui facile resisti non potest: Christus autem semper fuit securus se numquam peccaturum, sicque certus erat se non fore a Deo separandum: atque ideo non habebat hunc primum actum timoris, sed dumtaxat secundum, videlicet actum reverentiæ, prout scilicet ejus anima quodam affectu reverentiæ a Spiritu sancto excitata ferebatur in Deum; unde Hebr. 5. dicitur, quod *in omnibus exauditus est pro sua reverentia.* Quæritur autem apud Theologos, quis sit ille actus timoris filialis, seu reverentiæ ad Deum propter ejus eminentiam: possumus enim intelligere per illam reverentiam, affectum parendi Deo ut supremo Domino, et sic refunditur in obedientiam: *vel* colendi illum ut supremum ens, et sic spectat ad religionem; vel subdendi se Deo præferendo in omnibus honorem divinum proprio, et sic pertinet ad humilitatem: qua ratione S. Augustinus lib. *De serm. Domini in monte,* docet, *donum timoris humilitati respondere:* quapropter serm. 1. *De Annunciatione,* timorem superbiæ opponit: et ideo sanctus Gregorius, lib. 2. *Moral.,* cap. 26. dicit donum timoris dari contra superbiam. Ex hoc vero affectu sequitur in voluntate quidam motus per modum fugæ, quo creatura in conspectu divinæ et supereminentis Majestatis ita se habet, ut non audeat ad illam accedere, et omnino caveat in aliquo divinam illam ejus excellentiam usurpare, et formidat ac fugit investigare ejus mirabilia. Hic autem modus vocatur a SS. Patribus *timor reverentiæ,* seu *admirationis,* ut videre est apud S. Gregorium, lib. 17. *Moral.,* cap. 19. et Dionysium, cap. 13. *De Cœlesti Hierarchia,* ubi exponens visionem Isaiæ, qui viderat Seraphim velantes pedes, et terga, dicit per eam significari, *sacram illam, ac plenam horroris venerationem, qua sancti celsiorem mysteriorum indaginem perhorrescunt.* Hinc Apocalypsis 16. dicitur Sanctos cantare: *Magna, et mirabilia sunt opera tua, Domine, quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum?* Hic autem actus reverentiæ non tantum includit voluntatem alicujus boni, sed etiam fugam alicujus mali: non quidem, quod formidetur imminens, aut futurum, sed quia secundum se malum est, et repugnans divinæ excellentiæ; de quo timore dicit S. Augustinus, lib. 14. *De Trinitate,* cap. 6. *Timoris casti nomine, ea voluntas significata est, qua nos necesse erit nolle peccare, non sollicitudine necessitatis, sed tranquillitate charitatis.* Beatus itaque quatenus habet fugam omnis peccati, ut a Deo separantis, dici potest habere timorem castum; quem etiam habere potuit Christus; licet enim ipse peccare non potuerit, tamen cum natura humana, quam assumpsit, secundum se esset capax peccati, potuit sua voluntate fugere hoc ma-

lum, tamquam possibile simpliciter suæ naturæ. — Ex his apparet timorem illum filialem seu reverentialem nullam habere indecentiam aut repugnantiam cum statu vel hypostatico vel beatifico Christi. Secus autem videtur dicendum de timore servili, et initiali; nam timor servilis maxime spectat peccatum cavendum propter pœnam luendam: Christus autem cum esset expers omnis peccati, nec ullatenus peccare posset, nullam habuit, quam timeret pœnam infligendam propter peccatum. Idem videtur dicendum de timore initiali, tum quia hic est imperfectus, et nondum completus: tum quia quatenus initialis, includit metum pœnæ infligendæ in vindictam peccati: at ex mox dictis, ille timor pœnæ in Christo locum habere non potuit: ergo nec ille timor initialis.

SECTIO TERTIA.

DE SCIENTIA, AC SAPIENTIA CHRISTI DOMINI.

Declaratis et elucidatis utcumque divinis illis præcellentiis, et charismatibus, quæ Christi Domini voluntatem exornant, jam auspicamur eas dotes delineare, quæ illius mentem illustrant: hæ autem ad cognitionem, et scientiam, quibus maxime divina ac creata mens exornantur, omnes referuntur. Illa autem multiplex in Christo spectatur: at prima, et maxime generalis illius divisio est, qua pro naturarum numero duplex scientia ipsi tribuitur: alia quidem *divina,* increataque; altera *creata,* et hominis propria. Atque hæc deinde varias in species diffunditur: quædam enim humano labore et industria parta, dicitur *acquisita:* alia divinitus est *infusa;* tertia vero *beatifica* vulgo nuncupatur, qualis est in beatis. Unde de hoc quadruplici scientiarum genere pauca sunt in præsenti delibanda sequentibus in Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM IN CHRISTO SIT DUPLEX SCIENTIA, CREATA SIMUL, ET INCREATA.

Notandum 1. Præsentem quæstionem supponere duas in Christo naturas, divinam et humanam, duosque pariter intellectus, increatum videlicet et creatum; cum enim intellectiva facultas sit indivisa proprietas naturæ spiritualis, necessum est, quod omni eam naturam habenti illa virtus intellectiva conveniat; unde in 6. Synodo, Actione 11. definitur, *Verbum assumpsisse animam rationalem animabus nostris contribulem, et mentem menti nostræ comparem;* mens autem significat animam secundum illam facultatem, qua est intellectiva; et in Concilio Lateranensi sub Martino, *Collatione* 5. definitur in Christo omnia fuisse duplicia; duas nimirum esse naturas, duos intellectus, duas voluntates et operationes: quamquam enim ibi dumtaxat damnentur Monothelitæ, qui solam duplicem in Christo voluntatem respuebant; quia tamen vis intellectiva insèparabilis est a virtute appetitiva, non potuit hæresis ista damnari, quin pariter determinaretur duos in Christo intellectus, creatum videlicet, et increatum. Unde hic merito quæritur, an sicut in Christo duo sunt intellectus, duplex etiam sit admittenda scientia, creata videlicet, et increata.

Notandum 2. Quod omissis illis hæreticis, qui Christo mentem humanam, et subinde creatam cognitionem, et scientiam denegabant, contra quos jam sæpius disputatum est in præcedentibus, nonnullos Catholicos Doctores asseruisse Christi Domini creatum intellectum non alia cognitione omnia novisse, quam divina et increata : quam utique sententiam suo tempore quibusdam placuisse refert S. Bonaventura in 3. dist. 14. q. 1. Illam præ cæteris docuit quidam *Joannes a Ripa*, ut refert Capreolus in 3. dist. 14. q. 1. a. 1. imo pro ipsa asserenda diu pugnavit Hugo Victorius Tractatu *De Sapientia Christi Domini* c. 16. ubi quamvis initio dumtaxat quærere videatur, an scientia Christi divinam æquet ; tamen eo progreditur ut scientiam creatam in Christo denegare malit; nam cum id sibi objecisset : si Christi anima cognoscit omnia, falsum esse, Deum in omni bono majorem habere sufficientiam, quam creaturam ejus ; hoc ita dissolvit : verum esse, Deum in omni bono creaturis suis antecellere, ubi aliud creaturæ bonum a bono Creatoris invenitur : sed cum sapientia illius animæ, non sit alia, quam divina sapientia, quomodo potest fieri comparatio? Cui respondens ait: « indubitanter dicendum est, quod alia sapientia quam « divina non fuit in Christo ; si enim sapientia animæ Christi alia « esset a divina sapientia, minor esset... ideo ut illam veritatem fir- « miter teneamus, quod illa anima nihil ignoravit, sed omnia scivit, « dicendum est, quod non alia sapientia erat illa anima sapiens ; sed « in Deo per naturam, in illa anima per gratiam ». Verum reclamant cæteri Theologi affirmantes tamquam dogma de fide, quod sicut duplex est in Christo intellectus, creatus et divinus, ita etiam duplex in Christo scientia, increata et humana.

Notandum 3. Quod etsi in hac astruenda assertione, unanimi calculo Theologi conveniant quantum ad rei veritatem, et ut de facto res in Christo se habuit secundum præsentem Dei ordinationem ; nihilominus contendunt aliqui, de potentia saltem extraordinaria et absoluta. Christi Domini intellectum humanum posse fieri cognoscentem omnia per increatam Dei cognitionem, et scientiam, nec ulla ratione convincenti demonstrari posse sententiam Hugonis Victorini contradictionem implicare ; quam quidem assertionem præ cæteris propugnat Ægidius a Præsentatione libro 4. *De Beatitudine ;* qu. 1. art. 2; at contrarium docent omnes Theologiæ Principes, necnon eorum sequaces ac discipuli, quibus ut subscribamus, sit

Conclusio prima. — Christus revera de facto habuit scientiam creatam. Hæc est de fide, determinata in Conciliis definientibus omnia esse duplicia in Christo, nempe duas naturas, duas voluntates, duos intellectus, duasque operationes. Licet autem in particulari non loquantur de intellectu, tamen generali definitione illum comprehendunt ; dicit enim Agatho Papa in Epistola Synodi Romanæ (quæ in 6. Synodo *Actione* 4. refertur, et in 8. suscipitur) : *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas ejus prædicamus, et unamquamque proprietates naturales habere confitemur, divinam omnia quæ divina, humanam omnia quæ humana sunt, absque ullo peccato.* — Confirmatur ex eodem Concilio, ubi allegat S. Leonem dicentem : *De duabus naturis Christi Domini agit*

utraque forma, cum alterius unione, quod est proprium: Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est: quæ postrema verba eatenus nostram sententiam probant, quatenus asserunt unamquamque naturam in Christo Domino exercuisse proprias suas functiones, et proinde cum una ex propriis operationibus naturæ humanæ sit actualis intellectio, Christum Dominum intellectu suo creato necessum est per solam actualem intellectionem creatam intellexisse. Hinc subditur: *Neque enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei, et creaturæ, ut neque quod creatum est in divinam educamus essentiam, neque quod eximium est divinæ naturæ, ad competentem creaturis locum dejiciamus.* Id etiam maxime constat ex Concilio Lateranensi sub Martino 1. Collat. 5. in professione fidei, ubi pariter definitur, *omnia in Christo esse duplicia*. nempe non tantum duas voluntates, sed etiam duas operationes, divinam nempe, et humanam. Nam *primo,* cum unicuique voluntati sua correspondeat cognitio; si duæ sint in Christo voluntates, etiam et duas cognitiones esse necesse est. *Secundo,* dicendo duas operationes, et non determinando ad unius tantum, vel alterius potentiæ operationes, non potest ab hac definitione excludi ea actio quæ est prima inter humanas, scilicet cognitio creata. *Tertio,* definiendo esse in Christo omnia, quæ ad naturam humanam pertinent, pariter definitum est in Christo esse intellectionem creatam, quandoquidem nemo negat ipsam ad naturam humanam maxime pertinere.

Probari etiam potest conclusio ex Scriptura sacra, maxime ex illo Joannis 8. ubi Christus Dominus ait: *Scio enim* (scilicet Patrem) *et sermonem ejus servo:* ubi hæc particula *scio* supponit pro cognitione creata correspondente observationi præceptorum sui Patris. *Insuper* apud eumdem Evangelistam c. 13. *Sciens, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos;* ex quibus infero, quod quemadmodum Christus observabat mandatum Dei, ut homo, et per naturam assumptam patiebatur, ita etiam ut homo aliquo actu creato sciebat hæc et cognoscebat. *His adde quod* Christus Dominus plerosque actus humanæ intellectionis elicuit, qui in divinam cognitionem non possunt cadere, nam Lucæ 2. dicitur crevisse in sapientia: hic autem profectus, quomodocumque explicetur, non potest intelligi de sapientia divina, quæ cujusvis augmenti sicut et detrimenti est incapax; Matth. 8. dicitur ipsum fuisse miratum: admiratio autem quamdam nescientiam supponit, quæ utique in divinam scientiam cadere non possunt. Et ad Hebr. 5. *Didicit ex his, quæ passus est:* addiscere autem aliquid Christo repugnat ratione divinitatis; oportet igitur, quod Christus intellectum creatum habuerit, ac subinde creatam cognitionem.

Probatur etiam ratione, quia si Christus non haberet scientiam, et cognitionem creatam, sequeretur, quod intellectus creatus in illo esset frustraneus, intellectus enim per se ordinatur ad propriam actionem: propria autem intellectus actio est intellectio ab ipso elicita: igitur Christus debuit illam habere. — *Deinde,* Christus est verus et perfectus homo: sed humanitas sine intellectione creata non est perfecta: ergo Christus debuit habere intellectionem creatam. *Major* constat. Probatur *minor:* quia omne quod caret suo fine imperfectum

est: sed natura humana, quatenus intellectiva, est propter intellectionem creatam: omnis enim potentia est propter suam operationem: ergo sine illa erit imperfecta.

Dices: Frustra fiunt per plura, quæ per pauciora possunt absolvi: sed Christus omnia cognovit intellectione increata: ergo intellectio creata fuit ipsi frustranea. — **Distinguo majorem**: frustra fiunt per eamdem facultatem et virtutem, transeat; per diversas, nego. Christus autem per intellectum divinum, et ut Deus, intelligebat quidem omnia cognitione increata; per intellectum vero creatum, et ut homo, res cognoscebat cognitione creata: idcirco ratione diversæ facultatis, diversas habebat cognitiones, nec frustra per unam facultatem fiebat, quod per alteram facultatem intellectivam non poterat præstari.

Instabis: Idcirco Christus non habuit subsistentiam creatam, quia per increatam sufficienter subsistebat: sed etiam sufficienter cognoscebat omnia per scientiam increatam: igitur, etc. — **Respondeo negando paritatem**; et ratio disparitatis est, quod subsistentiæ multiplicatio multiplicet supposita, et duo omnino separata et divisa constituat, ac subinde si fuissent in Christo duo supposita, nulla fuisset in Christo unio Divinitatis cum humanitate: simile autem non accidit ex duplici natura, facultate, et operatione, quia per illas non constituuntur in Christo duo intelligentes invicem separati et sejuncti, sed unicus dumtaxat, ratione scilicet unitatis suppositi.

Dices 2: Si dedeceat Christum cognovisse dumtaxat per scientiam creatam, maxime quia, ut diximus, inde sequeretur, quod facultas intellectiva creata in ipso fuisset frustranea: sed hæc ratio nulla est. *Probatur;* nullum enim inconveniens est, quod aliqua potentia in Christo non habeat sibi debitam operationem, nec obtineat finem, ad quem ordinatur, etenim Christus habuit potentiam generativam, quæ nusquam fuit ad actum reducta. — **Nego minorem**, et ad ejus *antecedens* dico in Christo fuisse omnes facultates, et earum actus, qui conducebant ad finem redemptionis; actuale autem exercitium intellectus creati animæ Christi ad illum finem maxime conducebat; secus vero de potentia generativa; igitur non mirum si hujus facultatis actus Christo defuerit.

Conclusio secunda. — Intellectus humanus Christi, etiam de potentia Dei absoluta, non potuit fieri intelligens per scientiam divinam, et increatam. Hæc est communis inter Theologos.

Probatur primo ex Epistola Agathonis Papæ supra citata, in ea namque probat in Christo non posse unam esse operationem utriusque naturæ; quia impossibile est propriam operationem unius naturæ fieri operationem alterius. Quod etiam probari potest auctoritate S. Ambrosii l. 2. *De Fide*, cap. 4. ubi aperte dicit operationem unius potestatis non posse esse alterius: nam ait: *Ubi est substantia diversa, nequit esse operatio una.* Ad eumdem modum argumentatur S. Damascenus lib. 3. cap. 13. et Leo Papa Epistola 10. ad Flavianum.

Probatur etiam ratione: Si intellectus humanus Christi fieri posset intelligens per scientiam increatam, maxime *vel* habitualiter, *vel* actualiter: at neutrum dici potest. *Non primum*, quia scientia increata non est habitus, sed substantia. *Non etiam secundum*, quia oportet illam

cognitionem increatam produci ab intellectu, vel creato vel divino: at produci non posset ab intellectu creato; quidquid enim est a principio creato et finito, creatum est et finitum: igitur intellectus creatus non potest producere intellectionem increatam et infinitam. Non etiam ab increato, quia intellectio actualis est proprius effectus intelligentis; nemo enim intelligit per intellectionem alterius, nec consequenter per intellectionem ab altero productam: ergo intellectus creatus animæ Christi non posset fieri formaliter intelligens per intellectionem ab intellectu divino productam. — *Deinde,* si intellectus creatus animæ Christi intelligere posset per intellectionem increatam Verbi, hoc fieret *vel* per propriam communicationem intellectionis increatæ, *vel* per unionem ipsius intellectionis cum intellectu creato. *Primum* dici non potest; quia qua ratione diceretur intellectio increata vere communicari intellectui creato animæ Christi, eadem ratione omnes aliæ divinæ operationes communicari possent humanitati assumptæ, et sic illa humanitas per communicationem virtutis spirativæ, et spirationis posset spirare, et per communicationem creationis creare, quæ manifeste absurda sunt, et impossibilia. *Non etiam secundum:* si enim per unionem cognitionis intellectus divini posset intellectus creatus Christi fieri intelligens, etiam et voluntas Christi fieri posset volens et libera per volitionem et libertatem increatam sibi intime unitam: sed hoc est falsum: igitur, etc. *Sequela majoris* patet: nam qua ratione uniri posset intellectio increata intellectui creato, eadem ratione volitio et libertas increata uniri possent voluntati creatæ, cum utrobique eadem ratio appareat. *Minor* videtur certa: etenim volitio libera debet esse in potestate et dominio voluntatis: volitio autem divina nequit potestati aut dominio creatæ voluntatis subesse.

Dices 1: Ad veram et perfectam cognitionem non aliud requiritur, quam ut anima habeat scientiam, et sapientiam actualiter intime sibi unitam: sed anima Christi habet intime sibi unitum Verbum divinum, quod est ipsa Dei scientia et sapientia increata: igitur per illam revera anima poterat omnia cognoscere. — **Distinguo majorem:** sibi unitam per modum formæ ipsam afficientis et perficientis, in ratione facultatis intellectivæ, concedo: per modum termini ipsius dependentiam hypostaticæ terminantis: nego. Verbum autem divinum non unitur ipsi animæ Christi per modum formæ, sed per modum termini hypostatici: subsistentia enim Verbi est terminus in suo formali conceptu, non autem actus; intellectio autem est formaliter actus intelligentis, et ideo necessum est quod se habeat per modum formæ. Quæ responsio confirmatur ex eo, quod inquit Seraphicus Doctor d. 14. art. 1. q. 1. « Quamvis Verbum increatum sit unitum oculo Christi, et om-
« nibus partibus corporis Christi, non tamen cognoscitur ab oculo:
« et hoc quia non est in eo dispositio ad cognoscendam rem spiri-
« tualem: ergo pari ratione quantumcumque Verbum increatum uniatur
« animæ Christi, nisi anima sit disposita ad videndum Deum per lumen,
« quod ipsam facit Deiformem, nunquam ipsam intuebitur. »

Dices 2: Non minus Divinitas uniri potest intellectui creato in ratione actualis intellectionis, qua intellectus creatus intelligat, quam eidem intellectui uniri in ratione speciei intelligibilis, aut in ratione subsistentiæ: atqui tam essentia divina, quam subsistentia Verbi,

uniuntur istis duobus modis intellectui humano: ergo etiam essentia divina potest uniri intellectui creato in ratione actualis intellectionis, qua intelligat. *Minor* constat ex dictis tum in præsenti Tractatu, tum in tractatu *De visione beatifica*. *Major* vero probatur quoad primam partem: ex eo enim quod essentia divina uniatur intellectui creato per modum intellectionis actualis, non sequeretur ipsum intellectum non fieri formaliter intelligentem, sicut non sequitur ipsum non esse formaliter intelligentem, ex eo quod essentia divina ipsi uniretur per modum speciei intelligibilis. Patet etiam quoad secundam partem: sicut enim personalitas Verbi longe nobiliori modo facit subsistere humanitatem Christi, et sufficientissime satiat appetitum humanitatis, ita actualis intellectio increata longe melius satiat intellectum animæ Christi, cum actualis intellectio creata non possit ei deservire, vel ad cognoscendum aliqua objecta, quæ non intelligat, per actualem illam increatam Dei cognitionem; vel ad cognoscendum illa nobiliori modo: ergo intellectus animæ Christi non tantum cognoscit per actualem Dei cognitionem increatam, sed etiam præter illam nullam habet aliam actualem creatam intellectionem: atque consequenter nullum habet scientificum habitum ordinatum ad talem intellectionem creatam. — **Nego majorem** quoad utramque partem; et *ad primam* dico non esse parem rationem unionis essentiæ divinæ in ratione actualis intellectionis, atque unionis ejusdem in ratione speciei intelligibilis, nam species intelligibilis est extrinseca intellectui; intellectio autem est intrinsecus, et proprius effectus formalis ipsius intellectus. *Ad secundam* rationem dico, non esse similiter paritatem inter unionem subsistentiæ increatæ cum humanitate, et unionem intellectionis increatæ cum intellectu creato, quia natura humana non ordinatur primo et per se ad subsistendum tamquam ad proprium effectum formalem sibi connaturaliter debitum: intellectus vero ordinatur ad propriam intellectionem, ita quod si ista auferatur, non possit amplius concipi quomodo intelligat; quia ut intelligeret per intellectionem aliunde productam, oporteret quod illa in ipso reciperetur per modum verbi mentis: intellectio autem increata non potest recipi in intellectu creato, alioqui se haberet per modum formæ accidentalis, quod repugnat. *Adde quod* posita Verbi subsistentia in humanitate, implicat propriam subsistentiam in humanitate resultare: at quantumvis poneretur intellectio increata in intellectu creato Christi, non implicaret intellectum hunc intelligere etiam per actum creatum a se elicitum; quia licet in ista hypothesi cognosceret omnia objecta, quæ potest cognoscere per intellectionem creatam, et quidem modo nobilissimo; attamen remaneret alius modus, quo posset adhuc illa objecta cognoscere, scilicet naturali, et proportionata sibi cognitione: sicut de facto Christus, licet cognoscat objecta cognitione beatifica et infusa, non minus propterea illa etiam cognoscit cognitione acquisita et experimentali.

Dices 3: Habitus scientificus tantum datur ut sciatur: at nulla fuit necessitas, quod Christus sciret per scientiam creatam, quippe cum jam nosset omnia per scientiam increatam: ergo nulla est necessitas admittendi in Christo scientiam creatam. — **Distinguo minorem:** nulla fuit necessitas simpliciter, concedo: secundum quid, et propter perfectionem intellectus creati, nego.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM, ET QUALITER SCIENTIA BEATIFICA FUERIT IN CHRISTO.

Tria potissimum hac in Quæstione sunt statuenda: *Primum,* an revera anima Christi habuerit scientiam beatificam, seu claram et intuitivam Dei visionem, idque ab instanti suæ conceptionis. *Secundum.* an illa scientia, et cognitio ita fuerit perfecta, ut etiam dici possit comprehensiva. *Tertium,* an per eam anima Christi cognoscat id omne quod Deus novit.

Notandum 1. Duplicem posse distingui Christi statum: unum quidem ante mortem et resurrectionem suam: alterum vero post ipsius resurrectionem. De posteriori non est ambigendi locus, quin Christus habuerit visionem beatificam et intuitivam divinæ essentiæ cognitionem; id enim expresse docere videtur Apostolus ad Heb. 1. ubi sermonem faciens de Christo ait: *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit;* qui textus maxime, ut notat Theodoretus, spectat ad Christum post resurrectionem: sed sancti Angeli divinam essentiam intuitive contemplantur, juxta illud Matthæi 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, etc.* At non ita compertum est ex Scriptura, an Christus adhuc ex parte viator et mortalis jucunda Dei visione potitus fuerit, idque ab initio suæ conceptionis, quapropter hoc erit in præsenti Quæstione determinandum.

Notandum 2. Ex Doctore Subtili in 3. dist. 14. qu. 2. nu. 7. visionem comprehensivam eam dumtaxat appellari, qua ita perfecte cognoscitur, ut tanta sit perfectio in cognitione, quanta est perfectio in objecto cognoscibili; « videtur enim, inquit Doctor, solus ille in« tellectus comprehendere aliquod intelligibile, cujus tanta est per« fectio in intellectualitate, quanta est perfectio vel intelligibilitas « intelligibilis: et ideo ibi est commensuratio, adæquatio, et propter « hoc neutrum est respectu alterius excedens, et ita utrumque quasi « finitum est alteri, quia simpliciter adæquatum : sicut propter æqua« litatem personarum divinarum posset dici una persona finita alteri, « quia non excedens eam, et tamen simpliciter non est finita ». *Unde colligit,* « quia ergo nullus intellectus creatus potest habere tantam « intellectualitatem neque in actu primo, neque in actu secundo, « quanta est intelligibilitas Dei, ut objecti, imo in infinitum excedit; « ideo nullus talis intellectus creatus, etsi videat quodcumque visi« bile ex parte Dei, potest ipsum comprehendere, quia non est com« mensuratio hinc inde ». Ita Doctor.

Notandum 3. Ex eodem Doctore qu. 15. *quodlibetica,* objectum aliquod videri in Verbo, seu in essentia divina, nihil esse aliud quam repræsentari in ipsa divina essentia velut in speculo, ita ut eadem visione qua videtur objectum illud secundarium, puta homo, videatur etiam Verbum, seu illa divina essentia, ut repræsentativa hominis. Porro objecta, quæ repræsentantur in essentia divina, sunt maxime duplicis generis: alia enim pure sunt possibilia, nec ullam unquam habitura sunt existentiam: alia vero existentiam vel habitura sunt, vel

habent, vel habuerunt, dicunturque, vel futura, vel actualia, vel præterita. Priora Deus dicitur cognoscere per scientiam *simplicis intelligentiæ*, posteriora vero per scientiam *visionis:* quarum scientiarum diversitas abunde declarata est in secundo nostro volumine disputatione *de scientia*. Quæritur autem impræsentiarum, an intellectus animæ Christi per scientiam beatificam possit cognoscere hoc utrumque objectum a Deo cognitum per scientiam simplicis intelligentiæ et visionis, idque vel actualiter, vel duntaxat habitualiter. Actualiter, inquam, si actu simul omnia videat: et hoc item, vel unica visione, vel pluribus. Unica quidem visione, si nimirum videndo Verbum divinum videat etiam omnia possibilia relucentia in ipso: pluribus vero, si singulis objectis visibilibus singulæ correspondeant intellectiones in intellectu Christi. Habitualiter autem, si habeat aliquid per modum habitus, vel actus primi, quo illa omnia objecta posset percipere. Quod iterum fieri potest dupliciter: nimirum vel habendo habitum, seu lumen aliquod, quod sit repræsentativum omnium plane visibilium in Verbo: vel potius eliciendo unum actum visionis, qui sit ostensivus omnium; qualis est actus visionis actualis Dei, qui dici potest habitualis, vel se habens ad modum actus primi, respectu eorum, quæ relucent in Verbo, quatenus nimirum illa potest repræsentari.

Conclusio prima. — Anima Christi adhuc viatoris et mortalis habuit intuitivam Dei visionem, idque ab instanti suæ conceptionis. Hæc est communis quoad utramque partem apud Theologos.

Prima autem probatur plurimis Scripturæ textibus, maxime vero ex 3. cap. Joann. ubi Christus sic loquitur: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo.* Quibus verbis Christus adhuc viator et mortalis, et adhuc in terris agens asserit se esse in cælo: sed non erat in cælo præsentia locali et corporea: ergo mentali et spirituali: at esse in cælo ratione animæ et spiritus nihil aliud est, quam Deum intuitive videre: igitur Christus mortalis intuitiva Dei visione fruebatur. *Confirmatur* ex eo, quod Christus hæc verba proferebat, ut probaret Nicodemo sibi esse credendum, utpote testi oculato, simul in terris et in cælo existenti, quod nulli unquam Prophetæ contigerat; unde ibidem dicebat: *quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, qui de cœlo venit super omnes est, quod vidit et audivit, hoc testatur.* — Probari etiam potest ex illo Joan. 12. ubi idem Christus ait: *Si quis mihi ministrat me sequatur, et ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Non dicit ubi *ero*, sed ubi *ego sum:* significans se jam frui clara Dei visione, quam assequentur ii qui divinis ejus vestigiis insistunt, maxime vero in ærumnis et cruciatibus perferendis. Quod autem ibi loquatur ut homo, inde constat, quod instituat sermonem de se, ut pro nobis morituro, et sequendo per mortem, tum quod in sequentibus Patrem æternum ut homo alloquatur.

Probant etiam aliqui eamdem veritatem ex SS. Patribus; verum perpauca sunt expressa, et nominatim de suprema ante mortem et resurrectionem Christi felicitate concepta testimonia; et quæ proferri solent a quibusdam, uno forsitan excepto, liquido rem minime demonstrant. Unus hic, quem dico, locus est Augustini e quæst. 63. *De octoginta tribus,* ubi suscitati a Domino Lazari allegoricam significa-

tionem explicans, « sudarium, quo tecta erat ejus facies, figuram « esse dicit præsentis in nobis visionis, qua per speculum videmus in « ænigmate: quod cum auferri jubet Christus, hoc est, quod post hanc « vitam auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus. « Quantum autem intersit inter hominem, quem Dei sapientia gestabat, « per quem liberati sumus, et cæteros homines, hinc intelligitur, quod « Lazarus nisi exiens de monumento non solvitur: idest, etiam re- « nata anima, nisi resolutione corporis libera ab omni peccato, et « ignorantia esse non potest, quamdiu per speculum, et in ænigmate « videt Dominum. Illius autem linteamina et sudarium, qui peccatum « non fecit et nihil ignoravit, in monumento inventa sunt. Ipse solus « in carne, non tantum in monumento non est oppressus, ut aliquod « peccatum in eo inveniretur; sed ne linteis implicatus, ut eum ali- « quid lateret, aut ab itinere retardaret. »

Suffragatur etiam ratio: *Primo,* quia natura humana per incarnationem sublimata est ad supremum esse: ergo pariter debuit elevari ad perfectissimam operationem, qualis est visio beatifica. *Deinde,* qui est aliis causa, ut sint comprehensores, ipse in gradu præstantiori debet beatitudinem habere: atqui Christus, etiam adhuc mortalis, fuit causa, cur primi homines fierent comprehensores, quo maxime constat ex illa celebri promissione, quam fecit latroni pœnitenti dicendo: *Hodie mecum eris in Paradiso;* nam, ut observat S. Augustinus epist. 57. quamvis illo ipso die mortis latro iste pœnitens futurus esset in limbo: tamen quia ibi visurus erat Deum, dicitur futurus in Paradiso: igitur ipsemet Christus cum hæc etiam proferret dira crucis sustinens supplicia, revera Dei visione fruebatur. *Denique,* non erat congruum, ut filius naturalis tamdiu sua hæreditate fraudaretur, maxime cum illa beatitudinis suspensio quantum ad animam nihil quidquam conferret ad negotium salutis et reparationis nostræ.

Probatur etiam secunda pars: Primo quidem ex illo Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Quibus verbis expressit Evangelista gloriam animæ Christi ex personali unione Verbi esse derivatam. *Secundo,* ex sequentibus istis *plenum gratiæ, et veritatis.* unde sic argumentor: plenitudo gratiæ est ipsa gloria: at gratia respectu gloriæ habet se tamquam imperfectum ad perfectum: plenitudo autem veritatis consistit in cognitione Dei intuitiva. *Tertio,* ibidem: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Joann. 3. *Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur.* Joan. 8. *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni, et quo vado:* et postea: *Si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eum, et sermonem ejus servo.* Ex quibus sic argumentor: ibi proponitur Christus tamquam perfectissimus testis veritatis a Patre missus, non tantum ut Deus, sed etiam ut homo: perfecta autem testificatio ex visu est: unde auditis credimus, quia audiuntur a fide dignis, qui oculis suis res se vidisse testantur: ergo vidit ea, de quibus testimonium perhibuit: ergo Deum ipsum intuitive conspexit. Hæc autem cum probent Christum ante passionem suam vidisse Deum intuitive, et non sit ratio cur uno tempore potius, quam alio, sequitur, quod vidit a primo suæ conceptionis instanti.

Probatur item rationibus. *Primo*, gloria corporis, quam exhibuit Apostolis in monte Thabor, signum est evidentissimum gloriæ animæ ipsius: nec est assignabilis ratio, quare potius habuit eam hoc, quam illo tempore. *Secundo*, Filio naturali Dei debetur hæreditas statim ac nihil obstat quominus illam consequatur: sed Christus ut homo est Filius Dei naturalis: hæreditas est visio Dei intuitiva, seu scientia beata: neque est assignabilis ratio, propter quam a primo suæ conceptionis instanti non sit illam consecutus.

Objices 1. nonnullos Scripturæ locos, ut Joan. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Joan. 17. *Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te.* Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* — **Respondeo**, *primum* locum intelligi de glorificatione Christi in ipsa die Ascensionis, quando videntibus Apostolis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum; non vero de ipsa gloria animæ. Ita Augustinus tract. 32. in Joan. Ad *secundum*, et *tertium*, dico intelligendos esse de gloria corporis, et nominis exaltatione, de qua Apostolus ad Philipp. 2. *Propter quod et Deus exaltavit illum, etc.* Ita Augustinus tract. 104. in Joann. Quod utique confirmatur, quia Christus Dominus ibi postulat a Patre illam claritatem, qua ipse illum divinum Patrem suum clarificavit, quæ certe alia non fuit, quam manifestatio nominis, et majestatis Patris, ait enim ibidem: *Pater manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.*

Objicies 2. Christus sibi meruit scientiam, seu visionem beatificam: ergo illam tempore suæ vitæ mortalis, et ab initio suæ conceptionis non habuit. *Consequentia* patet; necessum enim est, quod præmium meritum subsequatur, quia meritum est via ad præmium. Probatur *antecedens:* Christo debet attribui id quod perfectius est: sed perfectius est habere aliquid ex merito, quam sine merito, nam habere aliquid ex merito est id obtinere independenter ab alio, et ex motivo justitiæ: habere autem sine merito est habere dumtaxat dependenter a liberalitate donatoris: igitur, etc. — **Nego antecedens:** quamquam enim Christus meruerit gloriam sui corporis, non tamen meruit gloriam animæ, quam habuit ab initio suæ conceptionis non titulo mercedis, sed per modum naturæ, et jure filiationis naturalis. Unde *ad probationem* dico, perfectius quidem esse generatim loquendo rem habere ex merito, quam sine merito; tamen per accidens melius est interdum aliquid habere sine merito, quam per meritum, quando scilicet illius assecutio per meritum derogaret dignitati naturali, et perfectioni naturaliter debitæ: beatitudo autem illa, ratione unionis hypostaticæ, et filiationis naturalis, quasi nativo jure Christo debebatur; unde fuisset quoddam illius dignitati præjudicium si illam per studium et laborem debuisset promereri. Cætera, quæ adversus hanc assertionem solent objici, faciliori et congruentiori ordine proponentur ac solventur in sequentibus.

Conclusio secunda. — Christi Domini cognitio beatifica fuit quidem perfecta, non tamen comprehensiva. Ita Doctor *loco laudato*, eamque

Probat iisdem rationibus, quibus probavit animam Christi de facto habuisse perfectam et summam gratiam; cum enim quæsivisset q. 2. num. 2. an intellectus Christi possit perfici visione perfectissima Verbi; respondet: *Dico quod sic, propter eamdem rationem, propter quam d. præcedenti qu.* 1. *dixi voluntatem ejus posse habere summam charitatem.* Sic autem formari potest *probatio:* summam gratiam sequitur summa fruitio: igitur perfectissimo gradui gratiæ correspondere debet perfectissimus gradus fruitionis: sed Christus habuit summam gratiam: ergo etiam summam fruitionem: at ad summam fruitionem, quæ fit maxime per amorem beatificum, requiritur perfectissima Dei visio: ergo ex summa gratia sequitur Christum habuisse summam visionem. — *Confirmat* auctoritate S. Isidori dicentis cap. 42. in Exodum: *Trinitas sibi soli nota est, et homini assumpto:* quod utique eatenus verum esse potest, quatenus sola Trinitas, et homo assumptus cognoscunt ipsam Trinitatem ea cognitione, qua perfectior concedi non potest alicui creaturæ.

Dices: Quo præstantior est intellectus cum æquali lumine gloriæ, eo nobilior et præstantior potest esse visio beatifica: sed intellectus Angeli est perfectior in naturalibus, quam intellectus animæ Christi: ergo ex hypothesi, quod Angelus haberet lumen gloriæ æquale illi quod concessum est animæ Christi, perfectiorem eliciet visionem beatificam: et consequenter visio beatifica animæ Christi non est omnium perfectissima et summa. *Major* constat ex dictis in *primo* volumine de inæqualitate luminis gloriæ: probatum enim est vegetiorem intellectum cum æquali lumine gloriæ præstantiorem elicere visionem. *Minor* etiam est certa: siquidem ex Apostolo ad Hebr. *Christus paulo minus ab Angelis minoratus est.* — **Distinguo majorem**: nobilior et præstantior esse potest ratione facultatis intellectivæ confortatæ et elevatæ per lumen gloriæ, concedo: ratione ipsius luminis gloriæ, nego. Et concessa *minore*, similiter distinguo *consequens:* præstantior esset visio beatifica Angeli, quam Christi, ratione facultatis intellectivæ, concedo: ratione luminis gloriæ, nego. Quia non tantum conferretur lumen gloriæ Angelo, quantum Christo; cum enim Christus longe præstantius habeat esse, ratione unionis hypostaticæ, quam quælibet creatura, etiam nobilius debet habere principium operandi, si non naturale, saltem supernaturale. *Adde quod* Christi beatitudo sit summa duntaxat de facto, non vero de possibili, ut a simili diximus de gratia ipsius.

Probatur secunda pars, nempe quod illa cognitio Christi non sit comprehensiva Divinitatis, nam inquit S. Augustinus lib. 83. quæstionum q. 14. *Quod se comprehendit finitum est sibi:* sed essentia divina non est finita in comparatione ad animam Christi, cum in infinitum eam excedat: ergo non comprehendit anima Christi essentiam divinam. *Secundo*, infinitum non comprehenditur a finito: anima Christi est finita tam entitative, quam quoad potentiam intellectivam, et lumen gloriæ, quo corroboratur: essentia autem divina, ut comprehensibilis, est infinita: ergo, etc.

Dices: Intellectus animæ Christi, ex Doctore loco supra laudato n. 6. videt essentiam divinam ut infinitam: at videre essentiam divinam ut infinitam est illam comprehendere: igitur cognitio beatifica

Christi est comprehensiva. Probat *majorem* Doctor : *Quia*, inquit, *nihil nisi sub ratione infiniti formaliter potest quietare intellectum : ita quod si non in quantum infinitum formaliter apprehenderetur, sed infinitas tantum concomitaretur, non plus quietaret potentiam apprehensivam, quam aliud intelligibile (accidit enim sibi infinitas, ut comparatur ad potentiam illam), sicut non plus quietaret visum triangulus ut albus, quam ut niger, si triangulus solum, in quantum triangulus, comparetur ad potentiam illam, et apprehendatur per se illud concomitans. Similiter essentia non quietat, nisi ut essentia visa existens in tribus suppositis ; hoc autem non convenit sibi, nisi ratione infinitatis :* ergo, etc. — **Distinguo minorem** : qui videt essentiam divinam ut infinitam modo infinito, ita quod tanta sit perfectio in vidente, quanta est in objecto visibili, illam comprehendit, concedo : qui videt dumtaxat illam infinitatem modo finito, illam comprehendit, nego. Intellectus autem animæ Christi videt quidem essentiam divinam ut infinitam ; at illam videt modo finito, sicut cæteri Beati; unde qua ratione cæteri Beati Deum non comprehendunt : igitur nec intellectus animæ Christi illam comprehendit.

Dices 2: Sanctus Isidorus supra laudatus dicit, quod Trinitas sibi soli nota est, et homini assumpto : igitur censet eodem modo hominem assumptum pari ratione Trinitatem cognoscere : at divina Trinitas seipsam cognoscit comprehensive : igitur et Christus. — **Respondeo**, sanctum Isidorum hæc proferre, ut significet, quod homo assumptus comparari possit divinæ Trinitati in cognitione Dei, non ratione comprehensionis, sed ratione cujusdam excellentissimæ notitiæ, qua præ cæteris creaturis anima Christi perspicacius et sublimius divinitatem intuetur. *Vel* aliter dico, Isidorum nil aliud significare, quam quod Incarnationis mysterium sit incomprehensibile, sicut et mysterium Trinitatis, ut ipsemet docet pene similibus verbis lib. 1. sententiarum cap. 3. dicens : *Sola Trinitas sibi integre nota est, et humanitas a Christo suscepta :* quibus verbis dicit Trinitatem tantum sibi esse notam, sicut et humanitatem assumptam, ut significet hoc utrumque mysterium soli Deo esse perfecte notum; quapropter Apostolus incarnationem appellat investigabiles Dei divitias.

Conclusio tertia. — Probabilius est, quod anima Christi non videat omnia quæ Deus videt scientia simplicis intelligentiæ, puta omnia possibilia. Hæc videtur esse genuina Doctoris sententia n. 20. ut colligit ibidem ejus Scholiastes, quamquam revera potius videatur dubius hac in resolvenda difficultate.

Probatur itaque *primo:* Si anima Christi videret omnia objecta possibilia, maxime vel per plures visiones, vel per unicam : sed neutrum dici potest. Non quidem *primum,* quia cum objecta illa supponantur numero infinita, oporteret etiam illum habere actu infinitas cognitiones : sed finita facultas, qualis est anima Christi, non potest habere actu infinitas cognitiones, quia repugnat, quod potentia finita tantum præstare possit quantum infinita ; maxime in eo, quod dicit perfectionem simpliciter simplicem : sed si intellectus creatus posset intelligere per infinitas intellectiones objecta infinita, id præstaret, siquidem id omne perciperet quod infinita virtus : hæc autem infini-

torum objectorum cognitio dicit perfectiones sine imperfectione. *Non etiam secundum*, quia illa unica cognitio *vel* ex natura sua intrinseca necessario repræsentaret illa omnia objecta possibilia formaliter, *vel* dumtaxat istud præstaret mediantibus quibusdam respectibus superadditis per modum accidentium, et quos non exigeret ex natura sua intrinseca. *Primum* autem dici nequit, quia revera tum illa visio esset infinitæ perfectionis, et vocari posset sapientia actualis infinita entitative, qualis soli Deo competit: siquidem illa visio non solum esset extensive infinita, quatenus tenderet in omnia objecta intelligibilia, sed etiam intensive: quia non videtur esse majoris perfectionis intensissime videre unum obiectum, quam perfecte videre omnia intelligibilia simul; nullus enim est qui non præferat visionem perfectam ut unam decem objectorum, quam visionem ut octo unius tantum objecti. *Insuper*, si intellectio una posset repræsentare infinita objecta, sequeretur, quod etiam intellectus esset infinitæ virtutis intellectivæ; siquidem non magis repugnat, quod intellectus creatus habeat virtutem infinitam indivisibiliter ad producendam intellectionem infinitæ perfectionis, quam quod intellectio creata habeat virtutem infinitam ad repræsentanda objecta infinita: sed repugnat, quod intellectus Christi habeat virtutem infinitam, alioqui illa virtute de facto donaretur: siquidem id omne perfectionis tribui debet animæ Christi, quod ei potest competere citra repugnantiam et indecentiam: igitur pariter repugnat, quod detur intellectio, quæ habeat vim infinitam repræsentandi infinita objecta ex ratione sua intrinseca. *Confirmatur* a simili; quia repugnat, quod unus homo possit æquivalere infinitis hominibus, quantum ad tollendum aliquod pondus infinitum, quod portari posset ab infinitis hominibus: quia oporteret illum hominem habere infinitam virtutem portandi: ergo pariter repugnat, quod una visio æquivaleat infinitis visionibus, quantum ad repræsentanda infinita objecta. — *Secundum* etiam non potest dici, nempe, quod illa visio repræsentaret omnia objecta possibilia mediantibus respectibus superadditis. *Primo*, quia, inquit Poncius ad præsentem quæstionem n. 108, necessum esset, quod isti visioni adderentur infiniti respectus ad illa infinita objecta possibilia, et sic daretur infinitum actu, quod repugnare demonstravimus in Physicis. *Secundo*, sequeretur, quod illi respectus essent visiones formaliter, et sic darentur plures visiones illorum objectorum, quod est contra hypothesim. *Probatur sequela*: quia per illos respectus viderentur objecta illa secundaria, non autem per ipsam visionem; nam posita tali visione, non perciperentur objecta, additis autem respectibus perciperentur: sed id quo videtur objectum est visio: ergo sequeretur, quod isti respectus essent visiones formaliter, et consequenter, quod infinitorum objectorum essent actu infinitæ visiones. *Confirmatur*, nihil enim aliud requiritur, ut aliquid dicatur visio, quam quod faciat percipere objectum visibile, et insit in ipso intellectu vidente: at revera oporteret respectus illos esse in intellectu, quippe afficerent actum intellectus, et illis mediantibus respectibus intellectus diceretur percipere objecta visibilia, quæ illis respectibus seclusis non videret: igitur illi respectus revera essent visiones. *Deinde*, sequeretur etiam, quod visio non esset forma absoluta, sed respectiva, quia si per superadditum aliquem respectum possit repræsentari for-

maliter aliquod objectum visibile, aut cognoscibile, nulla est ratio, quin pariter omnia alia objecta per similem respectum possent repræsentari, et consequenter inde sequeretur, quod nulla visio probari posset esse forma absoluta. — *His adde*, quod omnis potentia creata limitata et determinata sit ad determinatum numerum objectorum, ultra quem simul non potest plura intelligere. Quod utique colligitur ex distractione, et minori attentione intellectus ad plura objecta, quæ sane minor attentio, aut distractio non provenit ex productione visionis, quia alias sequeretur, quod ignis per simultaneam productionem plurium ignium pateretur etiam distractionem et diminutionem suæ virtutis; nec etiam oritur ex impotentia organorum, quia alias illa minor attentio circa plura objecta, quam circa pauciora, non esset in Angelis; sed oritur ex limitatione virtutis suæ ad percipienda simul plura objecta per distinctas visiones.

Dices 1: Si fieret distractio cognitionis, et minor attentio in cognitione plurium, quam in cognitione unius dumtaxat objecti, sequeretur, quod Christus minus perfecte cognosceret divinam essentiam, si cum ea etiam alia objecta secundaria simul intelligeret, quam si illam dumtaxat videret, et sic non haberet summam visionem divinæ essentiæ: sed hæ consequentiæ videntur absurdæ: ergo falsum est, quod per cognitionem plurium objectorum distrahatur attentio, et fiat minor cognitio. — **Distinguo majorem**: id sequeretur si illa cognitio fieret per plures visiones, concedo: si per unicam, nego. Fateor equidem, quod si cognitio fiat per plures visiones, tunc distrahetur intellectus, et singulæ cognitiones erunt minus perfectæ; secus vero est quando unica cognitione intellectus plura percipit, tunc enim illa cognitio sese extendens ad plura objecta, maxime quando sunt invicem subordinata, non dicitur minus perfecta, imo præstantior.

Instabis: Si per cognitionem plurium objectorum, quæ unica visione percipiuntur, non fiat distractio: ergo per unicum actum visionis Christus poterit percipere omnia prorsus objecta possibilia. — **Nego istam sequelam**, quia nempe aliunde ipsi repugnat illa cognitio omnium objectorum possibilium, cum enim cognitio illa sit actualis, si actu perciperet omnia illa objecta, cum supponantur infinita, sequeretur eum habere cognitionem non solum extensive, sed etiam intensive infinitam, ut dictum est.

Urgebis: Si distrahatur intellectus, et fiat minor illius cognitio, dum diversas habet cognitiones, consequens erit, quod Christus non habebit ita perfectam cognitionem essentiæ divinæ intelligendo simul omnia alia objecta per scientiam infusam, seu acquisitam, ac haberet si illa per has scientias non intelligeret: sed falsum *consequens*: ergo et *antecedens*. — **Distinguo majorem**: si cognosceret per plures cognitiones, quæ tenderent in diversa objecta, ita quod objectum terminativum unius cognitionis non esset terminativum alterius, concedo: secus, nego. Fateor equidem, quod intellectus distrahatur per plures cognitiones, quando tendunt in objecta diversa; at non ita contingit, quando illæ diversæ cognitiones circa eadem objecta versantur: cognitiones autem quas Christus habet per scientiam infusam aut acquisitam non tendunt circa diversa objecta, sed circa eadem diversimode cognita, unde non debet fieri illius intellectus di-

stractio. *Addo* cum Poncio n. 114. quod equidem Christi cognitio beatifica distrahi deberet per cognitionem infusam, aut acquisitam aliorum objectorum, nisi Deus ex speciali beneficio vellet ipsum habere cognitionem beatificam in summo gradu; et ideo per abundantius lumen gloriæ, ac singularem concursum ita confortaret illius virtutem intellectivam, ut per cognitionem aliorum objectorum non fieret minor, nec minus attenta cognitio beatifica.

Dices 2: Si Christus non posset videre per intellectum creatum objecta possibilia, maxime quia ex infinitate illorum objectorum sequeretur illius cognitionem esse infinitam intensive: sed hoc est falsum: siquidem tantum inde liceret inferre, quod illa cognitio esset extensive infinita, quia nempe tenderet in objecta numero infinita: at ex cognitione infinite extensiva non colligitur cognitio infinite intensiva: sicut licet in quanto sint infinitæ partes in potentia divisibiles ab aliquo dividente, non sequitur, quod aliquod dividens creatum habeat actu virtutem infinitam ad dividendas illas partes. *Deinde*, licet visio beatifica terminetur, et sese extendat ad infinitatem Dei; tamen illa non est infinita intensive, quia, ut diximus, non videt infinitatem infinito modo. *Denique*, Doctor refellit rationes, quibus S. Bonaventura probabat Christum non videre actu infinita: *Primo*, quia inde sequeretur, quod intellectus animæ Christi tantum intelligeret quantum intellectus divinus, et ut sic haberet virtutem infinitam: *secundo*, quia virtus infinita distinctius et perfectius videt duo quam tria, et tria quam quatuor, et ita ascendendo in infinitum, semper minus distincte et perfecte videre poterit plura quam pauciora: ergo si videret infinita infinities, minus clare et distincte ea videret, quam si videret dumtaxat infinita: sed quod infinities minus perfecte et distincte videtur, perinde est, ac si nullo modo videretur: *tertio*, quia infinita extensive virtus præsupponit infinitam intensive virtutem: sed anima Christi non potest sese extendere ad objecta numero infinita. Doctor, inquam, n. 21. has rationes solvit ac refellit: sed illæ eædem sunt rationes, quibus præfatam nostram Conclusionem firmavimus: ergo nostra assertio Subtilis Doctoris sententiæ, et doctrinæ adversatur. — **Nego has omnes consequentias**, et ad *primam rationem* dico, equidem ex cognitione extensiva non recte colligi cognitionem intensivam, quando cognitio extensiva non versatur circa objecta quæ actu, sed dumtaxat potestate intelligantur, concedo: quando illa cognitio extensiva supponitur de facto versari circa infinita objecta actu cognita, nego. Cum enim, ut diximus, per cognitionem plurium objectorum non subordinatorum, quæ necessario diversis cognitionibus debent attingi, fiat distractio intellectus, et singulæ cognitiones sint minus perfectæ, consequens est, quod si aliquis actu perfecte et distincte cognosceret objecta numero infinita, necessario deberet habere virtutem intelligendi infinitam, sicut si quis de facto divideret infinitas partes continui, deberet habere vim divisivam infinitam. *Ad secundum dico*, disparitatem esse inter cognitionem Dei, ut infiniti, et infinitorum objectorum, quod cognitio Dei sub ratione infiniti possit fieri modo finito, non enim requiritur ut tanta sit perfectio in cognoscente, quanta est in objecto cognoscibili; quippe Deus visus ut infinitus non percipitur necessario secundum omnem omnino gradum suæ perfectionis

et infinitatis: sicut v. g. ut sol videatur quatenus lucidus, non est necesse, quod percipiatur secundum omnem gradum et perfectionem sui luminis, alioqui non posset perfectius videri ab uno oculo, quam ab altero; at ut omnia objecta possibilia actu viderentur, necessum esset, quod intellectus videns haberet virtutem infinitam, quia vel illa videret per unicam visionem, vel per plures: si per unicam, oporteret, quod illa intellectio esset actu infinita in repræsentando, quia actu repræsentaret infinita objecta, quæ in ipsa relucerent, et per illam fierent manifesta intellectui: virtus autem productiva actionis infinitæ debet esse infinita, et consequenter intellectus Christi productivus illius infinitæ intellectionis deberet habere virtutem infinitam. Idem dicendum si illa objecta cognosceret per infinitas numero intellectiones, quia sicut virtus ut duo requiritur ad producendas intellectiones duorum objectorum, sic requiritur virtus ut quatuor ad producendas intellectiones totidem objectorum: ergo pari ratione virtus infinita desideraretur, ut producerentur infinitæ cognitiones infinitorum objectorum. *Ad tertium*, dico Doctorem eatenus refellere rationes S. Bonaventuræ, quatenus Seraphicus Doctor volebat non solum quod intellectus aliquis creatus nedum numero infinitas intellectiones posset producere, sed nec aliunde productas recipere: quod utique non approbat Doctor, unde ibidem ait: *Potest dici, quod videre indistinctius respectu plurium non necessario est ex parte intellectus ut receptivus est, sed solum ut elicitivus: posset enim recipere visiones æque distinctas plurium, ac paucorum: et ita si ratio valeret, concluderet solum, quod intellectus non possit esse elicitivus respectu infinitarum visionum.* Et infra: *Infinitas extensiva ad aliqua, vel ad formas recipiendas, non concludit infinitam entitatem receptivi, sicut patet de materia, si esset receptiva infinitarum formarum: imo magis concludit imperfectionem: sed infinitas aliqua extensiva, ut ad effectus simul causabiles concludit infinitatem extensivam, eo quod talis pluralitas concludit majorem perfectionem in eo, quod ad plura se extendit, non ita de receptiva.* Quibus verbis Doctor aperte significat, quod etsi forte intellectus sit receptivus infinitarum numero intellectionum divinitus productarum, sicut et infinitarum numero specierum intelligibilium, quales aliqui Theologi volunt concessas fuisse Angelis ab instanti suæ formationis; non tamen sequitur, quod posset idem intellectus infinitas numero intellectiones producere; quæ est ipsamet ratio, qua nostram Conclusionem firmavimus: ergo Doctor nobis non adversatur. *Nec refert*, quod ibidem subjiciat: *Si tamen, et intellectus ponitur elicitivus infinitorum; dico, quod nec illa infinitas extensiva concludit infinitatem extensivam intellectus, sed objecti: quia objectum est causa principalis activa respectu illarum visionum, et non intellectus.* Id, inquam, non obstat, quia his verbis nihil aliud significare intendit, quam quod licet intellectus diceretur elicere cognitionem infinitorum objectorum, non propterea dici deberet infinitus, quia non esset causa principalis cognitionis illorum objectorum; sed Deus ipse, qui extraordinario modo concurrens cum istis produceret eorum visionem in ipso intellectu Christi, sicque intellectus magis diceretur receptivus, quam productivus talis cognitionis.

Conclusio quarta. — PROBABILIUS EST INTELLECTUM CHRISTI NON VIDERE OMNIA QUÆ DEUS VIDET SCIENTIA VISIONIS, SED DUMTAXAT ALIQUA: IDQUE NON ACTUALITER, SED HABITUALITER: NON QUIDEM PER LUMEN GLORIÆ, AUT ALIQUAM QUALITATEM, SED EX EO QUOD HABEAT ACTUM VISIONIS BEATIFICÆ CIRCA OBJECTUM REPRÆSENTATIVUM EORUM OMNIUM QUÆ CHRISTUS VULT COGNOSCERE. Hæc videtur conformior menti Doctoris, quantum ad tres partes, quibus constat, quarum

Prima est contra Thomistas affirmantes animam Christi per scientiam beatam cognoscere in divina essentia omnia prorsus præsentia, præterita et futura. *Probatur* autem, quia objecta futura possunt esse numero infinita, puta infinitæ hominum et Angelorum cognitiones et affectus per totam æternitatem: sed, ut dictum est, Christus non potest intelligere objecta infinita, eadem enim currit ratio de istis objectis futuris, ac de possibilibus: ergo, etc.

Secunda pars similiter constat, nempe quod Christus non videat illa objecta habitualiter, tamquam per lumen gloriæ, aut alterius qualitatis, quæ per modum habitus repræsentaret intellectui omnia objecta futura; quia non magis intellectus Christi posset determinari per seipsum ad videnda illa objecta, quam per lumen gloriæ, aut per aliquam similem qualitatem, quæ se haberet per modum habitus: sed non potest determinari per ipsum ad illa omnia objecta videnda: ergo nec a lumine gloriæ. *Major* constat, quia non aliunde lumen gloriæ posset determinare intellectum ad illa objecta percipienda, quam quia ex se posset concurrere ad cognitionem istarum cognitionum, quibus illa objecta percipientur: atqui pari ratione intellectus posset concurrere ad illas cognitiones: ergo id magis fieri non potest per lumen, quam per intellectum, maxime cum intellectus sine ullo lumine gloriæ, et cum solo uberiori actuali concursu possit determinari ad cognitionem objectorum: lumen autem gloriæ non posset concurrere ad illam visionem, nisi dependenter ab intellectu. Hæc pars confirmabitur paulo infra.

Tertia pars etiam constat, nempe quod Christus eatenus videat objecta futura, quatenus nempe videt essentiam divinam instar speculi voluntarii, et ut est repræsentativa eorum omnium vel ex possibilibus, vel ex futuris, quæ Christus vult cognoscere; hac enim ratione Christi cognitio dici potest perfectissima quia licet non actu percipiat omnia prorsus objecta, tamen semper ejus intellectus est paratus in actu primo ad illa detegenda, quoties vel ad sui felicitatem accidentalem, vel ut ad aliorum quæsitum respondeat, illa objecta cognoscere cupiet.

EX HIS COLLIGE, quod hoc postremo modo sit intelligendus Doctor Subtilis, dum dicit Christum videre omnia habitualiter in Verbo. Intelligendus autem est juxta secundam partem præsentis Conclusionis, dum negat secundum sententiam S. Bonaventuræ Christum videre omnia habitualiter, eo scilicet modo, quo Seraphicus Doctor affirmabat in intellectu Christi aliquam esse qualitatem per modum habitus, quo fieret, ut Christus posset habitualiter cognoscere omnia objecta tam possibilia, quam futura; quod utique Doctor expugnat ostendendo, quod habitus ille omnium objectorum repræsentativus sit impossibilis;

tum quia vel habitus ille esset ratio cognoscendi infinita objecta per se præcise, et sic haberet virtutem infinitam in repræsentando, quod repugnat ex dictis: *vel* id præstaret mediantibus respectibus fundatis in ipso habitu, per ordinem ad ipsa objecta intelligibilia, quod pariter dici nequit: quia, qua ratione ponuntur infiniti respectus in tali habitu, ne concedatur habitum illum esse infinitum, eadem ratione possunt fundari infiniti respectus in aliquo actu, qui tamen propterea ex illa sententia non esset infinitus: at in eadem sententia non admittitur actus aliquis fundans infinitos respectus ad infinita objecta: ergo neque admitti debet habitus. *Præterea,* impossibile est infinitos respectus fundari in habitibus ad objecta, quin ponatur iste habitus infinitus actu, nam habitus non habet alium respectum ad objectum suum, quam *vel* respectum causati ad causatum, *vel* mensurati ad propriam mensuram: ergo si habeat infinitos respectus mensurati ad mensuram, iste habitus erit infinite mensuratus: esse autem infinite mensuratum est esse infinite perfectum; quia mensurari est perfici, *vel* saltem perfectum cognosci: ergo habitus erit non modo infinitus extensive, verum etiam intensive. Hinc merito Poncius carpit Suarium, quod dixerit disput. 26. *circa principium,* Doctorem Subtilem a sententia S. Bonaventuræ, quam impugnavit, parum recessisse, eam explicando alio modo minus probabili: in quibus verbis, inquit Poncius, licet paucis, ter crasse erravit Suarez: *Primo,* dum dixit parum abfuisse Scotum a sententia S. Bonaventuræ, quam impugnavit; tantum enim abest ab illa sententia, quantum ultima pars hujus conclusionis, quæ est affirmativa, distat a prima, quæ est negativa, et quarum una nihil prorsus habet connexionis cum altera, ut manifestum est. *Secundo,* dum dixit Scotum sententiam S. Bonaventuræ a se impugnatam postea explicasse aliter; nam licet aliter explicaverit *ly habitualiter,* quam S. Bonaventura, tamen non aliter explicavit sententiam S. Bonaventuræ, sed statuit aliam sententiam toto cælo distinctam. *Tertio,* dum dixit explicationem Scoti esse minus probabilem; nam ex dictis constat oppositum. Fallitur etiam ulterius, dum ibidem putat Scotum dixisse, quod visio actualis aliquando se haberet per modum actus primi, aliquando per modum actus secundi: non enim somniavit hoc Scotus; sed solum dixit, quod mediante visione, qua tamquam actu secundo videt objectum beatificum potens et paratum omnia intelligibilia repræsentare, habet applicatum actum primum sufficientem ad causandum cum intellectu cognitionem cujusque intelligibilis; non quidem conjunctim, sed divisim, quod sine dubio verum est. Hæc Poncius.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM PRÆTER SCIENTIAM BEATIFICAM CHRISTUS HABUERIT SCIENTIAM INFUSAM, QUA RES IPSAS IN PROPRIA EARUM NATURA COGNOSCERET.

Notandum 1. Triplicem distinctam creaturarum cognitionem et scientiam attribui Christo, nimirum Beatificam, Acquisitam, et Infusam. *Beatifica* est, qua res creatas cognoscit in essentia divina; *Acquisita* dicitur, quam proprio studio et experientia sua comparavit;

Infusa vero ea est, quam ipsi Deus indidit imprimendo ejus intellectui species repræsentativas rerum creatarum. *Insuper*, scientia divinitus indita alia est infusa per se, et alia per accidens. Dicitur infusa *per accidens*, quæ quantum est ex se, de facto comparari posset per studium et exercitationem intellectus; nihilominus infunditur a Deo, ut is, qui illam obtinet, non solum promptius et facilius, sed etiam perspicacius res cognoscat. Talis fuit scientia illa, quam Adamus et Salomon sibi divinitus inditam habuerunt de rebus naturalibus, quas temporis successu proprio studio potuissent sibi comparare, sed necessario debet a Deo infundi, qualis est scientia, seu cognitio evidens de rebus supernaturalibus. Quæritur autem impræsentiarum, an Christus habuerit scientiam infusam, non solum per se, sed etiam per accidens, qua nedum res supernaturales, sed etiam naturales in propria earum natura noverit.

Notandum 2. Discrimen statui inter scientiam beatam, et scientiam in proprio genere; non quidem penes objecta cognita: nam eadem objecta, quæ cognoscuntur in Verbo, seu in essentia divina, etiam cognosci possunt in proprio genere; sed invicem distinguuntur penes media diversa; nam medium cognitionis *scientiæ beatificæ* est ipsa divina essentia, quatenus repræsentativa rerum, quas eminenter et virtualiter continet, et habet vim infinitam eas repræsentandi: scientiæ vero infusæ medium sunt species intelligibiles divinitus inditæ, quæ res cognoscendas repræsentant non secus ac si illæ species essent proprio labore comparatæ. Hinc cognitio beatifica habet pro objecto immediato *quod* ipsam essentiam divinam, et pro secundario ipsas creaturas, quæ videntur in essentia divina. Cognitio vero *Acquisita*, vel *Infusa* terminatur ad ipsas creaturas tamquam ad objectum primarium, quod per se, et non in alio videtur, aut intuitive, aut abstractive, et ideo hac ratione res dicuntur videri in genere proprio. Cum autem prius medium longe sit clarius et præstantius, etiam longe clariori ac præstantiori modo res videntur in essentia divina, quam in proprio genere. Unde cognitio beatifica dicitur *Matutina*, infusa vero vel comparata *Vespertina* appellatur. *Advertendum* insuper, scientiæ infusæ objecta esse vel divina, ut ea quæ spectant Deum unum et trinum, necnon et Incarnationem Verbi; vel supernaturalia ut gratia, etc.; vel pure naturalia.

Notandum 3. Unam et eamdem speciem intelligibilem non posse simul plura objecta distincte repræsentare, ut ex professo docet Doctor in 2. dist. 3. q. 10. Quod utique variis rationibus probat; maxime vero quia una et eadem res non potest esse repræsentatio naturalis rerum dissimilium: sed naturæ et quidditates rerum, sunt inter se valde dissimiles: igitur una species non potest esse earum perfecte repræsentativa. *Deinde*, quidquid est ratio cognoscendi distincte plura, necessario debet habere unum objectum, in quo perfecte illa plura continentur, et velut adunantur: quod utique patet exemplo essentiæ divinæ, quæ est repræsentativa omnium creaturarum, idque distincte, et perfectissime, quia omnia perfectissime continet, et suo sinu claudit: sed una species non habet aliquod objectum primum includens virtualiter omnes alias quidditates secundum totam suam cognoscibilitatem; nulla enim est creatura, quæ virtualiter contineat alias creaturas secundum omni-

modam earum cognoscibilitatem: igitur una species non potest esse repræsentativa omnium omnino aliarum quidditatum. *Denique*, colligitur infinitas divinæ essentiæ ex infinitate eorum, quæ per ipsam repræsentantur: ergo pari ratione, si daretur aliqua species, quæ haberet vim repræsentandi omnia prorsus objecta, etiam infinitatem sibi vindicaret: hoc autem est falsum.

Conclusio prima. — Præter scientiam beatam, est etiam admittenda in intellectu animæ Christi scientia quædam infusa.

Probari potest Conclusio illis omnibus Scripturæ textibus, quibus supra probatum est in Christo fuisse omnia dona Spiritus sancti, inter hæc enim sunt dona sapientiæ et scientiæ. Item ex illis ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei:* scientia autem infusa est nobilissima portio Scientiæ supernaturalis, quæ maxime designatur ab Apostolo nomine scientiæ Dei; unde Joan. 7. mirantibus Judæis, ac dicentibus: quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? respondit Jesus: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me:* quasi diceret: non illam mea industria comparavi, nec ab homine docente didici, sed a Patre meo mihi fuit indita.

Probatur etiam ab omnibus Theologis; maxime vero a nostro Alensi 3. p. q. 13. memb. 2. ubi distinguit sex modos scientiæ in Christo. « Quorum *primus* est, inquit, quo Christus omnia novit, quia « Deus, et hæc scientia non est accidens, sed substantia, et Deus ipse. « *Secundus* modus est quo omnia novit ratione gratiæ unionis, et hic « modus dicit tantum excellentiam quamdam scientiæ animæ Christi « illi necessario debitam, ratione gratiæ unionis hypostaticæ. *Tertius* « modus est quo cognovit omnia notitia comprehensorum et Beatorum, « et de illo modo Quæstione præcedenti disputavimus. *Quartus* modus « est quo cognovit omnia secundum perfectionem naturæ integræ, quo- « modo Adam cognovit omnia, et hic modus est scientia infusa. *Quintus* « modus est quo cognovit aliqua per experientiam in parte appetitiva, « de quo modo loquitur Apostolus ad Hebræos 9. *Didicit ex illis, quæ* « *passus est, obedientiam. Sextus* tandem modus est quo cognovit aliqua « per experientiam in parte sensitiva, et hic sextus modus differt a « quinto, quod quintus modus dicat tantum experientiam dolorum et « pœnalitatum, quas Christus tulit; unde dicitur modus sciendi se- « cundum naturam pœnalem assumptam; sextus modus vero dicit « præcise cognitionem intellectivam comparatam beneficio sensuum, « quam Christum habuisse inferius probabimus ».

Probatur insuper hac ratione: Sicut se habet gratia ad voluntatem, sic scientia ad intellectum: sed in Christo fuit plenitudo gratiæ infusæ: ergo et scientiæ plenitudo. Non esset autem plenitudo scientiæ, nisi esset aliqua infusa: ergo in Christi anima fuit aliqua scientia infusa. *Præterea*, si non esset admittenda ejusmodi scientia infusa in Christo, maxime quia pugnat cum scientia beata, quam intellectus animæ Christi habet in Verbo; vel saltem quia data scientia beata, frustra daretur scientia infusa: sed neutrum dici debet. Non quidem *primum*, quia ex S. Augustino, q. 26. ad Orosium, *Cognitio creaturæ in semetipsa est vespera, in Deo est mane:* sed ex eodem S. Augustino 4. super

Genesi ad litteram, *In cœlesti patria simul est mane, et vespera:* ergo in Christo utpote beato, simul est mane, et vespere. Non etiam *secundum*, quia, data scientia beata, iterum datur infusa, non ad cognoscendum simpliciter, sed ad cognoscendum distinctis mediis: at vero data cognitione alicujus per unum medium, non est frustra cognitio ejusdem per aliud medium; sicut patet de terra, cujus rotunditas semel probata per medium physicum, non propterea frustra probatur per medium mathematicum: ergo, data scientia beata, qua intellectus animæ Christi videt res in Verbo, per Verbum, tamquam per unum medium, non datur frustra scientia infusa, qua res easdem cognoscat per species infusas, tamquam per aliud medium.

Objicies 1. Non possunt simul subsistere scientia et opinio: igitur multo minus scientia beata et infusa. *Antecedens* patet ex Aristotele 1. *Posteriorum*, et abunde probatum est in tertia parte nostræ Logicæ. *Consequentia probatur:* quia plus invicem distant ratio increata et creata, quam duæ rationes creatæ: sed scientia beata habetur per medium increatum; scientia vero infusa per medium creatum, nempe per species inditas; scientia vero et opinio habentur per rationes creatas: igitur, etc. — **Nego consequentiam,** et ad probationem dico, scientiam creatam et increatam magis quidem distare, quam scientiam et opinionem in ratione entis, non vero scientiæ; nam utraque scientia facit assensum firmissimum, licet per distinctas rationes; et ideo non repugnat simul existere in eodem intellectu scientiam beatam et infusam: at vero opinio et scientia, licet conveniant in ratione entis creati, maxime tamen disconveniunt in ratione assensus; quippe opinio facit assensum dubium; scientia vero assensum omnino certum.

Dices 2: Præsente cognitione perfecta, excluditur omnis cognitio imperfecta: sed scientia infusa comparata ad scientiam beatificam est imperfecta: ergo hæc per illam excluditur. *Insuper*, minus lumen excluditur per majus: sed lumen scientiæ infusæ minus est, quam scientiæ beatificæ: ergo hæc illud excludit. *Denique*, una et eadem facultas non potest elicere simul duas actiones: ergo nec intellectus potest habere duas cognitiones, quarum una sit beatifica, alia infusa. — **Respondeo ad primum,** distinguendo *majorem:* cognitio absolute imperfecta excluditur per perfectam, concedo: quæ solum est imperfecta comparate, nec ex se opponitur perfectioni, nego. Scientia autem infusa non est absolute imperfecta, sed tantum comparate; nec per se opponitur scientiæ beatificæ, ideoque per illam non excluditur. *Ad secundum* dico *majorem* esse veram, si utrumque lumen majus et minus, sint ejusdem ordinis, qua ratione lumen Solis offuscat lumen stellarum; falsum autem quando ista lumina sunt diversi ordinis: at scientia beata et infusa sunt diversi ordinis et status; siquidem beata spectat ad ordinem gloriæ, infusa vero ad ordinem gratiæ: similiter beata pertinet ad statum comprehensoris, infusa vero ad statum viatoris. *Ad tertium* denique distinguo *majorem:* una et eadem facultas non potest habere duas operationes adæquatas, concedo: inadæquatas, nego. Cognitio autem beatifica, seu quæ habetur per medium beatificum, scilicet per essentiam divinam, et illa quæ habetur per medium infusum, scilicet per species divinitus inditas, non sunt adæquatæ, sed inadæquatæ, quippe cum haberi possint circa idem objec-

tum per diversum lumen, et una subordinetur alteri, tamquam minus perfecta præstantiori.

Conclusio secunda. — PROBABILIUS EST CHRISTUM DOMINUM PER SCIENTIAM INFUSAM COGNOVISSE MYSTERIA DIVINA, PUTA DEUM UT UNUM ET TRINUM; NON SOLUM QUANTUM AD QUÆSTIONEM AN SIT, SED ETIAM QUOAD QUÆSTIONEM QUID SIT.

Probatur: Christo concedenda est per scientiam infusam notitia eorum omnium objectorum, quæ nullam secum important repugnantiam aut indecentiam: at nihil obstat quominus per illam scientiam mysteria divina noverit Christus: igitur fatendum est illa novisse. *Major* patet ex pluries dictis; quod nempe in tantum dignificanda et celebranda sit Christi humanitas ac perfectio, quantum fieri potest absque ulla repugnantia. *Minor* vero *probatur:* si quid obesset quominus anima Christi per scientiam infusam novisset ista divina mysteria, maxime quia, ut volunt moderni Theologi, non potest cognosci quidditative mysterium Trinitatis, v. g. nisi etiam cognoscatur intuitive: sed hæc ratio nulla est. *Probatur:* notitia quidditativa in genere non debet esse necessario intuitiva, alioqui rerum essentias nusquam quidditative cognosceremus; siquidem vix unquam accidit, ut eas noverimus intuitive: ergo neque cognitio quidditativa objecti divini necessario debet esse intuitiva. *Antecedens* constat. *Consequentia* probatur a Doctore Subtili in 2. dist. 3. qu. 9. et 10. illudque fuse cum ipso probavimus in Tractatu *De Angelis*, ubi agendo de cognitione Angelorum, docuimus Angelos adhuc viatores habuisse speciem impressam, per quam Deum unum et trinum revera quidditative, non tamen intuitive sed abstractive cognoverunt. *Probatur insuper:* si quæ sit ratio, ob quam notitia Dei debeat necessario esse intuitiva, maxime, ut volunt Recentiores, quia existentia Dei est de intrinseca ratione ejus, ac proinde, viso Deo quidditative, videri quoque debet quatenus est actualiter existens: at hæc ratio nulla est. *Primo*, quia certum non est existentiam divinam esse gradum formaliter constitutivum essentiæ divinæ; siquidem plurimi Theologi docent illam esse dumtaxat modum intrinsecum primario circumstantem et afficientem ipsam divinam essentiam. *Deinde*, etiamsi vere existentia divina sit de essentia Dei, inde non est consequens, quod, viso Deo quidditative et essentialiter existente, necessario videri debeat intuitive; siquidem ad cognitionem quidditativam singularium sufficit quod cognoscantur abstractive, maxime cum non sunt per se præsentia facultati cognoscenti, licet cognoscantur ut actualiter existentia: at vero Deus potest cognosci ab intellectu creato, non ut præsens facultati cognoscenti, et tamen ut existens actu, sicut quidditative cognitus est ab Angelis adhuc viatoribus per speciem impressam, quæ divinam essentiam ipsis clare et distincte exhibebat: igitur licet existentia divina sit prædicatum essentiale Dei; inde non sequitur, quod si Deus cognoscatur quidditative, necessario debeat cognosci intuitive: et subinde potuit intellectus Christi per scientiam infusam divina mysteria quidditative cognoscere.

Confirmatur ex doctrina Doctoris Subtilis in 4. qu. 3. ubi docet posse Beatum habere in memoria actum recordationis suæ visionis bea-

tificæ, si videlicet illa non continuaretur: at per illum actum cognoscere posset abstractive objecta divina, quæ per scientiam beatificam intuitive novit. Hinc ipsemet Doctor in 2. dist. 3. qu. 9. docet S. Paulum recordantem visionis Dei præteritæ, quam habuit in exstasi, potuisse divinam Trinitatem per illas species præteritæ visionis in memoria conservatas distincte cognoscere: igitur pari ratione per scientiam infusam, et species sibi divinitus inditas potuit intellectus Christi clare et distincte cognoscere mysterium Trinitatis, et alia mysteria divina.

Confirmatur insuper: intellectus animæ Christi, præcise spectatus secundum statum viatoris, ea debuit nosse, quæ maxime conducebant ad illius animæ perfectionem, et delicias, salva unione hypostatica, et debitis ejus circumstantiis: sed illa cognitio divinorum mysteriorum maxime conducebat ad animæ Christi perfectionem, et delicias, nec ullatenus pugnabat cum ejus unione hypostatica, aut illius circumstantiis: igitur etc. *Minor* constat quantum ad primam partem; si enim perfectio sit, et quædam animi voluptas novisse veritatem aliquam naturalem, longe major et amplior erit nosse summam veritatem, puta Deum, ac divina ejus mysteria. *Probatur autem quoad secundam partem:* ideo enim scientiam infusam de divinis mysteriis denegant animæ Christi recentiores Theologi, *vel* quia illam superfluam judicant: *vel* quia censent illam esse incompossibilem cum visione beatifica: sed neutra ex illis rationibus est valida. *Non quidem prima:* siquidem, ut jam diximus, una et eadem res non cognoscitur frustra, quando diverso lumine, et per diversa media, ac diversas notitias ab eodem intellectu percipitur. Non etiam *secunda,* nulla enim apparet ratio hujusmodi incompossibilitatis. Cum enim Christus Dominus fuerit simul comprehensor et viator, inde fit, quod licet ut comprehensor debuerit habere notitiam mysterii Trinitatis ut præsentis; tamen ut viator potuit ejus mysterii habere notitiam abstractivam, et illud nosse, non sub ratione præsentis et moventis ad sui cognitionem per suam præsentiam; sed id potuit obtinere, *vel* per speciem luminis gloriæ; nam cognoscendo perfecte et adæquate lumen gloriæ, potuit illius habere speciem impressam, et cognoscere omnes illius habitudines; cum autem lumen gloriæ habeat intrinsecam habitudinem ad Deum ut Trinum et Unum, quatenus in se, et per se visum, idcirco potuit intellectus animæ Christi videndo istud lumen gloriæ, etiam videre istam habitudinem; et consequenter terminum ejusdem habitudinis, qui est Deus ut Trinus et Unus: *vel* potuit illud mysterium cognoscere per speciem impressam possibilem repræsentantem ipsum, non quidem ut absens aut ut præsens, sed tantum secundum se præcise, abstrahendo ab absentia aut præsentia ejus: igitur nihil obstat tam ex parte visionis beatificæ, quam ex parte illius circumstantiæ, quominus Christus nosse potuerit divina mysteria per scientiam infusam.

Dices: Illa cognitio divinorum mysteriorum aut esset clara, aut obscura: at non potuit esse obscura; tum quia notitia obscura et inevidens objecti non potest subsistere cum illius cognitione beatifica, et idcirco diximus fidem non habere locum in intellectu Christi: non etiam clara, quia clara cognitio abstractiva Dei *aut* haberetur per

cognitionem alicujus creaturæ, *aut* per speciem impressam Trinitatis, et divinorum mysteriorum; *aut* per inevidentiam in attestante, et revelante, non quidem obscure, sed evidenter, in aliquo scilicet lumine: sed nullum horum trium potest asseri. *Non quidem primum*, quia nulla est creatura, quæ habeat connexionem in ratione effectus cum divina Trinitate, et aliis divinis mysteriis, ita quod ex sui cognitione possit intellectum creatum deducere in cognitionem causæ cujus est, et cum qua necessariam habet connexionem. *Non etiam secundum*, quia non est possibilis aliqua species impressa, quæ divinam Trinitatem repræsentet, siquidem Deus ut Trinus semper et ubique est præsens realiter per præsentiam et potentiam, et subinde non requiritur species impressa ad eum repræsentandum; siquidem hæc duntaxat est vicaria objecti ad ipsum repræsentandum, quando non est præsens; repræsentari enim est rem præsentem efficere. *Non denique tertium*, quia ex evidentia in attestante non habetur evidentia rei testificatæ: igitur ex nullo capite illa cognitio potuit esse clara et evidens; nec proinde scientifica. — **Respondeo** hanc cognitionem fuisse quidem claram, ratione scilicet speciei impressæ, cujus possibilitatem abunde satis et perspicue probavimus agendo de visione beatifica in *priori* volumine, necnon et in Tractatu *De Angelis*, solvimusque omnes instantias, quas adversus illam solito formant adversarii, quas hic referre et refricare tædiosum esset et otiosum.

Ex his colligе per illam scientiam infusam Christum Dominum etiam cognovisse suam Incarnationem; hæc namque cognitio maxime conferebat ad animæ Christi perfectionem, nec ullatenus ejus statum dedecebat. *Adde quod* per scientiam infusam potuit cognoscere extrema unita in Incarnatione, nempe Verbum, et humanitatem: potuit pariter cognoscere ipsam unionem actualem; quippe hæc minus videntur cognitu difficilia, quam mysterium Trinitatis; siquidem sunt ordinis aliquo modo inferioris, si ordinem hypostaticum aliquo modo distinguas ab ordine Divinitatis.

Conclusio tertia. — Intellectus animæ Christi per scientiam infusam novit omnia entia quæ per se sunt supernaturalia, ut sunt virtutes Theologicæ, gratia, lumen gloriæ, visio beatifica, etc. Hæc est communis apud Theologos, et

Probatur: Illorum omnium per scientiam infusam Christus cognitionem habuit, quorum haberi potest species per se infusa: at illorum entium supernaturalium haberi potest species infusa: igitur etc. *Major* constat; quippe Christus donari debuit cognitione eorum, quæ maxime conferebant ad illius animæ decus: rerum autem supernaturalium notitia maxime conferebat ad illustrandam Christi animam: igitur etc. *Minor* vero *probatur*; quia entia supernaturalia creata sunt finitæ et limitatæ entitatis, et consequenter finitam repræsentabilitatem habent, et subinde per speciem creatam possunt clare et distincte repræsentari.

Deinde, per cognitionem finitam clare percipitur eorum objectorum quidditas; siquidem hæc cognoscitur per visionem beatificam, quæ est cognitio creata et finita; quidni ergo per speciem divinitus inditam pari ratione repræsentari posset, et attingi?

Denique, si illa objecta non possent quidditative repræsentari, maxime (ut volunt quidam Recentiores etiam ex nostris) quia illa scientia terminatur ad Deum ut est in se: sed hæc ratio nulla est: tum quia, ut mox diximus, Deus ipse ut Unus et Trinus, potest etiam per illam scientiam infusam quidditative repræsentari et cognosci : tum quia, etiamsi taliter non cognosceretur ille ordo, quem entia supernaturalia dicunt ad Deum, non impediret quominus hæc possent cognosci; siquidem, ut taliter cognoscerentur, non esset necessarium, quod Deus etiam cognosceretur quidditative, ordo enim dependentiæ creaturarum a Deo cognoscitur quidditative, absque eo, quod Deus taliter cognoscatur.

Dices 1: Gratia sanctificans, et lumen gloriæ sunt entia supernaturalia : at illa non possunt cognosci per scientiam infusam ; gratia quidem, quia illa est participatio quædam divinæ essentiæ, juxta illud 2. Petri 1. *Maxima, et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ:* igitur non potest cognosci quidditative gratia sanctificans, nisi pariter cognoscatur divina essentia, cujus est participatio : sed hæc cognosci non potest per scientiam infusam : ergo nec illa. *Idem* constat de lumine gloriæ, cum enim lumen gloriæ excedat quodlibet aliud lumen creatum, et sit ordinis superioris ad illud, quippe cum spectet ad ordinem beatificum, qui est supremus inter entia creata, non potest per aliud lumen sibi inferius, qualis est scientia infusa, cognosci : igitur omnia entia supernaturalia non poterunt quidditative per scientiam infusam ab intellectu Christi cognosci. — **Nego minorem**, et ad *primum* dico, quod cum gratia non sit participatio substantialis et entitativa divinæ essentiæ, quia hæc est indivisibilis, sed tantum per quamdam imitationem, idcirco non est necesse quod, ut gratia cognoscatur quidditative, etiam divina essentia cognosci debeat quidditative, et quoad quæstionem, *quid sit:* sed sufficit, quod cognoscatur quoad quæstionem, *an sit. Deinde*, creaturæ omnes secundum entitatem naturalem sunt quædam participationes divinæ entitatis : at hæ possunt cognosci absque eo, quod Deus quidditative cognoscatur : ergo ut res participans quidditative sit nota, non est necesse, quod pari ratione participabile cognoscatur. *Ad secundum dico,* quod licet lumen gloriæ excedat quodlibet lumen creatum : nihilominus potest per inferius lumen cognosci : siquidem per ipsum lumen Deus cognoscitur intuitive, qui tamen longe altioris est ordinis, quam istud lumen : ergo per lumen inferius potest videri res superioris ordinis.

Instabis. Si Christus per scientiam infusam potuisset cognoscere lumen gloriæ, pari ratione etiam cognovisset visionem beatificam elicitam tam a se, quam ab aliis Beatis, sed falsum est, quod Christi anima potuerit per scientiam infusam cognoscere visionem beatificam : ergo etc. *Major* constat a paritate rationis : *Minor* vero *probatur*: qui cognoscit visionem, qua objectum videtur intuitive, etiam intuitive illud objectum cognoscit : sed per scientiam infusam Christus non potuit intuitive cognoscere Deum : ergo nec visionem, qua videtur Deus. — **Nego minorem**, necnon et *minorem* illius probationis : falsum enim est, quod qui videt medium, quo percipitur objectum, etiam illud objectum percipiat ; nam medium illud, quo percipitur objectum, non est ratio cognoscendi illud objectum cuilibet intellectui : sed tantum

illi, in quo est formaliter secundum entitatem propriam ; quare, quemadmodum Raphaël, v. g. videns speciem aliquam repræsentativam essentiæ divinæ existentem in intellectu Gabrielis, non propterea videt essentiam divinam, quia ejusmodi species non est ratio repræsentativa essentiæ divinæ in intellectu Raphaëlis, quippe in eo non est nisi objective, et non formaliter ; ita intellectus animæ Christi videns visiones beatificas in aliis intellectibus existentes, et natura sua ad Deum terminatas, non sequitur tamen Deum vidisse, saltem intuitive, sed ad summum abstractive ; quia visio beatifica non terminatur immediate ad Deum clare visum, nisi prout est in intellectu formaliter vidente per ipsam : intellectus autem animæ Christi non videt formaliter per visiones aliorum : ergo quantumcumque cognoscat illas per species, non sequitur tamen cognoscere Deum per ipsam, saltem intuitive.

Conclusio quarta. — Anima Christi per scientiam infusam cognovit cogitationes cordium, necnon et futura, etiam contingentia. Hæc Conclusio communior est pariter apud Theologos : maxime vero quantum ad *primam partem*, quæ

Probatur auctoritatibus Scripturæ sacræ, quibus constat Christum Dominum novisse interiores hominum affectus, et cordium cogitationes. Sic Matth. 9. *Cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et c. 12. *Jesus autem sciens cogitationes eorum, etc.* nihilque frequentius apud sacros Evangelistas, quam quod adorandus ille Salvator noverit omnia humani cordis arcana. Hinc S. Joannes c. 2. ubi dixit, quod cum *Christus esset Jerosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus videntes signa, quæ faciebat*, statim subdit : *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine.*

Favet etiam ratio ; siquidem illa arcanorum cordis notitia maxime decebat Christi Domini ministerium. *Primo* namque erat Judex non solum hominis exterioris, sed maxime interioris : at judex æquissimus nosse debet ea omnia, de quibus est dicturus sententiam. *Similiter* erat Doctor et magister hominibus destinatus : subinde nosse debuit tum ea quæ spectant ad actus interiores in ordine ad vitam æternam, sicut et ea quæ spectant ad actus exteriores, ut provideret de mediis et remediis ad illum finem conducentibus. *Denique*, supremum habebat dominium in omnes hominis actiones ; influere enim debebat in animas hominum tamquam caput in membra : dominus autem nosse debet ea omnia et singula quæ subsunt ejus dominio : igitur Christus quatenus Judex, Doctor, et Dominus debuit nosse cordium cogitationes.

Secunda pars etiam constat : Siquidem Christus Dominus plura novit futura, ut constat ex omnibus illius vaticiniis. Sic Matth. 26. in nocte passionis dixit Petro : *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Et Lucæ 19. *Videns civitatem flevit super illam dicens : quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis : quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relin-*

quent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Ad hæc, est eadem ratio, ac nunc insinuata, quia videlicet est futurus Judex omnium. — *Adde quod* ista pertinebant ad perfectionem prudentiæ ejus; nam vir prudens non debet tantum præsentia intueri, sed et præteritorum reminisci, et futura prævidere, et quanto eminet prudentia, tanto perfectius, et eo plura præterita et futura debet cognoscere.

Tertia pars etiam apparet, nempe, quod cum Christus cognoverit futura contingentia, ut contingentia sunt, seu quatenus pendent a libera hominum voluntate, non solum quæ revera erant extitura, sed etiam, quæ conditionate essent ventura, si talis conditio poneretur. Patet, inquam, de futuris contingentibus revera extituris in aliqua temporis differentia; nam Matth. cap. 26. Petro pronunciavit: *Antequam gallus cantet, ter me negabis:* illa autem trina negatio erat futurum contingens omnino libere pendens a libertate Petri; quod tamen evenit: ergo ejusmodi futura contingentia novit Christus. — Quod autem etiam noverit futura conditionate contingentia, similiter patet ex illo celebri vaticinio, quo habitatorum Bethsaidæ, et Corozaim cor impœnitens, et obduratum animum increpans, ait Lucæ 10. *Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida: quia si in Tyro, et Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere sedentes pœniterent.* Quibus verbis conditionate futuram Tyriorum ac Sydoniorum pœnitentiam exprimit: igitur illam noverat. — *Confirmatur:* nam anima Christi per scientiam infusam cognoscit ea, quæ maxime spectant ad suum statum, et ministerium: sed aliqua ex futuris conditionate libere contingentibus possunt spectare ad statum, et ministerium Christi Domini; nam prædicta Tyriorum et Sydoniorum conversio spectabat ad confirmationem prædicationis sui Evangelii, et ad convincendam singularem duritiem et obstinationem eorum, quibus annuntiabat Evangelium: igitur valde conveniens fuit, quod anima Christi Domini haberet cognitionem horum futurorum conditionatorum.

Objicies 1. Cognitio cogitationum et affectuum cordis est soli Deo propria, ipsique ut divinitatis indicium tribuitur: Sic 1. Reg. cap. 16. *Homo videt, quæ patent. Deus autem intuetur cor.* Et Jeremiæ 17. *Pravum est cor hominis, et inscrutabile, et quis cognosceret illud? Ego Dominus scrutans corda.* Unde SS. Patres Christi Domini Divinitatem maxime probarunt ex eo, quod secretissimas omnium cogitationes cognoverit et revelaverit. Sic S. Ambrosius, lib. 5. in Lucam ad illa verba Evangelii, *Ut autem vidit cogitationes eorum.* Sic pariter S. Hieronymus exponens cap. 9. S. Matth. Idem dicendum de futuris: eorum enim cognitio, et revelatio solum Deum spectat, juxta illud Isaiæ 41. *Annunciate ea, quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos:* unde Tertullianus in Apologetico cap. 20. præclare ait: *Idoneum opinor testimonium divinitatis, veritas divinationis:* at scientia infusa non convenit Christo ut Deo, sed ut homini: ergo nec cogitationes cordium, nec futura contingentia cognovit per illam scientiam infusam; sed vel per scientiam increatam quatenus Deus, et Verbum, vel ad summum per scientiam beatam, qua videbat quasdam creaturas relucentes, et sibi repræsentatas in essentia divina: igitur per scientiam infusam ista non cognovit. — **Respondeo** *distinguendo majorem:*

est soli Deo propria, quatenus ei soli naturaliter convenit habere cognitionem liberarum cogitationum, et rerum futurarum, concedo: quatenus ex singulari ipsius beneficio non posset etiam alteri intellectui creato communicari, prout exigit illius dignitas et conditio, ad quam per ipsum sublimatur, nego. Fateor itaque, quod illa quidem cognitio sit soli Deo propria per modum cognitionis naturaliter debitæ, nihilominus ex privilegio potuit Christo conferri propter dignitatem et ministerium ad quod destinabatur, maxime vero ratione unionis hypostaticæ, propter quam longe præstantiori modo ista cognitio ei tribuebatur, quam cuilibet fuerit unquam concessa aut concedenda. Unde SS. Patres ex illa cognitione merito inferebant ipsius Christi Domini Divinitatem, quia nullus unquam homo purus tanta perspicacia, tantaque certitudine penetravit et reseravit humani cordis abscondita, futurosque rerum eventus, ac ipsemet Christus Dominus; non tamen negarunt SS. Patres aliquam earum cogitationum, aut rerum futurarum cognitionem minus perfectam posse tribui alicui puræ creaturæ, hoc enim testatur S. Ambrosius lib. 2. in Lucam ex testimonio S. Pauli 1. ad Cor. 14. quo demonstrat aliquos homines ex speciali virtute sibi a Deo communicata cognoscere secretas cogitationes cordium. Quod etiam firmatur multis Sanctorum exemplis, qui ipsa cognitione et revelatione donati sunt.

Objicies 2. Christus cognoscit cogitationes cordium et futura contingentia per scientiam beatificam: ergo superfluum est admittere etiam in eo scientiam infusam per quam ista detegat. — **Nego consequentiam:** juvat enim rem pluribus mediis et modis nosse, quando illa cognitionis multiplicitas non officit præstantiori cognitioni: at scientia infusa non officit scientiæ beatificæ, nec statui hypostatico Christi, imo maxime conducit ad illustrandam ipsius animam: igitur licet Christus secreta cordium et futura contingentia noverit per scientiam beatificam, non otiose nec inutiliter etiam ipsa novit per scientiam infusam.

Instabis: Christo non est attribuenda perfectio, nisi illa intellectui creato censeatur debita secundum ordinem naturæ vel gratiæ: sed cognitio secretorum cordis, ac futurorum contingentium, non est debita intellectui creato secundum alterutrum ordinem: ergo non est asserenda in anima Christi. — **Respondeo primo**, negari posse *majorem*, cum enim Christus ratione unionis hypostaticæ sublimatus fuerit ad ordinem longe præstantiorem, quam sit ordo naturæ, et gratiæ, ideirco etiam præcellentiori dignitate ac notitia fuit donandus. *Respondeo secundo* distinguendo *minorem:* cognitio secretorum cordis et futurorum non est debita communi ordini gratiæ, concedo: extraordinario ac præcellentissimo gratiæ ordini ac statui, nego: sicut enim Christus ratione plenitudinis gratiæ, quam obtinet, longe est Deo acceptabilior, quam cæteri quique justi, inde mirum videri non debet, si etiam longe præstantiori Dei beneficio cumuletur, et perspicaciori rerum notitia donetur.

Objicies 3. Futura contingentia non possunt cognosci ab intellectu Christi, nisi *vel* in sua causa; *vel* in testimonio Dei dicentis et revelantis ea, sicut revelavit Prophetis; *vel* in decreto divinæ voluntatis determinantis eorum futuritionem, quo pacto Beati, et ipse Deus futura contingentia cognoscunt; *vel* denique in seipsis immediate, nempe

si cognitio animæ Christi terminaretur immediate ad ipsa futura secundum se, et non mediante aliquo objecto prius cognito: sed neutro ex his quatuor modis potuit illa futura contingentia nosse. *Non quidem in sua causa*, quia causa productiva illorum effectuum contingentium est omnino indifferens ex se ad illos producendos vel non producendos: ex principio autem indifferenti non potest aliquid certo et determinate cognosci: tum quia futura contingentia, ut sunt in causis, non habent veritatem determinatam, sicut nec entitatem, quia causæ contingentes non sunt magis determinatæ ad illos effectus, quam ad oppositos: igitur non possunt esse magis rationes cognoscendi effectum aliquem, quam illius oppositum. *Non etiam secundum*, quia quod cognoscitur per testimonium Dei dicentis aut revelantis, tantum cognoscitur per medium extrinsecum: cognitio autem per medium extrinsecum non est scientifica: siquidem cognitio scientifica infertur per medium intrinsecum, et evidenter notum cognoscenti. Hinc omnis cognitio, quæ habetur per revelationem, vel ad fidem, vel ad prophetiam pertinet, non autem ad scientiam. *Non etiam tertium*, quia objecta debent aliter cognosci per scientiam infusam, quam per beatam: sed per beatam cognoscuntur in decreto Dei, vel saltem in divina essentia, quatenus habet vim infinitam quælibet objecta repræsentandi. *Non denique quartum*, quia futura contingentia non sunt repræsentabilia in seipsis, per aliquam speciem creatam, quod enim non habet esse determinatum, non est repræsentabile per propriam aliquam speciem; siquidem repræsentatio speciei, cum sit naturalis, non potest certo determinare illud, quod est indifferens ad essendum vel non essendum: sed futurum contingens, v. g. trina negatio Petri, non habebat determinatum esse, sed erat omnino indifferens ad essendum, vel non essendum: igitur per aliquam speciem non poterat certo repræsentari. — **Nego minorem**: nam revera futura contingentia cognita sunt in seipsis per speciem repræsentativam illorum, ut docere videtur Doctor in 3. dist. 14. quæst. 3. n. 5. ubi de Christo loquens ait: *Potest dici, quod hæc anima novit habitualiter, et abstractive, aliqua singularia per proprias species infusas, et aliqua non novit habitualiter*. Quibus concedit Christi intellectum habuisse cognitionem quorumdam singularium contingentium: ibi namque non loquitur de singularibus necessariis, sed contingentibus, siquidem subdit: *Potest tamen cognoscere illa habitualiter, si illa fiant in existentia reali*: ergo non loquitur de singularibus possibilibus, aut existentibus necessariis, sed etiam de contingentibus: quod utique confirmatur, quia per scientiam infusam, anima Christi cognoscit per proprias species ea omnia, quæ per proprias species sunt in seipsis repræsentabilia, sed futura contingentia sunt repræsentabilia per suas proprias species: igitur, etc. *Major* constat. *Minor* probatur: quodlibet ens sub ratione, qua ens est, est intelligibile: sed futuritio, et contingentia sunt revera aliquid, et consequenter ens, ac subinde sunt intelligibilia. *Deinde*, ens ut futurum et ut præteritum est intelligibile, ergo etiam ut futurum contingens. *Antecedens* per se patet. *Consequentia* probatur; sicut enim futuritio est relatio temporis futuri ad præsens, et sicut præteritio est relatio temporis præteriti ad præsens, ita contingentia est relatio effectus ad causam, prout in actu primo indifferentem; igitur tam futuritio, quam contingentia sunt entia co-

gnoscibilia. *Nec refert*, quod illa non habeant esse determinatum, quatenus considerantur secundum se, et ut spectantur in sua causa, quæ prout consideratur in actu primo, indifferens est ad effectum contingenter ponendum vel non ponendum; sufficit enim, quod illa habeant aliquod esse determinatum in decreto Dei, non pro tempore, quo dicitur futurum contingenter, sed pro tempore, quo Deus libere decrevit, ut illud futurum contingens existat: ex hac enim determinatione supposita divinæ voluntatis, futurum illud dicitur habere aliquod determinatum esse; quod ut sic per speciem creatam supernaturaliter a Deo infusam repræsentari potest, et certæ cognitioni subesse, et consequenter per aliquam scientiam supernaturalem possunt cognosci.

Dices: Doctor Subtilis ibidem n. 6. absolute negat, quod futurum contingens possit cognosci, *Si dicatur*, inquit, *quod potuit hanc habere per species infusas, hoc falsum est:* igitur nostra sententia ipsi adversatur. — **Nego consequentiam**; ibi enim non loquitur de cognitione abstractiva, de qua agimus, sed de intuitiva, quam affirmat non posse haberi per speciem: *Tum quia*, inquit, *species infusa repræsentat objectum, ut abstrahit ab actu et existentia, quia eodem modo repræsentat, sive objectum existat sive non existat, et per consequens non est ratio cognoscendi, ut existens: tum quia veritates cognoscibiles cognitione intuitiva de existentibus, ut existentia sunt, scilicet veritates contingentes, non possunt cognosci per species quascumque innatas: quia ex cognitione terminorum, non potest cognosci veritas complexorum contingentium de illis terminis*, etc. Ex quibus sic ratiocinari licet: censet Doctor, quod species infusæ eodem modo repræsentant objectum, sive existat, sive non existat, ex ejus mente: ergo ex illa habemus, quod etiam si futurum contingens non existat, potest per species per se infusas cognosci; non solum ipsa substantia futuri, sed etiam futuritio et contingentia ipsius, et consequenter non solum specificative, sed etiam reduplicative.

Adverte tamen, Doctorem Subtilem in 2. dist. 3. qu. 11. merito contra S. Thomam docere, quod Angelus non possit cognoscere futurum contingens per species universales, imo nec per species simpliciter et solitarie, quia species deserviunt dumtaxat ad simplicem extremorum apprehensionem, non vero ad judicium ferendum. Quapropter ad hoc, ut intellectus animæ Christi ferre potuerit judicium de hac propositione qua Petrum alloquens dixit: *Ter me negabis*, præter species repræsentantes Petrum, et negationem, necessarium fuit aliquod medium conjungens hæc extrema; illud autem fuit revelatio quædam, et manifestatio per lumen aliquod.

Petes primo: an illa scientia infusa Christi fuerit actualis, vel habitualis? — **Respondeo**, communem esse Theologorum sententiam illam esse habitualem, ac jugiter in ejus intellectu perseverantem per modum qualitatis concurrentis cum eodem intellectu ad cognitionem actualem. Cujus ratio est: illa scientia est habitualis, per quam sciens est tantum in actu primo, et utitur tali scientia pro libito ad actum eliciendum: sed anima Christi per scientiam infusam quandoque tantum erat in actu primo, et ea pro libito utebatur: igitur erat habitualis. *Major* admittitur ab omnibus. *Probatur minor*: in hoc præter

cæteras differentias discrepat scientia infusa a scientia beata, quod hæc semper sit actu; non enim intellectus beati potest suspendere, vel interrumpere suum actum visionis beatificæ, sicut nec voluntas suspendere actum amoris: potest vero intellectus Christi suspendere, et cessare ab actu cognitionis per scientiam infusam; cum enim status animæ Christi, et modum ejus intelligendi extra visionem beatificam, sit ut operetur modo humano, id est voluntario et libero, oportuit, ut intellectus animæ Christi per scientiam infusam interdum esset in actu secundo, interdum vero dumtaxat in actu primo; nam cum hæc scientia per se infusa sit solummodo ordinata ad perficiendum intellectum Christi, quatenus erat viator, oportuit, quod ejus usum liberum haberet, sicut et nos habemus usum scientiarum, quas nostro labore comparamus; nec enim habuit intellectus Christi principium aliquod, quo necessitaretur ad semper exercendum actum alicujus scientiæ.

Dices: Præstantius est semper esse in actu secundo, quam in actu primo: ergo cum scientia infusa Christi fuerit in statu perfectissimo, debuit semper esse in actu secundo. *Probatur antecedens*: primus actus ordinatur ad secundum tamquam minus perfectus ad perfectiorem; siquidem facultas completur et perficitur per actum secundum. — **Distinguo antecedens.** Id perfectius est secundum omnem statum, nego: secundum statum comprehensoris, concedo: perfectio enim debet esse proportionata statui, cujus est: status autem viatoris non exigit semper esse in actu secundo, sicut status comprehensoris, quia viator pro libito debet uti suis facultatibus et habitibus; unde non modica est in eo perfectio, quod sit liberrimus in suis actionibus eliciendis, et consequenter quod pro libito utatur suis habitibus.

Petes secundo: an unico vel pluribus repetitis actibus anima Christi cognoverit omnia objecta per scientiam infusam? — **Respondeo,** actus fuisse multiplices secundum diversitatem objectorum: tum quia ubi sunt multæ species intelligibiles repræsentantes objecta specie distincta, intellectus non potest unico actu mediantibus illis speciebus diversis illa objecta specie distincta percipere; actus enim non solum a potentia, sed etiam ab objecto pendet: at diversorum specie objectorum erant diversæ species; siquidem per speciem alicujus objecti non potest repræsentari aliud objectum specie distinctum, nec enim per speciem albedinis repræsentari potest nigredo: ergo non per unicum, sed per plures actus anima Christi debuit illa objecta cognoscere. — *Deinde,* actus hujus scientiæ debet esse minus perfectus etiam secundum intensionem, quam sit actus visionis beatificæ; quippe cum sit ordinis inferioris: atqui actus visionis beatificæ id habet proprium, ut unicus sit commensuratus et adæquatus omnibus subjectis, quæ videntur a Beato: igitur actus scientiæ infusæ non debuit esse unicus. — *Denique,* unitas aut multiplicitas actus petitur, vel ab unitate objecti, vel medii, in quibus objecta alia continentur et relucent. Hinc actus beatificus est unicus: quia omnia objecta, quæ percipiuntur a Beatis, adunantur et relucent in essentia divina illa repræsentante: sed nullum est medium, in quo omnia objecta percipienda per scientiam infusam adunentur et reluceant; si enim aliquod esset tale medium, maxime aliqua species intelligibilis, quæ tantæ esset perfe-

ctionis et virtutis, ut omnia prorsus objecta simul repræsentaret, et intellectum Christi promptum et expeditum redderet ad illa cognoscenda: sed ita non est, species enim sunt similitudines objectorum; unde cum objecta sint specie distincta, imo et genere, unica species non potest simul omnia objecta illa referre, et earum similitudinem exprimere: hinc, ut probatum est agendo de notitia Angelorum, non dantur species universales et genericæ, quæ referant objecta inferiorum specie distinctorum: ergo multo minus dari potest unica species, quæ tot, ac tam varia, etiam genere diversa, objecta distincte et clare repræsentet.

Petes tertio: utrum illa scientia fuerit discursiva? — **Respondeo** affirmative, quippe, secundum doctrinam Doctoris, ad præcisam rationem formalem discursus tantum requiritur, ut duæ sint propositiones, quarum una inferatur per aliam: nec enim necesse est, ut ignotum inferatur ex notiori, ut alias probavimus: atqui anima Christi utendo hac scientia potuit habere duas cognitiones actuales, quarum prior esset causa posterioris; nam cum species concurrentes ad illam scientiam subjicerentur ejus libertati, et repræsentarent res ad ejus nutum, potuit efficere, ut species naturæ alicujus primo repræsentaret ipsam naturam, quatenus eam naturam actu cognosceret; deinde ut species proprietatis illius naturæ ipsam naturam repræsentaret actu cognoscendam, et sic ex cognita essentia potuit colligere existentiam actualem proprietatis. Insuper, anima Christi erat rationalis, et subinde ratiocinativa, sicut et nostra: ergo revera uti potuit habitu scientifico sibi infuso ad ratiocinandum et discurrendum, sicut et nos iisdem uti possumus. *Consequentia* patet: anima enim potest uti pro libito cognitione sibi inexistente, maxime quando illa ordinatur ad perficiendam et complendam illius activitatem: at scientia infusa datur animæ Christi ad complendam activam ejus potentialitatem: igitur ea uti potuit modo sibi connaturali: sed connaturalis modus intelligendi animæ rationalis est per discursum: igitur anima Christi per scientiam infusam potuit ratiocinari.

Petes quarto: utrum scientia infusa animæ Christi fuerit præstantior et perfectior scientia Angelorum? — **Videtur affirmare Doctor** d. 14. q. 4. ubi supponens intellectum angelicum distingui specie ab intellectu humano, et intellectum Angeli esse præstantioris activitatis quam sit humanus; concedit equidem intellectum Christi non potuisse præstantiorem cognitionem elicere, quam posset angelicus cum æquali scientia infusa, quia cum intellectus angelicus sit majoris activitatis, quam humanus, etiam cum æquali lumine poterit perfectius res percipere, nisi aliunde Deus suppleat minorem activitatem intellectus humani per abundantius lumen, et per plures species infusas: cum autem Christus sit caput Angelorum, et per unionem hypostaticam habuerit modum essendi longe præstantiorem, quam Angeli, etiam debuit habere longe præstantiorem modum operandi; subindeque conveniens fuit, ut Deus suppleret minorem activitatem illius intellectus per species abundantiores et magis perfectas.

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM PRÆTER SCIENTIAM BEATAM, ET INFUSAM CHRISTUS HABUERIT ETIAM SCIENTIAM ACQUISITAM.

Notandum 1. Nomine *scientiæ acquisitæ*, nos hic illam intelligere, quæ suapte natura acquisibilis est proprio scientis studio de rebus naturalibus : quæ tametsi de facto aliquando infundatur (qualiter omnes scientias naturales Adamo fuisse infusas ab instanti suæ formationis communiter docent Theologi), per se tamen naturæ viribus comparari potest: unde cum infunditur, dicitur dumtaxat infusa *per accidens*, quia videlicet ex natura sua postulat, ut propriis actibus acquiratur. In quo maxime differt a scientia de rebus supernaturalibus, quarum cognitio naturæ vires transcendit, nec ullatenus haberi posset, nisi Deus gratuito beneficio illam infunderet. Quamvis autem certum sit apud omnes Theologos, scientiam illam acquisitam revera in Christo extitisse, ut aperte significat Apostolus ad Heb. 5. dum de Christo ait: *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam,* non tamen conveniunt omnes de modo, quo illam obtinuerit, an videlicet per divinam infusionem, ut Adamus : an per humanum studium et laborem, ut cæteri homines in rebus naturalibus periti: an per utrumque simul. *Quidam* enim cum Seraphico Doctore in 3. dist. 14. art. 3. quæst. 2. docent Christum ab initio habuisse sibi infusam divinitus scientiam illam acquisibilem, ne unquam careret notitia naturali plurimorum objectorum naturalium, quæ per talem scientiam percepit; ita quod præter scientiam illam habitualem non fuerit alia habitualis scientia in ejus intellectu, sed dumtaxat experimentalis, intuitiva: cui sententiæ adstipulatur etiam Subtilis Doctor, ut infra demonstrabimus. *Nonnulli* vero cum S. Thom. qu. 12. art. 2. communiter docent, quod etsi Christus Dominus per scientiam infusam ab initio suæ formationis omnia noverit, nihilominus de novo sibi comparavit scientiam acquisitam propriis actibus, eo fere modo, quo cæteri homines illam acquirunt; non quidem per disciplinam ab Angelis vel hominibus excerptam, sed præstantisssimo, quo pollebat ad res percipiendas, et penetrandas mentis acumine, ne videlicet intellectus agens in eo maneret otiosus et frustraneus. Ita docent omnes Thomistæ, et plurimi Recentiores. Sunt etiam qui velint cum Hurtado dist. 8. diff. 22. scientiam illam naturæ viribus acquisibilem, in intellectu Christi fuisse partim proprio labore acquisitam, partim per accidens divinitus infusam.

Notandum 2. Cognitionem infusam, et acquisitam ex se præcise non distingui specie, ut docet Doctor dist. 14. q. 3. n. 2. Quia, inquit, « acquisita, et infusa cognitio idem habere possunt objectum, et solum « differunt penes causas efficientes, sicut homo creatus, et genitus na- « turaliter : sed talis distinctio causarum non distinguit cognitionem « formaliter, secundum S. Augustinum, epistola ad Deogratias, et Am- « brosium lib. *De Incarnatione,* dicentes, quod *disparitas ortus non* « *facit distinctionem naturæ,* ut patet de Adamo et nobis. » Unde colligit Doctor, quod scientia infusa per accidens, et acquisibilis in Christo non distinguantur specie. Item quod si Christus, ut vult S. Thomas,

habuerit scientiam infusam de omnibus rebus in proprio genere, non potuerit de novo per proprios actus sibi scientiam de iisdem rebus comparare, quia S. Thomas docet duo accidentia solo numero distincta non posse simul in eodem subjecto subsistere, alterutrum enim foret inutile et otiosum ad subjectum informandum et afficiendum: sic, v. g. duæ quantitates bipedales forent frustraneæ in eadem parte ligni: et subinde cum scientia acquisita, et infusa de rebus naturalibus ex se dumtaxat numerice differant, quia non specificantur a principio per quod obtinentur, sed ab objectis, idcirco vel falsum est, quod communiter docent Thomistæ, duo accidentia ejusdem speciei non posse in eodem subjecto subsistere: vel Christus non habuit scientificam notitiam de rebus naturalibus: vel non potuit aliam propriis viribus scientificam notitiam de rebus ipsis comparare.

Notandum 3. Cognitionem experimentalem in plurimis a scientifica distingui. *Primo* namque scientifica cognitio cum sit certa, et jugiter perseverans, maxime occupatur circa res universales, et in abstracto consideratas: experentia vero dumtaxat versatur circa res individuales præsentes, et moventes per suam præsentiam ad experimentalem illam sui cognitionem; unde cognitio experimentalis semper est intuitiva. *Secundo*, cognitio scientifica ex se potest divinitus infundi independenter ab omni prorsus experientia; licet enim experientia ex natura rei conferat ad acquirendam scientiam naturalem; tamen ab illa non omnino ac per se pendet; quia non in illa nititur tamquam in proprio principio, sed solum est veluti quædam via, qua naturaliter proceditur ab imperfecto ad perfectum: sic Adamus in statu innocentiæ multarum rerum scientiam habuit, quas pro illo statu experiri non potuit. Experimentalis vero notitia non videtur posse infundi, sed solum per ipsam experientiam acquiri: tum quia species ad experientiam deservientes pertinent vel ad cognitionem intuitivam præsentium, vel memoriam præteritorum, vel conjecturam futurorum, ut docet Doctor loco laudato, num. 4. Unde ut formetur vera et certa notitia experimentalis, oportet, quod noverit intellectus rem fuisse jam taliter qualiter illam experitur de facto; quod utique præstare non potest per speciem infusam, quia, ut diximus cum Doctore, species infusa indifferens est ad repræsentandam rem ut existentem, vel non existentem; unde fit quod si infunderetur species experimentalis, ducere posset in falsam cognitionem repræsentando aliquid ut perceptum per sensus, quod ita cognitum non fuisset. *Denique*, species quibus scientia utitur in sua repræsentatione et cognitione, abstrahunt a tempore, et a præcedente aliqua cognitione: at vero species, quæ experimento deserviunt, repræsentant rem præsentem, quæ sub experientiam cadit cum ordine ad tempus præteritum, et ad intuitivam, seu sensibilem cognitionem præteritam; experientia enim est diuturna, et exacta observatio singularium, ex qua certa et constans cognitio colligitur.

His ita præmissis, tria supersunt statuenda: *Primum*, quod revera Christus habuerit scientiam acquisitam. *Secundum*, quod illam habuerit sibi a suæ formationis exordio divinitus infusam. *Tertium*, quod illa non fuerit de omnibus omnino rebus in individuo.

Conclusio prima. — Præter scientiam beatificam et infusam, Christus etiam habuit scientiam acquisitam. Hæc est communis inter Theologos.

Probatur primo auctoritate Scripturæ sacræ, Isaiæ 7. ubi Propheta faciens sermonem de Christo ait: *Antequam sciat vocare Patrem, aut Matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ;* quæ verba sic expendit S. Ambrosius in libro *De Incarnationis Dominicæ Sacramento*, ubi cum dixisset: *Sensus hominis profecit* (nempe Christus) *sicut scriptum est, et Jesus proficiebat ætate, et sapientia, et gratia apud Deum, et homines. Quomodo proficiebat Sapientia Dei? Doceat te ordo verborum, profectus est ætatis, et profectus sapientiæ, sed humanæ est: ideo et ætatem ante præmisit, ut secundum hominem crederes dictum: ætas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat, ætate hominis proficiebat, sapientia hominis; sapientia autem sensu proficit, quia a sensu sapientia.* Quibus aperte docet Christum aliquam sapientiam et scientiam per sensus sibi comparasse; quod paulo post probat mox laudato oraculo Isaiæ, subditque: *Sapientem enim futura et occulta non fallunt: expers autem cognitionis infantia per humanam utique prudentiam, quod adhuc non didicit ignorat.* Quibus verbis S. Ambrosius non tribuit Christo simpliciter ignorantiam, cum lib. 5. *De Fide*, cap. 7. id aperte neget; sed solum tribuit Christo nescientiam oppositam scientiæ, quæ oritur ab experientia et sensu: concedit igitur Prophetam hic significare aliquam in Christo scientiam sensuum beneficio paulatim acquisitam. — Id insuper idem Propheta luculentius exprimit cum ait ibidem: *Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum:* quæ verba sic expendit S. Hieronymus ibidem: *Adhuc pannis involutus, et butyro pastus, ac melle, habebit boni malique judicium, ut reprobans mala eligat bona: non quod hoc fecerit, aut reprobaverit, vel elegerit, sed quod scierit reprobare et eligere: ut per hæc verba noscamus infantiam humani corporis divinæ non præjudicasse sapientiæ.* — *Probatur* etiam per istud Lucæ 2. *Jesus proficiebat ætate, et sapientia coram Deo, et hominibus:* qui utique profectus non fiebat secundum scientiam infusam, cujus omnimodam plenitudinem ab initio receperat: igitur attendendus est dumtaxat penes scientiam experimentalem; non enim, ut quidam volunt, profectus ille dumtaxat est attendendus secundum apparentiam: quia, ut docet S. Augustinus lib. 83. q. 8, verba Evangelistarum narrantium historias accipienda sunt ut exprimuntur, et subinde verus hic significatur profectus.

Probat Conclusionem Seraphicus Doctor supra laudatus qu. 1. « Ex « eo quod anima Christi, inquit, debuit esse perfecta, non solum se- « cundum superiorem portionem, verum etiam secundum inferiorem, « et secundum partem sensibilem, non tantum quantum ad statum « patriæ, verum etiam quantum ad statum viæ, qui duplex est: vi- « delicet innocentiæ et naturæ lapsæ. Et secundum hoc Christus ha- « buit triplicem cognitionem isti triplici statui convenientem, videlicet « cognitionem gloriæ, cognitionem naturæ integræ, et cognitionem « pœnalis experientiæ, ut de quolibet statu aliquid in se haberet. « Rursus, quia perfecta fuit anima Christi, quantum ad cognitionem, « non solum respectu cognoscibilium, sed etiam respectu modorum co-

« gnoscendi; ideo cum res tripliciter sint cognoscibiles, secundum « quod tripliciter habent esse; habent enim esse in Verbo, habent esse « in intellectu creato, habent nihilominus esse in proprio genere: ideo « ad hoc, quod intellectus animæ Christi plenam de rebus cognitionem « haberet, res cognovit ista triplici cognitione. Et sic patet, quod anima « Christi non tantum habuit cognitionem rerum in Verbo, sed etiam re- » rum a Verbo; cognitionem, inquam, non tantum simplicis notitiæ, ve- « rum etiam experientiæ. Patet etiam harum trium cognitionum suffi- « cientia, necessitas, et distinctio, quæ potest summi vel ex parte vi- « rium, scilicet superioris rationis, inferioris, et sensualitatis: vel ex par- » te statuum, videlicet gloriæ, innocentiæ, et naturæ lapsæ: vel ex « parte modorum cognoscendi, scilicet in Verbo, in se, et in genere « proprio. Et sic patet, quod anima Christi præter cognitionem, quam « habuit in Verbo, habuit cognitionem rerum in se, et in genere pro- « prio; et sic ulterius patet, quod anima Christi, præter cognitionem, « quam habuit in Verbo, habuit aliam cognitionem a Verbo. »

Objicies 1. SS. Patres aperte docent Christum nullatenus revera profecisse, aut habuisse incrementum scientiæ, et notitiæ interioris, sed ipsius profectum in scientia, attendendum esse dumtaxat penes externam manifestationem scientiæ, vel divinitatis. Sic Athanasius in oratione 4. contra Arianos, ubi etsi primum veram videatur agnoscere scientiæ progressionem in Christo; subinde tamen id diserte negat; ait enim: *Corporis igitur proprius ille profectus, etenim proficiente ipso, proficiebat in eo divinitatis apud illos, qui intuebantur, ostensio: quanto autem magis divinitas aperiebatur, tanto copiosius augebatur apud omnes homines.* Quibus significat profectum istiusmodi in eo consistere, quod evidentiora dabat signa divinæ sapientiæ ac virtutis; unde subdit: *Quis est ille, qui dicitur profectus, nempe ut dixi Deificatio illa est, et gratia hominibus a sapientia communicata, cum in ipsis peccatum, et insita corruptela deleretur ad similitudinem, et cognitionem Verbi: sic enim augescente secundum ætatem corpore, augebatur etiam in eo divinitatis ostensio, palamque monstrabatur omnibus templum ipsum esse Dei, ac Deum in corpore.* Ad idem scribit S. Gregorius orat. 25. *Ille*, inquit, *Christus proficiebat ut ætate, ita sapientia et gratia; non quod incrementum ista caperent, quid enim eo, quod ab initio perfectum extitit, posset esse perfectius? Sed quod paulatim aperirentur, ac sese proderent.* Hoc etiam uberrime declarat S. Bernardus Homilia 2. super *missus est*, ubi demonstrat nullum perfectionis incrementum in anima Christum habuisse, ait enim: « Neque « minus habuit sapientiæ: vel potius non minor fuit sapientia Jesus « conceptus quam natus, parvus quam magnus: sive ergo latens in « utero, sive vagiens in præsepio, sive grandiusculus interrogans Docto- « res in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æque per- « fecte plenus fuit Spiritu sancto; nec fuit hora in quacumque ætate « sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in « utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur: sed a prin- « cipio perfectus, a principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ et « intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiæ et pietatis « et spiritu timoris Domini », *Mox illud Evangelistæ de profectu Christi declarans:* « Nam quod de sapientia et gratia hic dictum est, inquit,

« non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligen-« dum est: non quia videlicet aliquid ei novum accideret, quod ante « non haberet; sed quod accidere videretur, quando volebat ipse, ut « videretur. Tu homo cum proficis, non quando, nec quamtumvis pro-« ficis; sed te nesciente tuus moderatur protectus, tua vita disponitur. » At vero puer Jesus, qui disponit tuam, ipse disponebat et suam; « et quando volebat, et quibus volebat sapientior; quando et quibus « volebat sapientissimus: quamquam in se numquam esset nisi sa-« pientissimus: similiter et cum semper plenus omni gratia fuisset, « sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, « pro suo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus ostentabat, prout « cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat ». Hæc S. Bernardus. — **Respondeo** SS. Patres nihil aliud velle, quam quod Christus Dominus nullum habuerit sapientiæ et scientiæ incrementum penes divinitatem, sed dumtaxat penes humanitatem: ut diserte explicat Rupertus lib. 1. *In Genesim*, cap. 21. ubi locum Isaiæ 11. tractans, in quo dicitur super Christum requievisse spiritus sapientiæ et intellectus, sic scribit: *Quia ille in quem hæc dicuntur, cum non tantum homo, sed et Deus sit, licet secundum humanitatem sapientia, ætate, et gratia profecerit, attamen secundum id quod est et erat Deus, nullum profectum habuit.* Unde etiam S. Athanasius loco laudato in objectione, dicit quod si quis pertinacius obluctetur, ut profectum illum in sapientia et ætate verum esse contendat, id eatenus concedendum esse dicit, ut non de divinitate ipsius, sed de humana natura istud dici existimetur. *Verumtamen*, inquit, *si contentiosius in eo perseverant, quod Christus interrogaverit, audiant a nobis, nullam in divinitate ignorantiam esse, carnis vero esse proprium ignorare.* Vel dico SS. Patres eo modo esse intelligendos, quo dicemus in sequenti Conclusione, nempe Christum Diminum omnia novisse per scientiam infusam, etiam naturalia; nihilominus eorum aliqua adhuc cognoscere potuisse per scientiam experimentalem, non quidem habitualiter, sed actualiter.

Objicies 2. Superfluum est facere per plura, quod sufficienter fieri potest per pauciora: sed Christus per solam scientiam infusam, non solum sufficienter, sed longe perfectius, cognoscebat id omne quod per scientiam acquisitam nosse posset: igitur hæc in ipso fuit frustranea. — **Nego minorem**: ad perfectionem enim intellectus Christi spectat non solum omnia objecta cognoscere, sed etiam secundum omnem modum, quo cognoscibilia sunt; unde cum aliter res, maxime sensibiles, possint cognosci per phantasmata ab ipsis abstracta, quam per species a Deo infusas; hinc est, quod sicut in anima Christi præter scientiam beatam, qua res in Verbo contemplatur, admittitur scientia infusa, per quam illas extra Verbum cognoscat, eo quod utroque hoc modo sint cognoscibiles, ita quia res naturales non solum per species a Deo infusas, sed etiam per eas, qua a phantasmatibus abstrahuntur, cognosci possunt, idcirco hic cognoscendi modus in Christo esse asserendus, utpote cum sit maxime connaturalis animæ Christi quatenus conjunctæ humano corpori.

Objicies 3. Scientia acquisita incompossibilis est cum visione beatifica, ut colligitur ex illo 1. ad Cor. 13. *Sive prophetiæ evacuabuntur,*

sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur: quod maxime intelligitur de scientia acquisita et comparata per phantasmata: sed Christus habebat scientiam beatificam: ergo non potuit habere scientiam acquisitam. — **Respondeo primo**, ut jam alias diximus, Apostolum intelligendum esse de destructione scientiæ non penes habitum, sed penes actum, et exercitium spectans ad aliorum instructionem. *Secundo,* dico, quod etsi intelligendus esset Apostolus de scientia acquisita, significaret dumtaxat, quod in statu beatitudinis ut anima separata a corpore cognoscat per scientiam acquisitam, non habebit opus sese convertendi ad phantasmata.

Conclusio secunda. — Probabilius est Christum novisse quidditates rerum naturalium ab instanti suæ conceptionis per habitum sibi infusum, quem potuisset propriis actibus comparare, nisi illum per infusionem obtinuisset: nihilominus aliqua de novo potuit cognoscere cognitione intuitiva, et experimentali. Hæc, ut mihi videtur, genuina est Subtilis Doctoris doctrina, quantum ad utramque partem, ut constabit infra.

Prima autem pars probatur primo auctoritate SS. Patrum, qui Christo omnimodam scientiæ plenitudinem etiam infanti tribuunt, negantque ipsum, etiam puerulum, aliquid nesciisse. Sic S. Augustinus lib. 2. *De peccatorum meritis, et remissione,* c. 29. ubi docet nullam in eo infante quidem ignorantiam extitisse, uti nec alios inquietos motus originalem redolentes culpæ maculam: *Quam plane ignorantiam,* inquit, *nullo modo crediderim fuisse in Infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis.* Hanc veritatem luculenter tradit Eulogius Alexandrinus Patriarcha in lib. adversus Agnoitas, ubi copiose, eruditeque hanc quæstionem tractans ait: *Neque secundum divinitatem, neque secundum humanitatem affirmare in illo ignorantiam extitisse, periculosæ temeritatis est expers:* cujus librum laudat et approbat S. Gregorius lib. 8. epistolarum, epist. 42. quam ad ipsum scripsit: *Quia,* inquit, *in doctrina vestra impugnans hæreticos, qui dicuntur Agnoitæ, fuit valde, quod admiraremur, quod autem displiceret non fuit.* Eadem veritas constat ex SS. Patribus in prima objectione superioris Conclusionis laudatis; illi namque constanter affirmant nullam in Christo, etiam ut homine, aliquando ignorantiam extitisse; sed necessum fuisset illum plura ignorare, si rerum naturalium, quæ per studium et laborem addisci possunt et cognosci. non habuisset sibi infusam scientiam: igitur illam revera habere dicendus est.

Probatur etiam ratione. *Primo,* quidem ea, qua usus est S. Damascenus lib. 3. *De fide,* cap. 22. ubi probat Christum revera nequidem secundum humanitatem potuisse habere ullum incrementum scientiæ. propter intimam illius conjunctionem cum Verbo. *Nam si vere caro est conjuncta Deo Verbo, ab ipso extandi primordio; vel potius in ipso extitit, et hypostaticam cum illo identitatem habuit; qui fieri potuit, ut non perfecte omni sapientia, et gratia locupletata sit? Non ut ipsa gratiam participaret, neque ut ex gratia in communionem admitteretur eorum, quæ ad Verbum pertinent: sed ea potius ratione, quod propter*

unionem hypostaticam, humanis ac divinis omnibus unius Christi propriis factis (quandoquidem Deus idem et homo simul erat) illa ipsa caro gratiam, et sapientiam, plenamque bonorum omnium copiam in mundum fontis instar exundaverit. Ex quibus sic ratiocinari licet: Christus ratione suæ unionis ad Verbum debuit habere plenam bonorum omnium copiam, et subinde sapientiam ab eo instanti, quo ipsius humanitas fuit unita Verbo: at si non habuisset per infusionem scientias omnes naturales, quæ studio et labore comparari possunt, non habuisset plenam bonorum omnium copiam: igitur ex tunc illas habere debuit. — *Confirmatur:* unio hypostatica ex sua dignitate postulat, ut natura assumpta sit in primo instanti perfecta omni perfectione naturali non repugnante suo statui: atqui scientiæ naturales sunt quædam perfectiones intellectus humani, nec repugnant statui Christi; quia si repugnarent, maxime vel ex defectu usus rationis, vel quia intellectus dependet a phantasmatibus et speciebus possibilibus, ut utatur scientia naturali, quæ per acquisitionem comparari potest: sed ex neutro capite repugnant scientiæ naturales Christo ab instanti suæ formationis. Non quidem ex primo capite, quia, ut constat ex laudatis Sanctis Patribus, Christus etiam in utero matris perfectum habuit rationis usum, idcirco Jeremias cap. 31. ipsum adhuc in utero matris existentem virum appellat: *Mulier,* inquit, *circumdabit virum;* quæ verba sic exponit S. Hieronymus: *Juxta incrementa ætatis,* inquit, *per vagitus, et infantiam proficere videtur sapientia et ætate: sed perfectus vir in ventre fœmineo solitis mensibus continebatur.* Vel ut supra dicebat S. Bernardus, *Non minor fuit sapientia Jesu, conceptus quam natus, parvus quam magnus,* etc.

Reponunt aliqui Thomistæ cum Cajetano, quod quamvis Christus non habuerit sibi infusas omnes scientias naturales ab initio suæ formationis; tamen facili negotio potuit eas comparare, ratione acuminis ingenii, quo præ cæteris hominibus excellebat, et quo poterat comprehendere naturas rerum, ita ut cognito cælo, v. gr. cognosceret omnes effectus illius, et cognito uno individuo cognosceret alia. — **Contra**, quantumvis aliquis excellat ingenio, non potest rerum naturalium brevi tempore notitiam sibi comparare: tum quia excedit naturales ingenii vires, ut viso uno, aut altero individuo, possit aliquis colligere, quid sit sentiendum de aliis; cum multa individua reperiantur sibi similia, ut experientia constat circa medicinam pro morbis curandis; quippe pro diversa hominum complexione, ad eumdem morbum curandum diversa sunt adhibenda remedia. *Adde quod* scientia humana non possit comparari, nisi dependenter a sensibus et phantasmatibus: quare cum omnes res et effectus non occurrerint sensibus Christi, imo nec plures potuerint occurrere, nisi diuturno temporis successu, non videtur quomodo Christus potuisset propriis actibus earum notitiam sibi comparare.

Reponunt iterum, rerum naturalium phantasmata ad hanc scientiam necessaria, maxime earum, quæ communiter non occurrunt, fuisse ab Angelis repræsentata sensibus et phantasiæ Christi. — **Contra**, non apparet quomodo tam diversa sensibilia, et tam multa potuerint ab Angelis applicari sensibus Christi: phantasmata autem non possunt Angeli infundere, quia ut communiter docent Theologi, solum possunt

producere motum localem, et movere phantasmata antea producta, et applicare activa passivis. *Addit* Isambertus, quod longe facilius sit recurrere ad simplicem infusionem pro acquisitione ejusmodi scientiarum, quam ad tantam congregationem objectorum factam ministerio Angeli; tum etiam, quia hæ scientiæ debent admitti in Christo Domino longe perfectiores, quam in quovis puro homine: at ex nuda subministratione aliquorum objectorum singularium, facta per Angelum ex singulis speciebus, hæc scientia non potest, ex vi etiam acutissimi ingenii, comparari brevi aliquo tempore in statu tam perfectissimo, in quanto fuit acquisita ab aliquo singulari homine, v. g. Aristotele, per disciplinam fundatam in longa experientia et magno studio eruditissimorum hominum, præsertim cum singula individua non semper ita repræsentent proprias differentias, ut sine errore possint cognosci: ergo cum Christus Dominus debuerit habere has scientias perfectas in tota latitudine objectorum, nec sit deterioris conditionis, quam primus noster parens, nec potuerit illas habere aliter quam per infusionem, habuit omnes illas de facto per infusionem.

Probatur secundo: Christus non debuit esse minus divinis charismatibus et donis illustratus, quam Adamus, utpote qui venerat prioris Adami damna resarcire: sed Adamus ab initio suæ formationis habuit sibi infusam cognitionem omnium rerum naturalium: igitur etiam Christus habere debuit.

Reponunt Thomistæ negando paritatem, et rationem disparitatis triplicem cum cæteris profert Gonetus: *Primo* quidem, quod cum Adamus fuerit conditus a Deo in ætate perfecta, ut caput et Doctor generis humani, atque omnium rerum Dominus, conveniens fuit ut statim haberet illas scientias, quæ in homine illius ætatis essent necessariæ ad illa munia exercenda: Christus autem licet sit caput ac Doctor totius Ecclesiæ, atque omnium Dominus, quia tamen genitus fuit in ætate infantili, ita ut non statim ut vir perfectus in hoc mundo conversaretur; non opus fuit, ut scientiam suapte natura acquisibilem, per infusionem ab initio reciperet; sed paulatim, ut cæteri homines, per sensus eam sibi comparare debuit. *Secundo,* Adamus datus est Doctor toti generi humano in naturalibus, et ideo oportuit, quod a principio suæ productionis haberet omnes scientias naturales, sicut et quod statim esset perfectus homo, quantum ad corporis quantitatem et dispositionem: at Christus datus fuit Doctor mysteriorum gratiæ, non rerum naturalium. Dicit enim Apostolus 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Et ipsa veritas ait Joan. 3. *Qui de terra est, de terra loquitur, qui de cœlo venit, super omnes est, et quod vidit et audivit, hoc testatur,* et ideo oportuit, ut Christus statim haberet scientiam infusam mysteriorum gratiæ, non vero scientiam per se acquisibilem rerum naturalium, sicut neque perfectam corporis quantitatem. *Tertio,* Adamus visione beatifica carebat, et mox a creatione privandus erat scientia per se infusa; unde conveniens fuit, ut statim ab initio naturalem scientiam infusam per accidens reciperet, non modo juxta mensuram proportionatam ætati, in qua a Deo conditus est, sed etiam quantum ferebat necessitas, qua et ipse, et omnes ejus posteri laborassent, nisi eo Dei beneficio liberaliter fuisset præventus; at in Christo nulla talis necessitas extitit,

et affulgens ei scientia beata atque infusa abunde supplere potuit omnem usum scientiæ infusæ per accidens. — **Verum hæ tres responsiones non solvunt vim argumenti, nec sufficientem disparitatem adstruunt.** Non quidem *prima*, nam licet Christus a primo suæ formationis exordio non habuerit ætatem perfectam, tamen revera virilem habebat animum, et erat *Vir*, juxta prælatum Jeremiæ vaticinium, hoc est, virile, et ut hominem decet, habebat perfectum rationis judicium, ut docet S. Hieronymus: ergo cum naturales scientiæ maxime deceant hominem pro eo statu vel tempore quo perfectum habet judicium rationis, maxime conveniens fuit, ut etiam pro illo tempore anima Christi scientiis naturalibus illustraretur, unde cum tunc non posset illas acquirere propriis actibus, necessum fuit, ut illas haberet per infusionem. — *Secunda* pariter ratio disparitatis est nulla, quamquam enim Christus destinatus fuerit, ut esset Doctor gratiæ et justitiæ, non vero scientiarum naturalium, inde non sequitur, quod ipse non debuerit habere perfectam notitiam de rebus naturalibus: tum quia res naturales maxime deserviunt ad notitiam rerum spiritualium: siquidem, ait S. Paulus ad Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, etc.* unde earum notitia Christus opus habebat, ut mysteria regni Dei nota faceret per similitudines et parabolas, quibus frequentissime utitur in Evangelio, a rebus et scientiis naturalibus desumendas: tum quia, ut diximus, illæ scientiæ naturales maxime deserviebant ad illustrandum Christi animum. — *Ad tertiam* dico, perinde esse ad cognitionem rerum naturalium, quod Christus habuerit scientiam beatificam et infusam, sicut enim præter scientiam beatificam necessaria fuit in eo infusa per se, qua res in entitate supernaturales, et quæ humano studio cognosci non possunt, ipse cognosceret in proprio genere, ita præter illam infusam per se, necessum fuit, ut haberet etiam scientiam infusam per accidens, qua res naturales, quarum cognitio potest acquiri, apprime et peritissime nosset.

Probatur tertio: Christus habuit per infusionem virtutes morales, quæ conducebant ad illustrandam et perficiendam ipsius voluntatem: ergo pari ratione debuit habere virtutes intellectuales, seu naturales scientias, sibi divinitus infusas. *Antecedens* constat ex dictis. *Consequentia* probatur a paritate rationis, quia carentia scientiarum naturalium non minus derogat perfectioni animæ Christi, quam carentia virtutum moralium.

Negant paritatem Thomistæ, et rationem disparitatis duplicem profert Gonetus, quarum *prima* est, quod scientiæ naturales non reddunt subjectum bonum simpliciter, sed tantum secundum quid; ac proinde ex illarum carentia non constituitur non bonum simpliciter in aliquo ordine; ex quo ulterius sit non plus derogari perfectioni Christi per carentiam scientiarum naturalium ad tempus, quam ei accrescat ex connaturali illarum acquisitione; cujus oppositum in virtutibus acquisitis contingit, ut ex supra dictis constat. *Secunda ratio discriminis, quam proferunt,* est quia, si scientiæ per se acquisibiles fuissent humanitati Christi per accidens infusæ a primo instanti suæ conceptionis, intellectus agens animæ Christi perpetuo mansisset privatus suo proprio munere, et officio, quod est abstrahere species intelligibiles a sensibus, illustrando phantasmata, ut docent Philosophi

in libris *De Anima:* erat autem magnum inconveniens, quod aliqua potentia maneret in anima Christi perpetuo privata actu proprio et sibi connaturali. Ex hoc vero, quod Christus receperit per infusionem omnes virtutes morales a primo instanti suæ conceptionis, non sequitur synderesim, vel aliam potentiam animæ Christi fuisse in eo otiosam, et perpetuo privatam suo proprio munere, quia potentiæ animæ Christi, virtutibus illis semel informatæ, actus ejusdem speciei circa materias virtutum moralium produxerunt, quos per virtutes morales a se comparatas elicuissent. Hæc Gonetus. — **Contra primo**, eo modo, quo virtutes morales conferunt ad perfectionem voluntatis, ita et intellectuales ad perfectionem intellectus: ergo sicut Christus diceretur imperfectus in genere moris, si non haberet omnes virtutes morales, ita diceretur imperfectus in ratione intelligentis, si non haberet omnes virtutes intellectuales. *Adde quod* prudentia est una ex virtutibus moralibus: sed prudentia perfecta, cum consistat in practica cognitione, supponit perfectam cognitionem speculativam, non tantum primorum principiorum, sed etiam universalium conclusionum, a quibus judicium in singulis eventibus pendet: ergo habuit moralem scientiam eorum omnium, et consequenter habuit cæteras scientias, non enim ad alias erat magis impeditus, neque una scientia potest sine consortio aliarum esse omni ex parte perfecta, sunt enim quodammodo connexæ, sicut virtutes. *Nego pariter secundam rationem disparitatis*, nam ut observat Doctor d. 14. q. 3. n. 3. intellectus agens fuit in Adamo, et in Beatis remanet, nec tamen dicitur in eis frustraneus, licet non abstrahat species a phantasmatibus; sicut nec nutritiva, augmentativa, et generativa, in Beatis corporibus facultates dicuntur frustraneæ, quamquam illæ facultates nullum actum, nullamque operationem exerceant; quippe non solum ordinantur ad operationem sibi congruam, sed etiam ad naturæ humanæ integritatem: igitur pari ratione Christus Dominus potuit habere intellectum agentem, et passibilem, quatenus conducebat ad naturæ humanæ integritatem, et vim habebat cudendi species intelligibiles deservientes ad rerum naturalium notitiam, si aliunde istam notitiam non habuisset. *Adde quod* intellectus agens deservire poterat ad excipiendas et formandas species deservientes ad experimentalem cognitionem, in qua Christus poterat proficere. — *Nec valet reponere* cum Goneto, quidem non semper ex carentia propriæ operationis alicujus potentiæ recte deduci eam esse in suo subjecto frustraneam, sed duntaxat ex carentia operationis pro statu, et tempore, quo debetur. Unde non debebatur intellectus agens Adamo pro statu primæ creationis, quia cum formatus fuisset perfectus, tam secundum animam, quam secundum corpus, non habuit opus ipso intellectu agente, quo crescit et perficitur intellectus in scientia, abstrahendo species a phantasmatibus; unde licet tali operatione caruerit, tamen intellectus agens non fuit in eo frustraneus. Idem dicit de Beatis, quia, inquit, non sunt in statu acquirendi scientiam, unde licet non careant intellectu agente, tamen in ipsis intellectus non dicitur frustraneus. Hæc, inquam, responsio nulla est: tum quia supponit pro certo, quod in controversiam movetur; nempe quod Christus non fuerit productus undecumque perfectus secundum intellectum, sicut Adamus; hoc enim contendimus, quod ipse cum cæteris

Thomistis negat absque fundamento: tum quia nulla facultas censetur frustranea pro quocumque statu, licet non producat suum actum, quia jam aliunde productus est, nam, ut inquit Doctor mox laudatus, potentiæ pro quocumque statu non dicuntur inutiles et frustraneæ, quæ ex se habent vim producendi suum actum et effectum, nisi illum ab alia causa jam productum haberent. Sic v. g. augmentativa facultas non potest sese exercere in accretione corporis Beati, sicut nec potuit in Adamo, quia corpus Adami, et Beatorum divinitus habuit productum perfectum statum accretionis, cui nihil fuit, quod justo adjiceretur: sufficit igitur, ut Christus dicatur habuisse intellectum agentem, quod intellectus ille ex se fuerit capax ad producendam notitiam scientificam de rebus naturalibus, si Deus ipsi illam non indidisset.

Objicies 1. Omnes illas Scripturæ et SS. Patrum auctoritates, maxime vero auctoritatem S. Ambrosii docentis, quod Christus profecerit secundum scientiam a sensibus acceptam: ergo revera Christus acquirere potuit scientiam a rebus naturalibus proprio studio et labore. — **Respondeo** illas auctoritates explicari de profectu notitiæ experimentalis acquisitæ, quæ utique dependebat a sensibus, et in dies ad occursum objectorum fiebat major in ratione experimentalis notitiæ; non vero secundum rationem veræ scientiæ; Christus enim jam aliunde perfectam habebat illam sibi infusam scientiam de rebus naturalibus. Dicitur autem in ista notitia profecisse, quemadmodum medicus v. g. qui jam perfecte cognoscens remedii a se confecti virtutem, per suam scientiam theoreticam, dicitur ejusmodi virtutem melius cognoscere, dum illam in seipso experitur, et verum esse comprobat. *Adde quod* si profectus ille Christi accipiatur secundum veram et perfectam scientiam, poterit intelligi eo modo, quo explicant cæteri SS. Patres, nempe de profectu secundum manifestationem exteriorem et sensibilem illius scientiæ, cujus plenitudinem Christus habebat.

Objicies 2. Christus ut viator debuit habere scientiam eo modo quo viatorem decebat: sed statum viatoris decet, ut acquirat scientiam multis actibus et experientiis: igitur pari modo illam Christus obtinere debuit. — **Respondeo primo**, negari posse *majorem:* quamquam enim revera Christus fuerit viator, attamen cum simul esset comprehensor, et hypostatice ejus humanitas unita Verbo, hinc multo ampliores et nobiliores prærogativas, quam cæteri viatores, habere debuit. Unde sicut habuit scientiam infusam de rebus naturalibus, et intellectum, ac voluntatem expeditam ad operationem ab instanti suæ formationis, quod cæteris viatoribus non competit, hinc etiam potuit habere scientiam acquisitam alio modo, quam cæteri viatores. *Respondeo secundo* cum Doctore supra laudato num. 8. distinguendo *minorem:* cognitio intuitiva, et experimentalis competens viatori, est ex multis actibus et experientiis, transeat: cognitio abstractiva comparatur per multos actus, et experientias, nego: hæc enim potest haberi per scientias infusas et abstractivas. Christus priorem sibi comparavit per proprios actus, non vero posteriorem.

Instabis: Christus non solum debuit habere scientiam, sed debuit illam habere secundum proprium et connaturalem modum, quo haberi potest; sic enim non solum est perfectus per diversas scientias atque perfectiones, verum etiam et diversis modis: igitur sicut habuit

scientiam beatam secundum modum proprium illius, scilicet permanenter, et non tantum transeunter, ut forte aliqui viatores habuerunt, et sicut habuit scientiam per se infusam, secundum modum proprium illius, scilicet per infusionem, ita scientiam humanam, seu natura sua acquisibilem habere debuit modo humano, scilicet per acquisitionem.— **Distinguo antecedens**: habere debuit modo connaturali, si perfectiori modo eam aliter habere non potuerit, concedo: secus, nego. At perfectius est habere scientias ab instanti conceptionis per infusionem, quam illas diuturno labore comparare: igitur longe præstantius fuit Christo habere scientias per infusionem, quam illas paulatim acquirere.

Urgebis: Præstantius est habere scientiam per acquisitionem, quam per infusionem, tam ex parte scientiæ, quam ex parte scientis: ergo prætata solutio nulla. Patet *antecedens*: ex parte quidem scientiæ; quoniam scientiæ acquisitio est talis scientiæ generatio per se, infusio autem est scientiæ generatio per accidens; similiter ex parte scientis, nam ut docet Aristoteles 1. *Ethic.* c. 5. ex Hesiodo, *Optimus ille quidem est ex se se, qui omnia novit:* igitur, etc. — **Nego subsumptum**: nam simpliciter et absolute loquendo, perfectius est numquam caruisse aliqua scientia sibi convenienti, etiamsi a solo Deo recipienda sit, quam aliquandiu illam non habere, ut per proprios actus obtineatur, maxime cum hic modus obtinendi scientiam nihil perfectionis addat. *Adde quod* ex Suare d. 30. sect. 2. quacumque ratione Christus hanc scientiam infusam habuerit, a se illam habere dicendus est, non tamquam adventitiam, sed tamquam proprietatem connaturalem ratione unionis, sicut de gratia et aliis donis in superioribus dictum est. Quod secundo ita declaratur et confirmatur; quia si Christus assumpsisset humanam naturam in statu per se debito unioni sine defectibus, quos propter nostram redemptionem in corpore assumpsit, sine dubio assumpsisset illam perfectam hac scientia, sicut reliquis perfectionibus: ergo et nunc de facto ita illam assumpsit cum hac perfectione ex illo principio, quo carentia hujus scientiæ neque est necessario conjuncta cum corpore passibili, nec per se confert ad finem redemptionis.

Objicies 3. Christus erat discursivus: ergo mediante discursu poterat de novo aliquas conclusiones scientificas cognoscere, et sibi scientiam comparare. — **Respondet Doctor** mox laudatus, discursum non semper efficere, ut aliquis cognoscat conclusionem, quam ante non scivit, sed ut cognoscat actu, quod ante habitualiter novit. Unde si Christus non cognosceret omnes res naturales in proprio genere, posset sibi per discursum comparare notitiam rerum ignotarum, secus vero cum illam notitiam sibi haberet infusam. Deinde posset Christus cognoscere conclusionem scientificam, licet præhabuerit notitiam quidditativam terminorum, quam notitiam Aristoteles scientiam appellat, licet, inquit Doctor, proprie non sit habitus conclusionis.

Objicies 4. Doctor Subtilis loco laudato num. 6. aperte docet, quod Christus protecit in cognitionem rerum naturalium; ait enim: « Illa « cognitio intuitiva in genere proprio actualis vel habitualis, non « potest dari illi animæ de omnibus; et quoad hoc necesse est dicere,

« quod profecit, sicut et alia anima, quia alia et alia objecta alio et « alio modo cognovit, etc. » — **Respondeo** Doctorem nihil aliud velle, quam quod Christus non cognoverit omnia per scientiam intuitivam mediantibus speciebus infusis, immo quod nec etiam noverit contingentia, quia species infusæ cum æque repræsentent rem absentem, ac præsentem, et illam semper eodem modo exhibeant, non possunt deservire ad cognitionem certam et intuitivam rerum contingentium et præsentium: unde necessum fuit, quod Christus res contingentes vel noverit in Verbo, vel earum scientiam acquisierit. Unde colligit Doctor, quod ut Christus haberet scientiam intuitivam et experimentalem de rebus, necessum fuit, ut illam sibi compararet per proprios actus, et per phantasmata ac species desumptas ex sensibus: « Quia, inquit *ibidem,* de re præsente non « tantum relinquitur species sensibilis in phantasia, sed aliqua in po- « tentia memorativa, et illæ potentiæ cognoscunt objectum sub alia, « et alia ratione: nam una cognoscit objectum secundum se absolute, « apprehendendo quidditatem ejus; alia apprehendit objectum, ut in « præterito apprehensum, ita quod apprehensio præterita, est immedia- « tum objectum, et objectum immediatum illius apprehensionis præ- « teritæ est objectum mediatum recordationis. Ita etiam præsente « aliquo sensibili sensui potest virtute illius causari in intellectu du- « plex cognitio; una abstractiva, qua intellectus agens abstrahit spe- « ciem quidditatis, ut quidditas est, a specie in phantasmate, quæ « repræsentat objectum absolute, non ut existit hic, et nunc, vel tunc: « et alia potest esse in intellectu cognitio intuitiva, quæ cooperatur « intellectui, et ab hac potest derelinqui habitualis cognitio intuitiva « importata in memoriam intellectivam, quæ sit non quidditatis ab- « solutæ, sicut fuit alia, sed cogniti, ut existens, quando in præte- « rito apprehendebatur, ut præteriit. Hoc modo Christus per experien- « tiam didicisse dicitur multa, hoc est per cognitiones intuitivas, id « est illorum cognitorum, quantum ad existentiam, et per memorias « derelictas ab eis. » Ita Doctor. Quibus aperte docet, quod equidem Christus profecerit in scientia experimentali et intuitiva, non vero habituali, et abstractiva.

Corollaria. — Ex his colligе primo per scientiam acquisitam Christum novisse quidditates omnium rerum existentium; nam species et quidditates sunt numero finitæ, et consequenter facili negotio poterant omnes ab intellectu Christi percipi, imo novit etiam nobilissima totius rerum universitatis individua: cætera autem, quorum notitia non maxime conducebat ad illius scientiæ dignitatem, non est inconveniens asserere ipsum per illam scientiam acquisibilem sibi intusam non novisse, sed dumtaxat per scientiam experimentalem, vel intuitivam.

Colligе secundo, ipsum non habuisse notitiam illam de rerum quidditatibus per species universales, quas sibi successu temporis acquisierit, ita quod simul, et semel duplicem de rebus habuerit cognitionem acquisibilem: unam quidem per accidens infusam, alteram vero proprio studio, et labore comparatam, ut vult S. Thomas: quia, ut subtiliter arguit Doctor argumento ad hominem, duo accidentia ejusdem spe-

cici, et solo numero distincta non possunt esse in eodem subjecto secundum doctrinam S. Thomæ, sed notitia infusa per accidens, et acquisita per se, de uno et eodem objecto specie, sunt duo accidentia ejusdem speciei, et solo numero distincta; quia vel sunt species, vel similitudines illius objecti, quarum una est habita per infusionem, et alia comparata per acquisitionem, vel habitus, qui non plus distinguuntur, quam species: ergo non possunt in doctrina S. Thomæ dari scientia infusa et acquisita de uno objecto in eodem intellectu: at secundum S. Thomam erat jam in intellectu animæ Christi scientia infusa quidditatum non solum omnium supernaturalium, verum etiam naturalium: ergo in ipso intellectu non est admittenda earumdem quidditatum scientia acquisita.

Dicent forte Thomistæ, distingui scientiam infusam, et notitiam acquisitam de eodem objecto, sicut distinguuntur scientia matutina, et vespertina, seu scientia in Verbo, et in genere proprio: possunt autem dari de eodem objecto specie scientiæ matutina et vespertina: ergo et scientia infusa et acquisita. — **Verum respondet Doctor**, disparem longe esse rationem, quia scientia matutina, et scientia vespertina comparantur per diversa media, seu per diversas rationes: matutina nimirum per Verbum, quod est objectum cognitum, et ratio cognoscendi: vespertina vero per propriam similitudinem creatam infusam, vel acquisitam, quæ non est objectum cognitum, sed solum ratio cognoscendi: at scientia infusa et acquisita, quas admittit S. Thomas de uno et eodem objecto specie, nec penes objectum, nec penes rationem *quæ*, nec penes rationem *sub qua*, nec penes rationem *per quam* distinguuntur, sed penes varias causas efficientes dumtaxat, quæ non sufficiunt ad constituendam distinctionem specificam inter aliquos effectus: ideo quantumvis de uno specie objecto dari possint notitia matutina et vespertina, tamen dari non possunt scientia infusa et acquisita. *Confirmantur* hæc omnia: nam si duæ cognitiones ejusdem plane speciei essent in Christo, vel utraque esset imperfecta, vel utraque perfecta, vel saltem alterutra: dicere autem ambas imperfectas est ponere imperfectionem in cognitionibus Christi sine necessitate: ponere vero utramque perfectam, est dicere alteram quoties objectum aliquod perfecte cognoscitur, esse superfluam, quia quando cognoscitur quantum est cognoscibile per aliquam cognitionem superfluit alia cognitio, quæ postmodum datur de eodem objecto. Dicere tandem aliquam illarum esse perfectam, aliam imperfectam, hoc videtur gratis dici, quia utraque probari potest esse perfecta in genere suo.

Colligit tandem, Christum nihil didicisse, nec ab hominibus, nec ab Angelis: *Primo*, quia non fuit conveniens eum doceri ab illis, quorum est Doctor, et non discipulus: atqui Christus erat hominum et Angelorum Doctor, et non discipulus. *Secundo*, ille proprie discit, qui cum aliquid ignoraret, ejus notitiam accepit a scientia, et cum non habeat ex se principium sufficiens, acquirit species dependenter a conceptu magistri per eum sibi explicato, qui velut quoddam lumen illum illuminat et determinat: Christus autem non illuminabatur ab Angelis, neque ab hominibus: sed cum ab eis aliquid audiebat, habebat se instar præceptoris, cui discipulus ex libro legit ea, quæ sciebat.

Dices: Acquirere scientiam ab homine docente, videtur esse nobi-

lius, quam acquirere illam a rebus sensibilibus: quia in anima hominis docentis sunt species intelligibiles in actu; in rebus autem sensibilibus sunt species intelligibiles solum in potentia: sed Christus accepit scientiam acquisitam a rebus sensibilibus. — **Respondeo:** dignius esse accipere scientiam a rebus sensibilibus, quam ab homine: *Primo*, quia creaturæ sensibiles sunt velut Dei voces, ideoque ab eis abstrahere species est doceri per Deum: *secundo*, quia scientia, quæ habetur ex rebus sensibilibus, acquiritur per modum inventionis absque alterius adjumento, et ex propriis viribus: quæ autem ab hominibus, acquiritur **ex adjumento docentium.**

Dices 2: Quilibet audiens sermonem significativum alicujus, potest cognoscere quod nescit: ergo Christus potuit addiscere ab hominibus quæ secundum hanc scientiam nesciebat. — **Respondeo**, *antecedens* verum esse, nisi eo ipso tempore, quo audit, alio modo cognoscat illud, de quo audit, vel tempore antecedenti cognoverit: ita vero se habet Christus, qui cum per scientiam acquisitam cognoverit omnia, quæ secundum locum, et tempus conveniebat illum non ignorare, ex consequenti ab hominibus non novit, sed per experientiam, atque ministerio sensuum, statim ac cognosci ab eo conveniens fuit.

Dices 3: Lucæ 22. habetur, quod Christo in horto *apparuit Angelus confortans eum:* sed confortatio fit per verba confortatoria docentis, juxta illud Job 2. *Ecce docuisti plurimos, et manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui:* ergo Christus ab Angelis edoctus est. — **Respondeo**, dubitatum aliquando fuisse de veritate hujus historiæ a Catholicis nonnullis, ut patet ex S. Hilario lib. 10. *De Trinit.* et Hieronymo lib. 1. *Contra Pelagianos*, qui scribunt, quod suis temporibus in Græcis, et Latinis codicibus non inveniebatur. Et Epiphanius ipse in Anchorato, testis est ex orthodoxis et piis nonnullos simplici zelo, sed non secundum scientiam, illam historiam e suis codicibus erasisse, quia timebant ne faveret Arianis. Assenserunt illis Anabaptistæ. Verumtamen certa esse debet, maxime a tempore Concilii Tridentini, cujus hæc est definitio, sess. 4. *Si quis autem libros istos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris Canonicis non susceperit, anathema sit.* Et certe Epiphanius loco citato, et Augustinus lib. 3. *De consensu Evangelistarum*, cap. 4. hunc locum Lucæ ut Evangelium agnoverunt, et alii. Non negavit ipse Hilarius, non Hieronymus, quare supposita ejusdem loci veritate, *respondeo* duobus modis: *Primo*, Angelum dici confortasse Christum, non quia robur illi addidit, sed quia virtutem ac robur animi ipsius laudavit. Ita S. Chrysostomus Homil. *De Trinit.* Quo pacto ab Angelo robur accipiebat? Non robur accepit, sed glorificationem Angeli dicentis: *Tuum est regnum, et imperium, Domine.* In eodem sensu est Epiphanius supra. *Secundo*, confortari dicitur ab Angelo, sicut amicus solet levare amici tristitiam verbis, et colloquio familiari: etiamsi nihil prorsus doceat amicum: confortari autem se ab Angelo permisit Christus, inquiunt SS. Patres, tum ut doceret veritatem humanæ naturæ, quæ inferior est Angelica, sicque in nobis fides Incarnationis ipsius confirmaretur: tum etiam ut doceret homines hac ratione utilitatem orationis.

ARTICULUS TERTIUS.

DE DEFECTIBUS, ET PASSIONIBUS CORPORIS, ET ANIMI A CHRISTO DOMINO ASSUMPTIS.

Homo post lethale peccati vulnus tot, ac tantis defectibus, ac morbis, tum in corpore, tum in anima laboravit, ut revera omnium prorsus infirmitatum, ac dolorum videatur esse receptaculum. Præ cæteris autem defectibus, quibus maxime vexatur, et inquinatur, tres veluti aliorum omnium scaturigines apparent; duos quidem in anima, nempe ignorantiam in intellectu, et pronitatem ad peccatum ex ejus affectu vitiato: alterum vero in corpore, nempe passibilitatem, et ad morbos ac mortem proclivitem conspicere licet. Quoniam autem Christus, inquit Apostolus ad Heb. 2. *Debuit per omnia fratribus similari ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi*, idcirco merito quærunt Theologi, an revera Christus assumpserit omnes tam humani corporis, quam animi defectus; quas utique difficultates tribus in sequentibus Quæstionibus absolvemus.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM IN CHRISTO FUERINT DEFECTUS ET PASSIONES HUMANI CORPORIS.

Notandum 1. Defectus humani corporis duplicis esse generis: quidam enim pure naturales sunt, et vitii expertes, ut sunt fames, sitis, lassitudo, etc.; alii macula quadam turpitudinis infecti, ut est concupiscentia, morbi, et quæ proprie *passionum* vocabulo censentur. Insuper naturales illi defectus alii sunt generales, ac universo hominum generi convenientes, quales sunt mors, fames, sitis, etc.: alii vero speciales in aliquibus dumtaxat hominibus reperiuntur, habentque particulares causas, ex quibus oriuntur, cujusmodi sunt lepra, morbi, deformitas, etc. Hi autem defectus speciales a variis causis oriuntur; sunt enim, vel a natura contracti, ratione scilicet deficientis virtutis formatricis, quales sunt illi morbi, quos appellant hæreditarios, puta corporis imbecillitas, alicujus partis carentia, deformitas, etc.; vel ex cæli et aëris intemperie; vel denique ex inordinatis affectibus et actionibus hominum, ex quibus ingentes quotidie ac varii morbi suboriuntur. Quæritur itaque, an omnes ejusmodi defectus tam generales, quam speciales Christus habuerit.

Notandum 2. seu potius ex dictis repetendum, veram in Christo carnem fuisse, ac nostræ similem in omnibus, quantum ad naturalia, excepto peccato, ejusque contagione: nam ex fœmina concepta, genitaque est, neque e cælo lapsa; nec omnino impassibilis, ut volebant quidam *Acephali*, qui hac occasione duas in sectas divisi sunt, cum alii, auctore *Severo*, Christi corpus, dum in terris viveret passione, tentatum, ac corruptelæ et patibilitati obnoxium fuisse dicerent: alii ex adverso pugnantes, negarent hæc illum revera pertulisse, quorum dux fuit *Julianus Halicarnassensis*, ac postea *Gajanus*. Vixit autem Gajanus sub Zenone Imperatore circa annum 476; Julianus vero sub Phoca Imperatore circa annum 604. *Insuper*, nonnulli eo vecordiæ

progressi sunt, ut Christum putarent corporalem magnitudinem non habuisse secundum carnem, sed absque mole, et incorporaliter eum super mare deambulasse, quam etiam fuisse Theodoreti Pharanitæ Monothelitæ sententiam in Lateranensi Synodo, *Consultatione secunda*, Martinus primus testatus est. Quinimo refert Leontius Bisantinus in lib. 2. *De Tribus*, quos contra Eutychianos et Nestorianos edidit, quod quidam catholice sentientes de duabus Christi naturis, tamen cum Eutychianis sentiebant, in eo quod Christi corpus ante resurrectionem incorruptibile fuisse jactarent. *Porro* hi hæretici dicti sunt *Aphthartodocitæ*, a præpositione græca, ἀ, quæ significat *sine*, aut *non*, et a voce φαρτός, quæ denotat corruptioni et morti obnoxium, et a verbo δοκειν, quod latine idem est ac opinor, eo quod opinarentur corpus Christi nec morti obnoxium, nec passibile esse. Cæterum, ut scribit Nicephorus lib. 18. *Historiæ*, cap. 45. Catholici, qui his hæreticis adversabantur, eos *Phantasiastas*, et Manichæos nuncupabant, eo quod viderentur asserere corpus Christi solum esse apparens et phantasticum; e contra vero hæretici insultabant Catholicis, eosque *Phthartolatras*, quasi adorantes corpus corruptioni obnoxium appellabant, eos etiam dicebant *Scenolatras*, quasi tabernaculi adoratores: imo, quod longe pejus est, hic error hæreticorum usque adeo aliquando placuit Justiniano Imperatori, alias pio et catholico, ut publico edicto jusserit in Ecclesia Dei doceri corpus Christi incorruptibile semper fuisse, nec unquam irreprehensibiles passiones habuisse, sicut scribit Nicephorus lib. 17. cap. 29.

Notandum 3. Omnes Catholicos convenire, non fuisse necesse, quod ut Christus Dominus sufficienter Deo Patri pro peccatis satisfaceret, pœnas damnatorum pateretur, ut impie blasphemat Calvinus lib. 2. suarum *Institutionum* cap. 16. § 10. Enimvero si Christus assumere debuisset et pati pœnas damnatorum, maxime ut nos ab ipsis liberaret: at potuit nos ab ipsis pœnis eripere etiam illas non patiendo, sed alias æquivalentes; non quidem secundum proportionem doloris, sed secundum dignitatem personæ patientis et satisfacientis: subindeque nulla est ratio, nullaque auctoritas, quæ tantillum Calvini blasphemiæ patrocinetur. Nulla, inquam, auctoritas: nam quod ex Isaiæ cap. 53. profert, nempe quod Christus attritus est propter scelera nostra, et vere languores nostros portavit, non sic intelligendum venit, quasi eosdem pati debuerit cruciatus, quos eramus passuri in inferno; sed duntaxat, quod pro nostris expiandis peccatis, revera adorandus ille Salvator doloribus, ac morti fuerit addictus. Nec etiam ei quidquam favet id, quod profert ex Apostolo ad Hebr. 4. ubi Christus dicitur *tentatus per omnia pro similitudine carnis absque peccato;* nam particula, *omnia*, non intelligitur de omnibus pœnis, quas homines peccatores luere debent in vindictam sui criminis, sed tantum de ærumnis, et calamitatibus hujus vitæ.

His ita præmissis, tria supersunt determinanda: *Primum*, an Christi corpus revera fuerit passibile, et obnoxium defectibus communibus, quibus subjiciuntur cæteri homines. *Secundum*, an habuerit morbos privatos. *Tertium*, an habuerit defectum deformitatis.

Conclusio prima. — Christi Domini corpus revera fuit passibile, et obnoxium dolori sensitivo, ac communibus hominum defectibus. Hæc est de fide, cujus contrarius error damnatus est in Concilio Ephesino, Anathematismo 12.

Colligitur autem ex variis Scripturæ sacræ textibus: *Primo*, quidem Isaiæ 53. ubi Propheta de Christo pronuntiat: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, etc.* Hinc Matthæi 4. legimus, quod *postquam jejunasset quadraginta diebus, et noctibus, postea esuriit.* Et Joan. 4. *Jesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem,* etc.

Idem egregie docent veteres Theologi ac SS. Patres, dicentes, quod sicut revera Christus mortuus creditur, ut nemo Christianorum dubitat, multo magis passus est affectiones cæteras, quæ mortem antecedunt, et afferunt, ut recte argumentatur Tertullianus lib. 2. *Contra Marcionem*, c. 27. *Jam nunc*, inquit, *ut et cætera compendio absolvam, quæcumque adhuc, ut pusilla, et infirma, et indigna colligitis ad destructionem creatoris, simplici, et certa ratione proponam: Deum non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos et sensus et affectus suscepisset, per quos vim Majestatis suæ intolerabilem utique humanæ mediocritati, humiliatæ temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria; et ita jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quam salus hominis. Si enim Deus, et quidem sublimior tanta humilitate fastigium Majestatis suæ stravit, ut etiam morti subjiceret, et morti crucis; cur non putetis nostro quoque Deo aliquas pusillitates congruisse, tolerabiliores tamen Judaicis contumeliis, et patibulis, et sepulchris?* Sic S. Athanasius in lib. *De Incarnatione: Corpus*, ait, *Christi communem habens cum cæteris substantiam; quippe corpus erat humanum, tametsi novo, et inusitato miraculo ex sola Virgine conflatum, nihilominus mortale cum esset, itidem ut alia similia, mortem obiit.* Ut enim scribit Ambrosius, *qui corpus suscepit, omnia debuit subire, quæ corporis sunt, ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur.* Et S. Leo: *Salva igitur proprietate utriusque substantiæ, et in unam coeunte personam, suscipitur a Majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, et ad rependendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili.* Tum S. Fulgentius: *Et carnem quidem nostram cum conditione humanæ mortalitatis induit; animam quoque nostram cum infirmitatibus sine macula humanæ infirmitatis accepit.* Et idem alio loco, animæ tristitiam et perturbationem, quam voluntariam in anima Dei Filius habuit, sic habuisse dicit, ut etiam ipsas humanæ animæ passiones ex voluntate veras, et in veritate voluntarias non neget. Et quia Divinitas verum hominem suscepit, ideo cunctas naturæ humanæ infirmitates, veras quidem, sed voluntarias in eadem veritate naturæ dumtaxat humanæ sustinuit.

Eamdem veritatem, inquit Vazquez, hoc sequenti argumento probabant veteres Catholici Theologi, ut refert Nicephorus lib. 17. cap. 29: si Christus non habuit corpus passibile, nec sensum passionis, sequitur Christum non esse nobis ὁμοούσιον, hoc est *consubstantialem;* ita arguit Damascenus lib. 3. *De Fide*, cap. 28. Verum hæretici, ut narrat idem Nicephorus, respondebant hoc modo: *Quomodo vos corpus Christi incorruptibile esse dicitis post resurrectionem, nobis tamen consubstantiale;*

sic etiam et nos ante resurrectionem dicimus fuisse incorruptibile, consubstantiale tamen nobiscum. Objiciebant vero rursus Catholici, corpus Christi post resurrectionem esse incorruptibile, nobis tamen consubstantiale, illud vero incorruptibilitatem habere ex Dei gratia, non natura sua. Verum respondebant iterum hæretici: *Nos etiam non natura, sed Dei gratia dicimus ante resurrectionem fuisse incorruptibile, et tamen nobiscum consubstantiale.* Hoc tamen retellebant Catholici ex iis, quæ in Scriptura de Christo dicuntur; nam cum dicatur ante resurrectionem esuriisse, non possumus non sensum famis in Christo concedere; quamvis enim post resurrectionem dicatur comedisse, non tamen dicitur esuriisse, quod longe diversum est; fames enim est dolor quidam in ore stomachi ex melancholia proveniens; dolor autem sensus exterioris est adhæsio cujusdam qualitatis disconvenientis naturæ. *Adde* etiam pro ratione Catholicorum, quod si corpus Christi ante resurrectionem, et post illam per gratiam Dei esset incorruptibile et impassibile, otiosa videretur illius susceptio, quod numquam in suo statu naturali relictum fuisset, præsertim si ea, quæ facta narrat Evangelium in corpore Christi, non vere, sed solum secundum phantasiam gesta sunt. Ita Vasquez ex Nicephoro. — Quod autem Christus Dominus congrue assumpserit defectus et passiones humani corporis, luculenter probat Seraphicus Doctor in 3. dist. 15. art. 1. qu. 1. triplici ratione petita ex triplici fine, propter quem Christus humanam carnem induit, videlicet propter pretium nostræ salutis, propter exemplum virtutis, et propter fulcimentum nostræ fragilitatis. *Propter pretium nostræ salutis,* quia proposuerat nos redimere non corruptibilibus auro, et argento, sed pretiosissimo sanguine suo, et animam suam ponere pro animabus nostris. Ad hoc autem non esset idoneus, nisi naturam deficientem, et passibilem assumpsisset; et propterea defectus nostros, et pœnalitates debuit in seipso habere. Alia etiam ex causa congruum fuit hoc ipsum, videlicet *propter exemplum virtutis*, specialiter autem humilitatis, patientiæ, et pietatis, quibus mediantibus pervenitur ad cælum, et in quibus Christus voluit nos imitari ipsum secundum illud: « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, etc. » Tertia ratio est *propter fulcimentum nostræ fragilitatis,* ob quam, inquit, « natura rationalis habet in se difficultatem ad credendum vera, « et irascibilis ad sperandum ardua, et concupiscibilis ad amandum « bona. Et ideo voluit Christus non tantum nobis similari in natura, « sed etiam in defectibus et pœnalitatibus, ut manifestando in se ve- « ritatem humanæ naturæ, præberet fulcimentum nostræ rationali ad « credendum; ostendendo nihilominus immensitatem suæ misericordiæ, « per susceptionem nostræ miseriæ, præberet irascibili fulcimentum « ad sperandum; ostendendo magnitudinem suæ benevolentiæ, præ- « beret concupiscibili incitamentum ad se amandum. Et ideo licet in- « congruum videatur ejusmodi defectus reperiri in Christo, si per se « considerentur; tamen si ad finem referantur, magna reperitur con- « gruitatis condecentia. »

Objicies 1. Sicut summæ justitiæ repugnat defectus culpæ, sic summæ potentiæ repugnat defectus fragilitatis et impotentiæ: sed Deum summe justum non decuit habere defectum culpæ nec in se, nec in natura assumpta: ergo pari ratione non decuit eum habere de-

fectum pœnalitatis, et impotentiæ. — **Distinguit majorem Seraphicus Doctor** *ibidem:* utrumque ex æquo repugnat, si tam infirmitas, quam culpa comparetur ad naturam divinam, concedit; in natura enim divina sicut nulla potest esse injustitia, sic nulla potest esse impotentia: si utrumque comparetur ad naturam assumptam, negat: siquidem in natura assumpta infirmitas potest esse materia exercendæ virtutis, virtus enim fortitudinis exercetur potissime in perpessione terribilium, eorum maxime, quæ mortem inducunt; unde respectu naturæ assumptæ non eodem modo se habet fragilitas respectu potentiæ, ac vitium respectu justitiæ; vitium enim, quovis modo accipiatur, reddit semper subjectum vituperabile, infirmitas vero et impotentia reddit subjectum magis laudabile, quando conjuncta est inferiori virtuti animi ad meritum conferenti.

Objicies 2. Sicut culpa, quæ non habet pœnam subsequentem, non censetur ordinata ex justitia; ita et pœna, quæ non habet culpam præcedentem: at defectus et pœnalitates in Christo nullam habent culpam præcedentem: ergo ordinate ipsi non possunt inesse: sed Christus nihil in se potuit habere inordinatum: ergo nec potuit habere defectus et pœnalitates. — **Distinguit majorem** idem Seraphicus Doctor: pœna, quæ non habet culpam præcedentem, est inordinata, si coacte et involuntarie infligatur, concedit: si voluntarie et ex charitate suscipiatur, negat. Christus autem non ex necessitate, sed ex infinita charitate pœnalitates assumpsit assumendo corpus mortale; siquidem ipsi liberum erat assumere corpus gloriosum et impassibile; sed ut suum immensum erga homines amorem testaretur, voluit per omnia fratribus assimilari pro similitudine carnis absque peccato: unde Apostolus ad Heb. 12. hortatur *ut per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.*

Objicies 3. S. Hilarium, qui in lib. 10. *De Trinit.* aperte docet Christum qua hominem, doloris, famis, ac sitis cæterarumque pœnalitatum, quibus corpora nostra conflictantur, revera nullum sensum habuisse, sed ad speciem dumtaxat, et secundum apparentiam. Disputans enim contra quosdam Arianos, qui ut Filium Patri inferiorem, et non ei consubstantialem probarent, dicebant, qualemcumque illius Divinitatem patiendi capacem, ac revera passam esse, et sic dolorem, tristitiam, et metum, et similia non ad susceptam a Verbo naturam hominis, sed ad ipsam illius Divinitatem accomodabant. Contra hos, inquam, disputans S. Hilarius ait: *Volunt plerique eorum ex Passionis motu, et ex infirmitate patiendi, non in naturam eum impassibilis Dei fuisse, ut qui timuit, et doluit, non fuerit vel in ea potestate securitas, quæ non timuerit: vel in ea Spiritus incorruptione, quæ non dolet, sed inferioris a Deo Patre naturæ, et humanæ passionis trepidaverit metu, et ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem.* Deinde proferens Scripturæ textus, quibus tristitia, vel metu Christum Dominum laborasse perhibetur; ostendit eum non habuisse causam metuendæ mortis, aut pœnalitatis, utpote cum sciret suum corpus non esse pœnalitati obnoxium, nec corruptione dissolvendum: quod ut demonstret, subdit: *Homo itaque Jesus Christus,* inquit, *Unigenitus Deus per carnem, et Verbum, ut hominis filius, ita et Dei Filius, hominem verum, secundum*

similitudinem nostri hominis deficiens a se Deo. sumpsit: in quem, quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret: afferrent quidem hæc impetu Passionis, non tamen dolorem Passionis inferrent: ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, sed naturam suam in hæc passio illata non retinet; dum in natura non est, vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aera vulnerari: quamvis natura teli sit vulnerare, et compungere, et forare. Passus quidem Dominus Jesus Christus dum cæditur, dum crucifigitur, dum moritur: sed in corpus Domini irruens Passio, nec non fuit Passio, nec tamen naturam Passionis exercuit; cum et pœnali ministerio illa deservit, et virtus corporis sine sensu pœnæ, vim pœnæ in se desævientis excepit. Profert autem rationem cur censuerit corpus Christi non esse vulnerabile, sicut nostra corpora, nempe quod longe excellentioris fuerit perfectionis, et formationis, quam nostra corpora. *Habuerit sane illud*, inquit, *Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas, et super fluctus eat, et non degravetur ingressu, neque aquæ insistentis vestigiis cedant; penetret etiam solida, nec clausa domus obstaculis arceatur: at vero si Dominici corporis ista natura sit, ut sua virtute, sua anima feratur in humidis, et insistat in liquidis, et extructa transcurrat, quid per naturam humani corporis concepta ex Spiritu sancto caro judicatur, etc.* Quibus aperte significat illam indolentiam corporis Christi ex naturæ suæ statu et conditione procedere; quapropter neque vim suam ferrum in illud exercere potuit, nec alia incutiendi doloris instrumenta quidquam nocumenti potuerunt conferre. Quod autem ea fuerit sancti Hilarii sententia, aperte fatetur Claudianus Mammertus in lib. 2. *De statu animæ*, ubi loquens de sancto Hilario ait: *Inter complura præcelsarum disputationum suarum quiddam latius sentientem duo hæc veris adversa disseruisse: unum quod nihil incorporeum creatum dixit: aliud nihil doloris Christum in Passione sensisse, cujus si Passio vera non fuit, redemptio quoque nostra vera esse non potuit. Sed quando B. Hilarius opinionis hujusce vitium virtute confessionis abolevit, sic sustinet reprehensionis stylum, quod non patitur detrimenta meritorum.* — **Verum eximii Theologiæ proceres** hujus Ecclesiæ luminis, ac fidei defensoris, et columinis doctrinam sanam et integram servare eo laborant attentius, quod audierint S. Hieronymum epistola 7. quæ est ad Lætam, suadere ut *Hilarii libros inoffenso decurrat pede.* Igitur *Magister sententiarum* dist. 15. et *S. Thomas* 3. par. qu. 13. art. 3. ad 1. sic explicant præfatam S. Hilarii sententiam, ut censeant illius mentem esse, quod Christus non senserit dolorem infligendum propter peccatum; unde cum doloris causam, et meritum in se non habuerit, nec etiam excepit vim pœnæ cum sensu pœnæ: hoc autem illius verbis expressum fuisse docent, cum ait: *Non habens naturam ad dolendum:* non enim natura illius æstimanda est ex conditione nostræ naturæ; cum ista inusitato modo procreata sit. *Alensis* vero qu. 17. memb. 1. art. 2. ita explicat, ut velit S. Hilarium nihil aliud docuisse, quam quod Christus non senserit dolorem, nisi ad arbitrium voluntatis; ita quod nec dolendi nec timendi necessitas in illo fuerit, qualis in nobis. Hinc dolorem sensit non invite, sed voluntate susceptum. ✻ " *Seraphicus* autem *Doctor* tres profert respon-

siones, ad quas omnia aliorum dicta ad explicandam S. Hilari mentem facile revocantur. *Prima,* quam etiam tradit Magister Sententiarum, est quod Hilarius a Christo non dolorem sed causam doloris, scilicet peccatum, non doloris veritatem sed necessitatem, non doloris perceptionem sed perturbationem, quæ reluctantem dolori animum a suo statu dimovet. Id autem ex totius loci serie perspicuum est. *Anne metuit,* inquit, *qui armatis ad corripiendum se obvius prodiit? et in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderunt? quam igitur infirmitatem dominatam hujus corporis credis, cujus tantam habuit natura virtutem?* Et paulo infra loquens de aure Malcho ad tactum manus Christi restituta, ait: *Quod si hæc in Christi corpore virtus fuit, qua rogo fide naturaliter fuisse infirmus defenditur, cui naturale fuit omnem humanarum infirmitatum inhibere naturam? Collatis ergo dictorum atque gestorum virtutibus, demonstrari ambiguum non est in natura ejus corporis infirmitatem naturæ corporeæ non fuisse, cui in virtute naturæ fuerit omnem infirmitatem corporum depellere, et passionem illam, illata licet corpori fuerit, non tamen naturam dolendi corpori intulisse: quia quamvis forma nostri corporis esset in Domino, non tamen vitiosæ infirmitatis nostræ forma erat in corpore, quod ex conceptu Spiritus Sancti Virgo progenuit.* Ex his apparet quæ fuerit S. Hilarii mens, nimirum quod passio Christi non ex necessitate aut infirmitate orta sit, quodque pœnas quas pertulit nullum ipsi doloris sensum intulerint voluntati ejus contrarium; in quo differt a nobis qui repugnante animo patimur. — Ita explicat etiam Philippus abbas Bonæ Spei. Quæ expositio ut intelligatur, supponendum est secundum S. Augustini principia, dolorem qui dicitur corporeus, non inesse corpori, sed animæ, illumque nihil aliud esse quam animi repugnantiam ortam ex eo quod corpus patiatur aliqua sibi displicentia. *Dolor carnis* (inquit Augustinus), *tantummodo offensio est animæ ex carne, et quædam ab ejus passione dissensio.* Quapropter, cum anima vulneribus corporis attendere non potest, ut in lethargiis accidit, tunc verissimum est S. Hilarii effatum, quod teli acies corpus confodiens non plus doloris inferat, quam si aquam perforaret. At eodem pene modo se res haberet, si animus attendens dolori ei non repugnaret: namque non in attentione sola, sed etiam in repugnantia positus est dolor. Unde si animus tunc sentiret doloris causam, puta vulnus, quia illud perciperet; non tamen doleret proprie, quia ei non repugnaret. Adeoque cum voluntas Christi omnibus pœnis infligendis superior esset, cumque in proposito obediendi Deo Patri satisfaciendo pro hominibus constantissima esset, tormenta nullam ipsi repugnantiam inferre potuerunt; et sic optime ait S. Hilarius quod passa sit caro Christi, sed quod passio ad animum non pervenerit; nam vulneratus est equidem propter delicta nostra, sed cum oblatus sit quia ipse voluit, vulnera illa interno doloris sensu animum ejus non dejecerunt. Quod tamen dolores nostros ipse tulerit, et languores nostros portaverit, prout dolor a vulgo concipitur pro læsione scilicet externa, vel mutatione status naturalis corporis, quam animus percipiat, sive interim repugnet, sive consentiat, docet S. Hilarius locis infra citandis. — Altera Seraphici Doctoris responsio est quod ¨ * S. Hilarius non excludat sensum doloris a Christo se-

cundum naturam humanam, sed secundum divinam: unde verba illa referenda sunt ad Christi personam, intelligentia enim dictorum, inquit, ex causis est assumenda dicendi. Hilarius enim in verbis præmissis excludere voluit errorem Arii, qui dicebat Christum secundum se totum passum fuisse. — ✳ " Ita quoque S. Hilarii mentem explicat Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus: *Cum itaque*, inquit, *S. Hilarius ait quod homini assumpto a Filio Dei ictus et vulnera passionem afferrent, non tamen doloris passionem inferrent, ut si telum aquam perforaret etc.: idem est ac si diceret, homo assumptus impetum passionis et vim doloris sensit, Deus assumens non sensit, et hoc paulo post declarat dicens: virtus corporis, idest, Divinitas assumens ipsum corpus sine sensu pœnæ, quantum ad ipsam attinet, vim pœnæ in se, idest, in carne assumpta desævientis excepit. Quod si virtus corporis magis robur ipsius corporis hoc in loco intelligenda est, eadem sententia in cæteris manet, ut sit sensus: virtus corporis sine sensu pœnæ quantum ad assumentem divinitatem. Et hoc locutionis genere revera et salva christianæ religionis fide, dici potest, quia Christus, sive corpus Christi in cruce patiebatur et non patiebatur, dolebat et non dolebat, moriebatur et non moriebatur. Alioqui si præfatus Doctor contra usitatissimam Ecclesiæ fidem, contra omnium sanctorum Patrum definitionem, carnem Christi insensibilem et doloris expertem intelligi voluisset, assumptum a Filio Dei, similem nobis hominem in prædicta sententia minime retulisset: quæ enim similitudo sensibili et insensibili, dolenti et dolore experti?* Hæc Lanfrancus adversus Berengarium errorem de insensibilitate corporis Christi S. Hilario objicientem scripsit *Epistola* ad Romualdum Pictaviensem abbatem relata a Baronio tomo 2. *Annalium* 1088. Quæ explicatio ab ipsomet S. Hilario tradi videtur canone 31. in Matthæum contra Arianos ita scribente: *Eorum omnis hic sensus est, ut opinentur metum mortis in Filium Dei incidisse, qui asserunt non de æternitate esse prolatum, neque de infinitate paternæ substantiæ extitisse, sed ex nihilo per eum qui eum creavit effectum, et ideo in eo corporis anxietas, ideo spiritus passio, cum corporis passione: ideo metus mortis, ut qui mortem timere potuit, et mori possit.* Sed clarissime suam sententiam exponit Enarratione in psalmum 53: *Non ex naturæ necessitate*, inquit, *potius quam ex sacramento humanæ salutis passioni fuisse deditus intelligendus est, et voluisse se magis passioni subjici quam coactum: et quamquam indemutabilem Dei naturam nulla ris injuriosæ perturbationis offenderet, tamen passio suscepta voluntarie est, officio quidem ipsa satisfactura pœnali, non tamen in pœnæ sensu latura patientem. Non quod illa non habuerit lædendi naturam, sed quod dolorem de divinitatis natura non sentit. Passus ergo est Deus, quia se subjecit voluntarius passioni; ipse tamen a naturæ suæ virtute non excidit ut doleret; sequitur enim: voluntarie sacrificabo tibi etc.* — Tertia *responsio* quam amplectitur Bellarminus lib. 4. *De Christi anima*, cap. 8. cum " ✳ plurimis aliis, quos refert *Vazquez* dist. 59. cap. 1. revera præclarum istud Ecclesiæ lumen hac in parte eclipsim passum esse, sed multiplicato demum luminis fœnore radiantiorem per suam retractationem apparuisse; nam Seraph. Doctor *ibidem* refert: *Audivi Parisiensem Episcopum Guillelmum referre se librum retractationis Hilarii vidisse et perlegisse.* Hoc ipsum de libello, in quo errorem re-

tractaverit Hilarius docent S. Thomas in 3. dist. 15. et Albertus ibidem, et Claud. Mammertus supra. — Licet autem hic retractionis liber modo non appareat, et temporum injuria perierit, nihilominus S. Hilarium contrariam priori assertioni, ac vere Catholicam sententiam tenuisse, colligere licet ex ipsius commentariis in Psalmos: nam explicans Psalmum 68. ad hæc verba, *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* ita scribit: *Introeuntibus enim aquis usque ad animam, subjectus morti crucis fiebat, cum passionum universarum impetus usque ad mortem animæ perrumperet.* Et paulo post: *Verum ineuntium harum passionum non aliunde, quam ex assumptione carnis, et virtus est, et potestas: non enim incidere in Deum hic infirmitatum nostrarum terror valebat: aut exercere se, nisi carne corporis nostri, tamquam subjacente materia, poterant passiones.* Et iterum: *Percussus est Dominus peccata nostra suscipiens, et pro nobis dolens, ut in eo usque ad infirmitatem crucis, mortisque percusso sanitas nobis per resurrectionem ex mortuis redderetur.* Item: *Omnis in eum terror,* inquit, *desævientis in nos tempestatis incubuit, etc. Tunc et pati cœpit, et mori posse, per occasum mortis in ima descendens.* Et infra: *Non fuit ergo in Unigenito Dei naturalis infirmitas, sed assumpta, quia propter Deum hæc improperia susceperit passionum.* Quibus verbis revera dolorem ac timorem suscepisse Deum. non natura sua, sed in assumpta carne testatur sanctus Hilarius. Et rursus asserit carnem ejusdem naturæ cum Adami carne post peccatum infirmam Deum assumpsisse, ac vere doluisse: *Non pepercerat autem,* inquit, *primo illi de terra limo Adæ, quem de Paradiso post culpam, ne ligno vitæ attingens in æternitatem pœnæ maneret, ejecit, ut naturam corporis ejus Adam e cœlis secundus assumens, parique morte percussus, eam rursus in vitam æternam, sine pœnæ æternitate revocaret. Hunc igitur ita a Deo percussum persecuti sunt, super dolorem vulnerum, dolorem persecutionis hujus addentes: pro nobis enim secundum Prophetam dolet, et ideo est in doloribus æstimatus:* vides uti manifeste non vulnera solum, idest perforationes; sed et vulnerum dolores pertulisse dicatur: quod ei plane contrarium est, quod in decimi libri *De Trinit.* loco scripsit. *Nec refert,* quod nullus Veterum hunc errorem in Hilario notaverit, nec quod Lætam monuerit S. Hieronymus, ut ejus filia *Athanasii Epistolas, et Hilarii libros inoffenso decurrat pede, illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet:* non enim omnes errores, in quos lapsi sunt aliqui ex Patribus, ab aliis notati sunt: unde fieri potuit, ut illum etiam præterierit, nec observaverit S. Hieronymus. Vel dico frustra hunc errorem ab illis debuisse notari, quem ipse S. Hilarius propria retractatione, et contrariis documentis expunxerat: hac enim ratione a sequentibus SS. Patribus, et Ecclesiasticis Scriptoribus non sunt notati, nec damnati omnes lapsus S. Augustini, quos ipse in libris Retractationum emendavit. — ✳ " Harum autem responsionum eligatur quæ videbitur optima.

Objicies 1. Ille corpus passibile non habuit qui fuit omnis passionis expers, quem neque voluptas neque dolor, neque ullus affectionis humanæ motus invasit, qui manducare non debuit nisi ad tollendam suspicionem quod purus spiritus esset: sed hæc est S. Clementis Alexan-

drini de Christo sententia: ergo tantum abest ut sit hæretica, quin imo antiquiorum Ecclesiæ Patrum calculo firmata est. Quod autem S. Clemens eam defenderit, manifestum est ex libro 5. *Stromatum*, pag. 468: *Talis enim est is*, inquit, *qui est cognitione prædituſ, ut in eum eœ solœ cadant affectiones quœ oriuntur ut corpus manent, nempe fames, sitis et similia. Sed in Servatore quidem corpus ut corpus necessaria postulare ministeria ut permaneat, ridiculum est. Comedebat enim non propter corpus quod sancta virtute continebatur, sed ne eis qui una cum eo versabantur, in mentem veniret aliter de eo sentire, sicut certe postea quidam existimaverunt eum apparuisse visione et phantasmate; ipse autem passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, neque dolor.* — **Respondeo**, S. Clementem excludere solum a Christo famis sitisque necessitatem, passiones inordinatas, et inconsulta ratione obrepentes affectionum motus. Sed non negat quin famem et sitim aliasque affectiones ex dignatione revera perpessus fuerit. Corpus equidem ipsius quatenus Verbo Dei unitum necessaria vitæ ministeria non postulabat, quia vis infinita Verbi poterat absque cibis illud conservare et sancta virtute continere: voluit tamen tentari per omnia pro similitudine absque peccato, ne phantasticum aut apparens corpus assumpsisse putaretur. Quod autem Christum vere passum existimaverit, constat ex ejus *Admonitione ad gentes*, cap. 19., ubi ait: *Crede homo homini Deo. Crede homo Deo viventi qui passus est et adoratur. Credite servi mortuo etc.* Et lib. 2. *Pædagogi*, cap. 8. *A ratione alienum est*, inquit, *ut qui audierimus Dominum spinis fuisse coronatum, ipsi venerabili Domini passioni insultantes per ludum, habeamus capita redimita floribus.* Quod confirmari potest verbis Origenis, qui ex Ecclesiæ et scholæ Alexandrinæ doctrina in qua magistrum audierat S. Clementem, ita scribit lib. 2. contra Celsum: *Si, ut ait Celsus, nihil doloris ac molestiœ sensit Jesus per illud tempus: quonam pacto qui postea secuti sunt, Jesum adhibere potuerunt in exemplum patiendi laboriosa quœlibet ac molesta propter pietatem, si humana revera non sit perpessus, sed specie tantum?* ¨ ✻

Conclusio secunda. — Christus non assumpsit privatos hominum defectus, ut sunt infirmitates, lepra, etc.

Probatur: Christus eos dumtaxat defectus assumpsit, qui conducebant ad opus redemptionis sed privatæ infirmitates, et languores ad opus redemptionis: non conducebant, imo plurimum officiebant, quippe fuissent in causa, cur Christus non potuisset vacare hominum conversioni, et prædicationi Evangelii: igitur non debuit illos defectus assumere.

Deinde, speciales illi defectus oriuntur, vel ex imbecillitate virtutis formativæ, vel ex inordinatis actionibus, vel ex peccati vindicta: sed nullo ex iis capitibus potuerunt illi defectus in Christo reperiri.

Objicies 1. Illud vaticinium Isaiæ 53. ubi de Christo ita loquitur: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* — **Respondeo**, Prophetam non esse intelligendum de languoribus morbidis, aut peculiaribus infirmitatibus, quæ ex hu-

mani corporis intemperie suboriuntur, sed de istis languoribus ac doloribus, quos Judæorum sævitia cruente inflictos excepit tempore passionis : tot enim plagis, totque vulneribus sacrum ipsius corpus laniatum est, ut revera hominibus appareret quasi leprosus, nec erat in eo species, neque decor.

Conclusio tertia. — Christus non habuit defectum deformitatis, sed eximia pulchritudine ac venustate fuit illustris.

Probatur primo illis Scripturæ sacræ oraculis, quibus Christus prænuntiatur singulari pulchritudine donandus. Sic Gen. 49. *Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.* Sic Psal. 44. dicitur *Speciosus forma præ filiis hominum :* quem textum sacri Interpretes de Christi Domini corporea venustate explicant. Quod utique confirmat Nicephorus lib. 1. *Historiæ* cap. 40. ubi narrat Christum fuisse speciosum, et pulchræ figuræ, qualis virum decebat; ita ut ejus pulchritudo esset cum gravitate et honestate conjuncta : quocirca S. Hieronymus ad caput 53. Isaiæ formam Christi elegantissimam et pulcherrimam extitisse testatur, adeo ut solo aspectu omnes ad se potenti illecebra traheret, *Fulgor ipse*, inquit, *et majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.*

Probari potest pariter hæc veritas ex eo, quod ad pulchritudinem hæc tria solum desiderentur: temperamentum optimum, membrorum proportio, et debitus color, quæ tria fuisse in Christo satis indicat divina ejus virtus formativa. Etenim, quod in Virgine natum est de Spiritu Sancto est.

Objici possunt adversus hanc conclusionem aliqui SS. Patres, et veteres Theologi : imprimis vero Clemens Alexandrinus, qui in *Pædagogico*, post multa de vera pulchritudine disputata, demum exemplo Christi probat eam in animo et virtute, non in corporis elegantia collocari debere : *Quippe Dominum ipsum*, ait, *aspectu deformem fuisse, per Isaiam testatur Spiritus. Et vidimus eum, et non habebat speciem, nec pulchritudinem : sed forma ejus indecora præter homines. Et quis est Domino præstantior? Verum non ille carnis pulchritudinem, quæ specie quadam illudit ; sed veram animæ, corporisque pulchritudinem attendit : animæ quidem beneficentiam, carnis vero immortalitatem.* — Et in tertio *Stromateon : Caput ipsum Ecclesiæ Christum in carne*, ait, *specie carentem, et deformem transiisse, ut nos doceret ad divini principii expertem speciei, et corporis statum respicere.* Et in 6. libro, *Dominus*, inquit, *non frustra voluit uti forma corporis, ne quis elegantiam et pulchritudinem admirans, ab iis, quæ dicuntur, absistat.* Sic apud Origenem Celsus Epicureus objicit Christi corpus dici fuisse *pusillum, et deforme, ac minime generosum.* Cui respondet Origenes, extra controversiam scriptum esse, Jesu corpus deforme fuisse, non tamen minime generosum, ut exponit ille. — Tertullianus quoque in libro *De carne Christi*, cap. 9. carni Christi pulchritudinem detrahit, atque hoc ipsum magis admirabilem illum fecisse : *Sed carnis*, inquit, *terrenæ non mira conditio. Ipsa erat, quæ cætera ejus miranda faciebat, cum dicerent : Unde huic doctrina, et signa ista? Etiam despicientium*

formam ejus hæc erat vox. Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur: passiones quidem humanam carnem; contumeliæ vero inhonestam probavere. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum, illam sputaminibus contaminare faciem, nisi merentem? Idem, et capite 4. libri 14. *Contra Judæos,* significat. — **Verum respondeo**, præfatos Patres, et veteres Theologos, leviori argumento inductos esse, ut hæc de Christo assererent; nam Isaiæ locus, quo maxime in sua assertione nituntur, de Christo patiente ac vulneribus sauciato et laniato, non vero de naturali ejus corporis forma intelligendus est, ut explicat S. Chrysostomus supra laudatus, cum ait: *Non enim miracula dumtaxat faciens admirabilis erat, sed etiam cum simpliciter aspiceretur, ingenti abundabat gratia, atque hoc Propheta significans canebat: Speciosus forma præ filiis hominum. Quod autem Isaias dicit: Non habebat speciem, neque pulchritudinem, vel ad divinitatis gloriam arcanam illam, et inexplicabilem respiciens ita loquitur: vel ea narrans, quæ passionis tempore contigerunt, nempe dehonestationem illam, quam in cruce pendens sustinuit, et abjectionem, quam per omnia toto vitæ suæ tempore præ se tulit.*

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT ALIQUA IGNORANTIA, AUT ALIQUIS ERROR.

Cum error et ignorantia sint humanæ mentis per peccatum vitiatæ generales et communes defectus, inde merito quæritur an quemadmodum Christus communes singulis hominibus corporis pœnalitates cum ipso corpore induit, sic pariter illum humani intellectus defectum assumpserit. Quod ut evidentius appareat,

Notandum 1. Ignorantiam generatim distingui duplicem, nimirum *puræ negationis*, et *pravæ dispositionis*. Ignorantia *puræ negationis* est simplex quædam nescientia seu carentia cognitionis alicujus rei, qua ratione dicimur etiam ignorare ea quæ scire non tenemur: ignorantia autem *pravæ dispositionis* est carentia cognitionis alicujus objecti, de quo rectum judicium ferre tenemur. Hæc iterum duplex, secundum carentiam duplicis scientiæ, speculativæ et practicæ. *Ignorantia speculativa* dicitur, qua intellectus errat circa res mere speculativas, qua ratione plerumque contingit nos errare circa veritatem scientiarum speculativarum. *Practica* vero est, qua intellectus perverse judicat de agendis, prosequendis, et fugiendis. Et hæc rursus est duplex, nempe invincibilis, et vincibilis: *Invincibilis* dicitur, qua quis aliquid ignorat, quod non est in potestate ejus scire: sic invincibiliter aliquis ignorat, quo mortis genere debeat interire, nisi Deus ipsi revelaverit. *Vincibilis* ea est, qua quis aliquid nescit, quod scire posset si omnem moralem diligentiam adhiberet. Hæc iterum est duplex, nempe *affectata, et crassa*. Prima est, qua aliquis sponte vult aliquid ignorare, ne scilicet teneatur illud implere, de quo loquitur David, cum ait: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Crassa est, qua quis non

vult adhibere studium et laborem, ut aliquid sciat, quod scire debet. Quæritur autem, an Christus aliqua ex his ignorantia laboraverit.

Notandum 2. Errorem posse distingui duplicem ; nimirum unum in intellectu, alterum in sensu : quod utique contingere potest dupliciter : videlicet, *aut* ex aliqua indispositione intrinseca sensus externi, vel interni, ad cujus phantasmatum præsentiam et similitudinem intellectus agens cudit species intelligibiles : *vel* ex aliquo extrinseco : sic plerumque contingit, quod ex vitiato medio, vel nimia objecti distantia res aliter objiciatur sensibus, quam revera in se existat. Resolvendum est itaque, an Christus utroque modo ab omni prorsus errore liber fuerit.

Notandum 3. Plurimos hæreticos stultissime errasse circa Christi Domini cognitionem ; nam, ut refert S. Irenæus lib. 1. adversus hæreses cap. 17. Gnostici, qui Valentiani dicti sunt, asserebant Christum didicisse alphabetum sub ferula præceptoris, eumque plurima ignorasse, et quæ noverat ab hominibus didicisse. Hos subsecuti sunt Agnoitæ, quorum dux et pater fuit Themistius, a quo etiam dicti sunt *Themistiani*, qui ut refert Sophronius in epistola ad Sergium, fuit ignorantiæ pater, qui Christum verum Deum nostrum diem judicii nesciisse delirabat. Porro Agnoitas non asseruisse Christum secundum propriam naturam Verbi et divinitatem ignorasse diem judicii, sed solum secundum humanitatem, constat ex Nicephoro lib. 18. *Historiæ*, cap. 30. de illis enim ait : *Hi dicunt, Deum quidem Verbum omnia nosse, humanitatem vero secundum substantiam ei unitam permulta ignorare : nescire sane horam et diem mundi totius consummationis, utpote Patre minorem. Propterea, quod in Evangelio secundum Matthæum et Marcum dicatur: de die autem illo nemo scit, neque filius hominis.* His hæreticis accesserunt Lutherani et Calvinistæ, qui, ut notat Canisius 3. lib. *De Maria Deipara*, cap. 22. non solum docent Jesum ignorare diem judicii, sed etiam in pueritia communem cum aliis pueris ignorantiam habuisse, ut ita more cæterorum, sicut corpore, sic etiam scientia et notitia rerum et animi dotibus creverit. Imo eo progressa est eorum effrænata dicendi licentia, ut etiam ipsi jam adulto errorem et ignorantiam tribuant, asserentes ipsum deceptum fuisse cum accedens ad ficulneam, et in ea quærens fructum, folia tantum invenit, et cum in horto oravit Patrem, et suam orationem postea correxit. ✻ " Quamvis constantissimum sit apud omnes catholicos Christum Dominum revera et sibi et nobis per totam vitam plurima divina beneficia meruisse ; attamen Calvinus ore sacrilego impudentissime hanc veritatem impugnat. Scribit enim in comment. ad. 2. cap. ad Philipp. « frivolum est quod ex hoc loco : *Propter quod Deus exaltavit illum etc.* « sophistæ conantur elicere, Christum scilicet primo sibi meritum esse, « deinde aliis. » *Et paulo post*, suo more Satanam et diabolos reboat, et rabido ore theologos omnes lacerat dicens : « Quis non videat hoc « a Satana suggeri, Christum in cruce passum, ut sibi compararet operis « sui merito quod non habebat? Quis neget istos Satanæ instinctu « reclamare Christum sibi ante gloriam esse promeritum, quam nobis « salutem ? » *Addit :* « Discant ergo lectores, sorbonicos sophistas cum « torsis suis speculationibus detestari. »

Ut autem aperte constet illum falsa proferre sit " ✻

Conclusio unica. — CHRISTUS NULLO PRORSUS IGNORANTIÆ GENERE LABORAVIT, ETIAM QUATENUS HOMO. Hujus Conclusionis veritas sufficienter probata manet ex his, quæ diximus de plenitudine Christi Domini scientiæ qui enim omnium rerum existentiam, et futurarum, ac præteritarum perfectissimam habebat notitiam, vel in Verbo per scientiam beatificam, vel in genere proprio per infusam, nulla rerum notitiæ vacuitate laborabat.

Confirmatur insuper ex Clemente Alexandrino in lib. *Pædagogi*, cap. 6. ubi de baptismo Christi sic loquitur: *Sapienter ergo rogemus, Christus hodie regeneratus jamne est perfectus, an, quod est absurdissimum, ei aliquid deest? sed si ita est, ut aliquid disceret opus fuit? sed eum cum Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum.* Absurdum igitur existimat, Christo defuisse aliquid, ut discere ei opus fuerit. Loqui autem Clementem de Christo secundum humanitatem, manifestum est; nam subdit: *Neque enim quis Verbo major fuerit, sed neque Magister, ac Doctor est ejus, qui solus est Magister? An non ergo, vel inviti fatebuntur, Verbum perfectum ex perfecto Patre natum, ex œconomica præordinatione esse perfecte regeneratum? Et si erat perfectus, cur qui erat perfectus tingebatur? Oportebat (inquiunt) implere humanam professionem pulcherrime, ita enim dico, simul ergo a Joanne tingitur, fit perfectus scilicet: nihil ergo ab eo didicit? Nequaquam: solo autem lavacro perficitur, et spiritus adventu sanctificatur.*

Eamdem veritatem ac rationem probat Seraphicus Doctor dist. 15. art. 2. quæst. 1. « Christus, inquit, non habuit defectum ignorantiæ, « quia nec ipsum decebat, quia anima ejus debuit esse deiformis, ac « per hoc repleta luce sapientiæ et rectitudine justitiæ; ignorantia « autem privatio est scientiæ, et potest esse via in errorem, et obli- « quationem a rectitudine justitiæ, ac per hoc Christo non competebat. « Nobis etiam non expediebat, quos venerat redimere et dirigere. Si « enim defectum ignorantiæ habuisset, nos redimere nescivisset, quia « si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. Et ideo « nec ipsum decebat, nec nobis expediebat, quod talem defectum assu- « meret. Concedendum est ergo Christum defectum ignorantiæ nequa- « quam in se habuisse ». Ita S. Bonaventura.

OBJICIES 1. Christus infans, quamvis esset Verbum Patris, habuit defectum eloquentiæ, et divinæ potentiæ: ergo pari ratione, quamvis esset Dei sapientia et virtus, habuit defectum sapientiæ et scientiæ. — **Negat paritatem Seraphicus Doctor**, et rationem disparitatis profert, quod defectus eloquentiæ et virium cum esset exterior, deserviebat sicut et cæteræ infantiles infirmitates ad manifestandam veritatem naturæ assumptæ; defectus autem sapientiæ, cum sit interior, ad nihil omnino deservisset. *Addit*, quod priores defectus sint materia exercendæ virtutis, patientiæ, et fortitudinis; defectus autem cognitionis ad nullam omnino virtutem deservire potest, imo a virtutis exercitio revocat: igitur non est inter utrumque defectum paritas.

OBJICIES 2. Inquisitio veritatis supponit illius ignorantiam: sed Christus Dominus pluries plura inquisivit; nam Joan. 11. a sororibus Lazari requisivit, ubinam esset ejus sepulchrum, dicendo: *Ubi posuistis eum?* Et Lucæ 24. a duobus Discipulis ambulantibus in via quæsivit: *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et*

estis tristes? Et Joann. 21. quasi dubitans Petrum interrogat, an eum plus diligat, quam cæteri Discipuli, dicens: *Simon Joannis, amas me plus his.* Et Matth. 21. *Videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: et nihil invenit in ea, nisi folia tantum, et ait illi: numquam ex te fructus nascatur in sempiternum, et arefacta est continuo ficulnea:* prius ergo, quam accederet ad arborem, nesciebat in ea non esse fructum. — **Respondet Origenes** in commentario ad cap. 13. Matthæi: *Qui novit, quæ sunt in cordibus hominum Christus Jesus, sicuti de hoc docuit in Evangelio Joan., non ignarus interrogat, sed quoniam semel assumpserat hominem, utitur omnibus, quæ sunt hominis, quorum unum illud est interrogare. Nec mirandum si id facit Servator, cum ipse etiam omnium Deus, moribus hominum sese accomodans, perinde ac si quis homo morem gerat filio suo, percunctetur, velut in hoc: Adam ubi es? Et ad Cain: Ubi est Abel frater tuus?* Idem docet S. Chrysostomus, Homil. 41. ubi agens contra Judæos, qui Christi divinitatem negabant, quod de multis ignorantium more sciscitatus esset, velut de Lazaro, *Ubi posuistis eum?* contra eos præscribens vicissim objicit varia loca Veteris Testamenti, in quibus Deus ignorantium more interrogat: ex quibus concludit, non recte ignorantiam in Filio ex ejus percunctatione Judæos colligere, nisi eamdem et in Patre fuisse concedant. Verum de Christo, qua Deus est, videtur dumtaxat locutus S. Chrysostomus. At de eodem, ut homo est, omnem ignorantiæ speciem sic removet S. Cyrillus lib. 3. *Contra Nestorium: Credimus,* inquit, *ex ipso ventre, uteroque Virginis Emmanuelem ipsum; qui Deus erat, hominem prodiisse plenum omni sapientia et gratia, quæ illi naturaliter inerat: quodnam igitur incrementum caperet ille, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, qui cœlestis gratiæ una cum Deo Patre largitor est?*

Objicies 3. Admiratio supponit ignorantiam; nam, inquit Arist. 1. *Metaph.*, cap. 2. *Propter admirationem, et nunc, et primo cœperunt homines philosophari, inquirendo videlicet causas rerum, quas ignorabant:* sed Christus Dominus pluries habuit admirationem: nam Matth. 8. miratus fidem Centurionis, et Matth. 13. fidem Chananeæ mulieris intuitus, admirabundus exclamat: *O mulier! magna est fides tua:* igitur Christus habuit ignorantiam. — **Respondent communiter Theologi,** Christum miratum fuisse admiratione procedente ex scientia experimentali, secundum quam plura particularia potuit discere, ut diximus supra. *Verum* satius dicendum arbitror cum S. Augustino epistola 101. duplicem esse admirationem, unam, quæ provenit ex admiratione causæ cujus videtur effectus, et hæc excitat in nobis desiderium vehemens inquirendi causam; aliam vero ex insolentia, et raritate alicujus rei, quam cum videmus, miramur cum delectatione, et delectamur cum admiratione: quæ quidem admiratio nihil aliud est, quam affectus delectationis ex rei magnitudine proveniens, et in laudem inclinans. Sic Christus, inquit S. August., *miratus fuit Centurionis fidem, neque enim eum ullius rei ratio potuit latere: sed admiratio pro laude posita est: cujus par in populo Hebræorum non apparuerat. Neque ideo reprehendenda est scientia, qua dictum est: si ratio quæritur non erit mirabile: quoniam est aliud genus admirationis, etiam cum ratio est manifesta admiranti.*

Objicies 4. Præcipuum fundamentum, quo maxime nituntur hære-

tici, ut adstruant in Christo aliquam ignorantiam, nempe quosdam Scripturæ textus ab eis prave intellectos: illi autem potissimum sunt, quibus asseritur Christus nescire diem judicii. Sic Matthæi 24. *De die autem illa, et hora,* ait ipsemet Christus, *nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater;* apud Marcum vero: *De die autem illa, vel hora, nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater:* igitur Christum aliquid latet, subindeque in eo fuit ignorantia. — **Respondeo primo,** Christum revera scire diem judicii, et quatenus Deus, quia ille dies cognitus est Patri, et quatenus homo, siquidem ad statum judicis necesse est nosse, quando judicium debeat ferre: Pater autem æternus, ut legimus Joan. 3. *potestatem ei dedit judicium facere, quia filius hominis est. Adde quod,* ut argumentatur S. Chrysostomus, Hom. 71. in Matth., si Christo homini datum est, ut sciat qualiter oporteat judicare, quod majus est, multo magis datum est ei scire quod minus est, scilicet judicii tempus. *Insuper,* qui prænuntiavit cæteras futuri judicii circumstantias, non potest dici circumstantiam temporis ignorasse: at ex iisdem Evangelii locis constat ipsum designasse, ac prænuntiasse alias futuri judicii circumstantias: igitur etiam noverat tempus, quo peragendum esset. *Rursus,* Christus Dominus quatenus homo præscivit facta aliorum: ergo multo magis sua præscire debuit: ignorasset vero sua facta, si diem, quo Judex vivorum et mortuorum futurus est non cognovisset. *Denique,* ut argumentatur S. Gregorius lib. 8. *Epistolarum,* epistola 42. exponens illud Joan. cap. 31. *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus. Si omnia,* inquit Gregorius, *profecto diem judicii; et horam, quis ergo ita stultus est, ut dicat, quia accepit filius in manibus quod nescit?* Igitur revera Christus, etiam qua homo, novit diem judicii. *Respondeo secundo,* quod quantum ad sensum verborum, quibus Evangelistæ referunt etiam filium hominis nescire diem judicii, variæ sunt SS. Patrum explicationes ac solutiones. *Primo* namque S. Ambrosius lib. 5. *De Fide,* c. 7. et Hieronymus in cap. 24. Matthæi, asserunt particulam hanc, *neque filius,* additam fuisse in textu ab Arianis, postea vero a Catholicis expunctam; unde, ut notat Hieronymus in codicibus Græcis Adamantii, et in plerisque Latinis, illa particula *neque filius,* apud Matthæum numquam fuit. Unde etiam nunc nec in Vulgata reperitur. *Verum* ista solutio placere non potest, quippe cum illa particula apud Marcum semper fuerit, et etiam nunc legatur in Vulgata editione, quæ auctoritate Concilii Tridentini sess. 4. probata est, ut authentica. *Hinc* placet cum nonnullis e SS. Patribus, asserere Christum nescire diem judicii, quia videlicet nescit per scientiam connaturalem, quæ humano studio, ac sensuum beneficio, et hominum magisterio comparatur. Sic S. Basilius, epistola ad Amphilochium, qui de ea quæstione sciscitatus erat, respondet ignorasse Christum, ut hominem, judicii tempus: *Si quis,* ait, *ignorantiam illam ad Deum referat, qui dispensatione quadam omnia in se susceperit, et sapientia atque gratia apud Deum, et homines profecerit, non aberraturum a pio Scripturæ sensu.* Cui subscribit Gregorius Nazianzenus, Orat. 46. *Nosse quidem,* ait, *tamquam Deum, ignorare vero ut hominem, si quis quod apparet in Christo ab eo secernat, quod mente percipitur.* Cyrillus item in refutatione Theodoreti ad anathematismum 4. ait: *Igitur novit quidem ipse divinitus,*

utpote sapientia Patris: sed quoniam ignorantis humanitatis mensuram subiit per dispensationem, istud etiam cum aliis sibi tamquam proprium adscivit. Unde lib. 2. *De Fide,* ad Imperatrices planissime diei illius ignorantiam adscribit humanitati Christi: *Non enim,* inquit, *indecorum est creaturæ, nec inusitatum, divina ignorare mysteria.* Et infra: *Quid mirum est, si cum Angelus dirinum hoc mysterium ignorare dicatur, quamvis sapientia sit, et virtus Dei?* Verum hæc solutio eatenus placere dumtaxat potest, quatenus significaret Christum diem judicii ignorasse qua homo, quia notitiam illam proprio studio non comparavit, sed habuit sibi divinitus infusam, qualiter etiam interpretatur S. Basilius mox laudatus, dicens, ideo dictum esse Marci 13. *Neque filius, nisi Pater, quia neque filius sciret, nisi a Patre data esset cognitio, omnia enim ipse a Patre accepit.* — Censent aliqui, Christum dici nescire diem et horam judicii, quia non faciebat scire, judicando nondum esse tempus illud revelandi, sicut Dominus etiam Gen. 18. dixit de Sodomitis: *Descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam:* quibus Dominus se ignorare profitetur, non quia revera ignorabat, et scire cupiebat, sed quia tunc scire dicitur, quando jam est plenitudo temporis ad agendum, et puniendum peccata; sicut etiam *Genes.* 22. *Dixit Dominus ad Abraham: nunc cognovi, quod timeas Dominum;* non quia Deus tunc cœpisset illud scire, sed quia tunc erat tempus, ut Abraham acciperet testimonium. Sic explicant S. Hilarius, lib. 9. *De Trinit.,* Ambrosius, lib. 5. *De Fide,* c. 7; præ cæteris autem S. Augustinus, lib. 83. *Quæstionum,* q. 60. ubi hæc habet: *Sicut scire Deus dicitur, etiam cum scientem facit, sicut scriptum est: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum; non enim sic dictum est hoc, quasi nesciret Deus, sed ut ipsi sciant quantum in Domini dilectione profecerint, quod nisi tentationibus, quæ accedunt, non plane ab hominibus agnoscitur, et ipsum* tentat *pro eo positum est, quod tentari sinit: sic et cum dicitur* nescire, *aut pro eo dicitur, quod non approbat, idest, in disciplina et doctrina sua non agnoscit, sicut dictum est: nescio vos: aut pro eo quod utiliter nescientes facit, id quod scire inutiliter est: ideo bene accipitur id quod dictum est, solum scire Patrem, sic dictum esse, quia facit filium scire; et quod dictum est, nescire filium, sic dictum esse, quia facit nescire homines, idest non prodit eis, quod inutiliter scirent.* — *Confirmat* hæc omnia præclarissime S. Ambrosius loco mox laudato, ubi cum demonstrasset revera Christum novisse tempus futuri judicii qua Deus, probat etiam id habuisse compertum qua homo: quippe qui horam, et locum, et signa, et causas futuri judicii expressit. *Horam* quidem, quippe Lucæ 17. ait: in illa hora, qui fuerit in tecto, non descendat tollere vasa de domo sua; *diem* vero, quia ipse se dixit *Dominum sabbati.* An poterat, inquit Ambrosius, Dominus *diem* ignorare, qui ipse dixit, quod filius hominis Dominus est sabbati? *Locum,* quando nimirum sibi templi structuram ostendentibus Discipulis dicebat: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur lapis supra lapidem.* Matth. 24. *Signa,* Lucæ 21. *Videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum Christus.* Et infra: *Terræmotus erunt magni per loca, etc.* Hoc vero supposito, *sic concludit:* « Scivit ergo omnia; sed quærimus, qua

« ratione designare momenta noluerit? si quæramus, non ignorantiæ « inveniemus esse, sed sapientiæ, nobis enim scire non proderat, ut « dum certa futuri judicii momenta nescimus, semper tamquam in « excubiis constituti, et in quadam virtutis specula collocati, pec- « candi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini « deprehendat ». *Et postea:* « Ideo dixi, quod scire non proderat, imo pro- « derat ignorare: ut ignorantes timeremus, ut observantes emendare- « mur ». *Et infra:* « Ab Apostolis, qui Filium Dei futura scire credebant, « nam nisi hoc credidissent, numquam interrogassent: interrogatus « ergo quando restitueret regnum Israël; non se nescire dixit: sed « ait: *Non est vestrum nosse tempora, et annos, quæ Pater posuit in « sua potestate.* Attende quid dixerit, *non est vestrum scire:* lege ite- « rum *non est vestrum,* dixit, non meum ». *Et infra:* « solemnem ejus « erga Discipulos charitatem etiam in hoc loco, et gratiam recognosco: « mavult enim Dominus nimio in discipulos amore propensus peten- « tibus his, quæ cognita inutilia judicaret, videri ignorare, quod no- « verat, quam negare: plusque amat nostram utilitatem instituere, « quam suam potentiam demonstrare ». Igitur, quod quidam Patres asserunt Christum ut hominem dixisse se ignorare judicii diem, sic exponendum existimo, non quasi negaverint Filium in ipsa humanitate novisse judicii diem, sed quia non ex ipsa cognovit, idest, non ex vi aut virtute humanitatis; quandoquidem gratuito fuit illi divinitus infusa scientia.

QUÆSTIO TERTIA.

AN CHRISTUS ASSUMPSERIT DEFECTUS APPETITUS RATIONALIS.

Appetitum rationalem appello voluntatem humanam, qua homo quæ rationi sunt consona vel dissona pro libito insequitur, et desiderat. Ut autem illius voluntatis propensio in bonum virtus est, sic et in objectum prohibitum motus et inclinatio vitium ac peccatum reputatur. Hinc peccatum ipsum, necnon et peccaminosa propensio, sunt revera defectus illius appetitus exorbitantis a recto rationis et virtutis tramite. Quocirca merito hic quærunt Theologi an Christus aut peccare potuerit, aut aliquam ad peccandum procliviem, quam vulgo peccati fomitem appellant, habuerit.

Notandum 1. Fide certum esse Christum nullo unquam originali peccato fuisse inquinatum: ab ipso namque suæ formationis exordio donatus fuit omni gratiarum plenitudine, ut supra fuse probatum est. Hinc Angelus illius nativitatis prænuntius ad Virginem ait, Luc. 1. *Quod ex te nascetur sanctum,* quo significabat illum veluti nativam sanctitatem habere, ut præclare docet S. Basilius in Psalm. 44. explicans hunc versum: *Dilexisti justitiam,* etc. *Pro eo,* inquit, *quod est, cæteri quidem homines labore, exercitatione, et attentione animi hoc assequuntur, ut ad honestatem bene sint affecti, et a malo aversi: tibi vero naturalis est quædam cognatio cum bono, et alienatio a malo.* Subscribit Cyrillus, lib. 11. in Joan. *Sanctum,* inquit, *est illud omne, quod a mundi sordibus est immune: quidem naturaliter est in Christo, ad*

Patris similitudinem: adscititium vero et adventitium inest Sanctis discipulis per sanctificationem, quæ est ex gratia. Suffragatur etiam ratio: siquidem peccatum originale in eis dumtaxat viget, qui via seminali ab Adamo originem ducunt: Christus vero non fuit ab Adamo propagatus via seminali, quia non est conceptus ex virili semine, sed tantum ex Spiritu sancto, nec accepit ab Adamo active humanam naturam, sed solum materialiter, quatenus videlicet visibilem carnis substantiam sumpsit ex carne Virginis, quæ via seminali ab Adamo propagata, ut cæteri homines, fuisset originali fœdata peccato, nisi divino interveniente beneficio extitisset præservata. Difficultas igitur dumtaxat est de peccato actuali, an videlicet assumpta a Verbo humanitas in aliquod peccatum lapsa fuerit, aut saltem labi potuerit, de potentia extraordinaria Dei. Licet autem ex antiquioribus hæreticis nullus fuerit in Christum ita blasphemus et procax, ut ei peccatum aliquod adscriberet; ex recentioribus tamen, utpote impudentioribus, fuit quidam Apostata Præmonstratensis Ordinis, qui ausus fuit asserere Christum crucifixum in desperationem esse lapsum, cum dixit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* ideoque hanc ob rem cruciatibus inferni addictum, ut referunt Lindanus dialogo 2. et Hosius lib. 1. *De Hæresibus nostri temporis.* Calvinus etiam, ut narrat Suarez, disp. 33. sect. 1. asseruisse fertur Christum in horto ita fuisse turbatum et tentationibus agitatum, ut sine spiritu oraverit dicens: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste,* et propterea quasi ad se rediens, inordinatam petitionem statim correxisse, suamque voluntatem Patris voluntati subjecisse. Quocirca operæ pretium est hic probare Christum numquam ullo peccato actuali fuisse fœdatum.

Notandum 2. Impeccabilitatem Christi Domini, ut hominis, posse considerari *vel* per comparationem ad ejus libertatem præcise; *vel* per comparationem ad beatitudinem animæ, quam semper habuit a primo instanti creationis suæ; *vel* per comparationem ad summam ejus gratiam habitualem, et alia dona supernaturalia illam concomitantia; *vel* denique per comparationem ad unionem hypostaticam simpliciter et præcise sumptam. Movetur autem præsens difficultas tantum secundum ultimam considerationem; an scilicet ita impeccabilitas Christo, quatenus est homo, conveniat, ut remanente sola unione hypostatica Verbi divini cum humanitate ejus, et seclusis omnibus aliis donis supernaturalibus, adhuc esset impeccabilis, eique repugnaret committere aliquod peccatum, etiam levissimum.

Notandum 3. Hæc duo distingui inter se, *habere potentiam, qua peccatur,* et *habere potentiam peccandi.* Primum enim importat habere voluntatem creatam, quæ eo ipso quo est creata, est defectibilis, si spectetur secundum se, et est id quo peccatum committitur: secundum vero huic primo superaddit aptitudinem ad committendum peccatum, et quasi propensionem in peccatum, quatenus voluntas creata est (ut ita loquar) labilis in peccatum. Hic non est sermo de potentia, qua peccatur, an illa sit in Christo Domino: cum enim hæc nihil sit aliud, quam voluntas creata, habuit locum in Christo Domino ut homine; sed tantum agitur de potentia peccandi, non quidem quatenus dicit propensionem in peccatum, sed prout dicit non repugnantiam; ita quod absque ulla contradictione Christus, non obstante unione

hypostatica, absolute, et si Deus per extraordinariam dispositionem id permitteret, peccare posset.

Conclusio prima. — De fide est Christum ne levissime quidem unquam de facto peccasse.

Probatur primo ex Scriptura sacra, quæ toties eximiam Christi sanctitatem et innocentiam constantissime testatur. Sic ipsemet Christus Joann. 8. Judæis suis obtrectatoribus et calumniatoribus ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hoc ipsum pronunciaverat Isaias cap. 53. dicens, quod *iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus:* ad quem locum allusit S. Petrus Epist. 1. cap. 2. cum ait: *Qui* (scilicet Christus) *peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus.* Hinc S. Paulus ad Hebr. 4. *Nos habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato,* etc. Quasi diceret; tentatum per omnia instar nostri, vel ad similitudinem nostri; ita tamen ut numquam peccaverit. Et cap. 7. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.*

Probatur secundo ex Conciliis, ut Ephesino Can. 10. definiente Christum non indiguisse oblatione pro seipso, quia peccatum omnino nescivit. Lateranensi sub Martino I. *Can.* 5. definiente *nostram substantiam fuisse in Christo perfecte, absque peccato.* Hoc ipsum constantissime testantur omnes SS. Patres, et veteres Theologi, qui Christi innocentiam, et immunitatem ab omni peccato tuentur. Sic S. Basilius Epist. 65. Gregorius Nyssenus *Orat.* 14. August. lib. 5. *contra Julianum,* cap. 5. etc.

Suffragatur etiam ratio: Prima quidem peti potest ex plenitudine gratiæ. Qui habet gratiæ sanctificantis plenitudinem, non potest ullum habere peccatum; siquidem gratia sanctificans, de via saltem ordinaria, cum peccato non subsistit, subindeque plenitudo gratiæ habitualis eliminat omne prorsus peccatum. *Secunda* peti potest a Christi beatitudine; siquidem nihil inquinatum intrabit in regnum cælorum: Christus autem ab instanti suæ conceptionis fuit beatus: igitur nullo fuit fœdatus peccato. *Tertia* tandem ratio petitur ex fine Incarnationis, in hoc enim apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli, nempe peccatum; idcirco enim Christus venit in mundum, ut peccatum omne elueret, essetque Agnus Dei tollens peccata mundi: hoc autem ministerium implere non potuisset, si revera ipse peccato fuisset inquinatus. *Si enim* (inquit S. Athanasius lib. *De Incarnat. Christi parum a principio*) *Filius hominis venit, ut dissolveret opera diaboli, qua ratione in se habere posset peccatum, siquidem ipse venit, ut deleret in nobis peccata?* Unde præclare S. Paulinus Panegyr. de obitu Celsi:

> *Nam neque deleret culpas, nisi liber ab illis,*
> *Nec laxare reos posset, et ipse reus.*
> *Nec peccatori mors cederet, utpote vinctum*
> *Peccati vinctis legitime retinens.*

Eamdem rationem eleganter prosequitur S. Bernardus serm. 4. *De Vigilia Nativitatis,* his verbis: *Ecce agnus sine macula, agnus qui tollit peccata mundi; quis enim peccata melius tolleret, quam is, in*

quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lavare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ sola sine pulvere est. Iste mihi festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo. Imo iste trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in suo.

Objiciunt hæretici quosdam Scripturæ textus, quibus peccatum Christo tribui videtur: sic Psal. 21. *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum*, quæ verba Psalmistam in persona Christi pronuntiasse extra controversiam est. Unde S. Augustinus hunc Psalmum non tam prophetiam, quam Evangelicam historiam censet appellandum. Cum ergo Christus in his verbis aliqua delicta *sua* appellet, non videtur esse expers peccati. Simile est illud Psal. 38. *A facie peccatorum meorum*, quod item dictum esse de Christo admittit S. Augustinus. Addi potest testimonium Apostoli 2. ad Cor. 5. et ad Gal. 3. dicentis Christum pro nobis factum esse peccatum, et maledictum. — **Respondeo** negando exinde concludi posse aliquod in Christo fuisse peccatum. Non quidem ex testimoniis Psalmistæ: nam hæc particula *delictorum meorum* non significat in Christo aliquod fuisse peccatum, sed cum Christus ut fideiussor spopondisset se pro nobis satisfacturum Deo Patri: Psal. 39. *Holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce venio*, etc. et Isaiæ 53, et sic suscepisset in seipso obligationem satisfaciendi pro omnibus hominibus, æternus Pater ab ipso exigebat satisfactionem pro universis hominum delictis, qua ratione delicta illa tamquam ipsi propria longe eum faciebant a salute corporis, et liberatione, quam ex naturæ inclinatione petebat. Unde S. Augustinus expositione in hunc Psal. ait: *Quorum delictorum, de quo dictum est, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus? quomodo ergo dicit: delictorum meorum, nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, et delicta fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret?* Igitur delicta hominum vocat *sua* per appropriationem personalem, quia quod membris convenit, personæ capiti attribuitur, juxta regulam Tyconii receptam a S. Augustino lib. 3. *De doctrina Christiana*, cap. 32. *Ea quæ sunt membrorum tribuuntur capiti, ob conjunctionem quam habent cum illo, considerando caput, et membra per modum unius personæ:* quæ tamen regula sic est intelligenda, modo ea quæ sunt membrorum non officiant eorum conjunctioni cum capite; alioqui sequeretur peccata fidelium, quæ in dies fiunt, etiam posse tribui Christo, et quod fidelibus peccantibus ipse Christus peccaret. Unde in Concilio Basiliensi sess. 2. inter alias propositiones Augustini de Roma Archiepiscopi Nazareni sequens propositio damnatur ut scandalosa, et erronea: *Christus quotidie peccat*, et hæc similiter: *ex quo fuit Christus, quotidie peccavit.* Addit autem Concilium hæc verba: *Quamvis de capite Ecclesiæ Christo Jesu Salvatore nostro dicat se non intelligere, sed ad membra sua, quæ cum Christo capite unum esse Christum esse asseruit.* Ad Apostolum dico, eatenus dici Christum factum esse peccatum, quia hostia pro peccatis est factus: nam in antiqua lege sacrificia pro peccatis dicebantur peccata, juxta illud Oseæ 4. *Peccata populi mei comedent.* Ita explicat S. Aug. in Enchiridio cap. 49. *Vel dicitur factus peccatum, quia factus est in similitudinem carnis peccati, propter*

corpus mortale, et passibile, necnon et propter pœnalitates peccato debitas, quas assumpsit.

Objicies 1. Ille de via ordinaria peccare potest, in quo est liberum arbitrium flexibile ad bonum, et malum : sed Christus Dominus habuit liberum arbitrium ad bonum, et malum flexibile : igitur de via ordinaria peccare potuit. — **Distinguo majorem** : in quo est liberum arbitrium flexibile ad bonum et malum, tam in actu secundo, quam in actu primo, tam extrinsece quam intrinsece, concedo : solum in actu primo et intrinsece, nego. *Minorem* similiter distinguo : in Christo fuit liberum arbitrium flexibile ad bonum et malum in actu primo et intrinsece, transeat : in actu secundo et extrinsece, nego. Natura quidem humana Christi cum fuerit ejusdem rationis cum nostra, demptis ignorantia et peccato, habuit etiam facultatem liberam nostri similem in actu primo ; non vero in actu secundo ; quia libertas ejus ratione plenitudinis gratiæ, et unionis beatificæ, ita determinabatur ad bonum, ut nullatenus propendere posset in malum : unde Christus habuit quidem potentiam, scilicet voluntatem liberam, qua peccatur, non vero potentiam peccandi, seu propensionem in peccatum.

Objicies 2. Christus potuit mereri : ergo et demereri : nam meritum, et demeritum versantur circa idem. — **Nego consequentiam** ; siquidem, ut dicemus Disput. 3. agendo de merito Christi, ad rationem meriti non opus est, quod quis possit demereri, et peccare, sed dumtaxat, quod habeat liberam voluntatem gratia sanctificante instructam cum aliis conditionibus ad meritum necessariis.

Conclusio secunda. — Christus fuit omnino impeccabilis, nec ullatenus peccare potuit. Ita conveniunt omnes SS. Patres, et Theologi, licet invicem dissentiant in assignanda hujusce impeccabilitatis ratione ; quidam enim cum SS. Thoma, et Bonaventura in 3. dist. 12. volunt eam esse repetendam præcise ex vi unionis hypostaticæ. Cæteri vero cum Subtili Doctore ibidem, illam præcise repetunt ex plenitudine gratiæ consummatæ, seu gloriæ, quam habuit Christus ut beatus : ait enim Doctor num. 2 : « Dico quod cum Christus « in primo instanti unionis ejus cum Deo fuit beatus, et beatitudo « abstulit sibi omnem peccabilitatem vel possibilitatem peccandi, quæ « potest auferri per beatitudinem : licet cum hoc dispensative staret « potestas merendi, plenitudo enim gloriæ, qua ipse fuit conjunctus, « non minus quam alius Beatus, licet potuerit mereri æque excludit « omnem potestatem in eo avertendi a fine, sicut in aliis, etc. »

Quod autem Christus non fuerit præcise impeccabilis ratione unionis hypostaticæ, probat Doctor ; quia unio hypostatica non potest Christo tribuere impeccabilitatem, nisi *vel* quatenus necessario ipsum efficeret beatum : *vel* quatenus illa habet absolutam incompossibilitatem cum peccato : sed neutrum absolute verum est. Non quidem primum, quia talis unio non habet necessario sibi adjunctam beatitudinem : ergo non efficit necessario Christum beatum. *Probat antecedens* Doctor dist. 2. qu. 1. nu. 3. *Primo,* quia prius potest esse sine posteriori : sed unio hypostatica est prior fruitione et beatitudine ; sicut enim prius est naturam esse personatam in se, quam eam operari, et personalitas propria est prior, quam operatio, nec habet ita

necessariam connexionem cum operatione, quin optime posset esse natura personata personalitate propria, absque ulla operatione; ita prius est naturam personari personalitate aliena, quando propriam non habet, quam operari; nec est ulla prorsus necessaria connexio inter personalitatem alienam, et operationem, ratione cujus non posset esse personata aliena personalitate, quin operetur: igitur unio hypostatica potest esse absque visione et amore beatifico, in quibus consistit beatitudo.

Deinde: Non potest natura aliqua necessario fieri beata, nisi necessario conjungatur objecto beatifico: sed per unionem hypostaticam natura humana non necessario conjungitur cum Deo, quatenus est objectum beatificum; quia, inquit Doctor, nulla natura necessario fruitur isto objecto, nisi quæ necessario immutatur ab eo ut præsente: sed natura humana non immutatur ab objecto beatifico, tam in ratione intelligibilis, quam in ratione fruibilis per unionem hypostaticam; tum quia objectum beatificum tantum necessario immutat intellectum sibi proportionatum, nempe divinum in ratione intelligibilis, et divinam voluntatem in ratione fruibilis; tum quia per illam unionem Verbum est præsens naturæ tantum personaliter, et in ratione suppositi terminantis ipsius naturæ dependentiam, et communicabilitatem; non vero in ratione objecti moventis ad sui notitiam, et amorem: igitur, etc.

Denique: operatio beatifica produci nequit absque concursu effectivo Dei: ergo nisi ille adsit concursus necessario, quantumvis adsit unio hypostatica, nulla poterit esse humanæ naturæ operatio beatifica: sed concursus ille ad operationem beatificam non ita necessario præstatur naturæ assumptæ, quin Deus possit illum denegare, et suspendere: igitur potest esse unio hypostatica absque illa beatifica operatione. *Antecedens patet: consequentia* pariter. *Probatur* vero *subsumptum*: si concursus ille requisitus ad operationem beatificam necessario præstaretur naturæ humanæ assumptæ, maxime quia esset identificatus realiter actioni unitivæ ipsius naturæ humanæ cum Verbo, vel quia esset illius proprietas, aut accidens necessario ad ipsam consequens: sed nullum horum recte potest affirmari; siquidem concursus ille ad operationem beatificam potest esse sine unione hypostatica, ut constat in Beatis, qui habent ejusmodi concursum, etsi non sint uniti hypostatice Verbo: similiter Deus potest concurrere ad unionem hypostaticam, absque eo, quod necessario concurrat cum natura humana ad operationem beatificam: tum quia unio distinguitur realiter ab operatione: tum quia nulla ratione probari potest contrarium, nempe quod Deus non possit concurrere ad unionem hypostaticam, absque eo, quod concurrat ad ipsam beatificam operationem.

Probatur secunda pars, nempe quod illa unio non habeat absolutam incompossibilitatem cum peccato, ita ut implicet contradictionem, quod humanitas peccet quamdiu remanet unita Verbo. *Probatur*, inquam: voluntas humana Christi ex se tam est indifferens, et libera ad bonum ac malum, quam nostra: ergo æque poterit peccare, ac nostra, nisi per aliquid aliud determinetur ad non peccandum: sed non potest ita determinari ad non peccandum per unionem hypostaticam, quin si Deus vellet, posita tali unione, peccare posset. *Probatur*: si unio illa ita determinaret voluntatem ad non peccandum, quin si

Deus absolute vellet adhuc peccare posset, maxime quia illam sic determinaret vel physice, vel moraliter: sed neutro modo id fieri potest. Non quidem physice, quia eatenus physice determinaret voluntatem ad non peccandum, quatenus physice concurreret ad actum incompatibilem cum peccato, sive in genere causæ efficientis, sive in genere causæ formalis, eo modo quo habitus, vel unus actus determinat facultatem ad alium actum: sed unio hypostatica, aut personalitas Verbi, ita non concurrit cum voluntate humanæ naturæ assumptæ. *Non quidem unio*, tum quia illa est respectus extrinsecus adveniens, quæ ex se non est effectiva, nec operativa: tum quia non subjectatur in voluntate præcise, sed in tota humanitate: tum denique quia non proponitur ipsi voluntati objective, ut illam determinet ad operandum, vel non operandum. Nec etiam *personalitas Verbi*, quippe illa non habet rationem principii efficientis, sed dumtaxat suppositi terminantis humanitatem Verbi, nec ex se activa est ad extra. *Adde quod* etiamsi aut unio aut personalitas possent determinare voluntatem ad non peccandum, quatenus concurrerent cum humana voluntate ad actum oppositum peccato, id non præstarent nisi Deo cum illis concurrente: sed Deus non ita necessario deberet cum illis concurrere, quin posset talem concursum ipsis denegare, et eum suspendere: igitur, etc. *Nec* etiam unio hypostatica, aut Verbi personalitas possunt moraliter determinare voluntatem naturæ assumptæ ad non peccandum necessario, et infallibiliter, quia non potest assignari ulla ratio cur eam ita determinarent moraliter, nisi vel quatenus proponerentur objective voluntati, et ita illam allicerent circa bonum, ut ab eo non posset averti; vel quatenus ipsæmet essent determinationes voluntatis, quæ ipsam afficerent, et ita determinarent: vel denique, quatenus ex ordinatione divina haberent aliquam incompatibilitatem cum peccato: sed neutrum illorum recte potest affirmari. Non quidem primum, nec enim unio, nec Verbi personalitas ita proponuntur objective voluntati naturæ assumptæ. Non etiam secundum, quia unio, et personalitas Verbi non possunt se habere per modum formæ sic afficientes, et determinantes humanam voluntatem. Non denique tertium, quia talis ordinatio divina absque fundamento assereretur. Igitur nec Verbi personalitas, neque hypostatica unio possunt ex se præcise ita determinare voluntatem naturæ assumptæ ad non peccandum, quin de potentia Dei absoluta, ipsa ita remaneat libera ad peccandum, ut revera peccare posset, nisi aliunde quam ab ipsa præcise unione hypostatica redderetur impeccabilis.

Reponunt adversarii, unionem illam impedire, ne Christi voluntas peccet, quatenus est incompatibilis formaliter cum peccato, sicut albedo cum nigredine, aut amor cum odio. — **Contra**, aliqua formaliter non se expellunt, nisi quatenus possunt subjectari in eodem subjecto, vel occupari circa idem objectum: at unio, et personalitas non subjectantur in eodem subjecto, in quo potest inesse peccatum, nec versantur circa idem objectum, vel eumdem terminum; alius est enim terminus actionis peccaminosæ, quæ posset fieri, et alius terminus unionis hypostaticæ. *Adde quod* peccatum, qua tale est, sit entitas moralis: absurdum est autem, quod aliqua forma physica habeat ex natura sua incompatibilitatem cum forma morali, qua moralis est.

Reponunt 2, unionem hypostaticam opponi peccato, quatenus necessario exigit, quod Deus non concurrat ad peccatum, imo quod concurrat ad actum incompossibilem cum peccato. — **Contra**, si istud exigeret, maxime, vel physice, vel moraliter. Non physice, quia nulla entitas physica potest exigere necessario concursum divinum, nisi quatenus ille esset necessarius ad illam entitatem conservandam pro eo tempore vel instanti, quo illa existere debet: sed concursus ad actum oppositum peccato nequit esse necessarius ad conservationem unionis hypostaticæ, quæ permanere potest etiam absque ullo actu et operatione: neque etiam negatio concursus ad peccatum videri potest necessaria, nisi quatenus ipsa haberet incompatibilitatem formalem cum peccato hanc autem non habet, ut constat ex dictis: ergo id non exigit physice. Nec etiam id exigit moraliter, quia hoc solum exigeret, quatenus si Deus id non efficeret, faceret aliquid, quod maxime ipsi censeretur indignum: at quamvis Christus ut homo ex hypothesi de facto peccaret, peccatum illud non redundaret, nec in Deum, nec in personam Verbi, ut patebit in solutione objectionum: igitur, etc.

Objiciunt 1. Adversarii varias SS. Patrum auctoritates, quibus probare nituntur impeccabilitatem Christi ex unione hypostatica præcise esse repetendam, eo quod SS. Patres doceant Christum esse impeccabilem propter commercium et unionem humanitatis cum Verbo. Imprimis vero proferunt Dionysium Alexandrinum in Epistola contra Paulum Samosatenum, ubi circa finem ait: *Nisi fuisset* (scilicet Christus) *idem qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus a potestate peccandi; nemo enim est, quin peccare possit, nisi unus Christus, sicut Pater Christi, et Spiritus*, etc. — **Respondeo primo**, hanc auctoritatem nullius esse momenti: nam imprimis indiget expositione in omni sententia: videtur enim significare, quod B. Virgo indiguerit exercitatione et certamine, ut liberaretur a peccato; et etiam quod de facto habuerit aliquem detectum peccaminosum; quod tamen est falsum. *Nec valet* reponere cum Vazquez B. Virginem non habuisse peccatum de facto; sed tamen id non provenire ex sanctitate ipsius, sed ex Dei providentia, et cura; nam imprimis hoc non facit ad rem; nam S. Dionysius videtur dicere nullum esse præter Christum, qui non habeat peccatum, sive id proveniat ex justitia et sanctitate, sive aliunde. *Deinde*, sicut B. Virgo poterat esse aliena a peccato et potestate peccandi, per providentiam Dei, quamvis non esset Deus, ita Christus poterat esse a peccato immunis, et sic sola Deitas, et unio ipsius non esset causa, ob quam esset alienus a potestate peccandi; quod videtur esse contra hunc locum. *Responderi* etiam posset cum Poncio, sensum hujus loci esse, quod ideo Christus D. de facto esset immunis a peccandi potestate, quia ejus humanitas esset unita personæ divinæ, et delibuta divinitate; quod equidem verum est, quamvis aliunde potuerit etiam esse immunis a peccato ex aliis capitibus, nimirum vel ex providentia, et protectione Dei speciali, aut ex eo quod ipsi tribuatur beatitudo animæ, etiamsi posset peccare de potentia absoluta: quemadmodum enim posset dici, quod ignis comburat stupam applicatam ex natura sua, quod nulla alia sit ratio, ob quam comburat, nisi quia est talis naturæ, et virtutis; tamen inde non sequitur quin etiamsi non ha-

beret talem naturam, posset comburere, si nempe Deus daret ipsi calorem, sicut dare potest aquæ, quamvis eum non exigeret ex natura sua; nec etiam sequitur, quod ita necessario debeat comburere, quin de potentia Dei absoluta fieri posset, ut non combureret. Idem a simili potest dici de Christo.

Objiciunt 2. Origenem lib. 2. *Periarchon* cap. 6. ubi ait: *Ferrum natura sua capax est caloris, et frigoris, si tamen semper intra fornacem ignis contineatur, dici poterit incapax frigoris: hoc modo etiam illa anima,* nempe Christi, *quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est; et ideo nec convertibilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit.* Ex quibus inferunt adversarii inconvertibilitatem animæ Christi ad peccatum, quam vocamus impeccabilitatem, ex ipsa Deificatione, quæ fit per unionem, procedere. — **Verum respondeo,** hoc exemplo potius nostram propugnari, quam impugnari sententiam: sicut enim quamvis connaturaliter ferrum in igne positum non possit frigefieri; posset tamen supernaturaliter suum frigus conservare, si Deus res ita disponeret, quatenus nempe non concurreret cum igne, ut introduceret suum calorem in illud ferrum; *vel* si calorem simul cum frigore in ferro conservaret: sic a simili, quamvis connaturaliter impeccabilitas sequatur ex unione hypostatica, quia hæc habet annexam gratiæ sanctificantis plenitudinem; tamen, sicut de potentia absoluta Deus potest conservare simul gratiam cum peccato, ita per eamdem potentiam posset Deus permittere, ut Christi humanitas in peccatum aliquod laberetur, perseverante tamen in eo unione hypostatica.

Objiciunt 3. Auctoritatem sancti Gregorii Nazianzeni, Orat. 36. quæ est quarta de Theologia, ubi de Christi voluntate loquitur: *Illius voluntas cum tota deificata sit, et Deo procul dubio non adversatur:* igitur in deificationem voluntatis, quæ est ipsa unio hypostatica, refertur Christi impeccabilitas. Ipsi subscribit S. Epiphanius in *Anchorato,* ubi ait: *Si diximus Christum perfectum hominem ex Maria natum, numquid suspicamur ipsum peccatis subjectum fuisse? Absit; peccatum enim non fecit, neque inventus est dolus in ore ipsius; si enim virtutem suam Sanctis insufflavit, et ii quibus inspiravit, testantur, quod erant sancti, justi, progressi in diebus suis citra reprehensionem: quanto magis ipse, in quo omni Deitatis plenitudine habitare complacuit corporaliter, etiamsi carnem veram accepit ex Maria semper Virgine, et animam vere humanam, et mentem, et si quid aliud est in homine, ipse in seipso habens universa continuit Deus existens non divisa ad malitiam, non fracta a maligno illo, non capta voluntate, non cadentia sub peccatum Adæ?* — **Respondeo,** his aut similibus auctoritatibus nihil aliud significari, quam quod hypostatica unio ex natura et dignitate sua exigebat, ut conferretur et conservaretur in Christo aliqua forma, nempe vel gratia sanctificans, vel beatitudo, qua Christus determinaretur ad non peccandum; non vero quod illa unio præcise esset per se ratio illius impeccabilitatis.

Objiciunt pariter S. Hilarium lib. 10. *De Trinit.* ubi explicans illud Apostoli ad Rom. 9. *De Christo Domino,* qui dicitur *factus in*

similitudinem carnis peccati, asserit tam repugnare Christo peccare posse, quam ei repugnet non esse Christum : *Ita homo Christus Jesus*, inquit, *et in veritate Nativitatis est dum homo est, et non est in proprietate peccati, dum Christus est ; quia et qui homo est, non potuit non homo esse, quod natus est: et qui Christus est, non potuit amisisse, quod Christus est : atque ita dum homo Christus Jesus est, habet nativitatem hominis quia homo est, nec est in vitiosa hominis infirmitate, quia Christus est.* Ex quibus inferunt adversarii, quod quemadmodum vi unionis hypostaticæ habet, quod sit aliquid constitutum ex personalitate Verbi et humanitate, ita, juxta mentem S. Hilarii, idem Christus Dominus habet vi ejusdem unionis hypostaticæ, ut non possit peccare. Similiter S. Augustinus lib. *De Correptione, et Gratia*, c. 11. ita loquitur : *Neque metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitate personæ a Verbo Deo natura humana suscepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ista susceptio talis esset, ut natura humana a Deo ita suscepta nullum in se motum voluntatis admitteret.* Quibus S. Augustinus impeccabilitatem humanitatis Christi in ejusdem assumptionem a Verbo refundere videtur. Clarissime autem istud docere videtur Anastasius Synaita cap. 2. ὁδηγοῦ. *Sola* (inquit) *Christi mens, et sanctissima ejus anima, incapax, omnisque malitiæ nescia fuit : forma enim servi erat, quæ regebatur et gubernabatur a divino Verbo in eadem hypostasi sibi conjuncta.* Rupertus etiam lib. *De voluntate Dei*, cap. 11. ait : *Quod humanitas Christi, non per creationem, sed per assumptionem facta est creatura talis quæ peccare non solum nollet, verum etiam non posset.* Idque probat ex verbis Christi Joan. 5. *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Subdens : *Quid enim est quemquam a semetipso quidquam facere, nisi malum facere?* — **Respondeo**, his omnibus auctoritatibus nihil aliud significari, quam quod revera Christus non possit de facto de via ordinaria in aliquod peccatum dilabi, ratione suæ unionis hypostaticæ, quæ secum habet annexam gratiæ sanctificantis plenitudinem, et beatitudinem animæ : quibus fit, ut illius humanitatis voluntas non possit ullatenus de via ordinaria a Deo per peccatum amoveri ; quod tamen non officit quin secundum absolutam Dei potentiam subsistere posset hypostatica unio, etiamsi Christi humanitas in aliquod peccatum rueret.

Urgebis : S. Hilarius docet, quod tam impossibile sit Christum peccare, quam non esse Christum : sed de potentia absoluta non potest non esse Christus, supposita unione humanitatis cum Verbo : ergo pariter, illa supposita, impossibile est ipsum peccare. — **Respondeo**. S. Hilarium solum velle, quod si Christus posset peccare connaturaliter, sicut cæteri homines, inde revera sequeretur, quod non haberet unionem hypostaticam exigentem connaturaliter rationem impeccabilitatis, ac beatitudinis: attamen non sequeretur, quod non esset Christus, si de potentia Dei absoluta non conferretur ipsi illa impeccabilitas, cujus negatione peccaret, aut saltem peccare posset.

Instabis : Nullum absurdum sequi potest ex eo, quod Christus de facto peccaret, quod pariter non sequeretur si de potentia Dei absoluta peccare posset : ergo quemadmodum ad illa absurda vitanda, recte asseritur, quod de facto non peccaverit ; pari ratione dici debet, quod

etiam de potentia absoluta non potuerit peccare. — **Nego antecedens**; quia si de facto, ac secundum ordinariam Dei potentiam peccare posset, sequeretur, quod etiam de facto non haberet beatitudinem animæ, nec aliquam Dei protectionem externam, illam scilicet, qua Virgo Deipara, necnon et Beati facti sunt impeccabiles : sequeretur pariter, quod unio hypostatica non exigeret connaturaliter illam impeccabilitatem : nullum autem ex his absurdis sequeretur, si esset dumtaxat impeccabilis de potentia Dei absoluta : ergo nulla est utrobique paritas.

Objiciunt 3. Si Christus per absolutam Dei potentiam peccare posset, sequeretur peccatum illud Deo esse tribuendum : sed implicat contradictionem, quod Deus peccare possit : ergo, etc. *Sequela majoris* patet; quod enim dumtaxat fit per extraordinariam Dei potentiam, nec ullatenus fieret, nisi de potentia absoluta et extraordinaria Deus ad illius effectionem concurreret, soli Deo attribuitur.—**Nego sequelam majoris**, et illius probationem distinguo : quod fit per potentiam Dei absolutam, soli Deo tribuitur, quando fit solum per concursum extraordinarium ipsius; puta cum operatur prodigia et miraculosa facta, concedo : quod fit per extraordinariam Dei potentiam præbentem concursum extraordinarium quidem, sed indifferentem; ita quod concursus non determinet causam, cum qua agit, ad actum, sed ab ea determinetur; tunc actus ille soli Deo tribuendus est, nego. Si autem Deus de potentia absoluta talem Christo præberet concursum indifferentem ad actus bonos et malos, qualem per potentiam ordinariam præstat hominibus, si eo mediante extraordinario concursu humanitas Christi peccaret, non plus esset tribuendum peccatum istud Deo, ratione illius extraordinarii concursus, quam ipsi tribuatur peccatum aliorum hominum ratione concursus ordinarii. Sicut enim idcirco peccatum hominum Deo non tribuitur, licet actus peccaminosi fieri non possint nisi dependenter ab illius concursu, quia concursus ille ex se est indifferens ad actus bonos et malos, et tantum determinatur ad actus malos per voluntatem humanam; ita nec opera humanitatis Christi, si ex hypothesi essent peccaminosa, non forent tribuenda Deo ratione illius concursus extraordinarii; quia hic ex se esset indifferens ad actus bonos vel malos, et solum determinaretur per voluntatem humanam Christi ad illos actus peccaminosos.

Objiciunt 4. Verbo Divino ex vi unionis hypostaticæ incumbit obligatio gubernandi et regendi humanitatem, eamque in officio continendi; ac proinde si humanitas assumpta peccaret, peccatum illud Verbo divino attribueretur : sed qua ratione implicat Deum peccare, eadem etiam repugnat Verbum divinum peccato infici; igitur, etc. *Minor* constat. *Major* probatur quantum ad primam partem, nempe quod Verbo incumbat regere humanitatem; nam S. Epiphanius in *Anchorato* cap. 3. *Verbum*, inquit, *virtute sua frænabat inferiorem naturam ab omni inutili carnali turba.... animam vero humanam, et mentem, et si quid est aliud, ipse in sese habens universa continuit Deus existens non divisa ad malitiam.* Et Anastasius Synaita c. 21. ὁδηγοῦ idem confirmat : *Confitemur etiam animam et corpus, quæ Verbo hypostatice unita sunt, Verbo subjici, simulque cum omnibus proprietatibus suis a Verbo magis regi ac duci, quam ulla alia creatura eidem subjiciatur, et ab eodem regatur, cum longe arctius cum Verbo conjuncta sint, quam ullæ aliæ res*

creatæ. Probatur vero quantum ad secundam partem, nempe quod peccatum illud Verbo tribueretur, quia quoties duo uniuntur in aliqua natura vel persona, inferius naturaliter subordinatur superiori, et consequenter superior tenetur inferiorem regere et gubernare: sed ex vi unionis humanitatis ad Verbum, natura humana et divina conveniunt in una Christi persona: ergo ratione hujus unionis tenetur divina natura gubernare et regere humanam; et consequenter peccatum humanitatis unitæ tribueretur Verbo, nedum ut subsistenti in humanitate, sed etiam secundum se, et prout in divinitate subsistit. *Confirmatur primo*, quia corpus est inferius anima, et per unionem conveniunt in una et eadem natura, ex tali unione induit anima obligationem corpus regendi: sed humanitas est inferior Divinate, et ex vi unionis hypostaticæ convenit cum Deitate in eadem Christi persona: ergo ex vi hujus unionis incumbit Divinitati specialis obligatio gubernandi humanitatem. Unde in 6. Synodo generali actione 8. sic dicitur: *Quemadmodum corpus nostrum regitur et ornatur atque ordinatur ab intellectuali et rationali anima nostra, ita in homine Christo tota hominis ejus conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper, et in omnibus mota, Deo mobilis fuit.* — *Confirmatur secundo*, cum in una et eadem natura conveniunt superior et inferior potentia, incumbit tali naturæ obligatio regendi potentiam inferiorem per potentiam superiorem, ut constat in natura humana, quæ naturali obligatione tenetur per voluntatem regere et gubernare appetitum inferiorem: ergo pariter cum duæ naturæ conveniant in una et eadem persona, consurgit in illa obligatio regendi inferiorem per superiorem naturam et consequenter Verbo, in quo ex vi unionis humanitatis ad ipsum conveniunt natura divina et humana, incumbit specialis obligatio regendi et gubernandi naturam humanam per divinam; subindeque peccatum humanitatis unitæ attribueretur Verbo, non solum ratione voluntatis humanæ, sed etiam ratione voluntatis divinæ. — **Nego majorem**, et illius probationem et confirmationes distinguo: superior quisque tenetur inferiorem regere et gubernare, ita quod ratione defectus illius directionis et gubernii peccata inferiorum superiori tribuantur, quando id ei incumbit ex officio et justitia speciali, concedo; quando dumtaxat id ei incumbit ex concursu generali et communi, nego. Animæ quidem tribuuntur motus inordinati appetitus inferioris, non præcise quia istæ potentiæ rationalis et sensitiva conveniunt in una et eadem natura, et quia earum una est superior, alia vero inferior; sed præcise quia taliter invicem sunt unitæ, ut inferior non possit ad bonum honestum flecti, nisi per cognitionem et directionem superioris; siquidem voluntate et scientia hominis omnes ejusdem facultates et potentiæ regi debent et gubernari. Secus autem est de humanitate Christi respectu Verbi, nam humanitas Christi non gubernatur peculiariter voluntate et scientia Dei increata, sed dumtaxat communi, eo scilicet modo quo cæteræ creaturæ gubernantur a prima causa; suppositum enim Verbi non aliud præstat circa humanitatem per se præcise, quam quod præstaret propria personalitas terminando ejusdem naturæ communicationem et dependentiam; unde licet illa humanitas ex hypothesi peccaret, peccatum istud non deberet attribui Verbo. *Ad auctoritates SS. Patrum* asserentium Verbum regere humanitatem, sicut anima

regit corpus, dico eos dumtaxat velle quod, quemadmodum anima propter conjunctionem sui cum corpore influit in illud vitam, motum, et directionem naturalem; ita Verbum ex congruo in humanitatem suam influit vitam, et motum supernaturalem, ratione abundantis gratiæ et beatitudinis, quibus ipsam illustrat, et ejus affectus moderatur. Unde quemadmodum non obstante plenitudine gratiæ, et statu beatitudinis, Sancti et Beati possent absque contradictione peccatum admittere; sic etiam absque repugnantia per absolutam Dei potentiam, non obstante gratiæ plenitudine et beatitudine, humanitas Christi posset peccare.

Urgent: Actiones sunt suppositorum vel subsistentium, ut commune axioma docet: sed suppositum humanitatis assumptæ est suppositum Verbi, quatenus in illa subsistens: ergo si posset humanitas assumpta peccare, perseverante unione hypostatica, revera peccatum istud tribueretur Verbo. *Confirmatur*, humanitas Christi est instrumentum Verbi: sed actiones instrumentorum tribuuntur supposito, cujus sunt instrumenta: ergo peccatum humanitatis Christi esset tribuendum ipsimet Christo. — **Distinguo majorem**: actiones sunt suppositorum elicitive, nego; denominative, concedo. Cum enim communi axiomate asseritur actiones esse suppositorum, hoc non ideo dicitur, quia suppositum, *ut quo* vel *ut quod* influit in operationes naturæ, sed quia sustentat naturam proxime operantem, *ut quo* et *ut quod*. Unde actiones dicuntur suppositorum, non effective, sed tantum denominative. Ad *minorem* dico, quod si humanitas peccaret, dumtaxat peccatum in ipsam refunderetur, tamquam in principium elicitivum illius actionis peccaminosæ, non vero in ipsum Verbum, nisi forte dumtaxat denominative, in quo certe nulla major apparet repugnantia, quam quod idem Verbum divinum dicatur mortuum et crucifixum: non enim secundum rei veritatem magis pugnat denominatio peccantis Verbo divino cum sua sanctitate attributali, aut essentiali, quam repugnet denominatio mortui cum vita essentiali: tam enim mors repugnat vitæ, quam peccatum sanctitati: imo magis, quia mors opponitur physice vitæ, peccatum vero solum moraliter sanctitati.

Reponunt Thomistæ, disparitatem esse, quod mors, sicut et quodlibet aliud malum pœnæ, a Dei justitia infligitur, et ordinatur ad gloriam Dei; malum vero culpæ, seu peccatum, committitur per recessum ab actu divinæ sapientiæ, et ab ordine divinæ bonitatis, et ideo licet nulla sit indecentia, quod Verbum in natura assumpta, seu ut subsistens in humanitate, per communicationem idiomatum, passum, crucifixum, et mortuum denominetur; est tamen moralis indecentia, quod Verbum, etiam ut in humana natura subsistens, seu per communicationem idiomatum peccare dicatur, hoc enim pias aures offendit, et a majori Theologorum parte non admittitur. — **Contra**, tam permissio peccati potest cedere in gloriam Dei, quam quodlibet malum pœnæ; Deus enim ordinare potest peccatum, tam ad commendationem suæ justitiæ illud vindicando et puniendo, quam ad manifestationem suæ misericordiæ illud relaxando, et gratis remittendo: ergo qua ratione mala pœnæ cedere possunt in gloriam Dei, itidem cedere possunt peccata: neque unum magis offendit pias aures sapientum, quam aliud, quippe noverunt utrumque solum denominative Deo tribui. *Nec refert*,

quod sit quædam moralis indecentia, quod Verbum dicatur peccare; hæc enim indecentia moralis non officit, quominus illa denominatio extrinseca ei convenire possit, sicut et denominatio mortui, et crucifixi, quæ cum sit physica, magis repugnat Deo, qui est per essentiam vita, quam quævis denominatio moralis. *Nec etiam refert,* quod peccatum sit aversio a Deo; repugnat autem Deum averti a se. Id. inquam, non obstat, nam hæc aversio est dumtaxat quid morale: mors autem est quid physicum, et physice oppositum vitæ, quam perimit; igitur si non obstante oppositione seu recessu mortis a vita, Deus, qui est vita essentialiter, dici potest mortuus per denominationem extrinsecam ratione mortuæ humanitatis, cui hypostatice unitur, quidni simili ratione dici posset peccans, et a se moraliter recedens, ratione humanitatis assumptæ, si illa supponeretur peccare? *Ad confirmationem dico,* quidquid sit de *majore,* distinguendam esse *minorem:* actiones instrumentorum tribuuntur supposito, cujus sunt, quando habent dependentiam particularem ab illo, concedo: quando non habent, nego *minorem:* necnon et *consequentiam,* quia actiones peccaminosæ voluntatis non majorem haberent dependentiam a supposito divino in illa hypothesi, quod essent peccaminosæ, quam revera haberent, si natura illa non esset unita ipsi. Ad quam responsionem, inquit Poncius, aptissimum est exemplum de securi, quatenus est instrumentum artificis, quæ ex se scindere potest simul, et calefacere; nam scindendo lignum etiam calefacit: illa autem calefactio non attribuitur artifici, sed securi; scissio autem adscribitur artifici, quia ad eam per virtutem suam locomotivam coagit, et ab ipso principaliter dependet.

Instabis: Actiones non solum sunt suppositorum denominative, sed etiam elicitive; siquidem Joannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. ex hoc communi Philosophorum effato, *actiones sunt suppositorum,* probavit Spiritum sanctum a Filio procedere, et essentiam in divinis non generare, sed Patrem ratione essentiæ: at Pater divinus non denominative tantum, sed etiam elicitive *ut quod* generat, media essentia ut principio *quo* generandi, et nullus ex Patribus Latinis, pro quibus disputabat, vel Græcis, contra quos agebat, in contrarium reclamavit: imo Græci, argumento Joannis Theologi convicti, Spiritum sanctum a Filio procedere confessi sunt: ergo illud principium ab universali Ecclesia tam Græca, quam Latina tacite fuit approbatum. — **Nego antecedens,** et ad ejus probationem dico, quod (ut pluries diximus agendo de principiis constitutivis divinarum personarum, et de distinctione reali Spiritus sancti a Filio, quamvis ab ipso non procederet) omnes rationes philosophicæ, quas ipsemet Joannes Theologus assumit ad probandum, quod Spiritus sanctus procedat a Filio, non sunt revera probatæ a Concilio, siquidem plurimæ etiam ex illis rationibus in bona Philosophia deficiunt, ut ibidem observavimus, et insuper conveniunt omnes Theologi, quod rationes, quæ in Conciliis proferuntur ab actoribus ad adstruenda dogmata fidei, non semper sunt de fide: imo aliquando principiis fidei dogmatibus contrariis nituntur, ut constat ex 7. Synodo, ubi ut probetur Angelos posse depingi, falsum assumitur principium, nempe quod sint corporei. Concilium enim approbat tamquam dogma de fide, quod Angeli possint depingi, non vero quod sint corporei, hoc enim contrarium est fidei

dogmatibus in sequentibus Conciliis traditis, in quibus probatum est Angelos esse substantias spirituales, ut probavimus in tractatu *De Angelis*. — *Confirmantur* hæ omnes nostræ responsiones, et rationes: *Primo*, quia natura humana secundum se esset sufficiens causa adæquata suæ actionis peccaminosæ, etiamsi Verbum in illam actionem physice non influat in ratione suppositi, non minus quam calor est causa efficiens suæ calefactionis, et anima separata causa suæ intellectionis et volitionis: ergo gratis asseritur, quod necessario requiratur aliquis concursus suppositi divini ad eliciendam illam actionem. *Deinde*, quamvis divinum suppositum concurreret partialiter effective ad actionem peccaminosam, non inde sequeretur, quod supposito imputari deberet illa actio tamquam causæ, quæ culpabiliter operaretur; quia quamvis suppositum Verbi concurreret physice ad illam actionem, tamen determinatio proveniret a voluntate, penes quam est agere, vel non agere: actio autem peccaminosa, ut peccaminosa est, non attribuitur omni causæ concurrenti physice ad entitatem actus; alioqui peccatum attribueretur Deo, qui physice concurrit ad omnes actus sive bonos, sive malos; ergo licet suppositum Verbi concurreret physice ad actiones humanitatis, quæ essent peccaminosæ, non propterea peccatum deberet illi attribui, quia non est causæ determinativa ad illos actus. *Denique*, non potiori ratione Verbum influeret in illos actus humanitatis physice, quam Pater, et Spiritus sanctus, quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa: sed actus peccaminosi, qui nunc eliciuntur ab hominibus, non tribuuntur Patri, nec Spiritui sancto: ergo pari ratione illi actus peccaminosi, qui elicerentur ab humanitate Christi, non essent attribuendi Verbo.

Objiciunt denique: Humanitas Christi sanctificatur et redditur Deo grata per unionem hypostaticam, etiam secluso omni dono gratiæ sanctificantis habitualis: ergo non potest habere ullum peccatum saltem mortale, tam actuale, quam habituale. *Probatur consequentia*, quia peccatum quodcumque habet incompossibilitatem cum gratia sanctificante: ergo si unio hypostatica majorem habeat vim sanctificandi, quam gratia ex se, nullum poterit peccatum secum pati. *Confirmatur*, humanitas Christi substantialiter per Deitatem et personalitatem Verbi sanctificatur substantialiter per sanctitatem infinitam, non quidem infinito modo, quia ejusmodi infinitæ sanctitatis creatura non est capax; sed in tantum, in quantum sanctificari potest aliqua creatura, ut omnino fiat incapax peccati, etiam per absolutam Dei potentiam, si id non repugnat, quod aliqua creatura tantæ sit sanctitatis, ut etiam per absolutam Dei potentiam non possit ullum admittere peccatum: ergo hujusmodi est humanitas Christi. — **Nego consequentiam**, quia, ut mox dictum est, nulla est gratia tantæ perfectionis, quæ physice ita sit incompatibilis cum peccato, quin de potentia Dei absoluta possit cum illo subsistere: idem autem dicendum est de unione hypostatica, quatenus haberet vim sanctificandi. *Ad confirmationem*, distinguit *majorem* Poncius: natura divina, et personalitas tribuunt naturæ tantam sanctitatem, quantam recipere potest ab ipsis mediante illa conjunctione, concedit *majorem:* tantam tribuit sanctitatem, quantam potest recipere, tam ab ipsa natura divina et personalitate, quam ab illis donis, negat *majorem*. Quis enim dicat naturam esse quidem unitam,

non tamen beatam, esse tanta sanctitate præditam, quantam haberet natura unita simul, et beata? — *Ex his* apparet, inquit idem Poncius in comment. num. 12. « quam insulsa sit et imprudens quorumdam « Theologorum censura: maxime autem Capreoli, dum ait, contra no- « stræ sententiæ Assertores famosissimos, quales sunt Durandus, « Subtilis Doctor, et omnes tam veteres quam recentiores ejus Disci- « puli) non tam rationibus, quam flammis agendum esse, sed certe « flammis, quibus ipse potius comburi deberet ». *Addit quod* « Suarez « paulo modestius, sed satis immodeste tamen eam temerariam asserit. « Vasquez noluit ipse determinare censuram, sed ne non censuraret, « aliqua eam dignam censura pronuntiat. » Hæ autem censuræ, quam vanæ sint et sine fundamento, ac indignæ his Auctoribus, facile patet ex dictis, et ex eo quod ipsi moderni sua invicem de impeccabilitate Christi D. fundamenta expugnent, nec tamen ipsi impugnatores meliora ac efficaciora statuant. *Cæterum* quamquam omnia hæc, quæ dumtaxat theologicæ exercitationis gratia diximus probabilitate non careant; nihilominus moneo abstinendum esse ab his et similibus propositionibus: *Christus fuit absolute peccabilis;* vel, *Christus secundum humanitatem per absolutam Dei potentiam peccare potuit:* maxime vero coram rudioribus et imperitis, quibus non sunt perviæ hujusmodi theologicæ controversiæ: ne forte inde habeant ansam cogitandi et dicendi Christum eo modo fuisse peccabilem, quo cæteri homines justi, quod sane erroneum esset et hæreticum; nullus enim forte justus, ita fuit innocentiæ tenax, si beatam Virginem excipias, qui in peccata saltem venialia non fuerit lapsus.

Ex his colligE, his non obstantibus, recte inferri Christi impeccabilitatem ex unione hypostatica; non quidem per locum intrinsecum, ut volunt Thomistæ; sed per extrinsecum, quia scilicet expedit, et congruentissimum est, ut natura unita Verbo sit peccati incapax, tum propter illius sanctitatem personalem: tum propter visionem beatificam, quæ cum animam Verbo unitam primæ rectæ operationis regulæ conjungat, illam etiam reddit impeccabilem, et insuper vim et efficacitatem habet reprimendi omnem inordinatum affectum appetitus sensitivi: tum denique propter perfectionem et plenitudinem gratiæ habitualis existentis in anima Christi, necnon et virtutum, quæ ab ea dimanant: cum enim gratia opponatur moraliter peccato, inde consequens est, quod gratiæ plenitudo abundantissima, qualis fuit animæ Christi, nullum peccato locum relinquat. Unde radix illius impeccabilitatis maxime est ipsa Dei manutenentia, qua Christi humanitas, utpote Verbo unita personaliter, et Deo conjuncta per unionem beatificam, necnon et per gratiæ plenitudinem, ita in hoc triplici statu constantissime servatur, ut nec per aliquid extrinsecum possit separari, nec aliquid admittere, quod illam unionem hypostaticam, aut beatificam, aut gratuitam, seu sanctificativam dedeceat, sicut revera peccatum hunc triplicem statum moraliter summe dedecet. Unde de facto quidem utraque sententia tam Angelici, quam Subtilis Doctoris convenit, Christi impeccabilitatem ab illa triplici unione ipsius animæ cum Deo esse repetendam; quod sufficit, tum ad fidem, tum ad doctrinam Sanctorum Patrum: an vero secus fieri posset de possibili, controversia est, pure ad Philosophiam spectans.

Quæres: *an Christus habuerit fomitem peccati, seu inclinationem appetitus sensitivi ad objecta sensibilia, contra dictamen rationis, quæ inclinatio vocatur fomes peccati, quia illius incentivum est, illudque fovet?*

Respondeo primo, nullatenus in Christo fuisse de facto illum fomitem peccati. Probaturque ex sexta Synodo generali, actione 11. et ex quinta, collat. 8. Can. 112. ubi definitur *in Christo fuisse tantum passiones irreprehensibiles, et innoxias:* fomes autem peccati est passio noxia, reprehensibilis, inordinata, cum interdum vocetur a sacris Litteris peccatum, non quod proprie sit peccatum, sed quod sit ex peccato, et ad peccatum inclinet, ut explicat Trident. Synodus sess. 5. in decreto de peccato originali. *Confirmatur* ex Patribus, S. Leone, epistola 11. ita scribente: *Corporei sensus vigebant sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine Deitatis, et moris, nec tandem tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis.* Similiter ex S. Damasceno 3. *De Fide* cap. 20. dicente, Christum aliter fuisse tentatum a dæmone, quam primos parentes, quia primus parens tentatus est extrinsece et intrinsece, Christus vero tantum extrinsece. *Nec obstat*, quod Hebr. 4. dicatur, *Christus tentatus per omnia*, nam particula illa, *per omnia*, debet intelligi accommodate ad naturam, et conditionem. Huic conclusioni favet ratio: quia ex Concilio Trid. fomes peccati remanet in nobis tantum ad agonem: non erat autem decens ejusmodi turpem agonem reperiri in Christo: ergo neque fomitem peccati. — *Respondeo secundo*, fomitem peccati sublatum esse a Christo per virtutes, quas habuit in perfectissimo statu, et per excellens illud dominium, quod habuit in omnes suas potentias, necnon et per perpetuam attentionem rationis, quæ præveniebat omnia objecta, quæ poterant ipsum appetitum movere ad peccatum. *Probatur:* si justitia, v. g. in statu innocentiæ ad id sufficiebat: ergo et hæc, cum superent vires illius, ad id sufficient. — *Respondeo tertio*, quod etiam de potentia Dei absoluta Verbum divinum assumere non potuit naturam humanam cum fomite peccati, non quod ad hoc fuerit repugnantia physica, sed quia sit repugnantia moralis, propter dignitatem et majestatem suppositi divini. Quod utique probatur: nam si Verbum potuisset assumere naturam cum fomite peccati, maxime vel quia potuit assumere naturam bruti, in qua potuerunt esse motus appetitus sensitivi ad objecta supra mensuram delectabilia, vel quia etsi potuerint esse tales motus in Christo, tamen potuit etiam illis non consentire, sicque illis uti ad agonem, et meritum: sed prima ratio nulla est, quia etsi in natura irrationali bruti non dicat fomes indecentiam, cum hæc natura non sit nata regi dictamine rationis; quia tamen in nostra natura, prout subest directioni partis superioris, est aliqua indecentia experiri imperfectionem talem, et cum status naturæ humanæ etiam in Verbo existenti debitus, suo modo sit rectus ad rationem, et sit indecorum turpes motus in se sentire, etsi consensus voluntatis in illis non sequatur, tamen propter ejusmodi indecentiam non debuit, nec potuit Verbum divinum assumere naturam cum fomite peccati. Secunda item ratio nulla est, nam quæ sunt in natura assumpta ad agonem, debent esse talia, ut nullam includant indecentiam ad statum et conditionem Christi.

QUÆSTIO QUARTA.

AN CHRISTUS DOMINUS ASSUMPSERIT PASSIONES ANIMÆ SEU APPETITUS RATIONALIS TAM SECUNDUM PORTIONEM SUPERIOREM, QUAM INFERIOREM.

Notandum 1. Ex Doctore in 2. dist. 24. quæst. unica, duplicem esse animæ portionem, superiorem videlicet, et inferiorem. *Portio superior* sunt ipsæmet facultates animæ, nimirum intellectus, voluntas, et memoria, quatenus occupantur circa æterna, et spiritualia. *Portio* vero *inferior* sunt eædem facultates, quatenus versantur circa temporalia. Ex quibus infert Doctor portionem non distingui penes id quod una sit contemplativa, et alia practica, ut volunt aliqui, quia tam speculativa, quam practica pertinent ad portionem superiorem: speculativa quidem quatenus intellectus solitarie speculatur æterna; practica vero quatenus ille idem intellectus speculatur æterna, prout a nobis amabilia. Practica iterum quatenus voluntas, ut portio superior, quæ natura sua est facultas practica, vult amplecti, et prosequitur æterna. *Infert insuper* portionem superiorem et inferiorem intellectus, item superiorem et inferiorem voluntatis non esse duas potentias. *Primo*, quia eadem potentia cognoscit principia et conclusiones, aliter nulla potentia eadem cognosceret, cum non cognoscatur per se, nisi ex collatione ad principium; sed portio inferior intellectus, v. g. cognoscit conclusionem, et portio superior principium: nam S. Augustinus dicit portionem superiorem intendere regulis æternis et superioribus contemplandis; inferiorem vero intendere temporalibus agendis secundum æternas regulas: at ista, circa quæ occupatur portio inferior, sunt conclusiones regularum æternarum: ergo portio inferior intellectus cognoscit conclusiones principiorum, quorum est portio superior ejusdem intellectus. *Confirmatur*, quia idem habitus simpliciter non perficit duas potentias: sed eadem charitas, v. g. perficit voluntatem superioris portionis; siquidem eadem charitas est in voluntate portionis superioris, qua Deus diligitur, necnon et in voluntate portionis inferioris, qua diligitur proximus, qui est objectum temporale, una enim et eadem charitas se extendit ad omnia diligibilia: igitur cum unus et idem habitus charitatis resideat in portione superiori et inferiori ejusdem animæ, consequens est, quod illæ portiones non sint distinctæ facultates et potentiæ.

Notandum 2. Undecim passiones appetitus sensitivi seu portionis inferioris animæ solito numerari a Philosophis, quarum quinque residunt in appetitu irascibili, videlicet spes, desperatio, timor, audacia, et ira: sex vero in appetitu concupiscibili, nimirum amor, odium, desiderium, gaudium, fuga, et tristitia. Certum est autem *spem* potuisse esse in Christo, utpote qui sperare potuit gloriam sui corporis, et liberationem ab illis omnibus pœnalitatibus et cruciatibus, quibus illius humanitas agitata fuit tum tempore vitæ, tum tempore passionis. Fuit similiter in eo *desperatio*, non quidem ea, quam impius sustinet Calvinus, qualem scilicet habent reprobi circa objectum beatitudinis; sed dumtaxat illa, quæ versatur circa malum sensibile inevitabile; cum enim nobis sese offert malum aliquod non apprehensum ut inevitabile,

fluctuamus inter spem, et desperationem: cum vero jam inevitabile proponitur omni spe evadendi adempta, desperamus. Fuit pariter in eo *audacia*, quia habuit fortitudinem animi et constantiam respectu mortis subeundæ; nec dumtaxat patienter sustinuit inflictos cruciatus et adversariorum insultus, sed etiam eis animose ivit obviam, ut sacri Evangelistæ referunt. Similiter quantum ad portionem appetitus concupiscibilis, certum est habuisse *amorem, et odium*: quippe amore et odio sensitivo aliqua prosequebatur, puta conservationem propriæ vitæ et aversionem mortis. Habuit similiter *desiderium*, nam dicebat Discipulis: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*. Habuit pariter *fugam* mortis et doloris cum exoravit Patrem: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*. Quamvis autem fuerit vir dolorum, et in laboribus a juventute sua, nihilominus delectationem habuit, maxime de bonis spiritualibus; unde in ejus nomine canit Psaltes Regius Psalm. 83. *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Unde maxime controvertitur inter Theologos, an Christus habuerit passiones tristitiæ, timoris, et iræ; quocirca,

Notandum 3. Ex Doctore in 3. d. 13. num. 12. eodem modo philosophandum esse de tristitia et gaudio, sicut, proportione servata, de delectatione et dolore respectu appetitus sensitivi; quemadmodum enim dolor in corpore causatur ab objecto disconvenienti approximato et applicato parti sensitivæ, ita pariter tristitia causatur ab objecto ingrato voluntati; unde S. Augustinus l. 14. *De Civit.* cap. 15. *Dolor carnis tantummodo est offensio animæ ex carne, et quædam ab ejus passione dissensio: sicut animæ dolor, qui tristitia nuncupatur, est ejus dissensio ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt*. Accidit autem, inquit Doctor, ut multis modis voluntas se habeat circa objecta, a quibus potest tristitiam accipere: *Primo* namque contingit aliquid esse contrarium, non quidem actui elicitivo ipsius, et appetitui libero, sed dumtaxat appetitui naturali; licet enim voluntas sit una simplex facultas, consideratur tamen aliquando ut appetitus naturalis; aliquando vero ut appetitus liber: ut appetitus naturalis convenit cum omnibus aliis rebus naturalibus, quibus commune est habere aliqua objecta convenientia, et aliqua disconvenientia seu contraria; quemadmodum aqua, verbi gratia, cui calor est contrarius, sicut frigiditas est conveniens. Voluntas itaque, spectata ut appetitus naturalis, naturaliter fertur in felicitatem, item naturaliter refugit miseriam; ita ut etiam nullo dato actu elicito ab ipsa, censeatur naturaliter ferri in beatitudinem, et averti a miseria: quando igitur sese offert objectum ejusmodi disconveniens appetitui naturali voluntatis, inde sequitur tristitia. *Secundo*, causatur tristitia, quando aliquid accidit nolente voluntate nolitione elicita, quidquid sit illud, quod non vult; exempli gratia, si quis nolit visitari, et visitetur: inde tristatur voluntas. *Tertio*, causatur tristitia ex conjunctione voluntatis cum affectu sensitivo; impossibile est enim facultatem sensitivam dolorem recipere, et ex eo non consurgere tristitiam in voluntate. *Quarto* denique, causatur tristitia ex quodam objecto, non quidem absolute, sed conditionate nolito, ita ut propter istam nolleitatem possit etiam tristari voluntas; quomodo v. g. sumens aliquis potionem amaram, nollet sumere si posset, et propter istam nolleitatem consurgit tristitia in voluntate

ejus. Ex quibus colligit Doctor Subtilis tristitiam residere formaliter in voluntate, sicut dolor sensibilis residet in appetitu sensitivo ; et tristitiam non esse actionem aliquam voluntatis, sicut nec dolor sensibilis est actio appetitus sensitivi, quia omnis actio voluntatis est in potestate voluntatis, tristitia vero non est in potestate voluntatis, saltem consequenter: ergo non est actio voluntatis. Dico *saltem consequenter*, quia clarum est antecedenter esse in potestate voluntatis, quatenus scilicet volitio et nolitio, ex quibus oritur tristitia, sunt in potestate voluntatis; tamen posita semel nolitione alicujus objecti, et antecedente objecto illo actualiter nolito, non est in potestate voluntatis non tristari. — *Adde quod* experientia docet tristitiam non esse actionem aliquam, cum enim tristamur experimur nos pati valide, ex qua passione sequitur aliquando angor, idest passio mœrens, et melancholia, idest tristitia diuturnitate obfirmata ; quæ quidem omnia passionem potius quam actionem indicant.

Conclusio prima. — In Christo Domino revera fuerunt humanæ passiones, non tamen cum ea imperfectione qua in cæteris hominibus. Hæc est de fide determinata in 6. Synodo Act. 4. et

Probatur variis Scripturæ textibus, quibus illi humani affectus et motus asseruntur fuisse in Christo. Sic Joann. 2. de eo dicitur : *Zelus domus tuæ comedit me.* Marci 3. *Circumspiciens eos cum ira, tristatus est super cæcitate cordis eorum*, Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Idipsum unanimi sententia testantur SS. Patres, Ambrosius lib. 1. *De Fide*, cap. 3. Augustin. lib. 1. *De Civitate Dei*, cap. 7. et S. Leo Epist. 11. quæ est ad Julianum circa finem, ubi ita scribit : *Sensus corporei lugebant sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine Deitatis, et mentis.* Idem docuit S. Damascenus 3. *De Fide*, cap. 20. de omnibus defectibus animæ nostræ, qui sunt a reprehensione alieni, inter quos enumerat metum, angorem, mortis recusationem. Favet etiam ratio, quia illi affectus appetitus sensitivi spectant ad vitæ humanæ conservationem, dignitatem, et exercitium ; conferunt etiam ad satisfactionem pro hominum peccatis, ut constat de dolore et tristitia.

Patet etiam secunda pars, nempe quod passiones illæ aliter fuerint in Christo, quam in nobis, tum quoad objectum, tum quoad principium, tum quoad effectum. *Primo* quidem *quoad objectum*, quia motus illi animi plerumque in nobis feruntur ad illicita : at in Christo Domino semper in bonum honestum tendebant, quia revera fuit impeccabilis, et caruit ipso fomite peccati inclinante ad malum. *Secundo*, quantum *ad principium*, quia ejusmodi passiones in nobis sæpe præveniunt judicium et usum rationis : sed in Christo semper oriebantur secundum dispositionem rationis, vel positive moventis, vel providentis, et permittentis ; unde numquam prævenerunt ejus rationem ; sed tantum in eo fuerunt ex deliberata voluntate, quando voluit, quamdiu voluit, et quomodo voluit. Quod utique significavit Joannes quando cap. 11. ita ait de Christo Domino: *Infremuit spiritu, et turbavit semetipsum* : nam modus iste loquendi significat Christum Dominum libere excitasse in seipso motum illum miserationis et indignationis, ex quo ipse est

turbatus, ut docet S. Augustinus, in tract. 19. in Joan. *In illius*, inquit, *potestate erat, sic vel non sic affici; Verbum enim animam suscepit et carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ unitate naturam.* Et paulo post: *Ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas, hoc est, turbavit semetipsum.* Id pariter probat S. Athanasius, Orat. *Contra Apollinarem* ex eo, quod Christus Dominus Joan. 12. signanter dixit: *Nunc anima mea turbata est;* ait enim: *Ob eam causam dicebat Dominus: nunc anima mea turbata est, hæc autem particula* nunc, *idem est, quod quando voluit. Tertio* denique passiones illæ aliter fuerunt in Christo, quam in nobis *quantum ad effectum;* nam in nobis quandoque trahunt rationem ad illicita, ut illis deordinatis motibus consentiat, nec consistunt dumtaxat in appetitu sensitivo, sed etiam appetitum rationalem ad se pelliciunt; secus autem fuit in Christo, cum enim ejus anima plenum haberet dominium in omnes suas facultates et actus, non tantum ex simplici permissione, sed ex positivo consensu admittebat in seipso tales passiones; et cum haberet omnes thesauros sapientiæ in se reconditos, ac futura prævideret, facile poterat cognoscere illud omne, quod appetitus ejus excitare poterat, et facere ut hæ passiones nullo modo possent ad illicita pertrahere. Unde plerique Scholastici post S. Hieronymum in cap. 25. S. Matthæi dicunt in Christo quidem non fuisse *passiones*, sed *propassiones*, quia, inquiunt, propassionis nomine significatur affectio, quæ aliquam corporis motionem excitat, et movet quidem hominem, sed non dimovet ejus rationem a recto et libero suo exercitio, ut fit per passiones. Verum hoc discrimen tantum fuit penes Stoicos Philosophos ac eorum sectatores: nam apud Peripatheticos, et SS. Patres nomen passionis et propassionis idem plane significat, estque commune tam ordinatis, quam inordinatis affectibus.

Conclusio secunda. — CHRISTUS REVERA HABUIT AFFECTUM TRISTITIÆ, NON QUIDEM IN PORTIONE SUPERIORI ANIMÆ PRÆCISE, ET SEORSIM SUMPTA, SED QUATENUS EST COLLIGATA CUM APPETITU SENSITIVO. Hæc Conclusio duas habet partes: quarum

Prima constat ex illis Scripturæ textibus supra laudatis, quibus asseritur Christum revera fuisse tristatum. Sic Matt. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et Luc. 22. *Factus in agonia prolixius orabat.* Unde S. Ambrosius lib. 2. *De Fide*, cap. 2. *Ut homo tristitiam habuit, suscepit enim tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, qui crucem prædico.*

Eamdem veritatem probat Seraphicus Doctor dist. 15. art. 2. q. 2. *Primo* quidem, quia, ut legimus Lucæ 19. *Christus videns civitatem Jerusalem flevit super illam:* sed fletus est signum doloris et mœroris: ergo Christus flendo animi angorem et tristitiam testatus est. *Secundo*, Christus amabat et desiderabat nostram salutem: sed qui amat aliquid tristatur de ejus amissione: ergo cum Christus multos videret suam salutem negligere, apparet, quod in se senserit verum affectum tristitiæ. *Tertio*, quanto sunt in aliquo majora viscera pietatis, tanto magis afficitur mœrore: sed Christus habuit abundantissima pietatis viscera: ergo de aliorum necessitatibus et infirmitatibus maximam habuit tristitiam.

Secunda pars etiam constat, nempe quod tristitia illa non fuerit in portione superiori voluntatis Christi, quia illa portio superior voluntatis non potest tristari, nisi ex eo, quod aliquis nollet Deum esse, vel nollet eum habere aliquam perfectionem intrinsecam, voluntas enim ut portio superior intendit rebus æternis : sed neutrum ex his motibus potuit habere anima Christi : tum quia res æternæ non possunt ullam molestiam afferre ; siquidem appetuntur appetitu naturali, quia naturaliter voluntas fertur in res æternas tamquam in summum bonum et supremum commodum : appetuntur pariter appetitu elicito, quia voluntas non potest ordinate refugere quod recta ratio dictat : at dictat consequendas esse res æternas ; et subinde voluntas non potest illas refugere appetitu elicito : tum etiam quia Christi voluntas quamvis liberrima, propter eximium suum erga Patrem amorem, summo affectu ferebatur in id omne quod ab eo decretum fuerat circa suam humanitatem. Hinc dicebat Joann. 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus :* unde instante mortis tempore, cum ejus anima secundum portionem inferiorem infligendos cruciatus perhorresceret, et idcirco rogasset Patrem : *Si possibile est, transeat a me calix iste :* statim subdidit : *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

Patet denique tertia pars, nempe quod tristitia fuerit in Christi anima, ut colligata appetitui sensitivo : tanta est enim animæ rationalis cum corpore connexio et confœderatio, ut sibi invicem proprias affectiones et passiones communicent ; hinc cum anima tristitia laborat, corpus languore deficit, et interdum omnino extinguitur. Unde præclare monet Ecclesiasticus 30. *Tristitiam longe repelle a te, multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa.* Similiter cum corpus dolore premitur, anima tristitia laborat ; unde non potest sentiri vehemens dolor in parte sensitiva, quin rationalis pars maxima tristitia afficiatur : est autem maximus dolor impressus corpori Christi tempore passionis ; unde revera tunc temporis animi angorem et tristitiam passus est. — Tristitia autem illa quantumvis verissime in Christo fuerit, non tamen eodem modo fuit in illo, quo fuit in nobis ; nam (inquit S. Bonaventura loco initio hujus Conclusionis laudato :) « Est « quædam tristitia, quæ est præter rationis imperium : et est tristitia, « quæ est contra rationis judicium rectum : et est tristitia, quæ est « subjecta rationis imperio et judicio. Et illa tristitia præter rationis « imperium, est quæ consurgit ex quadam necessitate et surreptione. « sicut motus primi : et hæc quidem communis est sapientibus et insi- « pientibus, bonis et malis. Illa vero tristitia est contra rationis judi- « cium rectum, in qua ratio subjicitur sensualitati, nec tantum tur- « batur, sed etiam perturbatur. Illa autem est secundum rationis « imperium et judicium, quando quis tristatur ratione dictante et « suadente ipsum tantum, et taliter super aliquo debere tristari. Dico « ergo, quod in Christo fuit tristitia tantum isto tertio modo : quia « de nullo tristatus fuit, nisi secundum quod dictabat ei ratio. Et hoc « idem innuit Joannes, ubi dicitur : *Jesus autem infremuit spiritu, et « turbavit semetipsum :* in quo ostenditur, quod turbatio et tristitia « rationi non præsidebat, sed subjacebat : primis autem duobus modis « non fuit in Christo tristitia. »

Petes 1. Cum tristitia sit motus animi refugientis ea, quæ nobis nolentibus accidunt ; cumque duplicem habere possimus nolitionem rei, quam refugimus, unam quidem conditionatam et ex hypothesi, aliam vero absolutam et simpliciter : petes, inquam, an tristitia, quam habuit Christus D. de morte futura secuta fuerit ad nolitionem absolutam illius mortis? — **Respondet Doctor** dist. 15. num. 27. utramque partem affirmantem, et negantem esse probabilem : etenim quod Christus non habuerit tristitiam sequentem nolitionem absolutam, sed tantum conditionatam mortis, probat quinque rationibus, quas sic expendit Poncius in commentario: *Primo,* quia eadem potentia, qualis est voluntas, quoad portionem superiorem et inferiorem, non potest habere actus oppositos in summo : sed judicare passionem esse simpliciter volendam est actus intellectus oppositus actui, quo judicaret, quod non esset simpliciter volenda : et velle simpliciter est actus oppositus nolle simpliciter : ergo quandoquidem Christus, quoad intellectum, judicavit passionem simpliciter esse volendam, et quoad voluntatem simpliciter eam voluit ; non poterat, nec quoad intellectum judicare, quod esset simpliciter nolenda, nec quoad voluntatem eam simpliciter nolle. — *Probat secundo,* quia ex principio et conclusione non sequuntur, opposita: sed sequerentur, si non esset vera hæc assertio: ergo, etc. *Probatur minor :* quia conclusio discursus practici, quo intellectus probat mortem esse volendam simpliciter, est hæc : *Mors est volenda simpliciter,* et hæc conclusio sequitur ex his principiis : *Quod est necessarium ad finem ultimum, est simpliciter volendum :* sed *mors est ad id necessaria :* ergo *est simpliciter volenda :* sed hæc ipsa conclusio deberet esse principium, ex quo posset concludi per portionem inferiorem, quod mors esset nolenda : ergo ex principio et conclusione sequerentur opposita, imo sequeretur, quod aliqua propositio posset esse principium ad demonstrandum oppositum sui ipsius, quod implicat. *Probatur* hæc ultima *sequela :* quia conclusiones principiorum practicorum desumptorum a fine ultimo sunt principia ad concludendum aliquid de finibus particularibus, qui ordinantur ad finem ultimum : ergo illa conclusio, *mors est volenda,* esset principium ad concludendum, quod esset nolenda in ordine ad aliquem finem particularem. — *Probat tertio,* independenter a doctrina supposita in ratione præcedenti : quia impossibile est, quod simpliciter concludantur opposita de eadem conclusione, sicut impossibile est, quod sit simpliciter ambulandum hic et nunc, et quod non sit simpliciter ambulandum : ergo si ratio superior ex principiis ostendit mortem esse simpliciter volendam, ratio inferior non potest recte concludere ex eisdem principiis, quod non sit simpliciter volenda. — *Probat quarto,* quod ratio inferior non possit dictare mortem esse nolendam : ratio inferior dictat mortem esse sustinenda in pro bono communi ; quandoquidem bonum commune hominum dependebat a morte Christi : ergo ratio inferior dictare poterat, quod mors sustinenda esset pro illo bono : et consequenter non poterat judicare, quod esset nolenda.

Dices : Aliud est, quod mors esset sustinenda, et quod esset volenda : ergo quamvis ratio inferior potuerit dictare mortem esse sustinendam, inde non sequitur, quod poterat dictare eam esse volendam. — **Contra,** quia si mors est sustinenda : ergo aut voluntas non vult id

positive, et sic non est conformis rationi; aut vult, et sic non potest absolute nolle mortem, quia si absolute nollet mortem, non vellet sustinere mortem, sed fugeret ab ea quantum potest. — Addit duas alias rationes ex auctoritate S. Augustini satis claras: hanc autem assertionem non absolute proponit tamquam suam, sed in eam mihi videtur magis propendere. Ita Poncius rationes Doctoris proponit et expendit.

Alteram etiam partem, nempe quod *portio inferior potuit absolute nolle Passionem*, et consequenter de ea Christus tamquam de objecto absolute nolito tristatus fuerit, probat n. 31. ex eo quod portio inferior non debeat considerare Passionem cum ordine ad finem ultimum, quia ea non occupatur circa æterna, sed dumtaxat circa temporalia: ergo cum Passio non sit volenda simpliciter et absolute, nisi ut conducens ad finem ultimum, qui dumtaxat apprehenditur per portionem superiorem, potuit Christus secundum portionem inferiorem absolute nolle Passionem. *Deinde,* solvit argumenta proposita pro confirmatione partis negantis. Verum quoniam hæc dumtaxat animi causa proponit Doctor in aliorum sententia, qui hanc partem vellent amplecti, idcirco rectius dicendum arbitror, cum Gabriele, Cavello, et Poncio, Doctorem magis in priorem, quam in posteriorem partem propendere, nempe quod Christus tristatus fuerit, ex eo quod illius Passio fuerit conditionate nolita. Utut sit, certissimum est revera Passionem tristitiæ in Christo fuisse.

Dices 1: Contraria nequeunt esse simul in summo in eodem subjecto: sed anima Christi habebat gaudium in summo propter beatitudinem: ergo non potuit habere tristitiam. — **Respondet Doctor** n. 33. distinguendo *minorem:* gaudium et tristitia sunt contraria, quando sunt de eodem objecto, concedit: quando sunt de diversis, negat. Gaudium autem et tristitia in Christo erant de diversis objectis, gaudium quidem de objecto beatifico, tristitia vero de morte et cruciatibus subeundis. Quod autem tristitia et gaudium de diversis objectis possint esse simul, probat a simili de scientia et nescientia, quæ possunt esse in eodem intellectu penes diversa objecta.

Instabis: Summum gaudium sive circa idem, sive circa diversum objectum, excludit quamlibet tristitiam: quia impedit ex se considerationem aliorum objectorum, quæ possent tristitiam inferre: sed Christus habuit summum gaudium: igitur nullatenus potuit habere tristitiam. — **Respondet Doctor** distinguendo *majorem:* summum gaudium excludit omnem tristitiam, directe et formaliter, negat: indirecte, concedit: hoc est, quamvis in anima Christi fuerit summa delectatio de facto, quæ naturaliter posset ex se impedire considerationem aliorum objectorum tristantium; tamen Deo ita disponente non impedivit, nec maximum gaudium in portione superiori voluntatis Christi excludebat dolorem in appetitu sensitivo, nec etiam tristitiam in portione inferiori; quia illa delectatio non redundabat in portionem inferiorem. Unde hoc fuit factum per novum miraculum, quod gloria in portione superiori voluntatis non redundavit in corpus, sed permisit ipsum esse passibile, nec etiam redundabat in eamdem potentiam, ut comparatur ad aliud objectum. Unde sicut per miraculum fuit, quod simul erat viator et comprehensor, ita fuit miraculosum, quod ista gloria non

redundabat in corpus, nec in vires inferiores, sicut in Beatis redundat.

Dices 2: Impassibilitas corporis gloriosi non admittit, nec ferre potest in eodem corpore glorioso ullam Passionem a quacun que causa extrinseca vel intrinseca: igitur nec beatitudo animæ potest admittere tristitiam sibi repugnantem. — **Nego consequentiam**; et ratio disparitatis est, quod corpus gloriosum non habeat duas portiones, ita quod penes unam possit esse impassibile, et passibile secundum alteram: anima vero Christi cum esset unita Deo, et corpori mortali et passibili, duas habebat portiones duosque affectus, quorum unus in Deum tendens ipsam summa voluptate et beatitudine afficiebat: alter vero occupatus circa corpus passibile, mœrore angustiabatur propter cruciatus ipsi corpori inferendos.

Dices 3: Quia anima Christi conjungitur ultimo fini per cognitionem, et amorem beatificum, ideo peccare non potest etiam circa proximum: ergo etiam, quia ipsa anima Deo ut summo bono et totius voluptatis et gaudii oceano conjungitur, nullo modo tristari potest etiam ratione pœnalitatum, et cruciatuum corporis. — **Nego consequentiam**, et ratio disparitatis est, quod amor beatificus, quo anima unitur ultimo fini, eam determinat ad nihil faciendum, quod isti fini adversetur, ipsamque offendat: offenderetur autem si illa anima peccaret in proximum, quia peccatum istud redundaret in Deum præcipientem proximi amorem, et prohibentem omnem offensam ipsi irrogandam: gaudium autem de objecto beatifico non impedit, quominus anima tristitia possit affici propter aliud objectum, maxime quando vivificat corpus adhuc passibile, quia tristitia illa nullo modo spectat, nec refunditur in Deum, quatenus est objectum beatitudinis.

Dices 4: Tristitia est de iis, quæ nobis nolentibus accidunt: sed nihil passus est Christus, renitente voluntate; nam, ut legimus Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit:* igitur non habuit tristitiam. — **Distinguo majorem**: tristitia est de iis, quæ accidunt nobis nolentibus vel absolute vel conditionate, concedo: absolute tantum, nego. Christus autem, ut diximus, quamquam absolute voluerit Passionem, maxime secundum portionem superiorem animæ, potuit illam nolle; imo etiam penes ipsam inferiorem portionem potuit istam Passionem nolle.

Objicies denique aliquos Scripturæ textus, quibus tristitia videtur a Christo arceri; maxime vero illud Isaiæ 42. ubi de Christo dicitur: *Non erit tristis, nec turbulentus:* item illud Prov. 12. *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Cujus rationem hanc assignant Stoici, quia nullus tristatur nisi de jactura et amissione suorum bonorum: justus autem nulla sua bona reputat, nisi justitiam et virtutem, quas non potest amittere: sed Christus fuit maxime justus; unde Jeremiæ 23. *Hoc est nomen, quo vocabunt eum, Dominus justus noster:* ergo, etc. — **Respondet Seraphicus Doctor,** Isaiam a Christo non excludere quamlibet tristitiam, sed duntaxat tristitiam perturbantem; unde dicitur Matth. 26. *Cœpit contristari, et mœstus esse,* quibus significatur Christum Dominum, quamvis summa tristitia affectum, non fuisse tamen dejectum animo, nec ratione perturbatum, ut contingere solet in aliis hominibus, qui cum ingenti tristitia premuntur, omnem rationis usum, et animæ constantiam abjiciunt. *Ad secundum* similiter respondet, Sa-

pientem intelligendum esse de illa tristitia, quæ statum mentis evertit; non vero de illa, qua quis contristatur compatiendo aliis, vel etiam refugiendo aliquod malum sibi illatum.

Conclusio tertia. — Passio timoris revera fuit in Christo. **Probatur ex Scriptura sacra,** nam Marci 14. *Cœpit Jesus pavere, et tædere, et mœstus esse.* Unde S. Cyrillus, lib. 4. in Joan. cum dixisset Verbum nihil timere secundum se, subdit: *Caro autem factum, permittit carni suæ ut propria patiatur: et ideo tamquam verus homo mortem in januis existentem pertimescit.* Idem docent cæteri Patres, Chrysostomus, Homil. 24. in Matth. S. Leo, serm. 7. *De Passione Domini. Ratio etiam suffragatur:* quia timor est affectus naturalis homini passibili, cui imminet aliquod malum, et cum pœnalis sit, deservire potest ad satisfactionem: Christus autem assumpsit id omne innoxium, quod maxime deserviebat ad demonstrandam assumptæ naturæ veritatem, necnon et ad satisfaciendum pro delictis nostris: igitur, etc.

Dices: S. Hilarius, lib. 10. *De Trinit.*, Augustinus, *Enarratione,* in Psal. 21. et Hieronymus in cap. 27. Matth. negant in Christo fuisse timorem, quod confirmatur ex illo Prov. 28. *Justus quasi leo confidens absque terrore erit:* ergo timor in Christo non extitit. — **Nego consequentiam,** et ad *antecedens* dico, S. Hilarium eo modo a Christo excludere timorem, quomodo tristitiam, non quidem turbantem, sed perturbantem; qualiter etiam intelligendus est S. Hieronymus. *Ad sanctum Augustinum* dico, ipsum excludere timorem, qui impediret efficacem voluntatem moriendi; non vero eum, qui voluntatem ipsam non adimeret.

Dices 2: Timor non potuit stare cum animi fortitudine in gradu heroico: ergo cum in Christo virtus fortitudinis, sicut et aliæ virtutes morales, fuerit in gradu heroico, in eo non potuit esse timor. — **Respondeo,** actum inefficacem, et non absolutum unius passionis posse simul stare cum aliquo actu efficaci, et absoluto virtutis, ei aliquo modo oppositæ, ut patet in Martyribus, qui potuerunt habere actus inefficaces mortis evitandæ; quam tamen fortiter passi sunt. *Adde quod* timor non oriebatur ex absoluto desiderio diutius vivendi; quin potius summopere mortem optabat pro nobis; sed proveniebat tantum ex affectu inefficaci, et quatenus sese offerebat mors tamquam malum aliquod naturæ, tamen affectu justitiæ longe anteponebat bonum redemptionis nostræ.

Dices 3: Ex Aristotele 2. *Rhetoricorum,* capit. 3. *Timor includit incertitudinem mali apprehensi ut venturi, necnon et spem aliquam illius evadendi:* atqui anima Christi ita mortem timuit, ut tamen certo sciret eam hoc, et illo modo sibi eventuram; unde etiam illam prædixit multis in locis. *Adde quod* noverat illam esse prius decretam decreto quodam efficaci: ergo proprie loquendo non habuit timorem mortis. — **Huic objectioni Varii varie respondent;** *Primo* enim S. Thomas, concesso *antecedente,* dicit ad *consequentiam,* timorem quidem non fuisse in Christo secundum perfectam et exactam rationem timoris, quia revera, inquit, ut habet Aristoteles, timor includit incertitudinem eventus. Richardus noster respondet non esse necessariam incertitudinem ad timorem, quando res, quæ timetur, est in potestate

timentis, ut cum v. g. aliquis eligit scindi sibi brachium, quia ejusmodi scissio est in potestate ejus, non requiritur incertitudo ad hoc, ut ille timeat futuram scissionem. Quapropter potuit Christus proprie timere, etiamsi mors non esset incerta; quia erat in potestate ejus. Ad Aristotelem vero dicit, timorem includere incertitudinem, quando eventus non est in potestate timentis. Vazquez approbat hanc solutionem, imo ulterius probat incertitudinem nulla ratione desiderari ad timorem; quia, inquit, multi Patres, inter quos est S. Damascenus lib. 2. *De Fide*. cap. 13. definiunt timorem absque ulla eventus incertitudine. *Ad auctoritatem* Aristot. respondet ipsum non agere de omni affectu timoris, sed de eo, ad quem Rhetores movere debent Auditores: hic autem, inquit, non contingit, nisi quando incertus est eventus: quod confirmat ex eo, quod Aristot. eo loci loquatur de timore, qui locum relinquit consultationi, cujusmodi potest esse solus timor includens incertitudinem eventus: quando enim id, quod futurum est, omnino certum est, et inevitabile, non relinquitur locus consultationi. — *Communior vero, et melior responsio* est, quod sit duplex timor mali: unus efficax, qui concomitatur desiderium efficax fugiendi malum, et conducit ad applicanda media, quibus vitetur; alius inefficax, qui concomitatur desiderium inefficax fugiendi malum, et non sufficit ad applicationem mediorum efficacium ad ipsum vitandum: ad illum priorem requiritur spes evadendi, et propterea talis timor non fuit in Christo; ad posteriorem non item, qui propterea Christo tribuitur.

Ex his colligit ibidem Vazquez, Thomistas asserentes in Christi voluntate non fuisse timorem mortis secundum veram, propriam, et integram rationem timoris, sed tantum in appetitu illius, gravissimam notam mereri: est enim, inquit, non solum contra communem Scholasticorum sententiam, qui docent Christum habuisse voluntatem non moriendi, ac proinde timuisse mortem; sed etiam contra graves Ecclesiæ Patres, qui adversus Apollinarem probant in Christo veram fuisse naturam humanam, mente propria et voluntate præditam, et contra Monothelitas in eo revera fuisse voluntatem humanam, ex eo, quod Christus mortem timuit. Sic Athanasius, in lib. *De Incarnatione*, arguens contra Apollinarem, qui negabat in Christo fuisse mentem humanam, ait: *Si id verum esset, quomodo potuit dolere, vel anxius esse, vel orare? Scriptum est enim: et conturbatus est Spiritu Jesus, etc.* Ex quibus verbis S. Damascenus 3. *De Fide*, capit. 23. probat in Christo verum fuisse timorem: *Quod autem vere pertimuerit*, inquit, *testis est Athanasius.* — Similiter Gregorius Nyssenus, lib. *Contra Apollinarem*, sic urget: *Hujusmodi autem sermonis hæsitationi una erit consolatio, vera mysterii confessio: quoniam formidare quidem in passione humanæ fragilitatis est, juxta quod Dominus ait, spiritum promptum esse, carnem autem infirmam: quoniam igitur altera humana voluntas, et divina altera est, loquitur quidem ut homo, quod infirmitati carnis congruit.* Item Agatho Papa in Epistola ad Imperatores colligit ex illo Matt. 26. *Tristis est anima mea, etc.* vere humanam in Christo fuisse voluntatem, unde in 6. Synodo Actione 18. in Edicto Constantini Pogonati Imperatoris, quod approbavit Leo secundus Pontifex, dicitur: *Cum enim Salvator ad crucis passionem propria voluntate veniret, cœpit tristari et anxiari; hæc enim animæ rationalis, et voluntatis*

proprietates existunt, ut persuadet nobis præclarus Pater Epiphanius in serm. adversus Ariomanitas, ita prosecutus: a carne enim, inquit, divinitati unita absque animo, et mente non fiet agonia. — Tandem sanctus Damascenus mox laudatus cap. 28. *De Humana Christi voluntate,* sic loquitur: *Permittente siquidem divina voluntate naturaliter ea, quæ ipsi propria erant, patiebatur; etenim cum mortem aversaretur, ac detrectaret eam, divina ipsius voluntate ita ferente, ac sinente naturaliter detrectabat, ac in mortis pavore, et trepidatione, versabatur.* Subdit: *Præterea ex infirmitate, et pavore Christi infirmitatem, et fortitudinem nostram dimanasse.*

Hinc apparet minus recte Cajetanum in art. 7. quæst. 15. cum nonnullis recentioribus Thomistis asseruisse tristitiam et timorem dumtaxat fuisse in appetitu sensitivo Christi: hoc enim constantissime pernegant SS. Patres, dum ex tristitia et amore, veram in Christo fuisse mentem et voluntatem humanam colligunt. Porro sanctus Damascenus, lib. 2. *De Fide orthodoxa,* cap. 15. sex enumerat species timoris, quas omnes affirmat in Christo fuisse: prima est *Segnities,* quæ est fuga impendentis actionis, quam ut molestam apprehendimus: hanc autem fuisse in Christo, constat, nam non solum ab aliis voluit pati tormenta; sed etiam coactus agere aliquid molestum et laboriosum, ut portare crucem: potuit enim non solum timere tormenta ab aliis inferenda; verum etiam tædio affici de illa molesta actione facienda. Secunda species est *Pudor,* qui est timor impressus ob expectationem vituperationis; quem pudorem Christus habere potuit, non quod admiserit aliquas actiones vituperatione dignas; sed quia opprobriis et vituperiis hominum erat cumulandus. Tertia species est *Verecundia,* quæ est timor subortus ob dedecus: hunc autem timorem in Christo fuisse, constat ex eo, quod sæpe ab hominibus dedecus passus est; siquidem pro nobis factus est maledictus. Quarta est *Stupor,* qui nascitur ex ingenti imaginatione rei nocivæ et disconvenientis; qui fuit in Christo, maxime tempore passionis, *cœpit tædere, et mœstus esse.* Quinta est *Terror* ex insueta aliqua specie rei; quem quidem terrorem in Christo fuisse colligitur ratione scientiæ experimentalis, qua ratione potuit secundum illam scientiam res acerbas brevi sustinendas, et patiendas non solum mirari, sed etiam stupere. Sexta denique est *Agonia,* quæ est timor de improviso malo, quod prævideri non potest: hæc autem non potuit esse in Christo secundum rei veritatem, sed dumtaxat secundum signa apparentia, nisi forte agoniam definias cum quibusdam linguæ latinæ peritis, dicendo, quod illa sit timor cum trepidatione membrorum; qualem in Christo revera fuisse non dissentirem, utpote cum S. Lucas dixerit cap. 22. *Factus in agonia prolixius orabat.*

Conclusio quarta. — Ira fuit in Christo Domino. Quod utique colligitur ex illo Joan. 2. ubi narratur eum fecisse flagellum de funiculis, et ejecisse vendentes et ementes de templo. Addit autem Joann. *Recordati sunt vero Discipuli ejus, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me:* nam, ut etiam refert S. Marcus capit. 3, cum Pharisæi Christum observarent, si curaret sabbatis, ut damnarent illum, et accusarent quasi transgressorem, tunc ait homini habenti manum aridam: *Surge in medium: et dicit eis: Licet sabbatis bene facere, an male? ani-*

mam salvam facere, an perdere? At illi tacebant: et sic conspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dixit homini: Extende manum tuam, etc.: igitur revera Christus habuit motum iræ.

Observat autem Seraphicus Doctor q. 3. art. 2. dist. 5. « Quod ira « uno modo dicit pure affectionem: et sic dicitur ira affectus detesta- « tionis alicujus mali, vel apparentis mali. Alio modo ira dicit affectum « cum pœna: et sic ira habet perturbationem, et inquietationem an- « nexam. Hoc autem potest esse in triplici differentia, quia aut per- « turbatio illa solum tangit potentias inferiores, et nullo modo tangit « oculum mentis ad tempus turbando, sed non excedendo: aut oculum « mentis attingit ipsum perturbando, et obnubilando; et secundum hæc, « motus iræ in quadruplici differentia reperitur, secundum quod col- « ligitur ex dictis Sanctorum. *Uno modo* pure dicit effectum detesta- « tionis, et hoc modo potuisset esse in Adam in statu innocentiæ. *Alio* « *modo* dicit modum detestationis cum inquietatione et perturbatione « partis sensualis, sine aliqua perturbatione mentis; et hoc modo fuit « in Christo affectio iræ: sicut enim dicit Evangelium, infremendo « conturbavit seipsum. *Tertio modo,* dicit affectum detestationis cum « commotione et perturbatione, non solum partis sensualis, sed etiam « rationis ad tempus; et hoc modo reperitur in viris justis, qui ira- « scuntur ira per zelum, de quibus dicit Gregorius, quod inde mens « perturbata proficit, ut clarescat; sicut oculus per collyrium immissum « ad tempus turbatur, ut postmodum clarior efficiatur. *Quarto modo,* « ira dicit affectum detestationis cum commotione sensualitatis, et etiam « mentis; ita quod commotio illa habet secum perturbationem mentis « annexam, vel ad illam est ordinata; et sic est ira per vitium, et re- « peritur in peccatoribus, et prohibetur a Domino.

DISPUTATIO TERTIA.

DE DIGNITATE, MINISTERIO, ET CULTU CHRISTI DOMINI.

Examinatis, et quantum pro modulo nostro licuit, abunde declaratis iis omnibus, quæ spectant ad incarnati Verbi mysterium, et excellentias, jam supersunt declarandæ, ac discutiendæ illius dignitates, functiones, et debita veneratio. Quamquam autem omnes illæ Christi Domini dotes plurimæ sint, variaque ipsius ministeria, et multiplex ei cultus exhibendus; nihilominus quoniam hæc omnia non ita difficilem investigationem ac resolutionem præseferunt, idcirco supersedentes ab ampliori et longiori discussione, hæc omnia præsenti hac postrema Disputatione tribus in sequentibus Articulis proponemus et expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DIGNITATIBUS CHRISTI.

Christum innumeris gloriæ titulis fulgere, utpote Deum et hominem omnibus præcellentiis illustrem, nemo est qui deneget; attamen ut eas omnes certum in ordinem perstringamus, triplici potissimum titulo *Capitis*, *Regis*, et *Judicis* illas comprehendemus et explicabimus in totidem Sectionibus subjiciendis.

SECTIO PRIMA.

DE DIGNITATE CAPITIS.

Christum Ecclesiæ caput esse non uno in loco prodidit Apostolus Paulus, ut in Epistola ad Ephes. cap. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et cap. 15. *Mulieres,* inquit, *viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput Ecclesiæ.* Et in priore ad Cor. cap. 11. *Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput vero Christi Deus.* Et in Epistola ad Coloss. cap. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Quæ omnia quamquam certissima sint et apertissima, nihilominus non ita liquido constat qualiter Christus sit caput totius Ecclesiæ, an videlicet hanc dignitatem sibi vindicet, qua homo, non solum in homines justos, ac prædestinatos, sed etiam in infideles, peccatores, et reprobos, imo et in Angelos tam bonos, quam malos; quas utique difficultates tribus in sequentibus Quæstionibus explanabimus.

QUÆSTIO PRIMA.

AN ET PER QUID CHRISTUS UT HOMO CONSTITUATUR CAPUT OMNIS ECCLESIÆ.

Notandum 1. Extra controversiam esse, quod Christus sit Ecclesiæ caput ratione Divinitatis, sicut et duæ aliæ divinæ personæ; sed dubium est an præcise quatenus homo hanc dignitatem sibi vindicet; non quidem usurpando particulam illam *quatenus* reduplicative, sed duntaxat specificative. Enimvero si reduplicative sumeretur, sensus esset, quod Christus diceretur Ecclesiæ caput propter suam humanitatem, quasi humanitas esset ratio formalis cur Ecclesiæ caput appellaretur, quod aperte falsum est; alioqui hac ipsa ratione quilibet homo veram habens humanitatem censendus esset Ecclesiæ caput. Sumendo autem illam particulam, *quatenus homo,* specificative, sensus est quod ratio illa capitis Ecclesiæ ita Christo conveniat, ut per humanitatem capitis munus impleat, et officium exequatur in universam Ecclesiam, non solum in terris militantem, et triumphantem in cœlis, sed etiam in purgatorio lugentem et patientem.

Notandum 2. Ad rationem capitis moralis et mystici quatuor maxime conditiones desiderari, juxta proportionem et analogiam ad caput naturale, cui in ordine ad sua membra quatuor hæc potissimum competunt: *Primum* est illius cum membris ac toto corpore summa conjunctio, quæ ex ambobus unum efficit. *Secundum* est principatus ejusdem, et eminentia, qua cunctis antecellens, ipsis velut ex arce quadam prospiciens consulit ac moderatur. *Tertium* est vivifica virtus propter sensus internos, et spiritus, ac nervorum originem, quibus mediantibus cæteris membris vitam et motum tribuit. *Quartum* denique est conformitas naturalis, quam habet cum cæteris membris,

quibuscum tanto tamque arcto fœdere jungitur et sociatur, ut eorum omnium vel voluptatem vel dolorem quasi proprium excipiat. Quæritur autem, an quatuor hæc per metaphoram et analogiam, ita Christo competant, ut revera censeatur Ecclesiæ caput.

Notandum 3. Quod etsi Theologi omnes conveniant Christum revera esse Ecclesiæ caput, non consentiunt tamen de ratione formali, per quam hæc dignitas ipsi competit, an videlicet per gratiam dumtaxat aut unionis, aut habitualem, aut actualem; an vero ad constituendum illum formaliter in ratione capitis sit opus aliquo alio, scilicet dignitate aliqua, et potestate, quæ sit ratio formalis constituendi eum in ratione talis capitis, sicut v. g. ultra cognitionem legum, et constitutionum notitiam, item bonos mores, opus est judici auctoritate, potestate commissa, ut constituatur formaliter in ratione judicis.

Duo itaque in præsenti Quæstione sunt determinanda: *Primum,* an revera Christus proprie dicatur Ecclesiæ caput. *Secundum,* per quid formaliter hæc dignitas ei competat, an dumtaxat per gratiam unionis, an per gratiam sanctificantem, an vero per aliquam auctoritatem ab hac utraque gratia distinctam.

Conclusio prima. — Christus vere et proprie est Ecclesiæ caput quatenus homo.

Constat hæc veritas ex prætatis Scripturæ textibus, quibus Apostolus constantissime Christum Ecclesiæ caput appellat; quod utique non faceret, si revera Christum vere ac proprie caput Ecclesiæ appellandum non existimaret. *Probatur* insuper ex eodem docente ad Rom. cap. 1. et 1. ad Cor. 12. Ecclesiam esse corpus Christi mysticum; *Sicut enim,* inquit, *in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi sumus unum corpus in Christo:* sed omne corpus non solum aliis membris, verum etiam capite constare debet; alioqui monstruosum foret et inane: igitur Ecclesia necessario debet habere aliquod caput: at nullum aliud habere potest præter Christum: igitur Christus est proprie caput Ecclesiæ. — Quod autem Apostolus loquatur de Christo ut homine in his omnibus textibus, quibus eum Ecclesiæ caput prædicat, colligitur ex antecedentibus et consequentibus verbis; in eis enim textibus semper aliquid præcedit, vel sequitur, quod Christum ut hominem sapiat. Sic in primo cap. ad Ephes. prius dicit Apostolus *suscitans illum a mortuis etc.* Quibus, ut videre est, cum addit Christum a Patre constitutum esse caput Ecclesiæ, loquitur de Christo ut homine.

Favet etiam ratio; Ille enim revera caput est morale ac mysticum Ecclesiæ, cui competunt quatuor conditiones ad caput mysticum desiderandæ: at illæ mirum in modum Christo ut homini conveniunt. *Primo* namque tam arcta est Christi capitis cum suis membris conjunctio, ut unum cum eis efficiat, ut docet Apostolus ad Rom. cap. 12. dicens: *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa unum tamen corpus sunt, ita et Christus.* Quibus verbis tantam esse conjunctionem Christi cum Ecclesia significat, *ut ipsum corpus Christi non dubitet Christum veraciter appellare,* inquit S. Fulgentius lib. 2. *ad Monimum,* cap. 9. Quod etiam S. Augustinus passim testimonio suo confirmat; velut ad

Psalmum 127. etc. *Multi homines sunt,* inquit, *et unus homo est. Multi enim Christiani, et unus Christus. Non ille unus, et nos multi: sed et nos multi in illo uno unum. Unus ergo homo Christus caput, et corpus: quod est corpus ejus, Ecclesia ejus, dicente Apostolo, quoniam membra sumus corporis ejus: et, vos autem estis corpus Christi, et membra: intelligamus ergo vocem hujus hominis, in cujus corpore unus sumus homo.* — *Secundo,* Christus tamquam caput in eminenti loco, et quadam arce collocatus, peculiari providentia regit corpus suum, et Ecclesiam gubernat, ac per prospera et adversa, mirabili sapientia, fideles ad destinatum finem æternæ felicitatis adducit: *Est enim Salvator omnium hominum, maxime fidelium,* ut scribit Apostolus: qui et hoc insuper solatii plenum addit ac fiduciæ: *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Quid est autem domesticum magis, ac proprium capiti, quam corpus suum; imo quid est ipsum sibi? Est autem, ut proxime ante ex Augustino demonstratum est, unus homo Christus caput, et corpus. Hoc est fideles, et in Ecclesia censiti, qui sunt domestici Dei. Sed in hoc argumento diutius hærere non est præsentis instituti. — *Tertium* capitis insigne est, ut in corpus universum membraque sua vim quamdam vivificam, et ad sui conservationem necessaria subsidia diffundat; quam quidem ob causam in capite tamquam in fonte ac thesauro, larga debet inesse copia et opulentia quædam omnium, quæ ad corpus tuendum, vegetandum, et animandum necessaria sunt. Sic in spirituali Ecclesiæ capite Christo, plenitudo omnis inhabitat; in eoque sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Inde totum in corpus, ac singula membra vitalis gratiæ succus, ac cælestium donorum et auxiliorum inexhausta vis et ubertas profunditur. Nam nulla nisi per Christum, et a Christo, velut unico ac generali principio, gratia quantumlibet tenuis et exilis, aspergitur: quod alio in loco ex Augustini præsertim auctoritate plenius approbavimus. Hinc secundus Adam appellari solet Christus Dominus: quod, ut ille caput, idest, auctor et sator humanæ secundum carnem propaginis fuit, sic alterius ac multo præstantioris ortus, hoc est, spiritalis vitæ largitor ac parens iste successit. — Tandem in Christo est conformitas naturæ cum ipsis membris Ecclesiæ: habet enim naturam humanam ejusdem speciei cum nostra, et per omnia Patribus voluit assimilari, in iis quæ naturalia sunt, ut arctius cum hominibus commercium haberet; quo fit, ut ratione hujus conditionis maxime dicatur caput Ecclesiæ, quatenus est homo, non vero quatenus est Deus: licet quatenus Deus sit caput primarium, vitam gratiæ et gloriæ Ecclesiæ membris influens.

Hinc apprime notat Alens. noster qu. 12. art. 1. quod caput Ecclesiæ dicitur communiter, et proprie; *communiter* quidem, tota Trinitas censetur Ecclesiæ caput; tota enim Trinitas, inquit, movet et regit Ecclesiam, et infundit ei gratiam, qua sentiat per fidem, et moveatur per charitatem, unde in ratione regentis et influentis se habet ad ipsam. Secundum vero humanitatem Christus *proprie* dicitur caput, quia hoc modo se habet ad Ecclesiam secundum rationem conformitatis ad ipsam per gratiam et naturam: unde Glossa in illud, *ipsum dedit caput,* etc. ait: « Propterea dicitur caput secundum humanitatem, secundum

« quam ei conjungitur Ecclesia, natura et gratia ». *Observat secundo*, « quod licet Spiritus sanctus dicatur principium et fons influens, ac « in nos derivans omnem gratiæ plenitudinem, et per eum omnis motus, « et sensus vitæ spiritualis habeatur; attamen dici non potest proprie « caput Ecclesiæ, quia, inquit, potest aliquis dici caput Ecclesiæ *vel* « per rationem influentiæ tantum, *vel* per rationem influentiæ, et per « conformitatem naturæ. *Primo modo* Trinitas dicitur caput Ecclesiæ; « scilicet secundum rationem influentiæ sensus fidei, et motus chari- « tatis. *Secundo modo* dicitur Christus Ecclesiæ caput secundum hu- « manitatem, quia ei conjungitur per naturam et gratiam. Primo modo, « quatenus Deus, dicitur caput minus proprie. Secundo modo, nempe « penes humanitatem, dicitur caput magis proprie. Soli ergo Christo « competit proprie esse caput Ecclesiæ; hoc est, secundum rationem « influentiæ, et conformitatem naturæ, et hoc secundum humanitatem: « Trinitati vero et Christo secundum Divinitatem, convenit esse Eccle- « siæ caput minus proprie: hoc est secundum rationem influentiæ tan- « tum: Patri vero, et Spiritui sancto communiter, et etiam minus pro- « prie. » Hæc Alensis. Unde influentia Spiritus sancti potius assimi- latur influentiæ *cordis*, quam *capitis:* quia influentia cordis est invi- sibilis et occulta; influentia vero capitis visibilis et apparens ratione sensuum exteriorum in capite existentium, et in eo præcipua sua munia obeuntium, ideoque Christus influens in membra sensibiliter et appa- renter per mortem et sacramenta, dici debet Ecclesiæ caput; Spiritus sanctus autem, quia influit invisibiliter et occulte, scilicet per internas inspirationes, rectius cordi quam capiti comparatur.

Conclusio secunda. — CHRISTUS NON CONSTITUITUR FORMALITER ECCLESIÆ CAPUT PER GRATIAM UNIONIS, SEU PERSONALEM, NEC PER GRATIAM HABITUALEM ET SANCTIFICANTEM DIVISIM AUT CONJUNCTIM: SED PER DIGNITATEM, AUT POTESTATEM, QUAM DEUS ILLI CONTULIT IN OMNES ANGELOS ET HOMINES. Hæc Conclusio duabus partibus constat, quarum

Prima probatur, nempe quod non sit Ecclesiæ caput formaliter per gratiam personalem aut sanctificantem: Per id constituitur formaliter Ecclesiæ caput, per quod præfecturam et dominium obtinet in uni- versa Ecclesiæ membra: at per neutram gratiam id obtinet: igitur, etc. *Major* constat, quia esse formaliter caput est habere potestatem in alios, tam quoad influxum gratiæ et donorum supernaturalium, quam quoad directionem, imperium, et gubernationem. *Minor* vero *probatur:* primo de gratia habituali, quia gratia habitualis Christi est ejusdem speciei cum nostra: igitur sicut nostra sanctificans non alium in nobis habet effectum, quam ut efficiat nos justos et Deo gratos, ac ab eo acceptos ad hæreditatem æternam; nullum vero nobis in alios domi- nium et præfecturam confert; ita nec hac ratione Christus potuit ha- bere præfecturam in cætera Ecclesiæ membra. — Idem etiam patet de gratia unionis, quia hæc secundum se duo tantum confert humanitati assumptæ, nempe terminationem illius communicabilitatis et sancti- tatem substantialem: at nec illa sanctitas, nec terminatio conferunt per se ullum dominium in Ecclesiæ membra: igitur, etc. — Quod etiam conjunctim illæ duæ gratiæ id non conferant constat: quia etiamsi se-

pararetur ab humanitate Christi Verbum divinum, et solveretur unio hypostatica, nihilominus Christus remanere posset Ecclesiæ caput, si cum perseverante in se gratia habituali, haberet sibi a Deo concessam auctoritatem in cætera Ecclesiæ membra.

Probatur etiam altera pars, nempe quod Christus sit Ecclesiæ caput per potestatem sibi divinitus concessam tam in homines, quam in Angelos. *Probatur,* inquam, ex illo ad Ephes. 1. ubi Apostolus postquam de Christo dixit, quod Deus *omnia subjecit sub pedibus ejus,* statim addit: *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, etc.:* necnon ex illo ad Hebr. 5. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron: sic Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, etc.* Ex quibus locis colligere licet Apostolum significare, quod Christus dignitatem et potestatem capitis ac Pontificis sibi peculiarem habuit ab æterno Patre concessam, tamquam quid distinctum a gratia personali et sanctificante. — Nihilominus hæc utraque gratia requiritur ad munus capitis implendum, non secus, ac perfecta juris et consuetudinum notitia, morum probitas, et summa eruditio desideratur in judice; nam sicut illæ omnes conditiones et perfectiones hominem reddunt idoneum, ut a Rege instituatur Judex, et ut debite judicis munus impleat; sic gratia sanctificans et personalis Christum efficiebant dignum, qui a Deo hominum et Angelorum caput institueretur. Et quemadmodum illæ judicis præcellentiæ nullam per se auctoritatem judici conferunt; ita nec gratia personalis, et sanctificans conferebant Christo dignitatem capitis. Sed sicut necessum est, ut judici præter eximiam notitiam, et morum probitatem conferatur a Rege auctoritas judicandi; ita necessum est, ut etiam Christo præter gratiam personalem et sanctificantem accedat sibi ab æterno Patre concessa capitis auctoritas, per quam tam homines, quam Angeli ipsi subjiciantur, et a Deo bonorum omnium Oceano omnis vitæ spiritualis sensus, et motus in ipsos homines et Angelos per Christum deriventur. Denique, quemadmodum judicis dignitas nihil physicum importat, sed dumtaxat aliquid morale, nempe meram Regis deputationem ad istud munus obeundum; ita nec dignitas capitis aliquid physicum imprimit Christo, sed significat solam deputationem Christi a Deo; quam potest actu, et formaliter exercere in Angelos, et homines, in quos de facto influit, aut influere potest vitam, et motum gratiæ.

Petes: An Christus æque proprie dici possit cor Ecclesiæ, ac dicitur caput? — **Respondet Alensis,** loco supra laudato, ex auctore libri *De Anima et Spiritu,* apud S. Augustinum, « quod triplex est vis « animæ ad corpus: scilicet vis naturalis, quæ operatur in hepate: et « vis vitalis, quæ operatur in corde: et vis animalis, quæ operatur « in cerebro. *Vis naturalis* dicitur illa, quæ est nutritiva: sicut digestiva, retentiva, expulsiva, et augmentativa. *Vis vitalis,* quæ operatur in corde, est illa, unde est motus cordis continue. *Vis animalis* « est illa, quæ operatur in cerebro, unde est motus et sensus in membris. Et secundum hoc dividuntur motus, et spiritus, qui sunt vehicula virtutum, scilicet in spiritum vitalem, naturalem, et animalem. Sed operationes virtutis naturalis omnino sunt involuntariæ,

« nec subjectæ sunt rationi : operationes animales omnino subjectæ « sunt rationi, et ideo recipiunt imperium ab ipsa : operationes vitales « partim sunt subjectæ rationi, partim non ; et ideo partim sunt vo- « luntariæ, partim naturales. Secundum hoc ergo dicendum, quod ille « motus, qui est a Christo capite in corpus Ecclesiæ, est omnino se- « cundum motum voluntarium, qui simpliciter non est naturalis, vel « vitalis : ideo potius debet dici Christus caput Ecclesiæ metaphorice « secundum illum motum, quam cor, vel hepar. »

QUÆSTIO SECUNDA.

AN, ET QUOMODO CHRISTUS SIT CAPUT OMNIUM PRORSUS HOMINUM.

Notandum 1. Homines universim spectari posse in quadruplici statu: scilicet beatitudinis, damnationis, peregrinationis, et purgationis. *Primus status* comprehendit omnes Beatos, qui intuitiva Dei visione, et amore præstantissimo potiuntur, ejusque æterna voluptate ac felicitate fruuntur. *Secundus status* involvit eos omnes, qui cruciatibus æternis addicti sunt, nec ullam spem habent beatitudinis assequendæ. *Tertius* complectitur omnes homines viatores sive justos sive peccatores, sive fideles actu, aut potestate, seu qui de facto fidem habent, aut qui illam aliquando accepturi sunt ; sive infideles actu, qui aliquando fide sunt illustrandi, sive infideles potestate, seu eos omnes, qui in infidelitate degentes nusquam veritatis luce sunt illuminandi. *Quartus* denique status significat omnes animas degentes in Purgatorio, habentes quidem fidem, spem, et charitatem, quæ nondum tamen omne debitum divinæ justitiæ pro admissis culpis exsolverunt. Quæritur autem, an respectu omnium universim hominum hoc in quadruplici statu spectatorum Christus dicatur proprie caput.

Notandum 2. Ex Alensi, loco laudato, quod etsi Christus Dominus dici possit hominum caput ; vel quia habet principatum, qua ratione Rex dicitur caput Regni ; *vel* quia omnibus creaturis dignitate ac nobilitate præstat, qua ratione censeri posset hominum et Angelorum caput, sicut leo dicitur caput animalium, quia est nobilissimum; *vel* quia singulis hominibus providet ; quemadmodum Patertamilias suæ familiæ caput appellatur, quia singulis, quæ necessaria sunt, providet et administrat ; *vel* quia ipse recipit a Spiritu sancto omnem gratiæ plenitudinem, sicut caput ab anima recipit vitæ plenitudinem : « Ta- « men, inquit, propria ratione dicitur caput rei per rationem influen- « tiæ, ut sicut ab ipso capite est influentia sensus, et motus secundum « diversas partes ejus ; quia ab anteriori parte capitis fluunt nervi, « per quos fluit sensus ad membra ; a posteriori vero parte fluunt « nervi, per quos fluunt motus ab anima ad singula membra. Simi- « liter Christus in Ecclesiam influit sensum, et motum spiritualiter : « *sensum* quidem influit per fidem : *motum* vero per amorem (influit « enim sensum fidei, et motum amoris); et illa ratione proprie dicitur « caput Ecclesiæ. Unde secundum quod videmus, quod caput quodam « modo gerit vicem animæ in movendo corpus, et consulendo ei per « sensum ; ita est de Christo respectu Ecclesiæ ; quia se habet ad ipsam « in ratione moventis et consulentis per sensum gratiæ, quem ei in-

« fluit. Unde ipse est caput corporis Ecclesiæ. Gloss. *Capiti omnia « subjecta sunt ad operandum : id autem, scilicet caput, supra locatum « est ad consulendum ; quia ipsius animæ quodam modo vicem gerit « caput.* In hoc quod dicit *ad operandum*, ostendit quomodo motus « fiat a capite in membris. In hoc quod dicit *ad consulendum*, ostendit, « quod sensus est ab ipso in membris. »

Notandum 3. Actus, quos Christus exercuit, vel etiam nunc exercet in ratione capitis hominum et Angelorum, posse considerari in duplici differentia : *vel* enim ii sunt, quibus promeruit Angelis et hominibus gratiam sanctificantem et cætera dona supernaturalia ; *vel* ii sunt, quibus de facto et realiter gratia sanctificans, et illa dona dantur Angelis et hominibus ex merito Christi, et per ejus influxum ; inter quos, ut docte advertit Isambertus disp. 2. art. 5. hæc est differentia, quod priores actus postulent actualem existentiam suæ causæ, dum de facto eliciuntur, quodque gratia habitualis concurrat physice, et efficienter ad illorum elicitionem ; eo scilicet modo, quo supernaturales habitus concurrunt ad actus sibi proportionatos : posteriores vero minime postulent actualem existentiam suæ causæ ; sed sufficit sola futuritionis eorum prævisio, et moralis motio excitans ipsum agens principale ; qua ratione Christi merita prævisa Deum moverunt, ut gratiam largiretur non solum Angelis, sed etiam primis parentibus, ac patribus Veteris Testamenti. His ita prænotatis, sit

Conclusio prima. — Christus Dominus revera est actu caput Beatorum : non vero damnatorum, tam actu, quam potentia.

Prima pars est evidens : siquidem Beati non sunt adepti suam beatitudinem ac felicem sortem, nisi mediante gratia ipsis intuitu meritorum Christi concessa, ut alias probabimus, maxime in Tractatu *De gratia*, ubi demonstrabimus gratiam omnibus et singulis hominibus fuisse concessam intuitu meritorum Christi.

Secunda pars etiam clara est ; nam damnati sunt incapaces gratiæ et gloriæ : ergo respectu illorum Christus nec actu nec potentia est caput. *Consequentia* patet ; siquidem Christus non habet rationem capitis, nisi propter actualem vel potentialem influxum gratiæ et gloriæ ac donorum supernaturalium. *Antecedens* etiam certum est ; damnati namque sunt in termino omnino invariabili, et extra statum, et spem obtinendæ gratiæ ac consequendæ beatitudinis : igitur omnino incapaces sunt recipiendi influxum gratiæ aut gloriæ.

Dices 1 : Probabile est aliquos damnatos habere aliquid solatii : nam probabilius esse judicavimus pueros sine baptismate ante usum rationis et libertatis ex hac vita migrantes, non cruciari pœna sensus. Similiter plurimi Theologi probabile existimant cum Doctore, quod damnati non sint in æternum cruciandi pro levioribus et venialibus culpis, quæ dumtaxat temporaneam satisfactionem, et pœnam exigunt : sed illud solatii non obtinent, nisi ex meritis Christi : ergo Christus habet aliquem influxum in eos ; et subinde est eorum caput, quia caput non influit, nisi in membra sibi conjuncta : — **Respondeo**, permissa *majore*, negando *minorem* ; illud enim solatii non eis conceditur intuitu meritorum Christi, sed dumtaxat ex Dei generali providentia, et ju-

stitia, quæ reddit unicuique secundum opera ejus, nec aliquem punit ultra demeritum.

Dices 2: In damnatis baptizatis, et sacris ordinibus initiatis remanent characteres baptismi, et ordinis : sed illi characteres per hæc sacramenta impressi sunt dumtaxat ex meritis Christi, quia sunt effectus sacramentorum, quæ nullum habent effectum, nisi per Christum : ergo non tantum in potentia, sed etiam in actu, Christus est caput ejusmodi damnatorum. — **Respondeo**, characteres illos fuisse quidem primum impressos per influxum a Christo capite : ergo ex natura sua, et propria institutione ordinantur ad bonum supernaturale gratiæ et gloriæ, et ideo quamdiu ad hoc bonum ordinantur, vel possunt ordinari, dici debent effectus illius influxus, qui est a Christo capite : in damnatis autem nec amplius ordinantur, nec possunt ordinari ad tale bonum supernaturale, sed potius in eis remanent ad tormentum, et ignominiam ; unde propter ejusmodi characteres non censetur Christus de facto caput damnatorum, qui illis sunt insigniti.

Conclusio secunda. — Christus Dominus est actu caput omnium viatorum fidelium tam justorum, quam peccatorum : potentia vero est dumtaxat caput infidelium. Hæc Conclusio quoad utramque partem est communis inter Theologos ; quarum

Prima constat quantum ad justos fideles : eorum enim Christus censetur caput, in quos habet influxum vitæ spiritualis : sed in peccatores fideles talem habet influxum ; siquidem illi quantumvis Deo per peccatum infensi, et ab ipso odio habiti, nihilominus Christo uniuntur vinculo fidei, quæ est principium et seminarium vitæ spiritualis : quippe in fide tamquam in radice et fundamento firmatur tota spiritualis structura : igitur eorum Christus censetur caput. *Deinde*, Christus est eorum omnium caput, qui sunt revera de corpore Ecclesiæ : sed omnes fideles, etsi in mortali peccato existant, sunt vera Ecclesiæ membra, saltem secundum quid, quia licet non habeant perfectam, et completam unionem cum Christo per charitatem et gratiam sanctificantem ; tamen ipsi uniuntur per fidem ac spem, necnon et per alia dona supernaturalia, quæ nonnisi intuitu meritorum Christi a Deo recipiunt ; igitur eorum Christus est caput. *Major* constat, cum enim Christus sit caput Ecclesiæ, est etiam caput omnium ad Ecclesiam pertinentium. *Minor* vero patet ex Tractatu *De Ecclesia*, ubi declaratur, quod peccatores, qui fidem non ejurarunt, nec extinxerunt, sunt Ecclesiæ membra.

Secunda pars etiam admittitur ab omnibus ; omnes enim infideles, quamdiu vivunt, possunt recipere influxum vitæ spiritualis a Christo ; siquidem illis prædicari potest Evangelium, et baptismi gratiam possunt assequi : subindeque fideles fieri, et Ecclesiæ membra. *Insuper* Christus pro iis sanguinem suum fudit, et æterno Patri pro singulis hominibus merita sua obtulit. Unde sanguis ille pretiosissimus de se sufficientissimus est ad obtinendam gratiam conversionis, qua singuli homines, pro quibus fusus est, ad fidem sese recipiant, et efficiantur actu Ecclesiæ membra. *Denique*, infideles habent liberum arbitrium, quod a Deo flecti potest e malo in bonum. Unde quamquam illi non sint actu de Ecclesia, sunt tamen de ea potentia, quæ quidem potentia

incorporationis eorum inter membra Ecclesiæ, hoc triplici fundamento nititur; scilicet prædicatione Evangelii, quod ipsis annuntiari potest: sanguine Christi pro iis effuso: tertio denique arbitrii libertate. Addi potest etiam auxilium actuale gratiæ singulis hominibus a Deo concessæ, quo fideles actu fieri possent de Ecclesia, si recte eo subsidio uterentur.

Dices: Christus non est actu caput eorum, qui non sunt actu partes et membra Ecclesiæ: sed peccatores, etsi fideles sint, non pertinent ad Ecclesiam, nec sunt partes aut membrum illius: ergo nec Christus est eorum caput actu. *Major* constat ex dictis. *Minor* vero *probatur:* primo quidem ex Apostolo dicente ad Ephesios 5. quod *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta, et immaculata:* secundo ex SS. Patribus, *Cypriano* epistola ad Magnum, *Hieronymo* in expositione præfati textus Apostoli, *Augustino* pluribi, maxime lib. *De Unitate Ecclesiæ,* cap. 21. Et eorum ratio est, quia peccatores sunt membra civitatis Babylonicæ, cujus caput est diabolus: igitur non possunt esse membra civitatis Jerusalem, idest Ecclesiæ. *Antecedens* probat S. Augustinus lib. 14. *De Civit. Dei,* cap. 28. ubi docet, quod sicut amor Dei usque ad contemptum sui ædificat civitatem Jerusalem, ita amor sui usque ad contemptum Dei ædificat civitatem Babylonis: sed fideles in mortali existentes non diligunt Deum usque ad contemptum sui, imo seipsos diligunt usque ad contemptum Dei. *Tertio,* Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 7. dicit charitatem esse id, per quod homo vivum Christi membrum efficitur. *Denique,* ex Symbolo Apostolorum Ecclesia dicitur *sancta:* si autem mali essent de Ecclesia, cum eorum numerus longe justos excedat, potius esset dicenda peccatrix, quam sancta: igitur peccatores nec sunt dicendi de Ecclesia, nec consequenter Christus est eorum caput. — **Respondeo**, concessa *majore,* negando *minorem:* et ad textum Apostoli dico, eum non esse intelligendum de Ecclesia, qualis nunc est in terris militans; sed qualis erit in futuro, ut exponit S. Augustinus lib. 2. *Retractationum,* cap. 14. *Ubicumque,* inquit, *commemoravi Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, non sic accipiendum, quasi jam sit, sed quia præparatur, ut sit quando apparebit etiam gloriosa;* unde appellatur tota pulchra sine macula et ruga, non pro statu vitæ præsentis, sed beatitudinis: *Nam,* inquit S. Thomas q. 8. art. 3. ad 2, *esse Ecclesiam gloriosam non habentem maculam neque rugam, est ultimus finis, ad quem perducimur per Passionem Christi; unde hoc erit in statu patriæ, non autem in statu viæ, in quo si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, ut dicitur primo* Joan. 2. — Si autem contendas Apostolum loqui de Ecclesia secundum statum præsentem, quæ etiam ut nunc est *sancta* dicitur; *Respondeo* cam dici *sine macula et ruga,* non penes omnia membra, quibus constat; sed ob puritatem fidei, seu immunitatem ab omni errore in doctrina, quam profitetur, necnon ob æquitatem præceptorum, quæ mandat observanda; *vel* quia sanguine Agni tincta et respersa divino cultui mancipatur; *vel* denique ita dicitur, non quod omni prorsus macula careat, sed quia in præstantioribus suis membris

nullam habet maculam, a quibus simpliciter quis valeat appellari maculosus. Ita explicat S. Augustinus lib. *De perf. justitiæ*. cap. 9. *Ingredi sine macula*, inquit, *non absurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est; sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.* S. Thomas autem ait, hunc Apostoli locum intelligi posse de exhibitione, quæ erit in futuro per gloriam: si autem de exhibitione per fidem, tunc diceretur, ut exhiberet sibi scilicet per fidem, Ecclesiam gloriosam, quia *gloria magna est sequi Dominum*, ut dicitur Ecclesiastici 23. *Non habentem maculam*, scilicet criminis mortalis; *Maculata es in iniquitate tua*, Jeremiæ 2. *Neque rugam*, idest duplicitatem intentionis, quam non habent, qui recte conjuncti sunt Christo, et Ecclesiæ. Job. 23. *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me:* sed magis *sanctam* per intentionem, et immaculatam per omnimodam puritatem. — Ad Concilium Tridentinum, etsi dicat, quod mali non sunt viva membra Ecclesiæ, quia fides sine charitate mortua est; hoc tamen non impedit quin sint Ecclesiæ vera membra, quia actu uniuntur et Christo, et cæteris membris per fidem, quæ supponitur esse in eis.— Ad SS. Patres dico, eos censuisse non esse malos membra Ecclesiæ quoad esse finale, licet sint ejus membra quoad esse formale, hoc est quantum ad finem et fructus, propter quos instituta est Ecclesia, quia ad hoc est instituta Ecclesia, ut homines aliquando beatitudine æterna donentur. Unde Augustinus passim ait: *Esse in Ecclesia est adhærere justis quemadmodum palea est in area, et adhæret tritico*, donec, vel judicio Ecclesiæ separentur per excommunicationem, vel ipsi sua sponte prosiliant foras extra Ecclesiam persequentes aut contemnentes eamdem, vel denique a Deo exterminentur per mortem in æternam damnationem, et ut palea igni deputentur. – Ad id quod dicitur malos esse membra diaboli: *respondeo* merito esse membra diaboli, et fide membra Christi — Ad id quod subjungitur nos profiteri in Symbolo, Ecclesiam esse sanctam, *respondeo* dici sanctam, *primo*, quia totum a parte præcipua denominatur: sunt autem justi pars Ecclesiæ præcipua. *Secundo*, quia continet in se omnia instrumenta, omniaque media sanctificationis hominum instituta a Christo, scilicet verbum Dei, sacramenta, ordinem justitiæ servandæ, totumque thesaurum Christi Domini meritorum. *Tertio*, quia sanctificat ministerialiter per ea, quæ accepit a Christo, quomodo dicitur medicina sana, quia sanat. *Quarto*, sancta dicitur, quia extra illam non est vera sanctitas. *Quinto*, quia sanguine Christi est consecrata. Eo modo templa dicuntur sancta post consecrationem. *Sexto* denique, sancta nuncupatur, quia stabilis, firma, inviolabilis, semper perseverat.

Dices 2. Membra alicujus corporis non possunt esse sibi invicem contraria: sed justi, et peccatores inter se contrariantur; siquidem Ecclesiastici 33. *Contra malum bonum est, et contra virum justum peccator:* ergo membrum Ecclesiæ peccator esse nequit. — **Distinguo majorem**: membra corporis naturalis nequeunt esse sibi invicem contraria, concedo: membra corporis mystici, nego: sufficit enim quod hæc in aliquibus invicem conveniant, licet dissideant in aliis: unde ut fideles peccatores censeantur membra Ecclesiæ, sufficit, ut cum justis in fide et spe conveniant, necnon in

donis supernaturalibus, et in characteribus Baptismi, Confirmationis, aut Ordinis.

Petes: an Christus censeatur etiam caput hominum, non solum quantum ad animam, sed etiam quantum ad corpus? — **Affirmat Alensis noster** *loco laudato* § 1. probatque primo ex illo Apostoli 1. ad Cor. 6. « *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* igitur ipse est « caput corporum nostrorum, sicut et animarum ». *Probat secundo,* quia « corpora nostra duplicem habent conjunctionem cum corpore Christi; « quia sunt ejusdem speciei: conjunctio vero, quæ est propter per- « fectionem unam potest esse dupliciter: quia est perfectio naturæ, et « sic anima est perfectio: et est perfectio sanctificationis nostræ, et « hic est Spiritus sanctus. Dicendum ergo, quod attendendo perfectio- « nem naturæ, quæ est anima, sic corpora nostra, et corpus Christi non « habent perfectionem unam; quia alia est anima Christi, quæ per- « ficit corpus secundum numerum, et quæ corpora nostra; sed cor- « pora nostra habent perfectionen unam, accipiendo perfectionem « sanctificationis, quæ est Spiritus sanctus: perfectio enim corporis « non solum est anima, sed etiam Spiritus sanctus, cujus corpora « nostra templum sunt, sicut habetur: nescitis, quoniam membra ve- « stra templum sunt Spiritus sancti? sed anima perficit quantum ad « esse sanctificationis. »

Idem autem Spiritus sanctus, qui sanctificat corpus Christi, sanctificat et corpora nostra; cum sumus in fide, et charitate: ex hac speciali sanctificatione imprimitur dispositio, et pertinent ad gloriam resurrectionis. Unde Apostolus probat per hoc corporum resurrectionem gloriosam dicens: *Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in nobis, vivificabit et mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum sanctum in nobis.*

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM CHRISTUS DICI POSSIT CAPUT ANGELORUM.

Notandum 1. Ex nostro Alensi *ibidem* 2. § 1. Christum quatuor modis dici posse caput aliquorum membrorum, scilicet *vel* secundum dignitatem, et externam gubernationem, et denominationem; *vel* secundum influxum cujusdam gratiæ illuminantis, et gloriæ accidentalis; *vel* secundum influxum gratiæ justificantis, et gloriæ essentialis; *vel* denique secundum conformitatem corporis cum capite. Certum est autem, inquit, art. 2. § 1. quod Christus in quantum homo, non est caput Angelorum simpliciter ratione conformitatis; sed tantum secundum quid; quia non est conformis Angelis in natura simpliciter, sed secundum quod anima rationalis, quantum ad partem superiorem intellectivam habet conformitatem cum Angelis; licet enim natura Angelica, et anima Christi sicut et nostra, non sint ejusdem speciei, sunt tamen ejusdem rationis, saltem generice, quia conveniunt in natura substantiali spiritali. Certum est pariter, quod Christus sit inferior Angelis secundum humanitatem; siquidem humanitas secundum se sumpta longe inferioris est dignitatis, quam natura Angelica. Unde Apostolus ad Heb. 2. Christo adaptat illud Psal. 8. *Minuisti eum paulo*

minus ab Angelis. Et subdit: *Eum autem, qui modico, quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum;* unde superest difficultas, an Christus sit Angelorum caput ratione denominationis et influentiæ.

Notandum 2. Ex eodem Alensi art. 3. § 4. « quod Christus influit « gratiam corpori Ecclesiæ et membris ejus tribus modis: Uno modo « per modum meriti: alio modo per modum exemplaris: tertio modo « per modum capitis. *Per modum meriti,* est in nobis gratia ab ipso « Christo homine; quia ipse est, qui meruit nobis gratiam, per quam « remitterentur peccata nostra, et gratiam, qua cognosceremus et di- « ligeremus ipsum, et omnibus credentibus in ipsum, et diligentibus « hoc meruit; secundum quod habetur: *Sicut per unius hominis ino- « bedientiam constituti sunt multi peccatores, ita per unius hominis* « Christi *obedientiam justi constituuntur multi.* Secundo modo influit « nobis gratiam *per modum exemplaris:* sicut enim videmus, quod « se habet exemplar ad exemplum, et quodammodo exemplum edu- « citur ab exemplari, ita in ipso Christo homine est exemplar propo- « situm gratiæ, cui debemus nos coaptare et conformare. Unde ipse « est *liber vitæ,* juxta quem debent scribi nostri, idest scientiæ, quæ « sunt libri, ut habetur in Apocal. 20. Et ista eductio signatur: primus « homo de terra terrenus, secundus homo de Cælo cælestis: sicut ergo « portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis. *Tertius « modus* influentiæ ab ipso, est *per modum capitis;* est autem quidam « amor, et appetitus naturalis capitis ad membra: ipsum enim caput « quodam naturali amore diligit membra: unde, et spiritus animales, « qui sunt in capite, ex hoc amore decurrunt a capite in membris; « unde si aliquod membrum doleat, concurrunt spiritus a capite ad « partem illam dolentem, et ibi colliguntur. Influentia ergo capitis ad « membra, ut sensificentur et moveantur, est per naturalem amorem; « et hunc appetitum implet spiritus animalis fluens a capite in membra, « vel in membris. Secundum hoc dicendum, quod spiritus increatus, « per quem est nobis communio totius Trinitatis, scilicet, Spiritus « sanctus, abundat in nostro capite, scilicet Christo, et ipsius Christi, « et suæ beatæ animæ est desiderium, ut participemus suum Spiritum. « Ipse vero Spiritus explet desiderium, quod habet Christus ad nos; « propter amorem, quem habet erga nos. Et hoc modo est influentia « gratiæ a Christo capite in corpus Ecclesiæ. Unde Hugo: sicut Spi- « ritus hominis mediante capite ad membra descendit vivificanda; sic « Spiritus sanctus per Christum venit ad Christianos: cujus plenitudo « quidem est in capite: participatio vero in membris ».

Notandum 3. Christum Dominum revera meruisse gratiam, et gloriam Angelis: tum quia est causa finalis et exemplaris eorum beatitudinis; tum quia est causa efficiens meritoria prædestinationis eorumdem per merita futura et prævisa: tum quia Christus fuit illis propositus ab instanti suæ creationis tamquam objectum in quod tendere, et credere debebant; fuerunt enim et ipsi viatores, et habuerunt dona illa supernaturalia, quibus pervenitur communiter ad beatudinem per Christi merita prævisa, ut infra patebit agendo de merito Christi.

Conclusio prima. — CHRISTUS DOMINUS, IN QUANTUM HOMO, EST CAPUT ANGELORUM SECUNDUM DIGNITATEM, ET INFLUXUM.

Probatur ex ipso Christi Domini oraculo; ipse enim a mortuis excitatus ait, Matthæi 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra.* Et Apostolus Petrus 3. *Profectus,* ait, *in cœlum subjectis sibi Angelis, et Potestatibus, et Virtutibus.* Et Paulus in Epistola ad Ephes. principatum illum Christi Domini insigni ac luculento præconio honestat, divinæ operationem potentiæ ac virtutis prædicans, quam operatus est in Christo: *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro: et omnia subjecit sub pedibus ejus.* Omnium igitur non solum hominum, sed etiam Angelorum tam bonorum quam malorum, Dominus est Christus, et subjectos habet omnes, habebitque maxime post judicium, quando sub pedibus ejus jacebunt omnes inimici ejus. — Colligitur etiam hæc veritas ex 2. ad Coloss. ubi Apostolus Christum appellat caput omnis principatus: *In Christo,* inquit, *habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, et potestatis.* Manifestum autem est, quod plenitudo divinitatis non habitat in Christo secundum divinam naturam, sed secundum humanam. Unde subdit Apostolus: *In quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis:* resurrectio enim solum convenit Christo, qua homo est. Similiter enim Apostolus ad Heb. c. 2. Christo, ut diximus, adaptat illud Psal. 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Et statim subdit: *In eo enim, quod omnia ei subjecit, nihil dimisit ei non subjectum.*

Probatur secundo ex SS. Patribus. Nam Hieronymus exponens supra dicta verba Epistolæ ad Ephes. ait: *Non solum hominum, sed etiam Angelorum, cunctarumque virtutum, et rationabilium creaturarum Ecclesia intelligi potest.* Similiter S. Ambrosius Epist. 37. affirmat Christum Angelorum, perinde ut hominum, esse caput, et vim illam influentem in corpus a capite ad eos quoque permanare: *In quo* (Christo) *non solum sanctorum hominum,* inquit, *sed omnium credentium, omnium etiam rationabilium, virtutum, ac potestatum connexionem fidei, spiritusque accipiendum arbitror: ut per harmoniam quamdam virtutum ac ministeriorum corpus unum ex omnibus rationabilis naturæ spiritibus adhæreat capiti suo Christo, ita ædificationis compage connexa, ut ne tactu quidem junctura singulorum adhærentium discrepare videatur.* Subscribit S. Cyrillus lib. 5. in Isaiam explicans hæc verba capitis 54. *Lætare sterilis,* ubi ait: *Per ipsum Christum omnis fructificatio spiritualis tum in sanctis Angelis, tum in nobis ipsis insita est:* unde lib. 9. *De adoratione in spiritu,* hanc in Angelorum, hominumque consociationem, in idem corpus Ecclesiæ per Christum factam, mystice putat adumbratam fuisse in Tabernaculi descriptionem, in qua aulæa fuisse dicuntur, quibus intextæ erant Cherubinorum effigies: *Quæ res,* inquit, *significabat supremis ima esse conjuncta, et cœlestibus Ecclesiam, quæ in terris degit, esse connexam.* Idem docet S. Augustinus in Psal. 36. Concione 3. ubi ait: *Christus caput est, cujus*

membra sunt omnes, qui ab initio fuerunt justi, conjuncti etiam legionibus Angelorum, et exercitibus.

Ratione etiam hæc veritas firmatur: Christus est caput eorum omnium, qui ad ejusdem mystici corporis Ecclesiæ integritatem concurrunt: sed Ecclesia tam ex Angelis, quam ex hominibus integratur velut unum corpus mysticum, unaque spiritalis civitas: igitur eorum omnium Christus est caput. *Major* constat ex dictis. *Minor* vero *probatur* ex parabola de Pastore et ovibus, Lucæ 15. in qua asseritur unum esse ovile, ad quod pertinent 99. oves relictæ in deserto, quibus significatur Angelorum multitudo, et illa ovis perdita ac palabunda, quam zelantissimus Pastor quærit, videlicet humanum genus. — *Confirmatur* ex illo Heb. 12. *Non accessistis ad tractabilem montem, et accessibilem ignem, sed accessistis ad Sion montem, et ad civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis:* quibus verbis S. Apostolus effert Ecclesiam super Synagogam, ex eo quod Synagoga accesserit ad montem tractabilem; Ecclesia vero ad montem cælestem Sion, seu ad unionem et frequentiam cum Angelis. — *Confirmatur* insuper, ex eo quod conditiones capitis conveniant Christo ut homini respectu Angelorum. Nam *primo*, præeminet illis ordine dignitatis, ut probat Apostolus Heb. 1. *Tantum*, inquit, *melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Secundo*, est illis præstantior et perfectior in bonis spiritualibus, et Deo propinquior: *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis?* ait Apostolus. *Tertio*, influit in eos gratiam et gloriam, ut patebit Conclusione sequenti.

Dices 1. Debet esse quædam conformitas naturæ inter caput et membra: sed nulla est inter Christum, et Angelos: ergo, etc. — **Distinguo minorem:** debet esse conformitas omnimoda, et simplex, nego: secundum quid, concedo. Siquidem Christus, ut homo, cum Angelis saltem generice convenit ratione animæ, quæ cum sit substantia spiritualis cum Angelis pure spiritualibus saltem generice convenit. *Adde quod* Christus, ut homo et Angeli videntur esse ejusdem speciei, saltem moralis, in quantum scilicet habent eamdem specie charitatem, gratiam sanctificantem, et beatitudinem.

Dices 2: Eorum Christus est caput, quorum est sponsus: sed Christus, ut homo, non est sponsus Angelorum: ergo nec eorum caput. — **Respondeo** *primo*, negari posse *majorem*, quia strictior desideratur convenientia inter sponsum et sponsam, quam inter caput mysticum et membra. *Respondeo secundo*, quod licet Christus, ut homo, non ita proprie dicatur caput Angelorum, ac hominum: nihilominus aliquatenus est etiam Angelorum sponsus, ut docet S. Bernardus serm. 27. in Cantica his verbis: *Cum haberet sponsam inhærentem sibi a principio, multitudinem Angelorum placuit ei, et de hominibus continuare Ecclesiam, atque uniri illi, quæ de cælo est, ut sit sponsa una, et sponsus unus.*

Conclusio secunda. — Christus Dominus influit in Angelos non solum illuminationes, et beatitudinem accidentalem, sed et gratiam sanctificantem, et gloriam essentialem.

Hæc colligitur, et probatur iisdem auctoritatibus SS. Patrum, quibus firmata fuit prima Conclusio: *Primam partem* luculenter explicat S. Dionysius lib. *De cælesti hierarchia*, cap. 7. ubi docet Angelos a Jesu tamquam supremo Antistite instrui, et arcana mysteria perdoceri: *Inferiores*, inquit, *substantiarum cælestium ordines ab sublimioribus, et consentanea ratio postulat, deificarum operationum scientias perdoceri, quæ autem supra omnes eminent, ab ipsa principe divinitate, quantum fas est, illustrationibus initiari. Etenim nonnullas illarum referunt a prioribus discentes, Dominum illum esse cælestium virtutum, et Regem gloriæ, qui, ut hominem decebat in cælum assumptus est; alias vero Jesum ipsum percontantes, et divinæ pro nobis operationis scientiam discere cupientes, quas ipsemet Jesus per se, nullo interposito, sacris notionibus imbuit, et primaria communicatione benignæ suæ in homines efficientiæ notitiam impertit.* Christus itaque primos Angelos per se docet, iisque sanctiorum mysteriorum arcana patefacit, non solum qua Deus est, sed etiam ut est homo: igitur revera in Angelos habet influxum.

Eamdem veritatem probat Alensis noster § 4. *supra laudato*, dicens Angelos recipere a Christo cognitionem veritatis, et honorem, et dulcedinem, et jucunditatem. « *Cognitionem veritatis*, quia erudiuntur « ab ipso; imo per Ecclesiam etiam, quæ est corpus ejus, innotuit eis « mysterium Incarnationis, nec erubescunt erudiri per ipsam: unde « Apostolus: *Ut innotescat principibus, et potestatibus in cælestibus per « Ecclesiam multiformis gratia Dei secundum præfinitionem sæculorum, « quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.* Item, sicut dicit ibi Glossa: « innotescat per Ecclesiam, quæ dona Dei recipit; idest, per Apo- « stolos in Ecclesia prædicantes principibus et potestatibus, idest, « diversis ordinibus Angelorum, qui sunt in cælestibus, idest, in « cælo, ubi et nos erimus. Dicit namque beatus Hieronymus, Ange- « licas dignitates supramemoratum mysterium ad plenum non intel- « lexisse, donec completa est passio Christi, et Apostolorum prædicatio « per gentes dilatata. — Item accipiunt *honorem*, qui attenditur quan- « tum ad reparationem, seu restaurationem ruinæ Angelicæ: non enim « parum erat eis detractum; per Incarnationem, et Passionem fit re- « paratio, seu restauratio ruinæ Angelicæ per homines, implentes nu- « merum ipsorum Angelorum, secundum quod habetur: *Judicabit in « nationibus, implebit ruinas*, etc. Benedictus Deus, et Pater Domini « nostri Jesu Christi, etc. *Qui proposuit in eo dispensationem plenitu- « dinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælo, et quæ « in terra sunt in ipso*, etc. Glossa dicit: proposuit instaurare, idest, « ad primum statum reducere omnia per peccatum destructa; Angelos, « et homines: quia per hominis restitutionem ruina Angelorum repa- « ratur, instaurantur quæ in cælis sunt, scilicet quod cecidit in An- « gelis, restauratur in hominibus. — Item recipiunt *dulcedinem, et « jucunditatem* ab ipsa humanitate Christi: habent enim magnam « jucunditatem et dulcedinem in contemplatione divinitatis, sed cum « vident divinitatem in humanitate, eis alius modus est dulcedinis. « Propter quod dicit Petrus: *in quem desiderant Angeli conspicere.* « Et hac ratione dicitur: *colles fluent lacte, et melle.* Colles Angeli « sunt, qui ante incarnationem fluebant mel in dulcedine contempla-

« tionis divinitatis in se: sed ex ejus incarnatione fluunt dulcedine « contemplationis divinitatis in humanitatem, quæ signatur per lac. »

Eadem veritas constat de beatitudine accidentali; nam omnes Angeli ex Apostolo ad Heb. 1. sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis; nam omnis hominum salus est a Christo Domino, atque hinc gaudia habent Angeli de salute hominum, juxta illud Lucæ 15. *Gaudium erit Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente;* quæ gaudia cum pertineant ad accidentalem gloriam eorum, sequitur quod Christus influit in illos gloriam accidentalem.

Eamdem veritatem pobat Seraphicus Doctor art. 2. qu. 3. ubi ut ostendat Christum revera habere influxum capitis tam in Angelos, quam in homines, sive in eos, qui præcesserunt suam incarnationem, sive in eos, qui illam secuti sunt, idque secundum magis et minus; prius notat quod « sensus in spiritualibus attenditur quantum ad cogni- « tionem; motus vero quantum ad affectionem et dilectionem, quæ « est pondus inclinans unumquemque spiritum, et trahens ad locum « sibi debitum: influere ergo motum et sensum, est causare in nobis « fidem et dilectionem, sive fidem operantem per dilectionem, sive « cognitionem et amorem.

« Attendendum autem, quod cognitio et dilectio est in triplici dif- « ferentia: *quædam,* quæ respicit statum meriti, et hæc dicitur gra- « tuita: *quædam* vero, in qua consistit substantia præmii, et hæc di- « citur gloriosa: *quædam,* quæ est utrique annexa, quæ nec est dif- « ferentia meriti nec præmii, sed bene esse. Secundum hanc triplicem « differentiam cognitionis et dilectionis, est dicere, quod gratia ca- « pitis influat in membra; gratia increata effective, sed gratia creata « meritorie et dispositive: nam propter meritum Passionis Christi pro- « missum Patribus præcedentibus dedit Deus gratiam reconciliationis: « et propter exhibitum dat nobis gratiam reconciliationis abundantius: « in qua quidem gratia est sensus cognitionis, et motus affectionis: « et rursus propter illam Passionem aperta est janua, ut omnibus mem- « bris Christi detur dilectio et cognitio gloriosa, in quibus consistit « perfectio motus et sensus. Ex eodem Angelis mysteria multa reve- « lantur, ut gaudia multa referant de restauratione sua, quæ invenitur « facta per Christum; et ideo etiam ipsi accipiant motum et sensum. »

Probatur etiam tertia pars, nempe quod Christus influat in Angelos gratiam sanctificantem, et gloriam essentialem; quia membrum ut membrum debet constitui per formam intrinsecam et essentialem corporis, cujus est membrum, et quæ corpori et singulis ejus membris det esse, et non tantum per accidentalem et extrinsecam: sed essentialis forma Ecclesiæ triumphantis non est sola illuminatio, vel gloria accidentalis, sed gratia sanctificans et gloria essentialis, quia Deus posset alicui extra Ecclesiam triumphantem, imo etiam militantem conferre ejusmodi illuminationes: ergo Angeli non solum constituuntur membra Ecclesiæ triumphantis per illuminationes accidentales, sed per influxum gratiæ sanctificantis.

Quæres: *cum prius sit Angelos, et homines uniri Christo capiti, quam ab illo accipere influxum, sicut prius est surculum inseri arbori.*

quam ab illa accipere influxum vegetationis; per quid tam Angeli, quam homines uniantur Christo capiti, ut gratiam et gloriam ab illo accipiant?

Respondeo, Angelos fuisse Christo tamquam capiti prius unitos per actus illos fidei et amoris, quibus sese ad justificantem gratiam disposuerunt, et per ipsosmet habitus fidei et gratiæ; homines vero per sacramenta in re vel in voto sumpta. Nec obstat, quod bonum istud supernaturale, quo Angeli et homines antecedenter uniuntur Christo ad recipiendum ejus influxum, sit etiam ex Christi merito; potest enim distingui in Christo duplex officium circa Ecclesiam: *primum*, scilicet particulare, secundum quod facit membra spiritualia, eaque sibi conjungit; unde Isaiæ 11. vocatur *Pater futuri sæculi: alterum* officium est capitis, quo in membra jam sibi inserta et unita influit motum spiritualem per gratiam, et alia ejusmodi dona. Ratione prioris influxus est generans et Pater: ratione posterioris est caput. — Ex his sequitur Christum esse quoque caput eorum, qui extiterunt in statu innocentiæ, ratione scilicet fidei, quam habuerunt, et si diutius in illo perseverassent, continuo habuissent in Christum venturum; cognovit enim per revelationem primus parens mysterium Incarnationis, ut notant Patres in illud Genes. 2. *Erunt duo in carne una;* quod etiam de Christi matrimonio explicat Apostolus Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, dico in Christo, et in Ecclesia.*

Quærunt ad hæc insuper Theologi, an Christus sit caput omnis creaturæ?

Respondent, quod sit ita, præcipue Galatinus lib. 7. *De Arcanis Cathol. veritatis*, capit. 2. et Apostolus ad Coloss. 1. illud idem confirmat vocans Christum *Primogenitum omnis creaturæ;* non quod in omnes creaturas influat gratiam et gloriam; quippe quorum donorum non omnis creatura est capax, sed vel ratione imperii et dominationis, juxta illud Psalmistæ: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, etc.;* quo sensu S. Hieronymus in cap. 1. ad Ephes. docet Christum etiam esse *caput dæmonum*, quia est illorum victor et Dominus; vel quia omnis creatura per Incarnationem Christi recepit quamdam dignitatem; vel quia creaturis omnibus Christus utitur ad bonorum salutem; vel quia post judicium omnis creatura renovabitur, juxta illud Roman. 8. *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.* Quare Theodoretus in illud ad Hebr. 2. *Ut pro nobis gustaret mortem*, dicit Christi mortem *omnibus creaturis emolumentum attulisse.*

SECTIO SECUNDA.

DE REGIA CHRISTI DIGNITATE ET POTESTATE.

Christum Dominum regia dignitate ac potestate pollere nemo ibit inficias, qui divinas Scripturas tantillum calluerit; in eis namque tam celebre est, tamque frequens illud assertum, ut quoties venturus ille repromissus Messias prænuntiatur, toties appelletur Rex: sic Daniel 2. et 7. et Jeremiæ 23. *De Christo* venturo dicitur: *Regnabit Rex, et sapiens erit:* et Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus:* sic Angelus incarnationis prænuntius Mariam alloquens Lucæ 1. *Regnabit*

in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis: sic plerumque in Novo Testamento Christus Rex appellatur, ac Joann. 18. se Regem esse sciscitanti Pilato confessus est ipse. Unde Clemens Alex. 1. Stromatum: *Rex*, inquit, *et a pauperis imperitis, et ab Judæis pronuntiatus incredulis, et ignaris, et ab ipsis Prophetis prædicatus ostenditur.*

Sed cujusmodi regnum illud sit, spiritale, an terrenum ac temporale, non mediocris est inter Theologos altercatio: quibusdam enim placuit Christum Dominum regiam habuisse dignitatem hæreditaria successione transmissam, quod de stirpe Davidis oriundus esset. Ita præ cæteris sensisse videtur Epiphanius, in *hæresi Nazareorum*, ubi ait: *Regiam dignitatem a Domino Jesu Christo duobus modis esse profectam, quod et ipse ex Davidis Regis extitit semine secundum carnem, et revera major quidam, augustiorque Rex sit ab æterno, secundum Divinitatem.* Plerique Doctores Catholici docent eum revera habuisse regium dominium temporale, non quidem jure hæreditario, ut vult S. Epiphanius, sed maxime ratione unionis ipsius humanitatis ad Verbum. Cæteri vero Theologi reclamant contendentes Christi regnum dumtaxat esse spirituale. Quoniam autem hæc disceptatio facile potest componi, idcirco unica dumtaxat Quæstione præsentem Sectionem absolvemus.

QUÆSTIO UNICA.

UTRUM CHRISTUS FUERIT REX SPIRITUALIS, AN TEMPORALIS.

Notandum 1. Dignitatem regiam eam dici, qua unus supremus Princeps et Monarcha jus summum habet in rempublicam, et potestatem imperandi, et leges ferendi in iis, quæ ad ejus gubernationem, administrationem, pacem, et tranquillitatem spectant. Hæc autem duplex distingui potest: *temporalis*, et *spiritualis:* quarum prior spectat ad ipsius Reipublicæ regimen in iis maxime quæ temporalia sunt: posterior vero ea præcipit et statuit quæ vel Dei cultum, vel religionis decus, vel animarum salutem concernunt. De hac autem duplici regia potestate et dignitate sermo est in præsenti, utrum Christus Dominus revera fuerit Rex spiritualis, vel temporalis. Porro regia dignitas spiritualis quatenus in Christo Domino spectatur, est potestas quædam et jurisdictio, quam habet in universam Ecclesiam, sive militantem in terris, sive triumphantem in cælis; maxime vero in militantem, secundum quam potestatem et dignitatem Christus Dominus novam quamdam rempublicam potuit constituere, nempe Ecclesiam, in ea superiores ordinare, necnon et præscribere media, quibus animæ salus et æterna vita facili negotio posset comparari. Hanc autem potestatem et dignitatem in Christo fuisse nullus Catholicorum dubitat, ut abunde probavimus in Tractatu *De legibus*, ostendendo Christum varias leges Evangelicas statuisse, necnon et diversos in Ecclesia ordinum instituisse gradus, ac plurima media ad hominum salutem operandum efficacissima: nihilominus quoniam hanc adversus manifestam veritatem plurimi hujus temporis hæretici reclamant, maxime vero *Sociniani*, idcirco non erit inutile hanc veritatem in præsenti Quæstione demonstrare.

Notandum 2. Duobus modis intelligi posse Christum fuisse Regem temporalem, scilicet *vel* ratione Divinitatis, *vel* ratione humanitatis. Quod de facto fuerit priori titulo, nemo dubitat; Deus enim est Rex, et Dominus omnium. Controvertitur itaque, an fuerit Rex spiritualis ratione humanitatis. *Insuper* eum fuisse Regem hoc posteriori titulo intelligi potest adhuc dupliciter, videlicet vel *de facto*, vel *de jure*. Quod non fuerit de facto constat, quia temporibus vitæ ejus alii Reges fuerunt in Jerusalem, licet forte non jure. *Adde quod* cum vellent illum constituere Regem turbæ, fugit in solitudinem. Restat itaque difficultas, an jure fuerit Rex temporalis ratione humanitatis. *Denique*, fuisse Regem temporalem *jure*, intelligi posset tripliciter: nimirum *vel* jure successionis, *vel* jure electionis, *vel* jure unionis cum Verbo Domino. Et *primo* quidem, quod non fuerit Rex temporalis jure electionis patet, quia sic numquam electus est, imo repudiatus a Judæis dicentibus Pilato: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*. Restat igitur dubitatio, an fuerit Rex temporalis *vel* jure successionis, *vel* ratione unionis cum Verbo.

Notandum 3. Quod attinet ad regnum temporale et regimen omnino politicum Christi, maximam esse, ut diximus, apud aliquos Catholicos Doctores controversiam: aliqui enim, ut *Marsilius* Patavinus, et *Joannes de Janduno*, dixerunt, Christum non solum non habuisse jus Regis super alios Reges et Principes hujus mundi, sed etiam illis jure subditum fuisse, et tributa jure debita persolvisse, non sponte, sed necessitate et obligatione legis constrictum: hanc tamen sententiam merito, ut hæreticam damnavit Joannes XXII in quadam extravagante, ut refert Cardinalis Turrecremata in lib. quarto *Summæ* 2. par. cap. 37. Est enim aperte contra illud Matt. 17. cum a Christo exigeretur tributum, ipse rogavit Petrum, et dixit: *Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, an ab alienis?* Respondit autem Petrus: *Ab alienis: dixit illi Jesus: ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; et aperto ore ejus, invenies staterem illum, etc.* Hoc autem Christus Dominus præstitit, ut ostenderet se liberum esse a tributorum exactione; propter scandalum autem voluisse persolvere. — Sunt etiam qui cum Armacano lib. 4. *Quæstionum Armenorum*, ca. 16. et Abulensi in cap. 21. Matth. qu. 30. explicantes illud, *Ecce Rex tuus, etc.* concedunt Christo peculiare jus regni in Judæam ratione successionis et hæreditatis; non tamen habuisse idem jus in alios Reges, et cætera regna. *Tertio*, sunt qui doceant cum S. Antonino 3. p. titulo 3. cap. 2. Almaino in Tractatu *De Potestate Ecclesiæ*, et plurimis aliis non inferioris nominis Theologis, Christum vere habuisse jus Regis et Imperatoris temporalis super alios omnes Reges; quamvis eo noluerit uti temporaliter, sed solum spiritualiter. *Quarta* denique sententia est, Christum non solum non regnasse in regno temporali; sed etiam non habuisse ullum jus regni temporalis, nec in Judæam, nec in regna Universi, aut in aliquod eorum; sed regnum ipsius, et jus regnandi solum fuisse spirituale; quo jure in toto universo poterat et jura, et leges statuere, prout expedire judicabat ad finem spiritualem in salutem animarum; quam sententiam, utpote probabiliorem cum cæteris amplectemur.

Conclusio prima. — CHRISTUS DOMINUS, QUA HOMO, REVERA FUIT REX SPIRITUALIS, ET UT SIC HABUIT POTESTATEM EXCELLENTIÆ IN UNIVERSAM ECCLESIAM, QUA POTUIT CONDERE LEGES. Hæc Conclusio tribus partibus constat : quarum

Prima, et secunda probantur illis omnibus Scripturæ textibus, quibus adorandus ille Salvator Rex pronunciatur et affirmatur; maxime vero Psal. 2. in quo Psalmista in Christi persona dicit : *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Et ut constet tale regnum esse spirituale, subdit : *Prædicans præceptum ejus.* Et intra : *Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ, Reges eos in virga ferrea.* Et statim explicat hoc regimen spirituale esse, dicens : *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.* Et Isaiæ 9. *Factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi. Princeps pacis : multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis : super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio, et in justitia.* Quibus ultimis verbis regnum hoc spirituale fore declaravit, ut sacri Expositores adnotaverunt. Et Ezech. 21. est optimum de eodem regno testimonium ab illis verbis : *Aufer cidarim, tolle coronam, etc.* usque ad illud, *donec veniret cujus est judicium, et tradam ei.* Et cap. 34. *Suscitabo super eas Pastorem unum, qui pascet eas, servum meum David, ipse pascet eas, et ipse erit in pastorem : ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus David princeps in medio eorum.* Quibus verbis significat Christum idcirco Regem esse, quia Sacerdos et animarum Pastor est : quod utique luculenter docet S. Augustinus in Psalm. 149. *Filius Dei, qui fecit nos,* ait, *factus est inter nos, et Rex noster regit nos, quia Creator noster fecit nos. Ipse est tamen per quem facti sumus, qui est per quem nos regimur : et ideo Christiani, quia ille Christus. Christus a chrismate dictus est, idest, ab unctione : Reges autem ungebantur, et Sacerdotes. Ille vero unctus est et Rex, et Sacerdos. Rex pugnavit pro nobis, Sacerdos obtulit se pro nobis.* Facundus item Hermianensis lib. 12. cap. 3. Christi solius esse dicit regnum cum sacerdotio simul habere : *Quoniam etsi quidam Reges in ejus venturi figuram sacerdotio functi sunt, tamen cum manifesta lux veniret in mundo, umbras removens futurorum, nulli alteri dedit, quod sibi singulare servavit, sed in diversos dona sua distribuens, sic quæ propria sacerdotii Regibus interdixit.* — Hoc tandem regnum spirituale agnovit latro, quando in cruce pendens dixit, Lucæ 23. *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum :* non enim temporale commodum, sed regnum spiritale exoptat : et ideo dixit Christus Joan. 18. Pilato : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quem locum S. Augustinus, tractatu 115. in Joan. sic expendit : *Audite ergo Judæi et Gentes : audi circumcisio, audi præputium : audite omnia regna terrena : Non impedio dominationem vestram in hoc mundo : regnum meum non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille major cum Christus natus nuntiaretur, expavit : et tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit : timendo magis, quam irascendo crudelior. Regnum,* inquit, *meum non est de hoc mundo, venite credendo, et nolite servire metuendo.* Et subinde locum illum

secundi Psalmi, in quo post resurrectionem constitutum se Regem, ait Christus: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*, enarrat sic: *Sed Sion ille, et mons ille non est de hoc mundo, quod est enim ejus regnum nisi credentes in eum?* — Cæterum hæc spiritualis regia dignitas in multis præcellit temporali: *Primo* quidem in fine, qui supernaturalis et cælestis est. *Secundo*, in amplitudine, quia est in cælum et terram. *Tertio*, in duratione, quia est æterna. *Tandem*, quia non tantum ad corpora, sed et ad animas directe extenditur: dico *directe*, quia temporalis regum potestas ad animas indirecte extenditur; possunt enim condere leges obligantes sub pœna peccati, ut docuimus in Tractatu *De legibus*.

Probatur tertia pars, nempe quod illa potestate potuerit Christus condere leges, imo de facto condiderit. *Probatur*, inquam, ex illo Isaiæ 33. *Dominus Rex noster, Dominus Legifer noster*. Item ex illo Jeremiæ 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum;* quæ lex Matthæi 11. dicitur *jugum suave*, ut exponit S. Cyrillus lib. 2. *ad Reginas*, et Joan. 13. constat Christum condidisse legem, cum dixit: *Mandatum novum do vobis:* ratio autem est, quia cum habuerit potestatem instituendi Rempublicam aliquam novam, recte debuit habere potestatem condendi leges, quibus illa gubernaretur.

Dices: Ex Joann. 1. *Lex per Moysen data est; gratia autem et veritas per Christum facta est:* ergo quemadmodum Moyses ita dedit legem, ut gratiam et veritatem non contulerit, similiter ita Christus dedit gratiam et veritatem, ut legem non condiderit. — **Respondeo**, hunc non esse sensum verborum illorum, sed ibi unumquodque denominari ab eo, quod est præcipuum: præcipuum autem in Moyse fuit condere legem; præcipuum autem in Christo dare gratiam et veritatem. Ex quo tamen non sequitur, quin etiam leges aliquas condiderit. *Adde quod*, inquit S. Aug. lib. *De Spiritu et littera*, lex Moysis jubebat et non juvabat; lex autem Christi jubet et juvat; imo plus juvat, quam jubeat, quia si quæ præcepta nobis imposuit, non ad onerandum, sed ad sublevandum præscripsit, ut constat ex præcepto de recipiendis sacramentis: omnia enim sacramenta nobis conferunt gratiam, et magis sunt in subsidium, quam in gravamen aliquod, ut docte et eleganter prosequitur S. Augustinus toto libro *De Spiritu et littera*.

Conclusio secunda. — Christus qua homo non fuit Rex temporalis Judæorum jure successionis.

Probatur primo: Si aliquod jus hæreditarium Christus habuisset ad regnum, maxime quia erat oriundus ex semine David: at hæc ratio nulla est; tum quia non omnes ex Davide oriundi habebant jus ad regnum, sed tantum majores natu; idque in linea recta per Salomonem: non constat autem Christum esse filium David per lineam Salomonis, *nec ex parte matris*, quia incertum est an beata Virgo fuerit oriunda ex Davide per lineam Salomonis, aut per Natham: *nec ex parte patris putativi, nempe S. Josephi*, quippe ejus genealogiam diversimode texuerunt S. Lucas procedendo ad Davidem per Natham; S. vero Matthæus descendendo a Davide per Salomonem. *Adde quod* incertum fuerit an S. Joseph tunc fuerit primogenitus, et caput totius

familiæ Davidis. *Insuper*, Christus dumtaxat erat filius putativus, aut saltem adoptivus S. Josephi, ad quem propterea non poterat devolvi jus regium in præjudicium eorum, qui erant primogeniti.

Secundo: Jam pridem ex familia Davidis translata fuerat regia dignitas et potestas. Enimvero post captivitatem Babylonicam. Judaico populo præfuerunt Sacerdotes, ex Machabæorum genere ad Christum usque: ergo quantumvis Christus ex parte matris esset revera de familia Davidis, non propterea censeretur habere jus ad regiam dignitatem, quæ jam ad aliam familiam fuerat deportata.

Objicies varios Scripturæ textus, quibus significari videtur Christum Dominum fuisse revera Regem jure successionis, seu quoniam erat filius Davidis. Sic Isaiæ 9. *Super solium David, et super regnum ejus sedebit.* Et Jer. 13. *Suscitabo David germen justum, et regnabit Rex.* Et Lucæ 1. *Dabit illi Dominus sedem David patris ejus, etc.* Unde, Joann. 12. populus Hebræorum obviam procedentes Christo clamabant: *Hosanna, Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel:* igitur Christus revera ab Israelitis agnitus et salutatus fuit ut Rex: sed fuit Rex nec per electionem nec per usurpationem: ergo salutatus fuit Rex ab Israelitis jure successionis. — **Respondeo**, omnes illas auctoritates intelligi de regno spirituali, non vero de temporali, ut explicant SS. Patres, maxime vero Cyrillus lib. 12. in *Joan.* cap. 10. ubi ait: *Christus Pilato respondens Regem se esse non negat: mentiri enim non poterat: sed regno Cæsaris non esse hostem ostendit, quia principatus suus mundanus non est, sed cœli et terræ, cæterarumque rerum omnium:* quibus ultimis verbis ostendit Cyrillus majestatem regni spiritualis Christi, cui omnia subjecta sunt.

Objicies 2. alios Scripturæ textus, quibus significatur Christum esse Regem totius universitatis. Sic Apoc. 1. Christus dicitur *Princeps Regum terræ.* Et cap. 19. habere dicitur *in fœmore suo scriptum: Rex Regum, et Dominus dominantium:* similiter ab Heb. 2. S. Paulus Christo Domino attribuit illud Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Et Matth. ultimo ipsemet Christus testatur: *Data est mihi potestas in cœlo, et in terra:* igitur habet etiam potestatem temporalem in omnia regna. — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* dico Christum non vocari Principem et Regem Regum ratione potestatis temporalis, sed spiritualis; nec omnia ipsi esse subjecta secundum illud dominium temporale; quia Christus neque regnavit unquam in aliquo regno terrestri, neque regnaturus est hoc modo. *Adde quod*, plurimæ nationes nihil unquam de Christo audierunt; ergo ista omnia recte non possunt intelligi nisi de regno spirituali: quod maxime constat ex eo, quod Apostolus utatur pulchra antithesi inter Christum, et purum hominem; nam homini in sui creatione Deus subjecit hunc orbem terrestrem, et omnia animalia, quæ in eo erant; nunc autem post peccatum hanc plenam in omnia potestatem amisit, nec illi omnia manserunt subjecta, propter peccatum: Christus autem ita præfectus fuit toti Ecclesiæ, quæ est sæculum futurum et spirituale, ut pro omnibus nullo excepto mortuus fuerit, et ita merito mortis suæ sibi subjecerit omnes, quotquot sunt in futuro sæculo.

Objicies 3. quosdam SS. Patres, quorum aliqui docent Christum fuisse Regem jure hæreditario successionis: sic S. Athanasius, sermone

de Deipara, explicans illud Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, ait: *Accepit autem his verbis thronum David corporaliter ex ratione prosapiæ, qua David illi Pater fuit.* Cui etiam consentit S. Epiphanius, ut diximus in Sectionis præludio. Alii vero absolute pronuntiant Christum esse Regem hujus mundi: sic sanctus Augustinus, in tractatu 115. in *Joan.* Gregorius in Homilia 8. in Evangelia, et Hilarius in Psal. 2. exponens illa verba: *Ego autem constitutus sum Rex*, ubi plurimis Scripturæ textibus confirmat revera Christum regem fuisse. — **Respondeo** ad primi generis auctoritates, SS. Patres nihil aliud velle, quam quod perseveravit regnum David usque ad Christum, non quidem per Reges, sed per Sacerdotes, et judices populi; nato autem Christo translatam fuisse omnem illam regiam et judiciariam auctoritatem in ipsum, non quod jus temporalis regni in eo fuerit devolutum, sed quia extinctum fuit regnum temporale Davidis, et in spirituale, quod Christus habuit, translatum. Cum vero S. Athanasius ait, *ratione prosapiæ Christum regnum accepisse* non intelligit illud accepisse jure sanguinis et propinquitatis, sed cum esset Christus vere ex stirpe David, dicit accepisse sedem David Patris sui, quia solus fuit, qui ex posteris Davidis regnaverit a tempore suæ nativitatis; non quidem denominatione temporali, sed spirituali. Ad aliud autem auctoritatis caput, dico omnes illos SS. Patres ita suam sententiam explicare, ut aperte colligere liceat eos dumtaxat loqui de Christi regno spirituali, ut constat ex prima Conclusione. Hinc S. Hilarius, cum plurimis Scripturæ textibus probasset Christum esse Regem, tandem concludit: *Hic ergo Rex super Sion montem sanctum Dei constitutus est, præceptum Domini annuntians, non super illum utique terrenæ civitatis montem, comploratæ scilicet, et homicidæ, et parricidæ Jerusalem; sed Jerusalem ejus, quæ in cælo est:* quæ plane de regia potestate spiritali sunt intelligenda. Unde S. Augustinus, tractatu 51. in *Joann.* expendens illud: *Hosanna, Benedictus qui venit*, ait: *Quid Domino Regem esse Israel? quid magnum fuit Regi sæculorum Regem fieri hominum? Non enim Rex Israël Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostes visibiliter debellandum: sed Rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesque perducat.*

Objicies 4. Melchisedech id præ illis Sacerdotibus peculiare habuit, quod cum simul esset Rex et Sacerdos, figuram gessit Salvatoris nostri, ut docet Apostolus ad Hebr. 3. et 7: sed dignitas sacerdotalis, quæ pure spiritalis erat in Melchisedech, erat distincta a dignitate regia, quæ erat temporalis: ergo pariter hæc utraque dignitas et auctoritas in Christo debuit esse distincta; et subinde Christus non solum habet regiam dignitatem spiritualem, sed etiam temporalem. — **Respondeo** ad *majorem*, Melchisedech per suum sacerdotium, et regnum in eo adumbrasse auctoritatem Christi sacerdotalem et regiam, quod Melchisedech præter sacerdotium erat adhuc Rex *Salem*, hoc est Rex pacis, seu justitiæ; unde eatenus per suum regnum figurabat regnum Christi, quod Christus etiam, quatenus Rex spiritalis, erat futurus Rex pacis, et justitiæ. Unde licet solum Christus fuerit Rex spiritalis regni, nihilominus illius regiam auctoritatem et dignitatem perfecte Melchisedech adumbrat. — Inde tamen non est inferendum, quod regia et

sacerdotalis dignitas in Christo eadem fuerit secundum omnimodam convenientiam. Utramque enim S. Augustinus lib. 83. *quæstionum* qu 61. distinguit; non quidem re, sed sola ratione ex diversis generibus et officiis; nam ait: *Rex noster est Jesus Christus, qui nobis, et pugnandi, et vincendi præbuit exemplum, in carne nostra mortali, peccata nostra suscipiens, tentationibus inimici, neque ille tenebrosis neque terribilibus cedens, postremo exuens se carne principatus, et potestates expolians fiducialiter, et triumphans eas in semetipso.* Et paulo interius: *eodem ipso duce in Jerusalem cœlestem, tamquam in terram promissionis introduci nos posse præsumimus, et in æternum ibi regnante ipso, et custodiente servari.* Quibus verbis ostendit regiam Christi dignitatem in eo a Melchisedech adumbratam, quod Christus fuerit pariter Rex Salem, Rex pacis, et justitiæ: paulo vero post, sacerdotalem dignitatem ita explicat: *Ipse est etiam,* inquit, *sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit in holocaustum, et ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ Passionis memoriam commendavit.* — Recte igitur Christi dignitas regia distinguitur a sacerdotali, in eo quod ipsius, ut sacerdotis, munus fuerit, ut Deo offerret sacrificium pro nobis; dignitas vero Regis spiritualis, ut salvare nos possit, et efficere, ut cum ipso in cælis regnemus. *Adde quod* Christus, quatenus Rex spiritualis, habuerit jus leges ferendi, sacramenta instituendi; quod pariter judicaturus orbem terræ in æquitate, et bonis præmia, ac malis supplicia sit assignaturus.

Ex HIS COLLIGE, Christum Dominum, quatenus hominem, non habuisse jus regium ratione unionis hypostaticæ, ut contendit Vasquez, exinde enim sequeretur, quod illud dumtaxat habuisset jus ratione Divinitatis, cui humanitas erat conjuncta, et sic revera non censeretur Rex, qua homo, sed dumtaxat qua Deus; quod certe negatur ab omnibus Theologis, utpote ipsi Scripturæ sacræ aperte repugnans, subinde consequens est, quod sortitus fuerit regiam illam dignitatem jure donationis, et institutionis, qua Pater æternus ipsum constituit Regem super universum orbem; ut jus haberet rempublicam spiritualem instituendi, regendi, et dirigendi in iis, quæ spectant ad Dei cultum, et animarum salutem, juxta illud Psalmi 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Et infra: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ: reges eos, etc.*

SECTIO TERTIA.

DE JUDICIARIA CHRISTI DIGNITATE ET POTESTATE.

Egregia est judiciariæ cum regia dignitate consensio: nam regium quoddam ac principale munus obit humanæ sortis Arbiter, et judex, cum cuique jus suum tribuit, hoc est justitiam exercet. Quapropter Melchisedech in figuram Christi merito interpretatur *Rex Justitiæ,* quo præsignabatur Rex venturus, non solum ut Rex ad imperandum, sed etiam ut judex ad jus cuique decernendum. Hinc Psalm. 44. adorandus ille Dei Filius e summo cælorum vertice ad hæc ima terræ per Incarnationem descendens, tamquam præpotens aliquis ad judicium accinctus et armatus describitur his verbis: *Accingere gladio tuo super fœmur tuum, potentissime. Specie tua, et pulchritudine tua in-*

tende: prospere, procede, et regna. Propter veritatem, et mansuetudinem et justitiam. Quapropter idem regius Psaltes Psal. 71. judiciariam potestatem Christo a Patre tribui, quasi exorans, ait: *Deus judicium tuum Regi da, et justitiam tuam Filio Regis.* Quæ verba licet ad litteram dicta sint de Salomone, ut constat ex eo, quod illi Psalmo præfigitur hic titulus, *in Salomonem*: tamen dicta sunt mystice propter Christum, cujus Salomon figuram gerebat; unde Chaldæus ad Messiam retulit, nam ad vocabulum Regi addidit *Messiæ*. Recto igitur ordine procedimus, judiciariam Christi dignitatem cum regia subnectentes. Quoniam autem non est hujus loci investigare qualiter Christus judicaturus sit, et cuique suum jus æternum dicturus in extremo generali hominum judicio, in quo maxime judiciariam illam potestatem exercebit, solum hic resolvendum auspicamur, qualiter illa judiciaria dignitas Christo conveniat; quod unica Quæstione proponimus explicandum.

QUÆSTIO UNICA.

UTRUM, ET QUOMODO JUDICIARIA DIGNITAS CHRISTO TRIBUATUR.

Notandum 1. Ad probum, rectumque judicem instituendum, varias, sed maxime quatuor conditiones desiderari: *Primo* quidem summa pietas et religio, ne forte illud Apostoli ipsi in probrum vertatur: *Inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas: in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas:* unde sacrum quoddam ac veluti sacerdotale munus exercet incorruptus judex, ut præclare observat Theodoricus, apud Cassiodorum, lib. 1. variar. c. 12. *Esto innocentiæ templum*, ait judicem alloquens, *temperantiæ sacrarium, ara justitiæ. Absit a judiciariis mentibus aliquid profanum: Pio principi sub quodam sacerdotio serviatur.* Unde merito Probus præfectus cum Ambrosium ad regendam Liguriam, Æmiliamque Provincias delegaret, ei dixit: *Vade, age, non ut judex, sed ut Episcopus.* — *Secunda conditio* ad perfectum, probumque judicem instituendum, est quod sit expers ab omni animi perturbatione; nam, ut egregie disputat Philo lib. *De Judice: Quemadmodum vis ignis quæcumque attigerit calefaciens, calida primum ipsa per sese, ac suapte natura constituta est; et contra, vis nivis, eo ipso quod frigida est, aliam perfrigerat; sic oportet judicem plenum esse justitiæ, ut adeuntes ad se, iis, quæ sunt justa, respergat, ac velut ex fonte dulcis aquæ potabilis rivus affluat iis, qui sitientes sunt æquitatis.* Unde judex non debet habere animum passionum ac cupiditatum cœno deturpatum ac turbatum; sed instar aquæ vividæ, ac jugiter et suaviter scaturientis limpidum, quietum, et tranquillum. — *Tertia conditio* est, quod accuratam, perspectamque habeat notitiam illius rei, de qua sententiam dicturus est. Unde Albinus Flaccus lib. *De Virtutibus et vitiis*, cap. 20. præclare monuit: *Nemo Principum stultos, vel improbos judices ponere debet, nam stultus per ignaviam ignorat justitiam: improbus autem per cupiditatem subvertit ipsam, quam didicit, veritatem.* Quocirca divine monebat Christus Salvator Joan. 7. *Nolite judicare secundum faciem: sed justum judicium judicate.* — *Quarta denique*

conditio est eximia animi fortitudo, et ab omni formidinis ac cupiditatis vitio mens libera. Hinc hominem judiciariam dignitatem ambientem monebat Ecclesiasticus c. 7. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua.* Unde mox laudatus Albinus cap. 21. *Quatuor modis,* inquit, *justitia in judiciis subvertitur; timore, cupiditate, odio, amore.* Timore, *dum metu potestatis alicujus veritatem judicare quislibet pavescit.* Cupiditate, *dum præmio muneris alicujus corrumpitur judex:* Odio, *dum cujuslibet inimicitiæ causa nocere alteri desiderat.* Amore, *dum amicos, vel propinquos contra justitiam defendit potentior.* His ita præmissis, duo sunt hic determinanda: *Primum*, an hæ omnes quatuor æquissimi et absolutissimi judicii conditiones Christo competant. *Secundum*, an judiciaria potestas ipsi conveniat, qua Deus, vel qua homo.

Conclusio prima. — Christo convenit judiciaria dignitas. Hæc est de fide aperte determinata in Scriptura sacra plurimis testimoniis tam Veteris, quam Novi Testamenti. Veteris quidem, nam venturus Messias prædicitur non solum Rex, sed etiam judex futurus, ut dictum est in præludio Sectionis, et insuper constat ex illo celebri Jeremiæ vaticinio cap. 23. *Suscitabo David germen justum, et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra:* unde Psal. 71. prædicitur Christi Domini accurata in jure dicendo justitia, his verbis: *Judicare populum in justitia, et pauperes tuos in judicio.* Et Psal. 97. *Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate.* At longe perspicacius hæc judiciaria Christi dignitas apparet ex Novo Testamento, maxime Matth. 25. et Lucæ 13. ubi Christus ipse aperte declarat pompam, apparatum, ac formam ultimi et generalis judicii, cui præesse debet. Hinc Joan. 5. ajebat ipsemet adorandus Salvator: *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Et in Actis cap. 10. S. Petrus pronuntiat, quod Christus *constitutus est a Deo judex vivorum, et mortuorum.*

Probatur insuper hæc veritas eo quod omnia quæ in judice sunt optanda, Christus Dominus excellentissime continet: hic est enim, qui *peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus:* et subinde probitate summa, et eximia sanctitate fulget: unde merito Clemens Alexandrinus 1. Pedagog. c. 2. *Solum Dei Filius judex est, quod neque peccare potest, et ab humanis animi perturbationibus penitus est liber.* Hic est, quem nihil latet, Deus enim est, cujus oculi lucidiores sunt super solem. Unde sanctus Ambrosius lib. *De Interpellatione* c. 2. *Qui se existimat ab eo, qui omnia videt non videri, et tenebris credit commissa sua posse celare, umbram prætendit: sed frustra latere se credit cum oculus Domini, lucidior sole, occulta omnia deprehendat, tenebrosa illuminet, et intimi cordis penetret conscientiam: atque in alta, et profunda descendat:* hic est tandem, de quo Isaias vaticinatur cap. 11. *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansueti terræ.* Quapropter Pater æternus per eumdem Isai. cap. 42. *De Incarnato Filio* pronuntians, ait: *Dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet per-*

sonam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, et lignum fumigans non extinguet, in veritate educet judicium. Quibus omnibus constantissimum est judiciariam dignitatem Christo Domino convenire ; an autem hæc ei attribuatur, ut homo est, an ut est Deus, jam est determinandum.

Conclusio secunda. — Christo Domino judiciaria dignitas et potestas convenit principaliter qua Deus est : minus vero principaliter qua homo. Doctor in 4. d. 48. q. 1. n. 7.

Quod judicare debeat principaliter quatenus Deus, probat Doctor ex eo, quod judicium principale est perfecta et prima determinatio ejus, quod est reddendum alicui secundum merita ; quæ perfecta determinatio includit completum dictamen intellectus, quod hoc sit reddendum, et completam determinationem voluntatis per velle efficax, sufficiens ex se ad executionem illius determinati : sed Christus, secundum naturam humanam, non potest habere tale velle respectu primi objecti ipsi judicato, quia non potest habere imperium principale efficax conjungendi aliquam animam objecto beatifico, quia secundum S. Augustinum lib. *De Videndo Deo : In ejus potestate est videri : si vult videtur, etc.* — *Confirmat:* Si Christus, qua homo, judicare posset principaliter, maxime quia ut Redemptor habet dominium super homines, et etiam quia illos, ut Redemptor, admittit ad regnum : sed hæc duplex ratio non convincit. *Non quidem prima,* quia, inquit, per actum redemptionis non meruit principale dominium respectu hominis. *Probatur :* nam in quantum Redemptor habuit rationem causæ meritoriæ pro nobis : causa autem, quæ tantum est meritoria, non potest esse principalis ; non enim causat, nisi ab aliqua causa principaliori acceptetur, quæ propter istud acceptum principaliter causat : ergo esto, quod Trinitati propter redemptionem teneremur, tamquam Domino supremo novo quodam jure, ultra jus dominii, quod habet ex creatione quod verum esset, si tantum bonum esset nobis redemptio, ut accepta a Trinitate, quantum creatio), adhuc non sequitur, quod Christo secundum naturam humanam ratione Redemptoris obligamur, ut supremo Domino. *Non etiam secunda,* quia, inquit Doctor, Christus beatos in regnum cælorum non inducet ut principalis inducens, sed tantum ut causa meritoria. Unde veterum Theologorum aliqui judicem fore dixerunt Christum, non qua homo est, sed qua Deus, ut Cyrillus in Epistola ad Valerianum : *Deus,* inquit, *Verbum homo factus, et inter viros numeratus, nempe ita nobiscum appellatus : nihilominus judex erit quatenus Deus, et Dominus, et unus Filius, in quo inest etiam tum Deus, et Pater.* Hinc lib. 2. in *Joan.* c. 7. probat Christum esse Deum, ex eo quod nulli alteri cum Deo conveniat orbem terrarum judicare : ac postea Deum Patrem dicit judicandi functionem exercere per Filium : *Ut enim,* inquit, *cum in seipso habeat hoc, ut omnia possit creare, per filium creat, tamquam per virtutem, vimque suam : sic habens, ut judicare possit efficiet hoc per filium, tamquam per justitiam propriam : quemadmodum si dicatur ignis efficientiæ, quæ ex ipso secundum naturam est, concedere uti comburat.* Quod utique verum est, si principalem ac auctoritativam judicandi potestatem spectes.

Secunda pars etiam constat, nempe quod Christus, qua homo, habeat potestatem sibi divinitus commissam judicandi: « nam voluntas « Christi, inquit Doctor n. 9. determinat subauthentice sive commissarie « tali commissione, quod licet illa voluntas non imperet principaliter, « sicut nec principaliter dominatur; tamen bene imperat sicut habens « imperium respectu imperati: sed commissarie imperat, quia imperat, « ut habens imperium subordinatum supremo Dei dominio, et adhuc « sic imperat, quod imperium ejus efficaciam completam habet ab « eadem persona ». *Unde concludit,* quod « si aliam auctoritatem judi- « candi tribuat aliquis animæ Christi, videtur blasphemia, attribuendo « naturæ creatæ, quod est proprium Creatori. » — Hinc omnes auctoritates Scripturæ sacræ, quibus probare videtur Christum ut hominem habere auctoritatem supremam judicandi vivos et mortuos; ut Joan. 5. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio:* et infra: *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est:* et ad Rom. 14. *In hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur;* et Actorum 10. *Ipse est,* inquit Petrus Apostolus, *qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum;* et c. 13. S. Paulus apud Areopagitas verba faciens: *Eo quod statuit diem,* inquit, *in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis;* hos, inquam, et similes Scripturæ textus dicit Doctor intelligendos esse de auctoritate vel potestate judiciaria, non quidem principali, sed subordinata: tamen eminentissima, quæ potest esse sub principali.

Eamdem veritatem simili pene ratione probat Seraphicus Doctor in 4. d. 48. art. 1. qu. 1. ubi cum dixissiet ad completam judiciariam potestatem duo requiri, nempe *auctoritatem in sententiando,* et *potestatem in retribuendo præmium secundum merita,* dixissetque hoc utrumque principaliter inesse Deo, subdit: « Hæc duo communicavit « Deus Trinitas homini Christo, auctoritatem dando et dominium sicut « dicitur: Dominum fecit hunc Jesum: potestatem etiam dedit sibi « cætera subjiciendo: *Data est mihi omnis potestas.* Et ideo ipse est, « qui *constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum,* sicut di- « citur. Quoniam ergo potestas judiciaria respicit illa duo jam dicta, « et illa sunt in Deo per naturam, et in Christo homine per gratiam: « ideo judiciaria potestas est Christi secundum Divinitatem per na- « turam, secundum humanitatem collata per gratiam. Unde secundum « utramque naturam habet auctoritatem, sed secundum Divinitatem « principalem, et naturalem, secundum humanitatem commissam, unde « constitutus est. »

« Cum igitur sit potestas primaria in Deo, sed commissa in ho- « mine Christo, latio sententiæ debet fieri a Christo homine secundum « humanitatem, quia si fieret secundum potestatem primariam, cum « secunda nihil det primæ, non esset vere judex secundum humani- « tatem: sed quando secunda operatur, cum recipiat a prima, ratio « judicandi residet penes utramque; secunda enim recipit a prima. « Ideo latio sententiæ fiet a Christo secundum humanitatem: sed quia « Christus est Deus et homo, sententia ejus non erit tamquam judicis « delegati, sed tamquam principalis, et ideo ab eo propter utramque « potestatem nullus poterit appellare ». Hæc Seraphicus Doctor.

Dices : Christus ipsemet a se ablegat judiciariam dignitatem et potestatem : ergo non est ipsi peculiariter attribuenda. Patet *antecedens* ex illo Joan. 12. ubi Christus ait: *Si quis audierit verba mea, et non custodierit. ego non judico eum : non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum ; qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum.* — **Nego consequentiam** ; et ad *antecedens* dico, Christum esse intelligendum, quod in primo suo in mundum adventu, venerit quidem non judicaturus, sed judicandus. Unde quamdiu inter mortales vixit, noluit judicis dignitatem sibi arrogare, ut constat ex Lucæ cap. 12. ubi cum quidam de turba dixisset ei : *Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*, Christus respondit : *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Non autem loquitur de secundo suo adventu ad homines judicandos in extremo omnium die : de hoc adventu loquitur Matth. 25. et Lucæ 13. *Vel* intelligendus est, quod non judicabit, qua Filius Dei tamquam judex aspectabilis, et in forma sensibili, quam dumtaxat habebit quatenus homo. Sic interpretatur sanctus Augustinus lib. 1. *De Trinit.* cap. 13. ubi egregie componit omnes Scripturæ textus de futuro hominum judicio, qui videntur invicem pugnare : *Dicimus*, inquit, *quia secundum id, quod Deus est, judicat : hoc est, ex potestate divina, non humana : et tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est, etc. Quapropter Filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea, qua Filius Dei est.* Et rursus : *Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus est æqualis Patri. Itaque utrumque dici potest, et Filius hominis judicabit, et non filius hominis judicabit : quia filius hominis judicabit, ut verum sit, quod ait, Matth.* 25. *Cum venerit Filius hominis, tunc congregabuntur ante eum omnes Gentes. Et non Filius hominis judicabit, ut verum sit, quod ait Joan.* 12. *Ego non judicabo, et Joan.* 8. *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, et judicet. Nam secundum id, quod in judicio non forma Dei, sed forma Filii hominis apparebit, nec ipse Pater judicabit : secundum hoc enim dictum est, Joan.* 5. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio suo.* Sic pariter in Tractatu 21. in *Joan.* hunc locum exponit sic : ut Pater neminem judicaturus esse dicatur, tamquam judex aspectabilis, et cum judiciario apparatu jurisdictionem exercens, ut sunt sessio in tribunali, cognitio causæ, reorum citatio, et alia ejusmodi : ac si diceretur, Patrem nemo videbit in judicio vivorum et mortuorum, sed omnes Filium : quia et filius hominis est, ut possit ab impiis videri ; cum Zach. 12. *Et illi videbunt, in quem pupugerunt.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CHRISTI FUNCTIONIBUS ET MINISTERIIS.

Ad illas deinceps Christi Domini dotes, præcellentiasque nostra disputatio labitur, quæ maxime spectant illius opus et ministerium, ad quod a Deo Patre destinatus est, nimirum ut esset hominum ad Deum Mediator, Salvator, et Pontifex. *Mediator*, inquam, ut qui sanguine suo solveret peccata nostra, quibus separamur a Deo, et interpositus redderet nos ei, et reconciliaret, a quo aversi in peccatis no-

stris et delictis tenebamur, inquit S. Augustinus in Psalm. 90. Salvator autem, et *Redemptor*, qui suorum meritorum, propriique fusi sanguinis pretio nostrum debitum exsolveret, et divinæ justitiæ pro nostris delictis faciens satis, nobis divinam indulgentiam, gratiam et gloriam mereretur. *Pontifex* tandem, qui proprii corporis sacrificio in cruce cruente, in altari vero novæ legis Sacerdotum manibus incruente oblato, æterno Patri in hominum gratiam, et salutem litaret, necnon et suis precibus et interpellationibus ad dexteram Dei sedens Deum nobis propitium efficeret. Hanc igitur triplicem Christi Domini functionem in totidem sequentibus Sectionibus suscipimus explanandam.

SECTIO PRIMA.

DE CHRISTO DOMINO MEDIATORE.

Christum Dominum hominum Mediatorem esse, nemo absque errore manifeste detrectare potest. Hoc enim apertissime testatur Apostolus 1. ad Timoth. 5. *Unus enim Deus*, inquit, *unus et Mediator Dei, et hominum Christus Jesus*. Mediator, inquam, est tum natura, tum ministerio. Natura quidem, utpote qui divinam et humanam naturam in sese complexus verus homo sit Deus ; *ministerio* vero utpote, inquit Apostolus 2. ad Cor. 5, *Qui dedit nobis ministerium reconciliationis : quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis Verbum reconciliationis :* vel, ut loquitur ad Ephes. 2, *In Christo Jesu vos, qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi : ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliat ambos in uno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso, et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem*. Quibus aperte constat Christum esse revera mediatorem inter Deum, et homines. Difficultas autem est, qua ratione Christus Dominus Mediatoris partes sustineat : nimirum vel ratione Divinitatis dumtaxat, vel ratione solius humanitatis assumptæ, vel utriusque naturæ simul, ut revera dicatur Mediator, non solum ministerio, sed natura. Similiter in controversiam venit quidnam nobis præstiterit divinus ille Mediator, seu quam pacem et reconciliationem nobis conciliaverit ; quæ omnia patebunt in sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM ET QUA RATIONE CHRISTUS CENSEATUR DEI ET HOMINUM MEDIATOR.

Notandum 1. Variam extitisse, et etiam nunc vigere Catholicos inter et hæreticos de Christo Mediatore controversiam; imprimis enim Ariani, qui veram Dei Filio, et eamdem cum Patre divinitatem ausi sunt detrahere , ideo illum Mediatorem nominari dixerunt, quod mediæ cujusdam inter Deum verum, hominesque substantiæ esset, quæ ut hos antecelleret, sic illo esset inferior, ut testatur S. Cyrillus Alexandrinus

dialogo 1. *De Trinit.* quo etiam spectat eorumdem Arianorum vecors illa, impuraque sententia, qui Deum Patrem asserebant creatas res omnes moliri cupientem, prius Verbum suum tamquam instrumentum edidisse, et eo administro universum creasse. *Addebant* autem ad incrementum blasphemæ doctrinæ suæ insanam hanc rationem; nempe quod ideirco Deus talem sibi ministrum comparaverit, quod creata nulla res meram summi artificis efficientiam ac virtutem sustinere queat, ac propterea opus fuisse primum creari mediam quamdam substantiam et virtutem, quæ ratione suæ excellentiæ propius ad Deum accedat, ratione vero suæ creationis aliquod cum cæteris creaturis commercium et temperamentum haberet. Quam utique insanam et detestandam doctrinam tradidit Eusebius Cæsariensis lib. 1. *Contra Sabellium*, ibi enim cum unigenitum Dei Filium ad mundi procreationem, et conservationem necessarium esse dixisset; hoc sibi objicit, et respondet: *sed fortasse dicis: non sufficit enim Pater? Non quia non sufficiens Pater, ideo genuit Filium: sed quia non sufficiebant ea, quæ facta sunt sufferre potestatem, ideo per Mediatorem loquitur.* Necessum est igitur ad hanc perfidiam revincendam hic apertis Scripturæ textibus, et continua SS. Patrum quovis sæculo doctrina demonstrare Dei et hominum Mediatorem Jesum Christum, ambas utriusque naturas in eadem persona sua conjungere, et sic revera esse Mediatorem inter Deum et homines secundum naturæ statum.

Notandum 2. Duplicem alteram de Christo Mediatore opinionem hæreticam, utramque et ab hæreticis auctoribus protectam, a quibus in medio posita fides Catholica dissentit; nam alii Christum tantummodo, qua homo est, Mediatorem esse contendunt; non vero quatenus est Deus: alii qua homo quidem est, ac Deus; ita tamen ut Divinitas illius Mediatricis functiones interdum usurpet. Prioris erroneæ opinionis istius assertor perhibetur Franciscus Stancarus Mantuanus, in Academia Regio-Montana in Borussia Theologiæ, vel ut alii volunt, Hebraicæ linguæ Professor, qui acriter militans in errorem Osiandri ibidem Professoris partes agentis, qui ut novum quid moliretur, asserebat justitiam, qua homines justi coram Deo censentur, ipsam esse Dei justitiam illis inexistentem, non vero eam Christi meritis adeptam justitiam, quæ credentibus in Christum gratiæ imputetur, ut Lutherani et Calvinistæ prædicabant. Unde asserebat Christum esse justitiam nostram ratione solius Divinitatis suæ, non humanitatis. Eo contentionis æstu processit Stancarus, ut oppositum ex adverso errorem propugnaverit, docens non divinæ, sed humanæ tantummodo naturæ ratione, Christum esse justitiam nostram, et salutis artificem. Quod confirmare nitebatur non solum Scripturæ sacræ, et SS. Patrum oraculis, sed etiam Theologorum placitis, quos tanti faciebat, ut dixisse eum referat Conradus Schulsset-Burgius Lutheranus lib. *De Stancaristis: Plus valet unus Petrus Lombardus, quam centum Lutheri, ducenti Melancthones, trecenti Bullingeri, quadrigenti Petri Martyres, et quingenti Calvini; qui omnes si in mortario contunderentur, exprimeretur una uncia veræ Theologiæ:* recte quidem dictum, ut inde appareat interdum ex erroris parente veritatem erumpere. Stancarus autem ubi vexillum novæ suæ opinionis sustulit, in ipsum pugnare cœperunt non solum Catholici Doctores, sed etiam sectæ multiplicis,

et professionis hæretici, præcipue vero Philippus Melancthon, et Calvinus, qui contra Stancari dogma de Mediatore epistolas duas, unam ad Fratres Polonos, alteram quæ responsio est Genevensis Ecclesiæ nomine ab illo edita, in quibus demonstrat Christum secundum utramque naturam, divinam et humanam, munus et officium Mediatoris usurpasse. Neque hoc revera Catholico dogmate contentus, eo progressus est, ut assereret etiam Verbum divinum ante susceptum hominem obiisse partes; nam in priori epistola ait, Mediatoris nomen Christo quadrare non solum, ex quo carnem induit, vel ex quo munus suscepit reconciliandi cum Deo humani generis, sed ab initio creationis jam vere fuisse mediatorem.

Notandum 3. Christum varias habere tum ad Patrem, tum ad Deum, tum ad nos habitudines et relationes, quas pulcherrime refert et expendit Leontius Byzantinus, qui Justiniani primi Imperatoris tempore floruit lib. 1. *Contra Eutychem;* ubi inter cætera hæc habet: « Cum « igitur sex habitudines contemplemur (nimirum in Incarnationis my- « sterio) duas Patris ad Verbum, et Verbi ad Patrem: duas deinde « Verbi ad carnem, et carnis ad Verbum; duas præterea Christi ad « nos, et nostras ad ipsum; tres fiunt generales conjugationes. Ac « prima quidem habitudo conjugationum sic habet, ut tertia quidem « a prima, secunda vero a media. Illa enim, quibus media inter se « conveniunt, contrario modo se habent, atque in media, sicut contra « media. Quibus enim contrarie habet ad seipsam, convenienter habet « ad extrema; et quibus rursus convenienter habet ad seipsam, con- « venienter habet ad extrema. His breviter dictis, conabor expla- « nare exemplo: sint positæ tres res, anima simpliciter, corpus « simpliciter, homo ex anima et corpore compositus, et horum in- « ter se habitudines, ut animæ ad animam, animæ ad corpus suum, « hominis ad corpus simpliciter, et ad animam simpliciter: anima « quidem ad animam sic se habet, ut eadem ratione substantiæ sit « unita; differente vero hypostasi discreta. Hæc est prima et extrema « habitudo conjugationum. Anima vero ad suum corpus sic se habet, « ut diversitate naturæ discreta sit; unita vero ratione hypostasis, « quam vita mutuo accepta, et reddita perfecit, hæc secunda, eademque « habitudo media servat. Homo vero ad corpus simpliciter, et ad ani- « mam simpliciter relatus, tamquam totus omnino ab istis discretus, « propter habitudinem ad partes suas, secundum communionem cum « ipsis facit. Quare Christus ad nos, et ad Patrem relatus, tamquam « totus ex partibus, propter partes suas medius est inter extrema, ex « toto hypostasis, relatus ad Patrem, propter Divinitatem cum huma- « nitate: et ex toto hypostasis relatus ad nos, propter humanitatem « cum divinitate permutatis habitudinibus, secundum distinctionem, « et unionem, quas secum propter suas partes habet; et quas cum « Patre, et nobiscum habet, propter convenientiam partium cum ex- « tremis. » Hæc Leontius.

Conclusio prima. — Christus Dominus revera est Mediator inter Deum hominesque, non solum ministerio sed etiam statu, quod naturam divinam et humanam in unitate ejusdem personæ complectatur.

Probatur primo ex Apostolo ad Hebr. 20. qui ut ostendat Dei Filium esse Mediatorem Dei et hominum, necesse, ait, ut naturæ hominum fieret particeps in eaque pateretur : *Decebat enim*, inquit, *eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per Passionem consummare.* Et paulo post : *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest, diabolum, et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Et infra : *Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Quo etiam spectant omnia illa divina Scripturarum oracula, quæ asserunt Dei Filium, idcirco hominem factum, et in mundum advenisse, ut peccatores salvos faceret, et humanum genus e dira diaboli captivitate eriperet et liberaret.

Eamdem veritatem quovis sæculo constantissime docuerunt omnes SS. Patres utriusque Ecclesiæ tam Græcæ, quam Latinæ, quos in longum refert Petavius libro 12; at quia operosum esset, et fortasse superfluum hic recensere, eos solum commemorabo, qui præclarius et apertius hanc veritatem constantissime docuerunt. Prodit imprimis Greg. Nyss. in lib. 1. contra Eunomium, ubi mediatoris officia sic explicat, ut etiam denotet eum propter utriusque naturæ divinæ, et humanæ complexionem revera medium inter Deum et homines fuisse : *Defectionem fecit aliquando genus hominum adversarii improbitate deceptum*, inquit, *et in peccati servitutem redactum a vera vita est alienatum. Instaurat postea fictum a se opus operis Dominus, et homo fit cum eo quod jam erat Deus; adeo ut et totum jam illud esset, et totum illud factum fuerit, atque hoc modo cum Deo mista et temperata est humana natura, mediatore, ac sequestre homine illo, qui est in Christo cum quo tota virtute per assumptas nobis primitias massa temperata coaluit. Quoniam igitur Mediator unius non est, Deus autem unus est; isque nullo modo in illis quas fides nobis tradit personis dividitur; siquidem una in Patre, et Filio, et Spiritu sancto divinitas inest; idcirco Mediator semel Dei et hominum fit Dominus, hominem per sese cum Divinitate conjungens.* — Irenæus lib. 3. cap. 20. *Oportebat*, inquit, *Mediatorem Dei et hominum per suam cum utroque propinquitatem, ambos in amicitiam, et concordiam adducere; ac Deo quidem repræsentare hominem, hominibus vero Dei communicare notitiam.* Athanasius in lib. *De natura humana suscepta: Verus*, inquit, *Deus est Filius, et antequam homo fieret, et postquam factus est mediator Dei et hominum homo Jesus Christus, unitus Patri secundum Spiritum sanctum, nobis vero secundum carnem, atque ita Mediatoris partibus functus inter Deum et homines, qui non solum homo est, sed etiam Deus.*— Græcis Patribus, et Theologis consentiunt Latini : imprimis vero Tertullianus, qui lib. *De Resurrectione carnis* de Christo mediatore sic loquitur : *Hic sequester Dei, atque hominum appellatus ex utriusque Patris deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrhabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita et a nobis arrhabonem carnis accepit, et vexit in cœlum pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ.* Aptissima voce usus est Tertullianus *sequestrem* vocans, qui mediator di-

citur, ejusque vim recte declarans utriusque depositum ab illo servari dixit, hunc enim proprie nominari sequestrem docent jurisperiti, apud quem plures rem, de qua controversia est, deponunt. Hilarius lib. 9. *Mediator ipse*, inquit, *ad salutem Ecclesiæ constitutus, et illo ipso inter Deum et hominem, mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est: ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, et homo rursum Deus manendo non esset.* Augustinus imprimis erudite et copiose hanc veritatem pluribi explicat, sed maxime lib. 1. *De consensu Evangelistarum* cap. ultimo. *Quia*, inquit, *omnia quæ in contrarium pergunt, per aliquod medium reducuntur: ab æterna justitia temporalis nos iniquitas alienabat. Opus ergo erat media justitia temporali, quæ medietas temporalis esset de imis mixta et summis: atque ita se nec abrumpens a summis, et contemperans imis, ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei et hominum dictus est inter Deum immortalem, et hominem mortalem, Deus et homo reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat.* Rursus in tractatu in Tob. 8. et Psal. 6. mediatorem inter Deum et homines Christum Jesum ad hoc esse dicit, ut eos, qui recesserunt per se reconciliet: medius enim non est nisi inter duos; recesseramus a Majestate Dei, et peccato nostro offenderamus eum. Missus est Filius mediator, qui sanguine suo solveret peccata nostra, quibus separamur a Deo, et interpositus redderet nos ei, et reconciliaret, a quo aversi in peccatis nostris et debitis tenebamur. Tum in sermone 120. de diversis: *Ut autem mediator esset*, inquit, *inter Deum, et homines, inter justum et injustos, inter immortalem et mortales, assumpsit aliquid ab injustis et mortalibus, servans aliquid cum justo et immortali. Cum justo enim, et immortali servans justitiam: ab injustis, et mortalibus assumens mortalitatem, factus est in medio reconciliator, dejiciens murum peccatorum nostrorum.* Præclare etiam, accurateque Fulgentius lib. 1. ad *Trasimundum*, et cap. 15. Mediatoris naturam descripsit. *Cunctos*, inquit, *prætereà qui salutis esse cupiunt æternæ participes, oportet agnoscere pariter, et tenere, nec incassum hominem Jesum Christum mediatorem Dei et hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totum in se naturam suscepit hominis, et idem homo totam in se habet substantiam Deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus a Deo, inter Deum irascentem, hominemque peccantem, talis utique mediatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum, verumque in se Deum de Deo natum haberet: et ad reconciliandum hominem Deo, totumque in se de homine natum hominem contineret: atque ita ex utroque, in utroque unus Christus esset, ut plenitudo Deitatis susceptum non consumeret, sed proveheret hominem, et plenitudo humanitatis nec minoraret immensum, nec mutaret impassibilem Deitatem, ac si hominis natura, quæ mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur, quo nihil est melius. Propterea se mediator Dei et hominum plenum Deum, plenumque dignatus est hominem demonstrare. Denique*, Rupertus in lib. 10. *De divinis officiis*, cap. 6. sic scribit: *Antea inter Creatorem et creaturam nullum fuisse medium. Nam quidquid erat, aut Creator erat, aut creatura. Ut ergo medium inveniretur perfectæ societatis vinculum, hic introdu-*

ctus est, qui ex eo Creatorem, et creaturam firmius annecteret; quia unus, idemque Christus utrumque est, Creator videlicet, atque creatura: Creator, quia Deus: creatura, quia homo. — His omnibus auctoritatum momentis constat contra Arianos, et alias ejusmodi pestes, Christum Dominum revera habere rationem mediatoris, qui utramque naturam divinam et humanam in se sociat, et ratione utriusque perfectum, ac omnibus numeris absolutum mediatoris munus sustinet et implet.

Conclusio secunda. — Christus Dominus fuit Dei et hominum mediator officio, ratione quidem naturæ humanæ, non simpliciter et absolute spectatæ, sed ut subsistentis in supposito divino.

Probatur, quia oportet mediatorem distingui aliqua ratione saltem ab eo ad quem fit ista mediatio, tamquam ad principalem partem: atqui Christus Dominus non distinguitur a Patre divino, ad quem tendebat ista mediatio, nisi ratione humanæ naturæ: ergo Christus est mediator ratione humanæ naturæ. Quia tamen oportebat naturam illam mutuari dignitatem aliquam aliunde, quam a seipsa, ut perfectior esset mediator, ideirco dicitur mediator non simpliciter ratione naturæ humanæ: hæc sufficienter probata manet ex præcedenti.

Objiciebat Stancarus: Nemo potest esse mediator sui ipsius: atqui si Christus esset mediator secundum naturam divinam, esset mediator sui ipsius, quia est unus cum Patre et Spiritu sancto: igitur non potest esse mediator secundum naturam divinam, sed dumtaxat secundum humanam. — **Respondeo primo**, falsam esse *minorem*, prout eam proponit Stancarus: non enim verum est, quod Filius sit unus cum Patre, sed unum, idest, non est una persona, sed una natura, vel substantia. *Respondeo secundo* ad *majorem*, quod si Christus non ut Deus tantum, sed ut Deus et homo simul considerctur, tam a Deo distat, quam ab homine, et cum utroque pariter convenit, in quo medii, sive mediatoris ratio consistit. Unde cum Filius, neque penitus ipse sit, qui Pater, aut Spiritus sanctus, cum ab utroque propria relatione, et hypostasi sit distinctus, inde fit quod hac ratione non sit mediator sui ipsius, etiam qua Deus est, quia hoc munus mediatoris convenit illius personæ non solum quatenus terminat naturam divinam, sed etiam quatenus humanam terminat et afficit.

Instabat: Christus ratione illius naturæ fuit mediator, per quam nos reconciliavit Deo: at nos reconciliavit Deo tantum ratione humanæ naturæ; *reconciliati enim sumus Deo per mortem Christi*, ut ait Apostolus ad Rom. 5, unde Magister sententiarum dist. 19. docet Christum esse mediatorem ratione naturæ humanæ, quod utique probat auctoritatibus S. Augustini dicentis in expositione tertii capitis ad Galatas: *Mediatorem, Jesum Christum secundum hominem dici, ex illa ejusdem Apostoli sententia, fit plenius, cum ait: Unus est Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, etc. Restat ergo, ut qui mediatore superbo diabolo superbiam persuadente dejectus est, mediatore humili Christo humilitatem persuadente erigatur.* Et lib. 10. *Confessionum*, cap. 43. *In quantum enim homo, in tantum mediator: in quantum autem Verbum, non medius, qui æqualis Deo, et Deus apud Deum, et simul cum Spiritu sancto unus Deus.* Et ad Psalm. 103.

Christus mediator inter hominem et Deum; non quia Deus, sed quia homo: non quia Deus æqualis Patri; sed si æqualis Patri non mediator. Ad hæc Tractatu 62. in Joan. *Mediator,* inquit, *Dei et hominum, non in quantum Deus, sed in quantum est homo Jesus Christus.* Has etiam auctoritates objiciebat Stancarus. — **Verum** ex illis auctoritatibus tam Apostoli, quam S. Augustini, nihil quod Stancari erroneæ sententiæ non adversetur colligi potest; reconciliati quidem sumus Deo per mortem Christi, quia mors illius summi et moraliter infiniti erat valoris et pretii, non propter naturam humanam dumtaxat, sed propter illius unionem, et societatem personalem cum divina, ut diximus alias. *Ad S. Augustinum* autem dico, eum nihil aliud significare, quam quod Filius Dei, qua Deus est, ante incarnationem non fuerit mediator; sed tum demum subierit statum et munus mediatoris, cum homo factus est; siquidem per incarnationem mediator extitit, tum ratione status, quia medius fuit inter naturam humanam et divinam, non ratione humanæ naturæ tantum, nec ratione divinæ tantum, sed ratione utriusque in eadem persona subsistentis, tum ratione officii et ministerii, siquidem mediatoris opus et officium per humanitatem administravit. Unde Seraph. Doctor dist. 19. art. 2. q. 2. docet distinguendam esse rationem Christi ut *medii,* et *mediatoris.* « Differt enim, « inquit, medium a mediatore: medium namque dicit convenientiam « cum extremis, mediator autem dicit non tantum convenientiam, sed « etiam officium reconciliationis ». *Subinde docet,* « quod medium inter « duas naturas potest tripliciter accipi: aut ita quod in eo concurrant « duæ naturæ, sicut in una natura tertia; aut ita quod in eo concur- « rant duæ naturæ sicut in una persona; aut ita quod in eo concur- « rant proprietates duabus naturis conformes. *Primo modo* accipiendo « medium, nihil potest esse medium inter humanam naturam, nec « Christus, nec aliud; quia non potest ex humana natura constitui « aliquod tertium. *Secundo modo* accipiendo medium, sic Christus est « medium inter humanam naturam et divinam, in quantum est una « persona in duabus naturis, non ratione humanæ naturæ tantum, nec « ratione divinæ tantum, sed ratione utriusque. *Tertio modo* accipiendo « medium, Christus est medium inter Deum, et homines secundum « humanitatem, in quantum habet mortalitatem simul et beatitudi- « nem. Mortalitatem, inquam, in qua communicat cum hominibus: « beatitudinem, in qua maxime communicat cum Deo. Si vero quæ- « ratur, qualiter, et secundum quam naturam Christus sit mediator, « cum mediator dicat officium reconciliationis, et mediator debeat dif- « ferre ab illis quos reconciliat, et Christus secundum divinam na- « turam sit ille, cui fit reconciliatio, dicendum, quod non potest esse « mediator secundum divinam naturam, sed secundum humanam na- « turam, in qua potest reconciliare secundum diversas proprietates, « in quibus communicat cum Deo et cum homine. Habebat enim « justitiam et innocentiam, in qua communicat cum Deo, et morta- « litatem, in qua communicat cum homine: et dum mors conjungitur « justitiæ, in eodem confœderatur homo peccator et mortalis Deo « justo et immortali, reconciliati enim sumus Deo per mortem hominis « innocentis. »

Urgebat: Medium debet esse inter extrema: ergo mediator Dei,

et hominum debet esse infra Deum, et supra homines : sed Christus secundum divinam naturam non est inferior Deo : igitur secundum divinam naturam non potest esse mediator, et consequenter est dumtaxat mediator secundum naturam humanam. — **Distinguo antecedens** : medium debet esse inter extrema ratione status, aut personæ, concedo : ratione naturæ, nego. Igitur Christus est quidem medius inter Deum, et homines ratione sui status, aut personæ, quia simul est Deus et homo; non autem ratione alterius naturæ, quia secundum naturam divinam est idem essentialiter cum Patre, et Spiritu sancto, secundum vero naturam humanam est ejusdem sortis et naturæ cum hominibus.

Instabat : Christus ea ratione est mediator, qua pro nostris debitis satisfactionem Deo dedit : at non satisfecit pro peccatis nostris secundum naturam divinam, quia secundum illam idem erat cum Patre, et consequenter si secundum illam naturam satisfecisset, consequens esset, quod satisfactionem sibi exhibuisset : at nullus potest sibi ipsi satisfacere : ergo necessum est, quod fuerit dumtaxat mediator secundum naturam humanam. — **Nego minorem** : nihil enim obstat, ut diximus agendo de satisfactione Christi Domini, quominus unus, et idem homo diversis titulis debitor sit, et creditor; et subinde, quod sibi ipsi satisfacere possit, ut constat de tutore, et actore, qui potest quatenus homo particularis, aliquid pupillo suo debere, et ut tutor illud sibi persolvere.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUAM RECONCILIATIONEM ET PACEM NOBIS CONCILIAVERIT ET OBTINUERIT DIVINUS ILLE MEDIATOR.

Notandum 1. Ex Petavio lib. 12. cap. 6. omnium officiorum quæ mediatori propria sunt, ejusque muneri consentanea, est pacificatio dissidentium inter se, et ad mutuam concordiam animorum conciliatio. Conciliationis autem inter Deum et homines obtinendæ et exequendæ gratia missum esse a Patre Filium, apertissime testantur Scripturæ sacræ : maxime vero S. Apostolus pluribi, ut constabit infra. Ut autem susceptum hoc a præclarissimo illo humani generis pacificatore munus conciliandæ pacis facilius intelligi, et quanti sit æstimari possit, observandum est ex S. Augustino lib. 19. *De Civitate*, cap. 13. *Pacem esse tranquillitatem ordinis.* Quam definitionem sic ipsemet elucidat : *Pax corporis,* inquit, *est ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis, actionisque consensio. Pax corporis et animæ, ordinata vita, et salus animantis. Pax hominis mortalis, et Dei immortalis, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi, atque obeundi concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi, atque obediendi concordia civium. Pax cœlestis civitatis, ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo, et invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis.*

Notandum 2. Ex eodem sancto Augustino *ibidem* ad perfectam et absolutam pacem duo esse necessaria, ordinem videlicet et tranquil-

litatem: *Ordo*, inquit, *est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Hinc lib. 5. cap. 12. pacem per solam convenientiam explicat, scribens Deum apte universum temperasse, et congruenter ordinasse. *Qui non solum cœlum et terram*, inquit, *nec solum Angelum et hominem, sed nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulas, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientia, et quadam veluti pace dereliquit.* Verum præter congruentiam partium, tranquillitatem insuper in illo altero loco ejusdem operis requirit. *Siquidem miseri*, ait, *quia in quantum miseri sunt, utique in pace non sunt; tranquillitate quidem ordinis carent, ubi perturbatio nulla est: verumtamen quia merito, justeque miseri sunt, in ea quoque ipsa sua miseria præter ordinem esse non possunt. non quidem conjuncti Beatis, sed ab eis tamen ordinis lege sejuncti.* Quos etiam ait certis rebus nonnullam ordinis tranquillitatem habere, quoniam ipsis coaptantur, et eatenus nonnullam ipsis inesse pacem. *Verum ideo miseri sunt*, inquit, *quia etsi in aliqua securitate non dolent, non tamen ibi sunt, ubi securi esse, ac dolere non debeant; cum autem dolent, ex qua parte dolent, pacis perturbatio facta est. In illa vero adhuc pax est, in qua nec dolor urit, nec compago ipsa dissolvitur.* Denique ubi natura est aliqua, in qua nullum malum est, nec esse potest, veluti Deus; *Esse autem natura, in qua nullum bonum sit, non potest*, nec diaboli quidem: *Sic est pax quædam sine ullo bello: bellum vero sine aliqua pace non potest.* Quamobrem necessaria est ad pacem aliqua tranquillitas et quies, quæ perturbationi ac bello est opposita. Hinc Augustinus in Psal. 84. *Pax quid est*, inquit, *ubi nullum bellum est. Quid est ubi nullum bellum est? ubi nulla est contradictio: ubi nihil resistit, nihil adversum est.* Ita vel nihil, vel parum admodum *pax a concordia* differt, si universe sumatur. Ita ex Petavio.

Notandum 3. Peccatum triplicis generis in mundum bellum intulisse, nempe adversus Deum, proximum, et ipsum hominem peccatorem. Adversus quidem Deum, siquidem, ut Isaias testatur cap. 59. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.* Pariter adversus proximum: *Nam*, inquit S. Jacobus c. 4. *unde bella, et lites in vobis? nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Denique adversus seipsum, *quia caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Unde necessum fuit, ut Dei mediator et hominum, triplicem pacem conciliaret nempe hominis cum Deo, cum proximo, cum seipso, ut summi ac præstantissimi pacificatoris munus et partes sustineret, quod utique præstitit, ut patebit in sequentibus.

Conclusio prima. — Christus Dominus hominis cum Deo bellum sustulit, et pacem inter utrumque conciliavit ac firmavit. Ita præclare docet S. Apostolus 2. ad Cor. 5. *Omnia*, inquit, *ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum; et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam*

Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Et ad Ephesios 2. idem Apostolus scribens: *In Christo Jesu vos, qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem.* — Hanc pacificandi, reconciliandique functionem ex iisdem, et aliis Scripturæ locis illustrat Augustinus in tractatu ad Psalmum 61. qui Psalmus *in Salomonem* inscribitur. « Porro « Salomon, inquit, interpretatur *pacificus:* ac per hoc tale vocabulum « illi verissime, atque optime congruit, per quem mediatorem ex ini- « micis, accepta remissione peccatorum, reconciliamur Deo. Etenim « *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus,* etc, « Ipse in Evangelio dicit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* « Et multis aliis testimoniis Dominus Christus pacificus esse mon- « stratur, non secundum pacem quam novit et quærit hic mundus, « sed illam pacem, de qua dicitur apud Prophetam: *Dabo eis solatium « verum, pacem super pacem,* cui scilicet paci reconciliationis additur « pax immortalis. Nam post omnia reddita, quæ promisit Deus, no- « vissimam pacem nos expectare debere, qua cum Deo vivamus in « æternum, idem Propheta ostendit, ubi ait: *Domine Deus noster « pacem da nobis, omnia enim dedisti nobis.* Pax erit plane illa per- « fecta, quando novissima inimica destruetur mors. Et in quo hoc « erit, nisi in Pacifico illo reconciliatore nostro? sicut enim in Adam « omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. » Præclare item S. Leo Papa in sermone sexto de Natali Domini, tum istud mediatoris munus impense a Christo præstitum humano generi; tum ejus præstantiam, commoditatemque describit his verbis: « Quid enim in « thesauro dominicæ largitatis, inquit, ad honorem præsentis festi, tam « congruum possumus invenire, quam pacem, quæ in nativitate Do- « mini prima est angelico prædicata concentu? Ipsa enim est, quæ « parit filios Dei, nutrix dilectionis, et genitrix unitatis: requies Bea- « torum, et æternitatis habitaculum, cujus hoc opus proprium et spe- « ciale beneficium est ut jungat Deo, quod secernit de mundo. Unde « Apostolus ad hoc bonum nos incitat dicens: *Justificati ergo ex fide, « pacem habeamus ad Deum.* Cujus sententiæ brevitate, omnium fere « mandatorum continetur effectus: quia ubi fuerit veritas pacis, nihil « ibi potest deesse virtutis. Quid est autem, dilectissimi, pacem habere « ad Deum, nisi velle quod jubet, et nolle quod prohibet? Si enim « humanæ amicitiæ pares animas, et similes expetunt voluntates, nec « unquam diversitas morum ad firmam potest pervenire concordiam, « quomodo divinæ erit particeps pacis, cui ea placent, quæ Deo di- « splicent, et iis appetit delectari, quibus illum novit offendi? Non « est ille animus filiorum Dei, nec talem sapientiam recipit adoptiva « nobilitas. Genus electum, et regium regenerationis suæ respondeat « dignitati. Diligat quod diligit Pater, et in nullo ab auctore suo « dissentiat ».

Conclusio secunda. — PACEM ETIAM INTERNAM HOMINIBUS CUM SEIPSIS CONCILIAVIT.

Probant SS. Patres hanc veritatem, imprimis vero Sanct. Augustinus Tractatu 104. in Joan. ubi docens, quibus modis et mediis per Christum instituatur et firmetur interior pax nostra, *Pax*, inquit, *Christi finem temporis non habet, et ipsa est omnis piæ intentionis, actionisque perfectio. Propter hanc sacramentis ejus imbuimur: propter hanc mirabilibus ejus operibus et sermonibus erudimur: propter hanc Spiritus sancti pignus accipimus: propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter sine tribulatione regnemus.* Nondum quidem est perfecta et absoluta pax illa, nec suis omnibus numeris absolvetur, nisi in æterna beatitudine. Hinc duplicem pacem nobis a Christo promissam, aliam in præsenti, aliam in futuro sæculo sic distinguit, et sic expendit S. Augustinus tractatu 77. in Joan. expendens hæc verba Christi: *Pacem relinquo vobis:* ait autem: *Pacem nobis relinquit iturus: pacem suam nobis dabit in fine venturus: pacem nobis relinquit in hoc sæculo, pacem suam nobis dabit in futuro sæculo: pacem nobis relinquit, in qua manentes hostes vincimus: pacem suam nobis dabit, quando sine hoste regnabimus.* Ibidem etiam præclare observat sanctissimus Doctor hanc utramque pacem significasse Christum ibidem, cum primo dicit: *Pacem relinquo vobis*, nec addidit, *meam*, deinde subjecit, *Pacem meam do vobis.* Prior enim pax, inquit S. Augustinus, *nostra dicitur potius, quam ipsius: ille quippe nihil repugnat in seipso, qui nullum habet omnino peccatum: nos autem talem pacem habemus, in qua adhuc dicamus: dimitte nobis debita nostra. Est ergo pax aliqua, quoniam delectamur legi Dei secundum interiorem hominem: sed non est plena, quia videmus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ.* — Porro hanc internam pacem triplici ratione nobis potissimum conciliavit adorandus ille Mediator; nempe doctrina, exemplo, et auxilio, quæ omnia ad extinguendas in nobis animi perturbationes, et inducendam pacis ac tranquillitatis jucunditatem maxime conferunt. *Primo* quidem *doctrina* illius ad hoc maxime spectat, siquidem idcirco crucem quotidie tollendo, frænandas ac domandas cupiditates, voluptatum aspernandas illecebras, laboriosum per virtutes, et arduum iter capessendum in cælum, omnia denique fomenta vitiorum et blandimenta, divinis suis præceptis et institutis nos informat, ut veram, internam pacem, sedatis omnium passionum tumultibus, conciliaret. Quod utique præclare docet S. Ambrosius in Psal. 36. ubi exponens illa verba, *os justi meditabitur sapientiam*, ostendit conciliationem hominis utriusque interioris et exterioris Christi beneficio et doctrina factam. *Quod est justi os*, inquit, *quod meditabitur sapientiam, nisi interior homo? Duo enim sunt homines in singulis, unus interior, alter exterior, interior cogitat, quæ mentis sunt, quæ mentis sunt loquitur: exterior, quæ sunt corporis: tamen adveniens Dominus utrumque conjunxit, et duos in uno homine condidit, ne diversis sese impugnent motibus, sed invicem sibi voluntatum suarum unitate socientur. Ideo os justi meditabitur sapientiam: jam enim et ipse exterior homo justus in interioris hominis transfusus est disciplinam, et in ejus conformatus naturam, ipsius exercet officia, ut caro meditetur, quod mentis internæ est, sed ne hoc incredibile*

tibi videatur, audi Apostolum dicentem: quia Jesus transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fieret corpori gloriæ suæ. — Non præcepta dumtaxat Christianæ vitæ in Evangelicis et Apostolicis comprehensa litteris, sed multo magis Christi Domini præclara sanctimoniæ exempla hanc internam pacem in nobis instaurant. Quid enim aliud egit in omni vita, aut quo illius facta, cogitataque pertinebant, nisi ut perfectum absolutissimæ sanctitatis exemplar in se conderet, ac proponeret omnibus imitandum? Quoniam autem hæc perfectæ nostræ vitæ sanctimonia, et interna pax maxime in consensione et concordia posita est, hanc mirandam consensionem sic expressit et docuit divinus ille Salvator cum omnes suas appetitiones ex unius nutu divinæ voluntatis, arbitrioque suspendit, neque aliud præ se tulit, quam ut voluntati ejus obtemperaret, a quo in mundum missus venerat. Sic Joan. 3. *Non quæro,* inquit, *voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Item 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Et ibidem: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* — Postremo hanc ipsam privatam in unoquoque homine pacem adversus non solum omnes titillantes libidinum illecebras, ac blandimenta voluptatum, sed etiam contra tentationes quasque, suo præpotenti auxilio, ac abundantis gratiæ efficacitate ac copia in suis fidelibus firmavit et stabilivit, quo fit, ut his divinis præsidiis firmata, ac sublevata hominum imbecillitas facile ad æternæ pacis ac tranquillitatis portum et statum enitatur. Hinc longe potentiorem Christi gratiam in fidelibus, quam in Adamo, præclare demonstrat S. Augustinus lib. *De Correptione, et Gratia,* c. 12. *Quoniam,* inquit, *terrente nullo, et insuper contra Dei terrentis imperium libero hujus arbitrio, non stetit in tanta non peccandi facilitate. Isti autem non dico terrente mundo, sed sæviente, ne starent, steterunt in fide; cum videret ille bona præsentia, quæ fuerat relicturus, isti futura, quæ accepturi fuerant, non videre. Unde hoc? nisi donante illo, a quo misericordiam consecuti sunt, ut fideles essent, a quo acceperunt spiritum non timoris, quo persequentibus cederent, sed virtutis, et charitatis, et continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarent.*

Conclusio tertia. — CHRISTUS ETIAM TERTIUM GENUS PACIS CONCILIAVIT, NEMPE INTER HOMINES IPSOS.

Probatur ex celebrioribus Prophetarum oraculis, quibus significatur tantam futuram Messiæ tempore pacem et concordiam, ut sedatis ubique bellis omnes gentes summa tranquillitate ac pace fruantur. Sic Isaias cap. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes, et arguet populos multos, et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium; nec exercebuntur ultra ad prælium.* Addit ad ista Michæas 4. *Et sedebit subtus vitem suam, et subtus ficum suam, et non erit, qui deterreat.* Quibus verbis præclarissimi

Christi Prophetæ significant pacis et quietis affluentiam importandam per Christum. De qua autem pace, an civili et politica, an vero spiritali et divina intelligenda sint ista vaticinia, non consentiunt sacri Interpretes. Quidam enim existimant ista vaticinia referenda esse ad illam pacem, quæ imperante Augusto sub ortum Christi Domini contigisse dicitur. Ita S. Chrysostomus et Cyrillus in Isaiam, et Hieronymus in commentariis ad utrumque Prophetam. Verum cum Augusto superstite multa et atrocia bella, ac Romani imperii clades plurimæ intercesserint, non videtur illa prophetica promissio hoc sensu omnimode impleta: quocirca rectius dicendum arbitror cum aliis sacris Interpretibus, vaticinia ista prophetica referenda esse, non ad temporariam et externam pacem, sed ad spiritalem concordiam et tranquillitatem, quæ est etiam posterior SS. Hieronymi, et Cyrilli sententia. Sic imprimis illa vaticinia interpretatur Justinus Martyr in dialogo cum Triphone Judæo; sic Tertullianus in Scorpiaco cap. 13; sic maxime Rupertus lib. 2. in Michæam: *Nonne*, inquit, *istud coruscante Evangelio Christi passim per populos, et gentes factum esse legimus, et fieri videmus: dum viri prius inquieti, et bellicosi depositis armis bellicis, et ipso schemate, vel habitu immutato insignia fuerunt Evangelicæ pacis? Alii ad cœnobialem, alii ad eremiticam vitam conversi.* Idem habet lib. 1. in c. 9. Isaiæ. — Hanc interpretationem egregie probat, et illustrat S. Athanasius lib. *De Incarnatione Verbi Dei*, ubi Christi divinitatem hoc inter cætera argumento comprobat, quod pacis amorem et studium cultoribus suis ingeneraverit. « Siquidem olim, « inquit, idololatriæ dediti Græci pariter, et barbari contra se invicem « bella gerebant, et in cognatos crudeles erant. Non enim quisquam « poterat omnino terra, marive iter facere, nisi gladium manu præ- « ferens, propter implacabilia bella, quibus in se mutuo grassabantur. « Quippe vita omnis ipsorum per arma transigebatur, et pro baculo « ensis illis erat, in eoque fiduciam suam omnem ac præsidium col- « locabant. Atqui, ut jam dixi, simulacra venerabantur, et dæmonibus « sacra faciebant; ac nihil interim ex ista superstitione idolorum, qui « sic animo erant affecti, dedoceri potuerunt. Postquam autem ad « Christi disciplinam transierunt, tunc præter opinionem revera com- « punctis eorum animis, immanitatem illam cædium exuerunt, ut non « amplius bellicum et hostile nescio quid spirent, sed omnia sint eis « pacifica, et quæ ad pacem ac concordiam pertinent, mirifice illas « afficiant », etc. Hæc Athanasius. Addit Petavius hac etiam ætate hujus vaticinii veritatem impleri in efferis et ab omni derelictis humanitatis cultu nationibus, velut Indis, Brasiliensibus, Canadensibus, et Americanis cæteris, qui quamdiu patriis irretiti superstitionibus dæmones adorant, assidua inter se bella gerunt, ac leonum et luporum more, ex hostium carnibus dapes et visceraciones instruunt. At ubi Christiani facti sunt, repente posita feritate sic mansuescunt, ut pati, quam inferre, malint hostibus malum, eosque benefactis, et omnibus charitatis officiis demulceant.

SECTIO SECUNDA.

DE CHRISTO DOMINO REDEMPTORE, ET SALVATORE.

Quamquam Christum Dominum humani generis sub dira dæmonis captivitate lugentis redemptorem potentissimum ac beneficum esse testentur innumera Scripturarum oracula, nihilominus non defuerunt olim, nec etiam nunc desunt tam apertæ veritatis impugnatores hæretici. Enimvero ipsis etiam Apostolorum temporibus plurimi ex Judæis ad Ecclesiam recepti negabant sperandam esse salutem a Christo, ut colligitur ex epistolis S. Pauli, maxime ad Rom. et ad Gal. quarum potissimum argumentum usurpat Apostolus, ut suadeat et demonstret non ab alio expectandam redemptionem et salutem, quam ab ipso Domino Jesu Christo, qui venit in mundum quærere et salvum facere quod perierat. Quem errorem aliquanto post innovavit *Bassus* quidam circa annum 150. ut testatur Prateolus, quamquam nonnulli alii scriptores hunc Apostolis coævum faciant. Verum pridem extinctum hoc pestilens dogma ab inferis excitavit *Abailardus*, ut scribit S. Bernardus epist. 190. Hic enim inter cæteros errores, quos asserebat, etiam fatebatur, nec diabolum jus aliquod in hominem propter ipsius peccatum habuisse, sed Deo permittente solum fuisse veluti commentariensem et custodem illius, qui ipsum quasi in carcere peccati conclusum teneret: neque Verbum Dei carnem assumpsisse, ut hominem a peccato liberaret, sed ut charitatem suam erga illum manifestam faceret, ipsumque, tamquam cælestis ac divinus Doctor instrueret, et viam veritatis ac virtutis edoceret. Cum autem hisce postremis nostris temporibus hæresis vesana lues omnes turpissimas et execrandas quasque priorum temporum fæces collegerit, ut universam Ecclesiam inficeret, et Catholicam veritatem labefactaret ac pessundaret, hoc etiam præ cæteris hæresiarchis attentavit impiissimus *Socinus*, ut Christo Domino verum redemptoris nomen et munus adimeret, docens in lib. *De Christo salvatore*, redemptionem per Christum factam dumtaxat fuisse metaphoricam, nec pro nobis liberandis aliquam satisfactionem, aliquodve pretium æterno Patri solvisse. Igitur necessum est adversus ejusmodi errores Catholicum statuere dogma: nempe Christum Dominum revera esse humani generis redemptorem, quippe qui homines sub dæmonis captivitate lugentes proprio vitæ suæ, ac mortis pretio redemerit, et liberaverit, et eis vitam æternam ac omnia auxilia ad eam obtinendam conducentia fuerit promeritus.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM CHRISTUS DOMINUS VERUS FUERIT HOMINUM REDEMPTOR.

Notandum 1. Homines post peccatum primi parentis sub potestate diaboli revera detineri, ut egregie probat S. Bernardus adversus Abailardum epist. 190. cap. 5. ubi inter cætera refert eum asserere, « quod omnes Doctores nostri post Apostolos in hoc conveniunt, quod « diabolus dominium et potestatem habebat super hominem, et jure « eum possidebat, ideo scilicet, quod homo ex libertate arbitrii, quam

« habebat, sponte diabolo consensit. Ajunt namque, quod si quis ali-
« quem vicerit, victus jure victoris servus constituitur. Ideo inquit,
« sicut dicunt Doctores, hac necessitate incarnatus est Filius Dei, ut
« homo, qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis jure
« liberaretur a jugo diaboli. Sed ut nobis videtur, ait, nec diabolus
« umquam jus aliquod in homine habuit. forte Deo permittente, ut car-
« cerarius; nec filius Dei, ut hominem liberaret, carnem assumpsit ».
Quibus subdit S. Bernardus: « Quid in his verbis intolerabilius judi-
« cem, blasphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem,
« an impietatem? An non justius os loquens talia fustibus tunderetur,
« quam rationibus refelleretur? Nonne omnium merito in se provocat
« manus, cujus manus contra omnes? Omnes, inquit, sic: sed non
« ego sic. Quid ergo tu? Quid melius affers? Quid subtilius invenis?
« Quid securius tibi revelatum jactas, quod tot præterierit sanctos,
« effugerit sapientes? Aquas furtivas, et panes absconditos puto ap-
« ponet nobis iste ». Hæc Bernardus, qui post plura probat Catholicum dogma ex illo 2. ad Timoth. 2. *Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis; a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Cui testimonio egregium commentarium addit Bernardus hoc modo: *Audis ad ipsius voluntatem, et negas potestatem?* Ac si diceret: qui ab aliquo detinentur in carcere pro ipsius voluntate, etiam sub illius potestate vere esse dicuntur; nam malefactores non detinentur in carcere pro voluntate custodis, sed pro voluntate judicis et magistratus. Dominus etiam Joan. 14. diabolum appellat principem mundi hujus: *Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quicquam.* Et Lucæ 22. *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Potestatem diaboli vocat *potestatem tenebrarum.* Præterea ad Coloss. 1. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum.* Qualis vero sit potestas diaboli in homines post peccatum, non explicat Bernardus.

Notandum 2. Doctores Catholicos hanc diaboli in homines peccatores potestatem varie explicare. Aliqui enim eam sic intelligunt, ut homines eatenus traditi dicantur dæmoni propter peccatum, quatenus ipsos pro voluntate sua punit in inferno: ea vero ratione per Christum fuisse liberatos, quia ipse in se pertulit pœnas peccatis hominum debitas, ita ut homines, jam remisso peccato per gratiam Christi, æternis pœnis non subjaceant. *Verum* hæc sententia non videtur recedere ab errore Abailardi; sic enim diabolus solum esset veluti commentariensis et custos carceris, nec pro voluntate sua potestatem in homines captivos haberet; nam quod attinet ad pœnam, quam damnati in inferno subeunt, non pro ipsius voluntate eam ita patiuntur, ut ab ea liberare ipsos possit; neque etiam pro voluntate sua ita eos in carcere detinet, ut inde eripere valeat si velit. Verius igitur dicendum arbitror non solum hac ratione homines peccatores sub ejus potestate redigi, quod eos velut in carcere inclusos detineat, eisque pœnas infligat, sed etiam cum per peccatum primi parentis amiserint non solum gratiam habitualem, qua ut forma justi nascerentur, sed etiam gratiam sanctæ cogitationis, qua vincerent peccatum hoc modo auxiliis destituti dæmonum tentationibus et infestationibus subjacent; quibus procul dubio succumberent, nisi Christi gratia ad resistendum firmarentur, et robur

haberent. Quam utique sententiam probat S. August. lib. 13. *De Trinit.* cap. illo 12. his verbis: *Apostolus autem apertius hoc prædicat* ad Ephes. 2. *Et vos cum essetis mortui delictis, et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus, in desideriis carnis nostræ facientes voluntatem carnis, et affectionem, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri:* et paucis interpositis colligit in hunc modum: *Quocirca omnes homines ab origine sub principe sunt potestatis aeris, qui operatur in filiis diffidentiæ:* ubi plane docet S. Augustinus in eo homines traditos fuisse potestati principis aeris, et tenebrarum, quod ille operatur in eis desideria carnis, et affectiones pravas. Idipsum non obscure indicat Nazianzenus, oratione illa 24. non longe a fine, ubi ita scribit: *Nos enim a diabolo detinebamur, utpote qui venundati essemus sub peccato, ac vitium cum voluptate commutassemus.*

Notandum 3. Duplicem distingui posse liberationem, aliam quidem propriam et stricte sumptam, aliam vero impropriam et metaphoricam. Prior est, qua quis eripitur et liberatur a captivitate per solutionem pretii, de quo convenit inter redimentem, et eum qui captivum detinet; qua ratione ordinarie solvuntur omnes captivi: alia vero est qua quis e captivitatis jugo educitur nullo soluto pretio. Sic *Exodi* 15. Deus dicitur redemisse populum Israeliticum de captivitate Ægypti: et *Deuteronomii* 13. Moyses eadem loquendi formula utitur ad significandam illam libertatem, qua donati sunt Israelitæ cum educti fuerunt in manu potenti et brachio extento de terra Ægypti. Concedit quidem Socinus Christum nos redimisse hoc postremo redemptionis genere, non vero priori: contra cujus hæreticum dogma sit

Conclusio prima. — Christus revera nos redemit e captivitate diaboli per suam mortem. Hæc est determinata in Concilio Trid. sess. 6; nam postquam ostendit Concilium in primo capite, infirmitatem naturæ nostræ ex peccato Adæ contractam, et docuit nos factos fuisse servos peccati et diaboli, cap. 2. definit adventum Christi fuisse in redemptionem generis humani. *Confirmatur* ex epistola Innocentii II. ad Archiepiscopos Senonensem, et Rhemensem, qui in Concilio Senonensi cum suis suffraganeis Abailardi errores damnaverant, quam damnationem ipse Pontifex approbat, et confirmat his verbis: *Nos qui in Beati Petri cathedra, cui a Domino est dictum: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, licet indigni residere conspicimur: communicato fratrum nostrorum Episcoporum et Cardinalium concilio, destinata nobis a vestra discretione capitula, et universa ipsius Petri perversa dogmata SS. Canonum auctoritate cum suo auctore damnavimus, eique tamquam hæretico perpetuum silentium imposuimus: universos quoque erroris sui sectatores et defensores a fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodandos esse censemus. Datum Laterani* 17. *Kalendas Augusti.*

Hanc veritatem probat S. Bernardus adversus Abailardum: 1. ex Scriptura sacra. Nam S. Apostolus 1. ad Timoth. 1. sic ait: *Unus est enim Deus, unus mediator Dei et hominum Christus Jesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et ad Cor. 11. *Hic calix Novum*

Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Et ad Ephes. 1. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus.* Quibus subdit Bernardus Abailardum alloquens : *Cur*, inquit, *per sanguinem, quod potuit facere per sermonem?* Cui respondet S. Bernardus: *Ipsum interroga : mihi scire licet quod ita : cur ita non licet : numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me finxisti sic?* His addi possunt illud ad Titum 2. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate :* et ad Hebræos 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum... per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventa.*

Probat secundo cap. 9. ex eo, quod Christi adventus non solum adultis, sed etiam parvulis profuerit: « igitur Christus non solum venit « solius instructionis, sed etiam liberationis causa. Nihilne, inquit, « proderit eis adventus Christi, nihil quod complantati sunt similitu- « dini mortis ejus per baptismum; quoniam nondum possunt prohibente « ætate Christum sapere, aut amare? Redemptio itaque, ait, nostra est « illa summa in nobis per Christi passionem dilectio: ergo parvuli non « habent redemptionem, quia non habent summam illam dilectionem? « An sicut non habent unde diligant, ita nec unde pereant, ut non sit « eis in Christo necessaria regeneratio, utpote quibus regeneratio « ex Adam nihil nocuerit? Si hoc sapit cum Pelagio, desipit. Quidquid « eorum sentiat, patet quantum humanæ sacramento salutis invideat; « quantum, quod in ipso est, evacuet alti dispensationem mysterii, « quia totum de salute tribuit devotioni, regenerationi nihil: qui no- « stræ gloriam redemptionis, et summam salutis non in virtute crucis, « non in pretio sanguinis, sed in nostræ constituit conversationis pro- « fectibus. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu « Christi, in quo est salus, vita, et resurrectio nostra. Et quidem tria « quædam præcipua in hoc opere nostræ salutis intueor: *formam hu- « militatis*, in qua Deus semetipsum exinanivit; *charitatis mensuram*, « quam usque ad mortem, et mortem crucis extendit; *redemptionis « sacramentum*, quo ipsam mortem, quam pertulit, substulit. Horum « duorum priora sine ultimo sic sunt, ac si super inane pingas. Ma- « gnum profecto, et valde necessarium humilitatis, magnum et omni « acceptione dignum charitatis exemplum, sed non habent funda- « mentum, ac proinde nec statum, si desit redemptio ».

Plura objiciebat Abailardus in confirmationem sui erroris, ut refert et refellit S. Bernardus c. 8; dicebat enim: quomodo justificari nos, vel reconciliari Deo per mortem Filii ejus, dicit Apostolus, qui tanto amplius adversus hominem irasci debuit, quanto amplius in crucifigendo filium suum deliquerunt, quam in transgrediendo primum ejus præceptum, unius pomi gustu? — **Respondet S. Bernardus**, potuisse in uno, eodemque facto, et displicere iniquitas malignantium, et placere pietas patientis.

Instabat Abailardus: Quod si tantum fuerat illud Adæ peccatum, ut expiari non posset nisi morte Christi, quam expiationem habebit ipsum homicidium, quod in Christo commissum est? — **Respondet S. Bernardus**, id fieri per ipsum sanguinem, quem fuderunt, interpellationem illius, quem occiderunt.

Urgebat Abailardus: Nunquid mors innocentis Filii in tantum Deo Patri placuit, ut per ipsum reconciliaretur nobis, qui hoc peccando commisimus, propter quod innocens Dominus est occisus; nec nisi hoc maximum fieret peccatum, illud multo levius potuit ignoscere? — **Respondet S. Bernardus:** « Non mors, sed voluntas placuit « sponte morientis, et illa morte expungentis mortem, operantis sa- « lutem, restituentis innocentiam, triumphantis principatus et pote- « states, spoliantis inferos, ditantis superos, pacificantis quæ in Cælo « sunt, et quæ in terra, omnia instaurantis. Et quoniam hæc tam « pretiosa mors voluntarie suspicienda adversus peccatum, non tamen « poterat fieri, nisi per peccatum, non delectatus quidem, sed tamen « bene usus malitia sceleratorum, et mortem de morte, et de peccato « damnavit peccatum. Et quanto illorum major iniquitas, tanto hujus « voluntas sanctior, et eo potentior ad salvandum, quatenus tanta me- « diante potentia antiquum illud grande peccatum, necessario tamen « huic, quod in Christum commissum est, cederet tamquam minus « majori. Nec peccato sive peccantibus adscribitur hæc victoria, sed « bene utenti peccato, et peccantes fortiter perferenti, et convertenti « in usum pietatis quidquid in ipsum ausa est crudelitas impiorum. « Fuit vero sanguis, qui effusus est, tam potens ad ignoscendum, ut « ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est, ut effunderetur, « deleret, ac per hoc de antiqui illius utpote levioris deletione nullam « omnino dubietatem relinqueret.

« Instabat: Cui vero, non crudele, et iniquum videtur, ut san- « guinem innocentis in pretium aliquod quis requisierit, aut ullo modo « ei placuerit innocentem interfici, nedum Deus tam acceptam Filii « mortem habuerit, ut per ipsam universo reconciliatus sit mundo? — « **Resp. S. Bern.:** non requisivit Deus Pater sanguinem Filii, sed tamen « acceptavit oblatum, non sanguinem sitiens, sed salutem, quia salus « erat in sanguine. Salus plane, et non sicut iste sapit, et scribit sola « charitatis extensio. Sic enim concludit tot calumnias, et invectiones « suas, quas in Deum tam impie, quam imperite evomuit, ut dicat « totum esse, quod Deus in carne apparuit, nostram de Verbo, et « exemplo ipsius institutionem; sive ut postmodum dicit, instructio- « nem, totum quod passus et mortuus est, suæ erga nos charitatis « ostensionem, vel commendationem ». *Hæc S. Bernardus.*

Conclusio secunda. — Christus nos redemit de captivitate diaboli, et Dei vindicta, redemptione proprie dicta. Hæc pariter est de fide contra impium, et blasphemum Socinianorum dogma; et

Probatur: Redimere aliquem proprie est captivum e manibus illius, qui eum detinet, pretio ei soluto liberare: at Christus nos captivos, hoc est reos iræ Dei propter peccata, et Satanæ mancipatos, ab ira Dei, atque potestate Satanæ nos liberavit morte sua, tamquam vero pretio pro nobis soluto: nam (ipso Socino fatente) pretium vocatur, non pecunia tantum, sed quidquid ut ei satis fiat, qui captivos detinet, penditur: igitur Christus nos proprie redemit. *Majorem* admittit Socinus. *Minorem* tradit et confirmat Scriptura sacra illis omnibus Scripturæ textibus in prima Conclusione laudatis, quibus addere licet illud

Matth. 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.*

Objicit Socinus: Plerumque in Scriptura sacra verbum *redimere*, dumtaxat metaphorice usurpatur, nempe pro eodem ac *liberare*, aut sibi asserere, quamvis veri pretii solutio aliqua non interveniat, ut constat ex illis omnibus Scripturæ textibus, Exodi 15. v. 13. Deuteronomii 7. et 9. v. 26. 2. Regum 7. v. 23. Psalm. 77. v. 16. quibus asseritur Deum redemisse populum ex servitute ægyptiaca: ibi enim redemptio metaphorice dumtaxat accipitur, videlicet pro liberatione nullo soluto pretio: igitur eodem modo intelligendi sunt omnes illi Scripturæ textus, quibus significatur Christi mortem nos redemisse. — **Negat consequentiam** Anti-Socini Auctor, et merito quidem; non enim a particularibus ad omne particulare seu universale argumentari licet. *Adde quod* inter corporalem liberationem Judaici populi ex Ægypto, et spiritalem illam, quæ facta est per Christi mortem, magna sit dissimilitudo; illa enim liberatio Israelitarum fieri potuit per solam Dei potentiam, absque ullo soluto pretio, quia injusta erat illa captivitas: hæc fieri non potuit nisi pretio soluto propter immutabilem justitiam, et veritatem Dei. Propter *veritatem*, inquam, quia homini dixerat Deus: si peccaveris morte morieris: igitur ut impleretur hujus divini oraculi veritas, oportuit ut interveniret mors, aut ipsius rei, aut alterius, qui eum ab hac sententia liberaret. Propter *justitiam* pariter: tum quia jus Dei hoc esse testatur Scriptura, ut qui peccant, morte sint digni, juxta illud ad Rom. 1. *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte:* tum quia, inquit S. Bernardus supra laudatus c. 5. diabolus non solum potestatem, sed et justam habuit in homines, quam sic explicat: « Cæterum, inquit, etsi justam dicimus diaboli potestatem, non tamen « et voluntatem. Unde non diabolus, qui invasit; non homo, qui meruit, sed justus Dominus, qui exposuit: non enim a potestate, sed « a voluntate justus, injustusve quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam « in hominem jus, etsi non jure acquisitum, sed nequiter usurpatum, « juste tamen permissum. Sic itaque homo justus tenebatur, ut tamen « nec in homine, nec in diabolo illa esset justitia, sed in Deo. *Unde « concludit cap. sequenti:* juste igitur homo addictus, sed et miseri« corditer liberatus. Sic tamen misericorditer, ut non defuerit justitia « quædam in ipsa liberatione; quoniam hoc quoque fuit de misericordia liberantis, quod congruebat remediis liberandi. justitia magis « contra invasorem, quam potentia uteretur. Quid namque ex se agere « poterat, ut semel amissam justitiam recuperaret homo servus peccati, vinctus diaboli? Assignata est ei proinde aliena, qui caruit « sua; et ipsa sic est: venit princeps hujus mundi, et in Salvatore « non invenit quicquam, et cum nihilominus innocenti manus injecit, « justissime quos tenebat amisit, quando is, qui morti nihil debebat, « accepta mortis injuria, jure illum, qui noxius erat, et mortis debito, « et diaboli solvit dominio. Qua enim justitia id secundo homo exigeretur? homo siquidem, qui debuit; homo, qui solvit. Nam, *si « unus*, inquit Apostolus, *pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui « sunt:* ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium « peccata unus ille portavit: nec alter jam inveniatur, qui fœde fecit,

« alter qui satisfecit : quia caput, et corpus unus est Christus. Satis-
« fecit ergo caput pro membris, Christus pro visceribus suis, et quando
« juxta Evangelium Pauli, quo convincitur mendacium Petri (Abai-
« lardi) mortuus pro nobis conviviticavit nos sibi, donans nobis omnia
« delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod
« erat contrarium nobis : et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci,
« expolians principatus, et potestates ». Hæc S. Bernardus. *His adde*, quod spiritalis redemptio per Christum facta ita describitur, ut omnia ad propriam redemptionem requisita in ea concurrant. Siquidem (ipso etiam fatente Socino) in vera redemptione, *primum* requiritur captivus, qui est genus humanum. *Deinde*, captivum detinens, qui est tum ira et justitia Dei, tum diabolus. Requiritur *præterea* Redemptor, qui est Christus. *Postremo* desideratur pretium, quod est mors, et sanguis Christi. Igitur quantumvis verbum *redimo* in cæteris Scripturæ textibus improprie et metaphorice accipiatur de simplici liberatione, necesse est illud proprie intelligere cum explicat Christi redemptionem.

Objicit 2. Sanctus Stephanus Act. 7. vocat Moysem redemptorem : at is redemit nullo pretio dato : ergo sic etiam Christus. *Confirmat.* antitypus debet esse conformis suo typo : at Moyses, et liberatio per eum facta fuit typus Christi, et salutis per eum partæ : ergo quemadmodum Moyses redemit Israëlitas nullo soluto pretio, sic et Christus nos redemisse dicendus est. *Insuper*, Zacharias in Cantico Lucæ 1. redemptionem per Christum factam comparat cum ea, quæ facta fuit per Moysem ; ait enim : *Fecit redemptionem plebis suæ*, quæ verba exacte respondent illis Psalmi 111. *Redemptionem misit Dominus populo suo*, ubi sermo est de liberatione Ægyptiaca : ergo redemptio per Christum facta tantum est liberatio sine pretio, sicut liberatio facta per Moysem. — **Respondeo ad argumentum**, negando *consequentiam*, siquidem a particulari non est consequentia. *Adde quod* est dissimilitudo inter utramque redemptionem Moysis, et Christi. Nam Moyses fuit redemptor tantum a tyrannide Pharaonica, ad quod exequendum dumtaxat opus erat auctoritate et potestate divina : at Christus nos redemit ab ira Dei, Rom. 5. 9. et a potestate tenebrarum, diaboli, et mortis, Coloss. 1. v. 13. Heb. 2. v. 14. 15. idque per sanguinem suum, testante ibidem Apostolo : *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.* — *Ad primam confirmationem* dico, quod non debeat esse par ratio inter typum, et antitypum, etsi enim analogice conveniant in multis, tamen necesse est in plurimis discrepare. Conveniunt quidem Christus, et Moyses, quod uterque fuit mediator, uterque redemptor; sed discrepant ratione personæ, et officii, et effectorum, siquidem Moyses tantum homo, et servus Dei ; Christus homo, et Filius Dei : Moyses mediator typicus, et temporalis Veteris Testamenti ; Christus mediator significatus, et æternus, tam Veteris, quam Novi Testamenti, præcipue autem Novi propter apparitionem, et consummationem redemptionis in novo: Moyses liberator ex Ægypto ; Christus redemptor ab ira Dei, maledictione, peccato, morte : Moyses redemptor absque morte, et sanguine proprio ; Christus redemptor per mortem, et sanguinem proprium : Moyses largitor terræ promissæ; Christus hæreditatis, et vitæ æternæ. Longe igitur diversa est Moysis, et Christi redemptio. — *Ad secundam confirmationem* nego *antecedens* : sive enim

Zacharias respexerit ad locum Psal. et ad typum liberationis Ægyptiacæ, sive non, prædicat ipsam redemptionem factam per Christum non aliam, quam quæ a SS. Apostolis declaratur peracta esse per sanguinem, et mortem ipsius, qualis minime fuit liberatio per Moysem.

Objicit 3. Redemptio proprie dicta fieri debet ab eo, qui captivum detinet: at Christus nos non redemit a captivante, seu captivos detinente: igitur illius redemptio non est proprie dicta. Probat *minorem* primo, quia ad Titum 2. v. 14. dicimur redimi ab iniquitatibus nostris per Christum, *qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate,* et 1. Petri 1. v. 18. dicuntur fideles redimi *de vana conversatione paternæ traditionis.* et ad Thess. 1. dicimur *liberati ab ira,* idest, a supplicio impiis debito: sed illæ redemptiones non sunt proprie liberationes a captivitate: igitur non proprie, sed improprie tantum dicimur redimi per Christum. — **Respondeo** *primo,* negari posse *majorem:* redemptio enim proprie dicitur fieri non tantum ab eo, qui principaliter detinet captivos, sed etiam ab eo, qui minus principaliter; item a captivitate ipsa, omnibusque ejus adjunctis, puta a carcere, a sordibus, et squalore carceris, a servitute et tyrannide hostili, a vinculis, a tortura, a metu mortis, a morte denique, quæ sæpe manet captivos nisi fiat redemptio: ab his autem omnibus testatur Scriptura nos redemptos per Christum. Quid enim erat nostra captivitas, nisi alienatio, et abjectio a Deo propter peccatum, et mancipatio sub potestate dæmonis? Ab hac nos redemit Christus per mortem, nobis promerendo reconciliationem cum Deo: *Si enim cum inimici essemus,* inquit Apostolus ad Rom. 5, *reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Sordes carceris, et laquei, quibus captivos tenebat diabolus, quid erant nisi peccata, iniquitates, et vana conversatio nostra, a quibus Christus nos liberavit? A servitute denique, tyrannide, et metu inimicorum nostrorum, diaboli, inferni, et mortis liberati dicimur per Christi mortem, Heb. 2. — *Respondeo secundo* negando *minorem:* falsum enim est, quod non fuerimus detenti captivi ab iniquitatibus, a vana conversatione nostra, et ab ira Dei, seu indignatione propter peccata; siquidem *ira Dei* non tantum significat supplicium et pœnam, sed etiam ipsam Dei indignationem: ab his autem omnibus revera captivi tenebamur; nam captivi detinentur, non solum a judice, aut a lictore, vel tortore; sed etiam a carcere, a vinculis, a judicis indignatione, et sententia. His autem omnibus, ut mox dictum est, eramus subditi. Hinc Heb. 2. v. 15. dicimur liberari per Christum *a metu mortis:* et Oseæ 13. v. 14. *a morte ipsa:* et Roman. 5. *ab ira Dei*, hoc est a justitia vindicatrice: non tamen dicimur redempti *a Deo,* quia per redemptionem non debuimus abstrahi a Deo quasi a malo, sed eidem reconciliari tamquam summo bono, a quo per peccatum fueramus abalienati: sed dicimur liberari ab ejus justitia vindicatrice, quæ Rom. 1. v. 32. secundum editionem Græcam dicitur *ira Dei:* quod utique confirmatur, quia ad Gal. 3. v. 13. dicitur, quod *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum:* ergo etiam nos redemit a justitia Dei vindicatrice; quid enim aliud est execratio legis, quam damnationis sententia a Deo in lege adversus peccatores juste pronuntiata?

Urget Socinus: Execratio legis non significat justitiam Dei, cui

satisfaciendum esset, sed execrationis pœnam a lege statutam; a qua pœna redempti sumus: sed non sumus redempti ab illa pœna per veram redemptionem, quia ridiculum esset dicere, quod isti pœnæ pretium solutum fuerit, sed dumtaxat dicimur ab ea redempti, quia ab illa fuimus exempti: igitur, etc. — **Respondeo**, execrationem legis dupliciter accipi, nempe active, et passive. Et quidem *passive* significat execrationis pœnam a lege statutam, ut vult Socinus; sed *active* est vox, vel sententia legis execratione damnantis, seu ipsa lex execrans peccantes. Quid autem est vox legis, nisi vox Dei? et lex execrans, nisi Deus execrans, idest, nisi Deus iratus? et ira Dei, nisi justitia? Igitur execratio legis active significat justitiam Dei. Quamquam autem Apostolus asserat nos redemptos ab utraque execratione, tam activa, quam passiva, per Christum; tamen *primo* loquitur de execratione legis, ut est sententia legis, seu vox Dei execrantis; secundario vero, ut est execrationis pœna. Nam ibidem v. 10. ait: *Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea:* igitur falso, et imperite contendit Socinus Apostolum, per execrationem legis non significare justitiam Dei, a qua dicimur redempti, sed tantum pœnam peccati.

Objicit 4. In vera redemptione concurrunt omnes hæ conditiones: 1. est aliquis captivus: 2. est aliquis captivum detinens: 3. est redimens captivum a detinente: denique est pretium, quod persolvitur detinenti. In Christi redemptione non concurrunt omnes hæ conditiones: est quidem captivus, nempe genus humanum: est detinens, nempe peccatum, diabolus, mundus, et, qui peccatum sequitur, mortis æternæ reatus: est redimens, Deus, sive Christus, per quem Deus liberationem nostram confecit: est et pretium, ipse Christus, seu vita Christi: sed deest extrema conditio, quod pretium non est persolutum detinenti, nempe peccato, diabolo, etc. Non igitur est vera redemptio. Vel compendiosius: in vera redemptione pretium accipit is, qui captivum detinet: in Christi redemptione pretium non accepit diabolus: non igitur omnino veræ redemptioni respondet. — **Respondet Anti-Socinus**, quod etiamsi daretur conclusio, redemptionem spiritualem et æternam non exacte respondere omnibus conditionibus redemptionis externæ corporalis, non tamen imperiti staret hæretici blasphemia: quandoquidem spiritualis, et corporalis captivitatis, et sic etiam redemptionis in plurimis disparem rationem esse necesse est, ut diximus supra. *Major* igitur, licet de redemptione externa vera esse possit, de spirituali tamen potest negari. Sed quidquid sit de *majore, minorem* ut multis modis falsam negamus. *Primo*, falsum, quod is, qui nos captivos detinet, vel solus vel præcipuus sit diabolus, peccatum, mundus, mors; nam qui primo peccatores detrusit, ac suo jure detinet in carcere damnationis, est ipse Deus; ista vero, quæ nominat hæreticus nos non primo sed secundario, nec suo jure sed alieno, hoc est, Dei, diabolus quidem ut lictor, et apparitor judicis Dei, peccatum ut laquei, mundus ut mors, ut carceres tormenta. Dei autem primo et jure nos esse captivos probatur argumentis et testimoniis Scripturæ. Argumentis quidem: *primo*, quia Deus Monarcha, et Judex omnium, solus habet potestatem abjiciendi corpus et animam in gehennam.

Secundo, sumus rei læsæ divinæ majestatis per peccatum : *Tibi soli peccavi :* ergo a divina majestate sumus abjecti. *Tertio*, sumus natura filii iræ Dei : *ira Dei revelatur de cœlo : super infideles manet ira Dei :* ergo iram Dei ut judicis luimus. *Quarto*, non a satana, sed a Deo petimus dimitti nobis peccata, hoc est laxari vincula æternæ damnationis : non igitur a satana tantum, sed a Deo judice tenemur constricti primo. Hoc ipsum etiam confirmant Scripturæ testimonia ; nam ad Rom. 11. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*. Item 2. Petri 2. Deus est *qui Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Quanto magis homines peccantes, satanæ tamquam tortoris potestati tradidit? Idem confirmat parabola Regis irati tradentis tortori servum nequam. Matth. 18. 3. 4. Nam rex iste Deus est : et Christus Matth. 25. præcipiens ignoscentiam fraternam, dum sumus in via, ne judex nos tradat apparitori, et conjiciamur in carcerem. Ex quibus palam est nos per peccatum captivos esse ex ordinatione Dei, tamquam Regis, et judicis offensi, primo, et jure summæ potestatis ; Satanæ vero, et peccati secundario, tamquam tortoris, aut vinculorum, quibus nos tradidit Deus justo judicio. Quæ vero loca Scripturæ potestatem satanæ in nos tribuunt, 2. Timoth. 2. 36. Coloss. 1. 13. etc. de secundaria tantum potestate loquuntur, quam a Deo judice dæmones in homines peccatores acceperunt, sicut tyranni ; de qua Christus: *Non haberes in me potestatem ullam, nisi data tibi esset desuper*. Nam Deus est, qui solus habet potestatem super omnes plagas, Apocal. 16. 9. absque cujus nutu satan nec porcum potest invadere, Matth. 8. 31. Blaspheme igitur errat hæreticus summum jus Dei in diabolum transferens.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM NECESSE FUERIT HUMANUM GENUS PER MORTEM CHRISTI REDIMI.

Notandum 1. Duplicem distingui posse necessitatem quantum ad præsens institutum : unam consequentis, alteram consequentiæ. *Necessitas consequentis* est necessitas alicujus non ratione illius dumtaxat ex aliquo antecedente, sed ratione sui, quando, v. gr. secluso antecedente, manet consequens in se necessarium. Hoc modo hominem risibilem esse necessarium est, unde cum dicitur, *homo est, ergo risibilis est*, illud consequens censetur necessarium ratione sui ; licet non possit esse risibile nisi sit homo tamquam subjectum talis proprietatis. *Necessitas consequentiæ* est necessitas alicujus sola ratione positionis antecedentis, quomodo hominem moveri, si currat, necessarium est, quia dato cursu, non potest non moveri, licet utrumque illud, v. g. tam moveri, quam currere sit simpliciter contingens respectu hominis. Cum quæritur itaque, an necessarium fuerit genus humanum redimi per passionem Christi, dubitatur merito, an de necessitate consequentis, et absoluta ; an vero potius de necessitate consequentiæ, seu conditionata, instituatur quæstio.

Notandum 2. Seu potius revocandum ex prima Disp. art. 3. sect. 3. quæst. 1. S. Anselmum varia circa præsentem difficultatem proferre, quæ omnia ad quatuor propositiones revocat Doctor Subtilis in 3.dist. 20.

quæst. 1. *Prima est:* necessarium fuit hominem redimi. *Secunda,* homo non potuit redimi sine satisfactione. *Tertia,* non potuit illa satisfactio ab alio exhiberi, quam a Deo-Homine. *Quarta* est, quod illa satisfactio fieri debuerit per mortem Christi. *Primam* propositionem probat S. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo,* c. 1. Quia, inquit, Deus nihil agit frustra : at hominem frustra condidisset, si illum reliquisset in suo peccato : ergo debuit Deus ex necessitate sui modi operandi redimere hominem. *Secundam* probat lib. 1. cap. 24. et 25. Quia, inquit, injustus est homo, qui non Deo reddit quod debet, injustus est etiam, si non reddat homini quod debet : sed nullus injustus admittitur ad beatitudinem æternam : ergo qui non solvit Deo quod debet, non salvabitur : sed omnis peccator abstulit a Deo honorem sibi debitum : igitur quousque satisfecerit, est debitor, et injustus. Nec dici potest, inquit, hominem potuisse excusari propter impotentiam, aut potuisse illi condonari per misericordiam. Non primum, quia impotentia quidem excusaret, si in culpam homo non se sponte dejecisset : non etiam secundum, quia dicere, quod Deus remittit aliquid per misericordiam, quia non potest aliter, illud ridiculum est : ergo simpliciter debuit homo redimi per satisfactionem. *Tertiam* probat ; quia, inquit, requiritur ex parte satisfacientis, quod magis offerat Deo, quam valeat tota creatura. *Quartam* denique probat, quia homo peccaverat per suavitatem : ergo redimi debebat per asperitatem : nihil autem asperius, aut difficilius, aut majus sub Deo potest homo ad honorem Dei sponte, et non ex debito pati, quam mortem : igitur Christus homo, qui major erat omnibus, debuit satisfacere per mortem.

Notandum 3. Non defuisse Deo innumeros alios modos salvandi homines, quam per mortem proprii Filii, ut alias probavimus, et egregie declarat S. Bernardus epistola 190. cap. 8. his verbis : « Quis negat « Omnipotenti ad manum fuisse alios et alios modos nostræ redem- « ptionis, justificationis, liberationis ? Verum hoc non præjudicat hujus, « quem e multis elegit, efficaciæ. Et fortasse is præstat, per quem in « terra oblivionis, gravedinis, lapsus nostri, tot et tantis gravaminibus « Reparatoris fortius, et vivacius admoneremur. Alias autem nemo « hominum novit, nec noscere ad plenum potest quid boni ad gratiam, « quid congruentiæ ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid com- « modi ad salutem, penes seipsam contineat hujus venerandi mysterii « inscrutabilis altitudo, quam Propheta considerans expavit, non pe- « netravit ; Præcursor Domini indignum se judicavit, qui penetraret ». His præmissis, duo sunt hic determinanda: *Primum,* quod non oportuit absolute, sed tantum conditionate Christum nos redimere per suam mortem : *Secundum,* quod tamen revera per suam mortem, et passionem nos redemerit soluto pretio sui sacri sanguinis.

Conclusio prima. — Non fuit necessarium simpliciter hominem redimi per mortem Christi, sed tantum necessarium necessitate consequentiæ.

Patet conclusio quoad utramque partem ex iis omnibus, quæ diximus de satisfactione Christi, ubi demonstratum est non defuisse Deo alios modos reparandi hominem, quam per mortem Filii sui. Quod egregie SS. Patres explicant, maxime S. Augustinus, lib. 13. *De Trinit.*

cap. 10. *Contra eos, qui dicunt, defuisse Deo alium modum, quo homines a peccato liberaret,* sic ait: *Parum est sic refellere, ut istum modum, quo nos per mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum Deus liberare dignatur, asseramus bonum, ei divinæ congruum dignitati: verum etiam, ut ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent.* Toto autem illo capite, et seqq. solum ostendit convenientiam hujusmodi. — *Deinde,* alium fuisse possibilem ostendit cap. 13. in principio his verbis: *Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit: nam quid Omnipotente potentius? aut cujus potestas creaturæ potestati Creatoris comparari potest?* Sentit ergo Deum potuisse nos alio modo liberare, si potentia sua uti voluisset. Idem docent cæteri Patres. S. Leo sermone *De Nativitate,* cap. 3. ubi ait: *Misericordia Dei cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ.* Et sermone 12. *De Passione Domini* idem habet. Quibus concinit S. Gregorius l. 17. *Moral.* cap. 18. necnon et alii SS. Patres a nobis commemorati agendo de satisfactione Christi Domini.

Colligendum est ergo cum Doctore, « non fuisse necessarium, quod « Christus homo redimeret hominem per mortem nisi necessitate con- « sequentiæ, scilicet posito, quod ordinaverit sic illum redimere; sicut « si curro, moveor: hæc est necessitas consequentiæ: sed *antecedens* « est simpliciter contingens, et similiter *consequens*, scilicet me cur- « rere, et me moveri. Similiter Christum pati mortem fuit contingens, « sicut contingens fuit ipsum prævideri passurum: nulla ergo est ne- « cessitas nisi consequentiæ, scilicet si prævisus fuit pati, patietur: « sed tam *antecedens*, quam *consequens*, fuit contingens ». Ita Subtilis Doctor. Ex quibus infert num. 10. « quod Christus passus est propter « justitiam: vidit enim mala Judæorum, quæ fecerant, et quomodo « inordinata affectione et distorta afficiebantur ad legem suam, nec « permittebant hominem curari in sabbato, et tamen extrahebant ovem, « vel bovem de puteo in sabbato, et multa alia: Christus igitur vo- « lens eos ab errore illo revocare per opera et sermones, maluit mori, « quam non facere, quia tunc erat veritas dicenda Judæis, et ideo « pro justitia mortuus est. Tamen de facto sua gratia passionem suam « ordinavit, et obtulit Patri pro nobis, et ideo multum tenemur ei: « ex quo enim aliter potuisset homo redimi, et tamen ex sua libera « voluntate sic redemit, multum ei tenemur, et amplius, quam si sic « necessario, et non aliter potuissemus fuisse redempti; ideo ad alli- « ciendum nos ad amorem suum, ut credo, hoc præcipue fecit, quia « voluit hominem amplius teneri Deo: sicut si aliquis genuisset primo « hominem, et postea instruxisset eum in disciplina, et sanctitate, « amplius obligaretur ei, quam si tantum genuisset eum, et alius in- « struxisset; sed hæc est utilitas, non necessitas ».

Objicies 1. Si Christi passio non fuisset absolute necessaria, non debuisset a Deo ordinari: sed ordinata est: ergo fuit absolute necessaria ad hominum salutem. *Probatur major:* Deus ordinare non debuit privationem, et jacturam tanti boni, qualis est vita Christi, nisi hoc judicaverit esse absolute necessarium ad finem ordinatum conse-

sequendum; nemo namque sapiens rem aliquam summi pretii impendit pro eo obtinendo, quod re minoris utilitatis, et pretii posset assequi. — **Nego majorem**, hoc nempe ordinavit Deus, non ex necessitate, sed ex infinito erga homines amore, et nimia charitate qua flagrabat erga humanum genus, ut alias declaravimus, et mox declaravit Doctor.

Objicies 2. Quilibet actus bonus Christi erat satisfactio sufficiens: ergo non erat necessaria, etiam necessitate consequentiæ, satisfactio et redemptio per mortem Christi. *Probatur antecedens:* quia quilibet actus, ut actus est, est quid melius, quam passio. *Deinde*, quilibet actus Christi, cum ab ejus sola persona pendeat, majorem habet dignitatem, quam passio, quæ ab aliis infertur. *Denique*, istud est magis acceptum Deo, quod nullum prorsus habet annexum crimen, quam quod aliquo crimine consequenti inficitur: actus autem quilibet Christi nihil habebat, nec ex se, nec ex consequenti, quod crimem redoleret; passio vero Christi annexa habebat crimina ipsum crucifigentium: igitur minoris videtur fuisse dignitatis et utilitatis ad redemptionem hominum, quam quilibet ejus actus. — **Nego consequentiam**: quamvis enim actus sit præstantior passione, quia tamen Deus ordinaverat ut homines redimerentur potius per passionem, quam per actus, hinc est, quod necessitate consequentiæ convenientius fuerit humanum genus redimi per Christi passionem, quam per ejus actus. Addit Doctor num. 11. Quamvis actus quilibet bonus sit melior, quam passio, quæ non oritur ex imperio actus boni; tamen actus, quo imperatur aliqua passio est laudabilior, quam actus virtutis, qui versaretur circa objectum delectabile; unde, inquit, actus virtutis circa tristabile est magis meritorius, quam actus virtutis circa delectabile, et passiones voluntariæ concomitantes actum virtutis simul acceptæ sunt magis meritoriæ, quam actus tantum. Unde Salvator de Paulo dixit Actor. 9. *Ostendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati:* non dixit: quanta eum oportet agere. Quod ergo Christus voluit sic pati, processit ex amore intenso finis et nostri, quo dilexit nos propter Deum.

Objicies 3. Christus per mortem suam non potuit redimere eos, qui ipsi mortem intulerunt: ergo nec totum genus humanum. *Probatur antecedens:* quia tantum malum erat actio privans vita Christum, quantum bonum erat vita Christi. *Insuper:* odium occidentium Christum erat tantæ malitiæ, quantæ erat bonitatis amicitia Christi: ergo quandoquidem pœna debet esse *major* culpa, Christus non potuit satisfacere pro suis crucifixoribus. — **Negat antecedens Doctor**, et ad probationem dicit: *Primo* secundum doctrinam S. Anselmi, quod forte peccatum crucifigentium Christum non fuerit gravius, quam alia peccata, quia forte non cognoverunt Christum esse Deum. Nam, ut loquitur Apostolus 1. ad Cor. cap. 2. *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* — Verum quoniam existimat Doctor Apostolum non loqui de Judæis, sed de dæmonibus, qui si cognovissent Christum fuisse Deum, numquam sollicitassent homines ad ipsi mortem inferendam, ne per illam redimeretur genus humanum, et ne evacuaretur eorum potestas, ideo *respondet secundo*, « nullum esse peccatum etiam crucifigentium Christum, quod « non fuerit expiabile etiam per ipsius passionem, quia nullum potuit

« esse tam abominabile, aut odiosum Deo, quin magis esset ipsi grata « voluntaria Christi oblatio pro hominum peccatis expiandis: quia illa « actio habebat perfectionem ex charitate supernaturali, ex qua pro- « cedebat, et præterea ex circumstantia personæ Christi, ratione cujus « potius deberet magis placere, quam displicebat peccatum quod- « cumque. Quod si etiam non haberet tantam ex se bonitatem, po- « terat tamen a Deo acceptari tamquam satisfactio; sicut actus meri- « torius vitæ æternæ, qui non accedit ad dignitatem ejus, adhuc « accepteretur a Deo tamquam meritum condignum ejus ».

Conclusio secunda. — CHRISTUS REVERA PER SUAM MORTEM, ET PASSIONEM NOS REDEMIT, NOSTRAMQUE LIBERTATEM SPIRITUALEM, ET CÆLESTEM ASSERUIT.

Hanc veritatem præ cæteris tradit, et commendat S. Apostolus, maxime vero ad Rom. 5. ubi ait: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Et ad Ephes. 1. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Et ad Coloss. 1. *Placuit..... per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem.* Hanc autem infiniti pretii, quo redempti sumus, dignitatem sic explicat S. Petrus Epistola 1. cap. 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.*

Eamdem veritatem mirum in modum illustrant SS. Patres. Imprimis vero S. Chrysostomus, qui expendens illud Apostoli ad Rom. 5. *Si unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum:* postquam observasset non dixisse Paulum *gratiam* simpliciter, *sed abundantiam gratiæ:* non enim, inquit, quantum opus erat nobis ad extinguendum peccatum, tantum ex gratia duntaxat accepimus, sed multo amplius; tum ista subjicit: *Quemadmodum ergo, si quis decem obolos debentem aliquem in carcerem conjiciat: nec ipsum solum, sed cum eo pariter conjugem ipsius, et filios, ac servos, illius causa; tum alius veniens non decem obolos tantum numeret, sed innumera talenta auri largiatur, ac vinctum istum in Palatium introducat, et in supremi Magistratus solium, participemque summi honoris, et reliqui splendoris faciat, non jam fœnerator mentionem facere amplius possit decem illorum obolorum: ita et in nobis factum est. Nam multo plura, quam debebamus, persolvit Christus, ac tanto plura, quanto stillam exiguam immensum pelagus excedit.* — De eodem sanguinis Christi pretio loquens Gregorius Nazianzenus: *Sed nullum tamen cum salutis meæ miraculo comparandum est* (ait); *paucæ sanguinis guttæ totum mundum reformantes, factæque sunt tamquam coagulum lactis omnibus hominibus, nos in unum colligantes et congregantes.* Et Basilius in Homilia ad Psalm. 48. multa de Redemptoris hujus dignatione luculenter et magnifice prædicat in hæc

Psalmi verba: *Non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ*, ubi ait: *Quid enim tantum reperire homo potest, ut det pro redemptione animæ suæ? Sed inventum est unum par omnibus simul liberandis hominibus quod in redemptionis animarum nostrarum pretium est impensum: sanctus videlicet, ac pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit. Unde et pretio redempti sumus. Si igitur frater non redimit, redimet homo. Quare cum homo redimere nos nequeat, qui nos redemit homo non est.* — Eamdem etiam veritatem luculenter prædicat S. Augustinus serm. 122. *De Tempore: Fudisti*, ait, *pro me pretium redemptionis: O pretiosum pretium perditorum! etc. dicat ei terra redempta, terra irrigata, redempta sanguine, irrigata baptismate: Magna iniquitas mea: sed major est redemptio tua. Audiat ergo vocem Domini mei humani generis adversarius, et nihil jam sibi applaudat elatus; quia pro totius mundi facinore in cruce pependit Dominus noster Jesus Christus.* Et in eo sermone qui 114. *De Tempore* numerabatur, et in rejectorum appendicem ablegatus est: *Hodie Dominus noster in statera crucis pretium nostræ salutis appendit, et una morte universum mundum sicut omnium conditor, ita et omnium reparator absolvit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quam totus mundus valeret. Meritum enim redemptæ mercedis dignitas insignis pretii supergressa est, inter redemptum et redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit.* — Leo quoque I serm. 12. *De Passione Domini: Effuso sanguine Christi, validius*, ait, *factum esse donum libertatis, quam debitum servitutis.* Et in serm. 1. *De Ascensione: Ampliora nos adeptos*, ait, *per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam.* — Sic Petrus Cluniacensis in eo libello, qui *nullius*, inscribitur, *pro æterno supplicio hominis temporale*, ait, *oblatum esse supplicium Dei et hominis, pro æterna morte hominis temporalem mortem Dei et hominis, quæ tanti ponderis in ipsa ipsius justitiæ lance esse cognoscitur, ut ad juste ordinanda mundi peccata, longe majis præponderet mors transitoria Filii Dei, quam æterna filiorum hominum. Plus plane redditum est justitiæ, quando Christus mortuus est, quam sit recompensatum, quando homo damnatus est. Habet ergo justitia quidquid suum est, quia Dei Filius pro peccatis hominum mortuus est.* — Anselmus item in libro 2. *Cur Deus homo*, cap. 19. ait Christum tale quid sponte dedisse Deo ad honorem illius, cui quidquid Deus non est, comparari non potest, et quod pro omnibus hominibus omnium debitis recompensari potest. Et capite sequenti: Quid justius, quam ut ille, cui datur pretium majus omni debito, si debito datur affectu, dimittat omne debitum?

QUÆSTIO TERTIA.

QUÆ EST DE MERITO CHRISTI REDEMPTORIS. AN ET QUANDO CHRISTUS MERUERIT.

Notandum 1. Mediatoris ac Redemptoris Christi primariam functionem esse, non solum reconciliationem ac pacem stabilire Deum inter et homines, sed etiam eis gratiam ac vitam æternam promereri, proque illorum offensis irato Patri merendo satisfacere. Sciendum autem

est vocabula, meritum, satisfactio, redemptio, et mediatio, diversas esse appellationes, quæ, prout varie spectantur, uni, et eidem actioni Christi conveniunt; oblatio enim voluntaria Christi ad mortem simul fuit meritoria, satisfactoria, redemptoria, et mediatoria. *Meritoria* quidem, quatenus fuit actio libera facta in gratia, et in statu viæ in obsequium, et gloriam Dei: *satisfactoria*, prout oblata Deo in compensationem injuriæ irrogatæ per peccata nostra: *redemptoria*, quatenus per illam Christus nos eripuit a captivitate dæmonis, et peccati: tandem *mediatoria*, quoniam, inquit Apostolus 2. ad Cor. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illi delicta ipsorum.* Nihilominus ista omnia aliquatenus inter se videntur discrepare, nam meritum jus aliquod ad mercedem pretiumque significat, quæ in satisfactione proprie, ac per se non debent esse. *Insuper*, meritum ad plura objecta se extendit, quam satisfactio, quia satisfactio Christi tantum respicit nostra peccata, meritum vero respicit Angelos, et ipsummet Christum; siquidem plura sibi meruit. Similiter satisfactio in hoc distinguitur a redemptione, quod illa principalius respiciat personam offensam, et minus principaliter personam pro qua fit satis; hæc vero principalius spectet ad personam, quæ liberatur, et quasi secundario, vel personam per cujus obsequium liberatur, vel ea ex quibus fit illi liberatio. Mediatio denique distinguitur ab iis omnibus, quatenus æqualiter respicit duo extrema, seu duas personas, quas invicem conciliat.

Notandum 2. Duplex generatim a Theologis meritum assignari: alterum de condigno, alterum de congruo. *Meritum de condigno* dicitur, cui ex condignitate, seu ex justitia debetur merces vel præmium: meritum vero *de congruo* appellatur illud, cui ex justitia quidem non debetur compensatio; tamen ex quadam congruentia et honestate redditur. Porro ad meritum de condigno sex desiderantur conditiones; *Prima*, ut opus sit moraliter bonum, ex objecto videlicet, et omnibus circumstantiis; nam, inquit S. Augustinus lib. *De Gratia, et libero arbitrio*, cap. 6. *Mala opera non coronat Dominus:* siquidem sicut mala opera non merentur laudem, sed vituperium, sic nec merentur præmium, sed pœnam. — *Secunda conditio* est, quod actio meritoria sit voluntaria et libera, quia naturalibus nec meremur nec demeremur. Unde Apostolus 1. ad Cor. 9. *Si volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est: quæ est ergo merces mea?* Et S. Augustinus lib. 2. cap. 1. *De Libero Arbitrio: Illud bonum, quo commendatur ipsa justitia in damnandis peccatis, rectequе factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio?* — *Tertio*, meritum debet esse actus hominis viatoris, nam Beati et damnati, quia sunt in termino, mereri vel demereri non possunt. Unde Apostolus ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Cujus rationem profert Subtilis Doctor in 2. dist. 6. quæst. 2. quia scilicet meritum procedit ex affectu justitiæ, idque dupliciter: scilicet vel amando Deum amore amicitiæ in se, vel moderando appetitum propter ipsum: at quando solum viatores sumus, sese offert occasio moderandi affectiones proprii commodi; quia dumtaxat in hoc statu possumus inordinate velle proprium commodum; unde consequens est, quod ad rationem meriti oporteat merentem existere in statu viæ. — *Quarto*, quod actus meritorius procedat ab homine existente in statu

gratiæ, et amicitiæ cum Deo ; si enim subjectum non sit Deo gratum, omnia ejus opera non possunt ipsi esse grata. Unde Apostolus 1. ad Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* — *Quinto*, actus meritorius referri debet in Deum, tamquam in suum proprium finem et objectum. Sicut enim, inquit Doctor in 1. dist. 1. qu. 6. amor concupiscentiæ proprie est radix totius demeriti, ita amor amicitiæ divinæ est radix totius meriti : amor autem amicitiæ est actus elicitus conformiter regulæ superiori, quæ est dictamen supernaturale rationis, seu quædam cognitio deducta, aut revelata de necessariis ad salutem, secundum quam quoties operamur, toties ferimur amore amicitiæ in Deum ; et consequenter affectu justitiæ, in quo amore et affectu non potest occurrere deordinatio, objectum enim illius est summum rectum, et summe rectificans actiones; et subinde ad rationem actus meritorii, necessum est, quod in Deum referatur affectu justitiæ, seu amore amicitiæ. — *Sexto* denique, necessum est, quod adsit pactum, et promissio ex parte Dei; et ex parte operantis, seu merentis, ordinatio operis ad consequendum præmium ; quia sine tali promissione et ordinatione, Deus nemini obligari potest ad reddendum præmium. Quam utique conditionem designat Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. cum ait : bene operantibus usque in finem, et in Deo operantibus proponenda est vita æterna, et tamquam gratia filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissa; et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.

Notandum 3. Quatuor distingui posse tempora, vel instantia, de quibus moveri potest controversia, an in eo Christus meruerit : nempe *vel* instans conceptionis, et formationis ; *vel* tempus intercurrens ab ipsius conceptione usque ad extremum instans mortis : *vel* ipsum mortis instans ; *denique* tempus, quod post mortem successit usque ad resurrectionem, et statum immortalem et beatificum sui corporis. Hinc quadruplex est Theologorum sententia : *Prima* negat Christum meruisse in primo instanti conceptionis. Ita Alensis 3. part. q. 17. m. 2. art. 1. Cui subscribit S. Bonaventura in 3. d. 18. art. 1°. q. 2. *Secunda* asserit Christum meruisse non solum in hac vita mortali, sed etiam post mortem, maxime quando effusus est ejus sanguis ex latere transfixo. *Tertia* Christi meritum protendit usque ad instans inceptivum mortis, et terminativum vitæ. Ita Cajetanus 2. 2. q. 124. art. 4. *Quarta denique* communior et verior, docet Christum meruisse quidem a primo instanti conceptionis usque ad ultimum instans immediate præcedens mortem.

Conclusio prima. — Christus vere et proprie meruit nobis gratiam redemptionis et reconciliationis cum Deo. Hæc est de fide, et

Colligitur ex illo Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Item *pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.*

etc. Quemadmodum et Apostolus declarat in ea, quæ est ad Philipp. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem mortem autem crucis: Propter quod Deus exaltavit illum, etc.* Quibus in locis velut stipulatio quædam, pactumque Dei cum homine Christo continetur: et quidem hujusmodi, ut si redimendis hominibus mortem suam vellet impendere, tum in gratiam et spem recuperandæ salutis admitterentur illi: tum ipse sibi gloriam, ac Deus, immortalem compararet.

Suffragatur etiam ratio, quia omnes conditiones ad meritum desiderandæ vere et perfecte fuerunt in Christo: *Primo* siquidem actus ejus erant liberi, et libere impositum sibi onus redemptionis a Patre suscepit. *Oblatus est* enim *quia voluit.* Isaiæ 53. Hinc Joan. 10. ajebat ipse: *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso: et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* — *Secundo*, actiones ejus fuerunt bonæ moraliter et honestæ, tum ex objecto, tum ex circumstantiis, ut ipse testatur Joan. 8. dicens, *quæ placita sunt ei, facio semper.* — *Tertio*, ejus humanitas erat Deo summe grata et accepta propter gratiam unionis, et sanctificationis habitualis et actualis. — *Quarto*, omnes suos actus in Dei gloriam ordinabat, ut pluribi testatur, maxime Joan. 8. his verbis, *Non quæro gloriam meam, sed gloriam ejus qui misit me.* — *Quinto*, status ejus erat viatoris. Quamquam enim Christus secundum mentem, seu partem superiorem esset comprehensor ab instanti suæ conceptionis, tamen secundum partem inferiorem, et quatenus tribuebat corpori vitam vegetativam et sensitivam, et ut erat principium passionum seu affectuum animalium appetitus sensitivi, erat viator etiam secundum animam: unde simul in eadem anima Christi reperiebatur gaudium comprehensoris, et tristitia viatoris, ut diximus agendo de Passionibus Christi. Quapropter Jeremias vaticinatur de eo cap. 14. *Expectatio Israël Salvator ejus in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus est in terra, et quasi viator declinans ad manendum.* — Denique intercessisse pactum, constat ex supra laudatis verbis Isaiæ, de quo pacto præclare agit Rupertus in primo commentariorum in *Genesim.* cap. 34. ubi pactum illud, quod cum Noemo, ejusque posteris post diluvium iniit Deus, quando dixit: *Statuam pactum vobiscum*, ad Christum accomodat. *Dicimus*, inquit, *quia pactum non multoties quidem promissum, sed unum et semel initum. Pactum, inquam, unum, quo solo inimicitiæ solvantur, quæ erant inter Deum et homines, Incarnatio, vel Passio Christi Filii Dei est: illic absque ulla contradictione certa est constitutio pacis cum ratione dati et accepti, dum accepta Deus fide hominum, dat hominibus eumdem Christum Filium suum, ut salvemur per ipsum. Hanc vero fidem ab hominibus Deus accepit per Mediatorem ac Sequestrem, et quasi fœdalem Christum Dominum, qui pro humano genere stipulatus est.* Capite porro 36. Rupertus idem vim istius pacti apertius ita declarat: *In eo*, inquit, *Deus pactum cum hominibus pepigit per Christum Filium suum, quod de illo in cruce moriente, nos sibi reconcilians, lavit nos a peccatis nostris, et in Sanguine ejus, dedit nobis per illum sanctum charitatis suæ spiritum.*

Objicies 1. Christus non potuit peccare: ergo neque mereri. *Probatur consequentia:* si non potuit peccare, debuit esse perfecte conjun-

ctus fini ultimo : sed qui est perfecte conjunctus fini ultimo non potest mereri, alioquin Beati ita Deo conjuncti mereri possent : igitur si Christus non potuit peccare, nec etiam mereri. — **Nego consequentiam**, et ejus probationis distinguo *majorem :* debuit esse perfecte conjunctus fini ultimo quoad utrumque affectum justitiæ et commodi, nego : quoad affectum justitiæ tantum, concedo. Et similiter distincta *minore* nego *consequentiam*. Christus enim fuit quidem perfecte conjunctus Deo quantum ad affectum justitiæ : *Portio enim superior in Christo,* inquit Doctor, num. 16. *conjungitur Deo per gloriam quietantem illam portionem et per affectionem justitiæ totus homo, ita ut peccare non posset ; potuit tamen pati quia aliquid accidere potuit contra affectionem commodi, et illud potuit Christus ordinate velle et acceptare, et ita mereri.* Ita Doctor, quibus significat quod quamvis Christus esset ita perfecte conjunctus Deo per affectum justitiæ, ut ab ipso non posset averti per peccatum, et sic ratione illius conjunctionis non posset peccare, tamen quia illa conjunctio non officiebat quominus aliqua pati posset libere, quia non erat perfecte conjunctus per affectum commodi et boni delectabilis quantum ad portionem inferiorem, hinc est quod licet peccare non potuerit, tamen potuerit mereri.

Objicies 2°. Christus semper fruebatur Deo : ergo numquam meruit. *Probatur consequentia :* quia si mereri posset, maxime vel eodem actu fruitionis, vel diverso : non eodem, quia de ratione actus meritorii est, quod ita contingenter eliciatur, ut voluntas, prout est prior prioritate naturæ illo actu, possit contingenter ipsum elicere, vel non elicere : sed actus beatificus fruitionis, cum sit necessarius, non potest contingenter elici : igitur nec esse meritorius. Non etiam diverso actu, quia actus fruitionis est adæquatus potentiæ, potentia enim fruitur Deo quantum potest, et omnem conatum impendit in illius amore eliciendo : igitur non potest habere alium actum circa Deum. — **Nego consequentiam**, et ad ejus *probationem* dico, Christum potuisse mereri per actum portionis inferioris animæ, qui distinctus erat ab actu fruitionis spectantis ad portionem superiorem ; licet enim illa fruitio esset actus adæquatus superioris portionis animæ, id non impediebat quominus secundum portionem inferiorem posset habere alium actum, qui aliquo modo derivatur in Deum : quamvis enim actus meritorius debeat præsupponere amorem amicitiæ Dei, non est tamen necesse, quod sit amor amicitiæ Dei, quia potest esse immediate amor tamquam objecti, quod amatur propter Deum.

Instabis : Christus mereri debuit secundum actus animæ ut est facultas intelligens et libera : sed ut sic non est portio inferior, sed superior hominis : ergo si Christus non potuit mereri secundum portionem superiorem, nullatenus mereri potuit. — **Distinguo minorem:** anima, ut intelligens et libera, est superior hominis quatenus occupatur circa divina et æterna immediate, concedo : quatenus occupatur circa temporalia et creata, nego. Anima autem Christi, ut intelligens et volens, mereri potuit ea ratione, qua vivificabat corpus, illudque movebat ad actus, et voluntarie acceptabat omnes acerbitates doloris, tristitiæ, quas in passione tam corpus, quam ipsa tolerare debebat, ut morem gereret æterno Patri, qui ejusmodi actus, aut passiones decreverat et præceperat.

Conclusio secunda. — CHRISTUS MERUIT IN PRIMO INSTANTI SUÆ CONCEPTIONIS. Hæc est communis in utraque schola Angelica, et Subtili, et

Colligitur ex illo ad Heb. 10. ubi Apostolus de Christo ait: *Ingrediens mundum dixit: Hostiam, et oblationem noluisti... tunc dixi: ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Ubi signanter dicit Apostolus, *ingrediens mundum*, non vero postquam ingressus est; ut significaret in ipso primo suæ unionis et formationis instanti seipsum devovisse Patri tamquam victimam. Ex quibus sic argumentari licet: illa oblatio voluntaria, qua Christus ingrediens in mundum se tamquam victimam passioni et morti devovit, in sui divini Patris gloriam, fuit meritoria: sed talis oblatio facta fuit in primo instanti suæ formationis: igitur in eo instanti Christus meruit. *Major* constat: siquidem talis oblatio, et acceptio mortis fuit libera, et ex charitate, et habuit alias conditiones ad meritum requisitas. Hinc Apostolus de illa ibidem subdit: *in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel:* voluntas autem, seu operatio, qua Christus sanctificavit nos, satisfactoria fuit, et meritoria. *Minor* etiam patet ex verbis Apostoli, siquidem, ut observavimus, notanter dixit *ingrediens mundum*, quod significat primum instans suæ formationis. — *Insuper* id etiam colligitur ex eo, quod Christus dixerit, *tunc dixi, etc.* nam *ly tunc* refertur ad illud, *corpus autem aptasti mihi*, hoc est ad illud instans, quo Deus ipsi aptabat corpus ad immolationem et sacrificium. Hæc autem adaptatio facta est in primo instanti formationis ipsius corporis: igitur, etc.

Probat conclusionem Doctor dist. 18. n. 11. hac ratione: Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit id omne, quod requirebatur ad actum meritorium: igitur in eo instanti mereri potuit. *Consequentia* patet: siquidem Christo Salvatori tribuendum est id omne, quod maxime conducit ad Dei gloriam; et hominum salutem, pro eo instanti, quo illud potest operari, quippe cum id maxime cedat in ejus gloriam, et ministerii complementum. *Antecedens* vero *probatur:* siquidem in illo primo instanti natura humana Christi, pro illo instanti quo unita fuit Verbo, habuit actum voluntatis liberum, supernaturalem, Deo gratum, acceptum, et aliis conditionibus ad meritum requisitis affectum; quippe in illo instanti habuit visionem et amorem beatificum, et plurimas creaturas in Verbo cognovit, ac proinde hominum sortem et statum, quos salvare posset si vellet, intuebatur. Cum autem propter amorem beatificum et gratiam sanctificantem summa charitate flagraret, dubium non est quin in illo ipso instanti sese Patri obtulerit tamquam victimam pro hominum salute: igitur pro illo instanti meruit. — *Confirmatur:* si quid obesset quominus Christus mereri potuisset in primo instanti, maxime quia meritum consistit in operatione libera, quæ non potuit esse in primo instanti formationis Christi, tum quia operari sequitur esse, tum quia actus liber requirit consultationem, consultatio cum in discursu et collatione consistat, non potest in instanti exerceri: sed hæc ratio nulla est, siquidem ad actionem meritoriam et liberam non requiritur, quod causa, seu principium præcedat tempore suam operationem, seu actum elicitum; sed sufficit, quod præcedat prioritate naturæ, ac proinde potest simul esse cum

illa. Unde quemadmodum in eodem instanti, in quo sol incepit esse, etiam in eodem incepit illuminare, ita Christus cum in primo instanti suæ conceptionis habuerit plenitudinem scientiæ speculativæ et practicæ, et intellectum perfectissime illustratum, ac voluntatem paratam, et omnibus numeris absolutam, ut actum meritorium et voluntarium exerceret, ideo ad actum libere eliciendum, nec consultatione nec deliberatione consilii indigebat, subindeque non opus erat ei tempore, ut illum actum meritorium exerceret.

Objicies 1. Actus meritorius debet contingenter fieri, quia procedit a voluntate libere se determinante ad operandum : sed Christus in primo instanti suæ formationis non potuit habere actum contingentem : quia quidquid est quando est necesse est esse : igitur nec meritorium. *Probatur minor :* actus non potest esse contingens, nisi quatenus causa præcedit suum actum tempore, et potest illum elicere : sed voluntas habens actum pro primo instanti sui esse, non præcedit tempore illum actum : ergo si Christi voluntas habuit actum pro primo instanti suæ formationis, non potuit ille actus esse contingens, et liber, nec subinde meritorius. — **Distinguo majorem :** debet contingenter fieri, hoc est, procedere debet a voluntate seipsam libere determinante ad eliciendum illum actum, concedo : hoc est, debet procedere a voluntate prius tempore existente, et se determinante ad eliciendum illum actum, nego. Unde nego *minorem*, et ad illius probationem dico : omne quod est quando est necesse est esse ; in sensu composito ex suppositione quod sit, concedo : in sensu diviso, ita ut illud, quod est pro hoc instanti, non potuerit absolute non esse pro eodem instanti, si voluntas noluisset se ad id determinare, nego. *Vel* aliter dico cum Doctore num. 17 : omne quod est, quando est necesse est esse, eo modo quo est, concedo : aliter, nego. Hinc quando ens contingens est, verum est, quod necessario sit contingens ; non autem inde sequitur, quod sit ens necessarium, sicque est necessario, non vero necessarium.

Objicies 2. Duæ mutationes, quarum terminus unius præcedit terminum alterius, non possunt esse simul et eodem instanti durationis : sed voluntas, quæ est terminus mutationis creativæ, qua ipsa producitur, debet necessario præsupponi volitioni, quæ est terminus mutationis, qua voluntas movet se, ut de non volente sit volens : ergo mutatio illa, qua voluntas producitur, non potest esse simul cum ea, qua voluntas operatur. — **Distinguit majorem Doctor :** non possunt illæ mutationes esse simul simultate opposita illi prioritati, quam unus ex terminis debet habere respectu alterius, concedit *majorem* : alia simultate non ipsi opposita, negat *majorem*. Similiter est distinguenda *minor :* debet præsupponi tempore, nego : natura, concedo. Igitur cum inter istas mutationes non servetur ordo temporis, sed naturæ duntaxat, ideo etiam inter terminos illarum non necessario servari debet ordo temporis, sed naturæ ; proindeque cum simul tempore potuerint esse voluntas animæ Christi, et actus ejus, eodem instanti temporis, quo fuit voluntas, mereri potuit per illum actum simultaneum.

Conclusio tertia. — Christus meruit toto tempore vitæ suæ. Hæc est pariter communis, et

Probatur *primo*: Christus toto tempore suæ vitæ Redemptoris et

Mediatoris munus implevit: at Salvatoris et Redemptoris munus præcipuum est, ut nobis quæ necessaria sunt ad salutem promereretur, et pro nostris delictis debitam æterno Patri satisfactionem penderet: igitur toto suæ vitæ tempore meruit. *Major* constat: quippe præ cæteris gloriæ titulis, quibus Christus celebratur, specialiter Jesus, et Salvator appellatur. Hinc Lucæ 1. Angelus Incarnationis nuntius Virginem alloquens ait: *Vocabis nomen ejus Jesum.* Et cap. 2. Angeli nativitatem Christi annuntiantes Pastoribus dixerunt: *Natus est vobis hodie Salvator;* et subinde ad hoc potissimum advenerat, ut Salvatoris et Redemptoris munus impleret. *Minor* etiam constat: quippe non potuit perfectissimi Salvatoris et Redemptoris vices implere, quin perfectissime pro nostris debitis æterno Patri faceret satis, et suam gratiam ac gloriam nobis promereretur, nosque in pristinam dignitatem et libertatem per peccatum deperditam restitueret. Hæc autem omnia efficere non potuit, nisi suis meritis et operibus bonis: igitur, etc.

Confirmatur: Si quod esset tempus, in quo Christus cogitari posset aliquid nobis non fuisse promeritus, maxime tempus illius infantiæ: at eo maxime tempore Christus suis meritis nostram salutem promeruit: igitur, etc. *Major* constat: siquidem eo maxime tempore videtur Christus fuisse minus aptus et dispositus ad aliquid nobis promerendum, quippe cum nullos actus externos eliceret, nec aliquid voluntarie pati videretur, quibus maxime cogitari posset aliquid mereri. *Minorem* vero probat S. Ambrosius libro 2. in Lucam, cap. *De nativitate Salvatoris,* ubi inter cætera ait: *Ille igitur parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir esses perfectus: ille involutus in pannis, ut tu mortis laqueis sis absolutus: ille in præsepibus, ut tu in altaribus; ille in terris, ut tu in cœlis: ille alium locum in eo diversorio non habet, ut tu plures haberes in cœlestibus mansiones... Mea ergo paupertas illius patrimonium est, et infirmitas Domini mea est virtus: maluit sibi egere, ut omnibus abundarem... Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ delicta lavarunt: plus igitur, Domine Jesu, injuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quam operibus, quod creatus sum.* At nullo alio modo potuit hæc Christus nobis conciliare nisi per modum meriti: agnoscit igitur S. Ambrosius in Christi infantiæ lacrymis, pannis, et humilitate, meritum quod contendimus. Ei subscribit S. Augustinus sermone 11. *De tempore,* ubi de Christo sic loquitur: *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ.* Et S. Bernardus sermone 2. *De Circumcisione: Merito sane,* inquit, *dum circumciditur Puer, qui datus est nobis, Salvator vocatur, quod videlicet ex hoc jam cœperit operari salutem nostram immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.* Quibus aperte significant illi SS. Patres Christum nobis etiam sua infantia salutem fuisse promeritum.

Dices: In tantum Christi actus fuerunt meritorii, in quantum fuerunt Patri divino grati, et ab eo acceptati in ordine ad hominum salutem: sed ad id dumtaxat videtur acceptata esse illius passio, siquidem de ea solum divinum intercessisse pactum constat ex præfato Isaiæ vaticinio, *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum:* igitur Christus Dominus non est dicendus per omnes vitæ suæ

actus nostram salutem fuisse meditatus et operatus. — **Nego minorem**: quamvis enim acceptatio, et pactum divinum maxime appareat circa passionem et mortem Christi, non desinunt tamen aliæ operationes Christi esse meritoriæ, quia pactum illud exprimitur solum ex hypothesi, quod Filius Dei voluerit acceptare et ordinare passionem suam in utilitatem redemptionis nostræ, maxime cum omnes Christi actus, et pœnalitates ordinarentur ad passionem tamquam ad perfectum complementum nostræ satisfactionis et redemptionis. Unde dicendum est, inquit Alensis membr. 3. art. 2. quod quodlibet opus Christi ante passionem fuit nobis meritorium: sed passio fuit nobis meritoria et satisfactoria: meritoria vitæ æternæ, et satisfactoria quoad remissionem pœnæ.

Petes: an omnes Christi actiones fuerint meritoriæ, ita quod nullæ fuerint indifferentes, quales sunt v. g. actiones quas solemus elicere, vel propter proprium commodum, vel absque perfecta deliberatione, et libertate voluntatis. — **Respondeo**, probabilius videri omnes Christi actiones fuisse meritorias, quia Christus Dominus nihil omnino egit propter proprium commodum, et quidquid operatus est, semper cum plenaria deliberatione, et summa voluntatis libertate est operatus.

Conclusio quarta. — Christus nobis meruit usque ad instans mortis, non vero post mortis instans, nec post mortem.

Prima pars constat, quia usque ad extremum instans mortis Christus habuit omnes conditiones ad meritum requisitas, ut sufficienter constat ex dictis: igitur usque ad illud instans censeri debet nostram salutem fuisse operatus.

Secunda vero pars Conclusionis insinuatur: quia status viæ requisitus ad meritum, significat conjunctionem et unionem animæ cum corpore passibili et mortali: sed in instanti physico mortis non fuit anima Christi corpori mortali unita, quia ex communi Philosophorum sententia, viventia desinunt esse per primum sui non esse, et subinde in instanti mortis Christi verum fuit dicere: nunc primo non est Christus, ut homo, et vivens vita mortali; et consequenter in illo instanti anima Christi non erat unita corpori mortali.

Tertia denique pars satis aperte constat ex dictis, siquidem una ex præcipuis conditionibus requisitis ad meritum est status viatoris: sed post mortem Christus non amplius fuit viator, unde dicebat Joan. 9. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari,* id est mereri: per noctem vero S. Chrysostomus Homil. 53. in Joan. et Augustinus tractatu 44. intelligunt tempus post hanc vitam: igitur Christus Dominus non potuit mereri post instans suæ mortis.

Dices: Mors Christi, et vulnus ejus lateri inflictum, et sanguis, ac acqua ex eo fluens habuerunt rationem meriti: ergo revera Christus meruit in instanti mortis, et post mortem. *Probatur antecedens:* tum quia dicimur redempti per mortem Christi, ut pluribi significat Apostolus; tum quia SS. Patres docent sanguinem, et aquam ex Christi latere fluentes maximam virtutem habuisse, et inde etiam sacramenta manasse: sic S. Leo Epistola 4. c. 6. *Tunc,* inquit, *regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redem-*

ptionis, et aqua baptismi. Idem docent plurimi e SS. Patribus, maxime Ambrosius lib. 12. *in Joan.* cap. 29. ubi sanguinem, et aquam ex latere Christi appellat benedictionis mysticæ, et sancti Baptismatis originem quamdam, atque primitias. — **Respondeo,** in tantum Christi mortem et vulnus illud inflictum censeri meritorium, in quantum adhuc Christus vivens, et prævidens quæ passurus erat, non solum in morte, sed etiam post mortem, illa omnia voluntarie acceptavit, et Deo Patri obtulit anticipato et prævio affectu in expiationem nostrorum delictorum, et assertionem nostræ salutis. *Nec refert,* quod SS. Patres dicunt fluxum illius sanguinis et aquæ ex Christi latere promanantis significare duo sacramenta; inde namque non sequitur, quod Christus per illius sanguinis et aquæ profluvium promeritus fuerit divinam illam virtutem, quam habent sacramenta Baptismatis, et Eucharistiæ ad promerendam hominum salutem; sed tantum, quod illa duo sacramenta in isto aquæ et sanguinis profluvio maxime adumbrata et expressa fuerint.

Petes: an Christus habuerit unicum meritum continuatum ab instanti conceptionis ad extremum vitæ, an vero multiplex. — **Respondeo,** probabilius videri ipsum habuisse multiplex meritum, ratione actuum diversorum quos elicuit, quemadmodum enim, qui una continuata voluntate placendi Deo, jejunat, et dat eleemosynam, habet duplex meritum, ita Christus per illam voluntatem, qua æterno Patri continuo placebat, juxta illud Joan. 8. *Ego quæ placita sunt ei facio semper,* cum diversas virtutes exerceret, etiam verisimile est ipsum habuisse diversa merita. *Nec refert,* quod habuerit unam voluntatem satisfaciendi pro nobis, a qua voluntate procedebant omnes ejus actus, nam, ut mox diximus, continuatio ejusdem effectus et voluntatis placendi Deo non officit quominus exercuerit plures virtutes, et subinde potuit habere diversa merita.

QUÆSTIO QUARTA.

PER QUOS ACTUS CHRISTUS MERUERIT.

Notandum 1. Vel potius ex dictis revocandum, Christum fuisse simul viatorem et comprehensorem. *Viatorem,* inquam, secundum portionem inferiorem, quatenus videlicet ipsius anima informabat corpus passibile et mortale, tribuendo illi gradum viventem, vegetativum, et sensitivum, et ut erat principium passionum, seu affectuum animalium appetitus sensitivi; erat vero *comprehensor* secundum mentem, seu partem superiorem, penes quam ejus anima habebat esse, et operari independenter a corpore, et eliciebat proprias operationes intellectus et voluntatis, quibus clare Deum videbat, et ejus divinitate fruebatur. Unde, ut optime observat Doctor *d.* 18. *n.* 8. dispar erat status Christi beati a statu aliorum Beatorum, quippe cæteri Beati conjunguntur Deo perfectissime secundum utrumque affectum justitiæ, et commodi penes portionem superiorem, et inde nullum relinquitur incommodum circa portionem inferiorem; Christus vero erat quidem ita conjunctus Deo beatifice per affectum justitiæ, quo ipsi adhærebat per visionem et amorem, non vero per affectum commodi et volu-

ptatis, quin adhuc subjaceret plurimis incommodis et pœnalitatibus secundum portionem inferiorem, et subinde perfectissime et complete Deo non adhærebat beatifice.

NOTANDUM 2. Quamquam eadem sit anima, quæ portionem inferiorem et superiorem instituit, tamen alii sunt ejus actus secundum partem superiorem, alii vero secundum inferiorem, ut per se constat. Conveniunt invicem Theologi Christum haud dubie meruisse per actus portionis inferioris, quippe secundum illam erat perfecte viator; at invicem disceptant de actibus portionis superioris: maxime vero per actus charitatis tam erga Deum, quam erga proximum. S. Thomas 3. p. quæst. 19. art. 3. ad 1. et cum eo omnes ejus discipuli docent quidem Christum meruisse per charitatem erga Deum; verum quoniam actus ille charitatis videtur necessarius, Christus enim utpote clare et intuitive videns divinam essentiam necessario diligebat Deum, cum Deus clare visus ad sui amorem voluntatem rapiat, et quasi necessitet, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 4. art. 1. his verbis: *Voluntas videntis Dei essentiam, ex necessitate amat sub ordine ad Deum:* ut hanc difficultatem solvant ejus discipuli *aliqui* cum Soto lib. 3. *De natura,* cap. 7. Suare dist. 39. sect. 2. distinguunt in Christo duas dilectiones erga Deum: unam regulatam scientia beata, aliam vero regulatam scientia supernaturali et infusa; et asserunt primam esse necessariam, alteram autem liberam et meritoriam. *Alii* duos alios actus charitatis in Christo distinguunt, et utrumque regulatum scientia beata, unum, quo Christus dilexit bona Deo intrinseca nempe illius divinam essentiam, perfectiones, personas, etc., alterum quo bona ipsi extrinseca voluit, nimirum gloriam, laudem, honorem, et obedientiam, quæ illi a creaturis exhibentur; unde asserunt ipsum non meruisse per primum actum charitatis, sed per secundum. Ita docet Lorca d. 72. cap. 2. *Nonnulli* asserunt dilectionem Christi fuisse terminatam ad bonitatem divinam, et ut est ratio diligendi et volendi bona illi intrinseca liberam non fuisse, nec proinde meritoriam: ut autem terminabatur ad bonitatem divinam, quatenus illa est ratio diligendi creaturas, et volendi Deo bona extrinseca, non erat, inquiunt, necessaria, sed libera, et per consequens meritoria. Ita Capreolus in 3. d. 18. *Cæteri* vero argumenti difficultate oppressi declinant ad partes Subtilis Doctoris affirmantis Christum Dominum meruisse non modo per actiones portionis inferioris, verum etiam per actiones superioris portionis, præsertim per actus charitatis erga proximum, quem conspiciebat in Verbo, necnon et per actum charitatis beatificæ circa Deum clare visum.

NOTANDUM 3. Christum duplicis generis actus exercuisse, quorum aliqui præcepti erant, ut passio, et mors, quæ ipsi præscriptæ et ordinatæ fuerant; unde mortem appellat *Calicem, quem dedit Pater.* Alii vero non erant a Deo præcepti et præscripti, nec eos eliciebat Christus ex motivo obedientiæ, sed ex motivo aliarum virtutum; puta, vel misericordiæ dum curabat infirmos, vel eleemosynæ dum esurientes pascebat, vel mortificationis dum vigilabat et jejunabat, vel devotionis dum pernoctabat in oratione Dei, vel religionis dum ascendebat in templum adoraturus et oraturus. Conveniunt omnes Theologi ipsum meruisse per actus, qui non erant præcepti, sed cum esset impeccabilis, nec videretur liber circa actus præceptos, quia libertas in obe-

dientia præcepti consistit in potentia acquisita ad obediendum, vel non obediendum; hinc *aliqui* Theologi probabilius existimant ipsum non meruisse per actus præceptos, quippe cum non appareat, qua ratione sufficientem habuerit libertatem, ut meritorie illos actus exerceret. *Alii* vero affirmantes illum etiam per illos actus meruisse, varias in partes scinduntur: nam *aliqui* ut concilient libertatem Christi cum ejus impeccabilitate, docent Christo impositum non esse præceptum strictum obligans ad culpam moriendi et patiendi, sed solum insinuatam fuisse voluntatem Dei, quæ decreverat homines non posse redimi, nisi per ejus mortem. Ita Lorca d. 73. *Alii* concedunt quidem, posito illo præcepto moriendi, Christum non potuisse non mori; hæc tamen, inquiunt, necessitas non fuit antecedens, sed consequens libertatem Christi, quia libere postulaverat a Patre hoc præceptum sibi imponi, et libere illud acceptavit: necessitas autem consequens non officit libertati. Ita Cabrera. *Nonnulli* cum Lugo asserunt quidem Christum habuisse præceptum moriendi, quod non potuit non acceptare; nihilominus libere mortuum fuisse, quia præceptum illud non obligabat ad moriendum pro illo instanti, quo ponebatur. Unde poterat Christus, antequam instaret tempus illud implendi, petere et impetrare a Patre illius dispensationem, vel commutationem, et consequenter ipsum libere fuisse mortuum. *Plurimi* recentiores cum Lessio, Vazquezio, Valentia, dicunt, Christum non obstante sua impeccabilitate libere præceptum de morte subeunda implevisse, quia licet non fuerit liber circa substantiam mortis: ita quod non potuerit non mori; tamen liber fuit circa motivum, quia mori potuit ex motivo fortitudinis, vel patientiæ, vel misericordiæ. *Sunt etiam*, quibus subscribit Gonetus, qui affirmant Christum ideirco libere fuisse mortuum, quia licet non potuerit velle non mori in sensu composito hoc est, conjungere negationem mortis cum præcepto obligante ad mortem, bene tamen id potuit in sensu diviso, volendo negationem mortis quatenus illa præscindit a præcepto. Verum quam inutiles sint isti modi ad conciliandam Christi libertatem cum ejus impeccabilitate, infra demonstrabimus.

Tria sunt igitur in hac Quæstione determinanda: *Primum*, quod Christus meruerit per actus portionis inferioris, necnon et aliarum virtutum distinctarum a charitate. *Secundum*, quod etiam meruerit per actus charitatis non solum viatoris, correspondentes scientiæ Dei infusæ, sed etiam per actus charitatis beatificæ, tam erga proximos relucentes et ut visos in Verbo, quam erga Deum, seu per ipsam fruitionem Dei. *Tertium*, quod revera meruerit per actus præceptos, quia ad id sufficientem libertatem habebat.

Conclusio prima. — CHRISTUS MERUIT PER ACTUS PORTIONIS INFERIORIS, ET ALIARUM VIRTUTUM A CHARITATE DISTINCTARUM. Ita Doctor d. 18. n. 5.

Prima pars constat: per eos enim actus meruit Christus, quos libere eliciebat, ut viator: atqui Christus libere eliciebat actus portionis inferioris, quippe illos exercebat ad nutum et imperium voluntatis prævio intellectus dictamine: igitur, etc. Hanc veritatem sic explicat Doctor n. 5. « Christus, inquit, secundum aliquid fuit viator, et pas-« sibilis secundum partem sensitivam, et portionem inferiorem volun-

« tatis; ideo multa habuit objecta præsentia sensibus, et portioni in-
« teriori, circa quæ potuit libere velle contra affectionem commodi,
« quæ semper est conveniens illi, cujus est; ideo jejunando, vigilando,
« orando et multis aliis talibus potuit mereri, vel exercendo talia ex-
« terius, vel volendo interius talia propter Deum ». Quibus quidem verbis satis probatur Conclusio. Ulterius tamen inquirit, quomodo id potuerit fieri, præsertim a voluntate? et respondet, quod etsi portio superior fuerit Deo perfecte conjuncta secundum actum beatificum, fuit tamen eadem voluntas passibilis secundum portionem inferiorem, et ut sic fuit viatrix, atque consequenter mereri potuit.

Objicit Doctor: Quod est in termino simpliciter, non potest mereri: sed portio inferior voluntatis Christi fuit simpliciter in termino: ergo mereri non potuit. *Major* est certa. *Minor probatur:* illud est simpliciter in termino, quod non potest habere actum inordinatum circa aliquid tendens ad finem: sed voluntas Christi inferior non potuit habere actum inordinatum circa aliquid tendens ad finem: ergo fuit simpliciter in termino. — **Respondeo ex Doctore**, concessa *majore*, negando *minorem;* et ad *probationem* dicendo, quod equidem non potuit habere ejusmodi voluntas actum inordinatum circa aliquid ad finem, nec tamen propterea fuit simpliciter in termino, quia ex eo quod portio inferior conjungeretur Deo solummodo ratione conjunctionis portionis superioris, non sequitur portionem inferiorem conjunctam fuisse cum Deo secundum affectionem commodi, quod tamen requiritur ad hoc, ut dicatur esse simpliciter in termino, et quia ex defectu talis conjunctionis multa Christo Domino acciderunt contra affectionem commodi, ideo illa acceptando propter Deum mereri potuit.

Secunda pars etiam constat, nempe quod mereri potuit per actus aliarum virtutum distinctarum a charitate: siquidem meruit per virtutem obedientiæ, quia factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, etc. ut ait Apostolus ad Philipp. 2: sed obedientia est distincta a charitate: igitur, etc.

Conclusio secunda. — Christus revera meruit per actus charitatis, non solum erga proximum, sed etiam erga Deum, idque etiam per actum charitatis beatificæ. Hæc tribus partibus constat: quarum

Prima communis est utrique scholæ, Subtili et Angelicæ, eamque expresse tradit Subtilis Doctor num. 8. ubi ait: *Portio inferior meruit eliciendo operationem circa creata, ut diligendo matrem, et alios bonos in Deum, et malos propter Deum;* et probatur: actus charitatis erga proximum, sive correspondeat scientiæ acquisitæ sive infusæ, spectat ad portionem inferiorem: at secundum actus portionis inferioris mereri potuit, ut mox dictum est: igitur et per actus charitatis erga proximum. — *Deinde.* Christus absolute mereri potuit, et revera meruit, ut probatum est: ergo etiam mereri potuit per actum charitatis. *Antecedens* constat ex priori Quæstione. *Consequentia* est evidens, quia Christo concedendum est meritum secundum omnimodam perfectionem possibilem: sed meritum actus charitatis est specifice perfectius merito aliarum virtutum: igitur tatendum est Christum per actum

charitatis meruisse. — *Denique,* si quid obstaret quominus meruisset Christus per actum a charitate elicitum, maxime quia hic actus in Christo non fuisset liber, quippe omnes aliæ conditiones ad meritum requisitæ isti actui charitatis non desunt: sed nec ipsi deest libertas necessaria, quippe cum liberrime Christus sese determinaret ad id omne exequendum et præstandum, quod maxime cedebat in Dei gloriam et in proximi utilitatem: igitur Christus Dominus revera mereri potuit per actus charitatis immediate tendentes in proximum, et mediate in Deum.

Secunda pars etiam est evidens, nempe quod Christus meruerit per actus charitatis etiam in Deum immediate terminatos: siquidem Christus ut viator Deum cognoscere potuit, et revera cognovit per scientiam infusam, et consequenter potuit ipsum amare amore correspondente isti scientiæ: sed amor isti scientiæ correspondens revera erat meritorius: igitur potuit Christus mereri per actum charitatis immediate. *Major* constat ex dictis agendo de scientia Dei. *Sequela* etiam illius patet: voluntas enim ferri potest amore in id omne, quod sibi ab intellectu repræsentatur amabile: ergo cum Deus per scientiam infusam repræsentatus fuerit animæ Christi, ut objectum summe bonum et amabile, haud dubium est, quod anima Christi in ipsum tendere potuit actu amoris correspondentis isti scientiæ infusæ. *Minor* etiam apparet vera: siquidem actus ille meritorius est, qui habet omnes conditiones ad meritum desiderandas: at actus amoris Dei elicitus ab anima Christi, quatenus illa per scientiam infusam cognoscit Deum summe amabilem, habet omnes conditiones ad meritum, est siquidem actus viatoris, liber, honestus, et Deo gratus: igitur est revera meritorius.

Tertia denique pars probatur a Doctore n. 9. nempe, quod Christus etiam meruerit per amorem beatificum: « Quia, inquit, omnis actus « acceptatus a Deo, tamquam actus bonus et laudabilis, pro quo Deus « velit aliquid retribuere illi, cujus actum acceptat, vel alteri, pro « quo fit, est meritorius: hujusmodi est omnis actus Christi secundum « naturam humanam, etiam actus beatificus, quo secundum portionem « superiorem fruitur Deo, quia persona illa non secundum omnem « conditionem sui fuit simpliciter in termino; ideo potuit Deus omnem « actum creatum illius personæ acceptare tamquam dignum aliquo « bono pro eo retribuendo illi personæ, si indiguisset, vel alteri, sci- « licet nobis, pro quibus meruit. Et hoc tenendo, oportet dicere, quod « si actus beatificus secundum portionem superiorem Christi fuit me- « ritorius, quod non includit contradictionem, actum beatificum Mi- « chaelis, vel alterius Beati, posse acceptari tamquam aliquid dignum « retributione, quod retributum daretur propter meritum, puta Mi- « chaeli daretur aliquid propter actum meritorium custodiæ, quam « exercet circa me: contradictio, dico, non esset; tamen de facto Deus « non sic acceptat actum illum, quia persona illa est totaliter extra « statum merendi secundum totum subjectum; non sic Christus; sed « secundum aliquid fuit in statu viatoris, et propter hoc omnis actus « ejus creatus acceptus erat, et meritorius illis, pro quibus offere- « batur Deo ».

Dices: Secundum illam portionem Christus non potuit mereri, secundum quam erat extra statum viæ: at erat extra statum viæ penes

portionem superiorem, et per actus beatificos: igitur sic mereri non potuit. — **Respondet Doctor**, quod sicut meritum non consistit tantum in ipso actu elicito, sed aliquo modo in conditionibus personæ elicientis, sic acceptio divina non solum respicit actum, sed conditiones accidentales personæ merentis; unde licet portio superior, et actus ille fruitionis fuerit extra statum viæ, nihilominus ratione totius Christi elicientis actum meritorium, fuit aliqua congruitas acceptandi actum, fruitionis illius tamquam meritorium, qualis congruitas non est in aliis Beatis, qui sunt omnino extra statum viæ; licet tamen absolute loquendo nulla videatur repugnantia, quin actus beatitudinis alterius Beati acceptari etiam possit tamquam meritorius, et dignus aliqua retributione, quomodo v. gr. potest Deus acceptare actum custodiæ, quam Angelus custos exercet circa me tamquam meritorium, et dignum retributionis.

Dices 2: Actus meritorius debet esse liber; sed actus amoris beatifici non est liber: igitur, etc. — **Negat minorem Doctor** in 1. dist. 1. qu. 4. cujus contrarium probat: quia diversa approximatio, ait, alicujus passi ad agens, vel potentiæ ad objectum, non facit necessitatem, aut non necessitatem, sed dumtaxat reddit actum intensiorem, vel minus intensum: at diligere Deum in via, et in patria differunt solummodo penes diversam approximationem unius ejusdem potentiæ ad idem objectum: ergo ista approximatio non causabit necessitatem, si prius nulla fuerit necessitas, sed tantum intensiorem, aut minus intensum actum; proindeque dilectio Dei in patria in eo tantum distinguitur a dilectione Dei in via, quod illa est intensior ista, non autem magis aut minus necessaria. Concludendum igitur cum Doctore n. 10. quod amor beatificus Christi fuerit liber et meritorius in quantum tendit in ipsum Deum immediate, et in quantum terminatur ad creaturas relucentes et intuitive cognitas in Verbo. Unde concludit *ibidem*, quod Christus simpliciter potuit mereri; *primo* per actus potentiæ sensitivæ imperatos a voluntate: *secundo* per actum amoris beatifici, ut tendit in ipsum Deum: *tertio* per eumdem actum, ut tendit in creaturas propter Deum.

Dices 3: Actus ille non est liber, cujus dari nequit actus oppositus: sed actui beatifico amoris Dei non potest dari actus oppositus, nempe actus odii circa Deum intuitive cognitum: ergo actus amoris Dei intuitive cogniti non est liber. *Major* videtur vera, siquidem ut actus sit liber potentia debet esse indifferens, ut possit actum contrarium et oppositum exercere circa idem objectum. *Minor* vero probatur: in Deo intuitive cognito nulla apparet ratio mali: ergo nec ullum esse potest motivum odii. — **Distinguo majorem**: ut voluntas sit libera libertate contrarietatis, debet posse elicere actum oppositum isti, quem elicit, concedo: ut sit libera libertate contradictionis, nego: nam ad hanc libertatem non est necesse, quod voluntas possit elicere actum contrarium, sed satis est, quod possit suspendere actum suum circa objectum propositum. Voluntas autem Christi secundum se physice spectata suspendere potest actum suum circa objectum beatificum, licet ratione manutenentiæ et objecti extrinsece allicientis et determinantis ad sui amorem non possit moraliter istum amoris actum suspendere. Unde distincta *minore*, neganda est *consequentia*.

Conclusio tertia. — CHRISTUS MERUIT PER ACTUS QUIBUS OBSERVAVIT PRÆCEPTA SIBI IMPOSITA, MAXIME QUIA PRO ILLO INSTANTI, QUO SERVABAT PRÆCEPTUM, SIMPLICITER QUANTUM AD POTENTIAM PHYSICAM, POTERAT ILLUD NON OBSERVARE, LICET ID MORALITER NON POSSET.

Probatur primo: Quia meruit per obedientiam : sed obedientia supponit præceptum : igitur, etc. *Minor* patet. *Major* probatur ex Apostolo ad Roman. 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi.* Et Philipp. 2. *Factus obediens usque ad mortem, etc.*

Probatur secundo: Si Christus non meruisset per observantiam præceptorum, maxime quia in illis non fuisset liber : sed habebat sufficientem libertatem ad meritum : igitur, etc. *Major* patet : siquidem conveniunt omnes, observantiam præcepti habere alias conditiones ad meritum requisitas, quippe cum sit actus moraliter bonus, Deo gratus, in eum ordinatus, et a Christo ut viatore elicitus. *Minor* vero, in qua est difficultas, probatur : ratio præcepti secundum se præcise spectata non aufert libertatem actum exercendi : igitur Christus libere potuit præceptum implere. *Consequentia* patet. *Antecedens probatur* : libertas duntaxat tollitur per necessitatem ipsi actui impositam, seu eo ipso tantum, quo actus exercetur necessario, quia libertas voluntatis opponitur proprie necessitati, quippe voluntas non solum libera est a coactione, sed etiam a necessitate : atqui ratio præcepti, ut sic, non efficit ut actus exerceatur necessario a voluntate : igitur nec a tali actu aufert rationem liberi. *Minor* constat, quia nos ipsi libere observamus præcepta, et consequenter ratio præcepti non efficit quominus actus præceptus libere exerceatur.

Nec est. quod dicas disparem esse conditionem Christi a nostra, quod idcirco libere dicamur observare præcepta, quia possumus ea omittere peccando, Christus autem cum esset impeccabilis non potuit præcepta sibi præscripta non observare. Hæc, inquam, responsio non solvit vim argumenti, nam confirmati in gratia non possunt peccare, et nihilominus libere observant præcepta, et per illam observantiam merentur, ut constat tum de beatissima Virgine, cum de Apostolis, qui dum erant viatores post acceptam Spiritus sancti plenitudinem non poterant peccare, tamen revera merebantur : ergo licet anima Christi sit impeccabilis, non desiit tamen cum esset adhuc in statu mortali mereri per liberam observantiam præceptorum.

Deinde, hæc duo, *non posse libere admittere omissionem præcepti, et non posse committere aliquid contra præceptum,* valde distinguuntur ab hac tertia propositione. *Habere necessario actum volitionis exequendi præceptum :* neque ex duabas prioribus propositionibus tertia potest inferri, duo quippe priora compatiuntur secum libertatem ; tertium vero non ita : atqui voluntas animæ Christi ratione suæ impeccabilitatis habuit tantum duo priora, ratione vero præcepti sibi impositi non habuit tertium : ergo libere, et non necessario potuit implere id quod præceptum erat. *Major* constat : quia posse velle malum non spectat ad libertatem : duæ autem illæ priores propositiones tantum denotant summam rectitudinem voluntatis in operante, quæ apprime concordat cum libertate in operando : tertia vero propositio tollit omnino liber-

tatem, siquidem non potest intelligi libertas cum actu necessario volendi. *Minor* vero quoad priorem partem satis constat ex se. *Probatur* vero quoad posteriorem: præceptum impositum voluntati Christi eo modo se habuit ex parte sui ad illam voluntatem, quomodo præcepta Dei sese habent ad nostras voluntates, quia non potest explicari quid præceptum Christo præscriptum peculiare habuerit, quatenus præceptum erat, quod præscripta nobis præcepta non habeant: sed præcepta nobis præscripta ita se habent ad nostras voluntates, ut illæ nihilominus habeant actum liberum, ac non necessarium volendi executionem illius quod præceptum est, nec ex vi præcepti accipiunt aliquid quo determinentur ad necessario exercendum actum præcepti: igitur et Christi voluntas etiam posito præcepto habuit actum liberum, nec virtute illius determinabatur ad illud necessario observandum.

Confirmatur: Si quid necessario determinasset Christum ad observanda præcepta sibi divinitus præscripta, maxime visio, et amor beatificus: sed illa non sic eum determinabant quin physice loquendo posset illa præcepta non observare si voluisset: ergo eis non obstantibus liber erat in observantia præceptorum. *Minor probatur:* visio beatifica non determinat ad actum nisi mediante amore: amor autem non determinat nisi quatenus ipse existit: sed actus amoris non ita debet necessario esse quin voluntas eum possit non elicere, alias actus ille amoris non esset liber, nec consequenter actus amoris beatifici in Christo fuisset meritorius, cujus contrarium supra probatum est: ergo si ille actus amoris beatifici non sit ita necessarius quin voluntas possit ab eo cessare, saltem physice, nec etiam ita necessario determinabit voluntatem ad observanda præcepta, quin illa physice ab illa observatione possit averti. *Adde quod* non possit assignari ulla ratio, ob quam voluntas, quæ est potentia essentialiter libera, ita determinari possit ab aliquo objecto quomodocumque intentionaliter proposito ad amorem producendum, quin physice possit actum illum amoris non elicere, licet ita determinetur, et alliciatur ab objecto, ut ab ejus amore cessare non possit: ergo physice non determinatur necessario ad illum amorem: igitur physice potest ab eo cessare, et consequenter per eum non necessitatur voluntas ad servanda præcepta.

Dices: Libertas physica non sufficit ut alicui præceptum debite præscribatur, nec ut ille censeatur laude et præmio dignus cum illud implet: ergo si Christus tantum habuit libertatem physicam respectu præcepti implendi, non potuit mereri per observantiam illius. *Probatur antecedens,* quia quando aliquis est moraliter determinatus ad actum, licet physice posset ipsum non habere, superflue præciperetur ipsi talis actus, nec in eliciendo illum actum sibi compararet quidpiam laudis; nam inepte quis prohiberet alicui ne interficeret integrum exercitum hominum sibi adversantium, nec multum foret ipsi laudabile tali præcepto obtemperare, quia licet ad id habeat potentiam physicam, non tamen habet potentiam moralem: ergo si observantia præcepti non sit etiam in potestate morali observantis, nil laudis et meriti exinde poterit consciscere. Patet *consequentia. Probatur antecedens:* nam licet esset bonum non interficere omnes homines, licet etiam sit in potentia physica unius hominis illos interficere, tamen is non dicitur libere non interficere illos omnes, nec ipsi vertitur in

laudem, quod eos non interficiat, quia id moraliter est ipsi impossibile: ergo si sit moraliter impossibile, ut Christus Deum amando amore beatifico non observet ejus præcepta, illa observatio non potest ipsi esse meritoria. — **Nego antecedens**, potest enim aliquid præcipi ad quod quis moraliter determinatur, quia quamvis præceptum non deserviat ad determinandam, nec etiam ad ponendam substantiam actus, tamen posset imponi ut actus laudabilis, qui alias imponeretur, haberet etiam bonitatem, et meritum obedientiæ, sic v. g. præcipi potest, ut qui ex devotione jejunat diebus Veneris, etiam iis diebus jejunet ex præcepto, quia quamvis præceptum istud non determinet hominem, cui imponitur, ad substantiam jejunii, quod jam aliunde implere erat paratus, attamen ipsum determinat ut illud observet ex motivo et virtute obedientiæ. *Ad probationem antecedentis,* nego paritatem illam de interfectione, quia illa interfectio non est in potentia etiam physica voluntatis; dependet enim a viribus corporis, quæ ex se non sufficiunt ad interfectionem exercitus, quamvis voluntas ad illam interfectionem sese determinaret; unde illa non interfectio non vertitur in laudem ipsius voluntatis, non quod ad id voluntas non habeat potentiam moralem, sed quia non sola voluntas concurrere debet ad illam interfectionem, siquidem ad id etiam debent conferre aliæ facultates, quæ ad id præstandum voluntati non subordinantur: igitur illud exemplum non quadrat. Quamvis igitur Christus per amorem beatificum sit determinatus moraliter ad implendum id omne quod sibi præcipitur a Deo; non minus tamen hæc utiliter ei præcipiuntur, quia si non præciperentur, amor beatificus ad id non determinaret; ideo enim determinat, quia omissio illorum actuum esset peccaminosa: peccatum autem est incompatibile cum amore Dei super omnia: sed illa omissio non esset peccaminosa nisi actus præciperentur: ergo quamvis Christus a Deo sit determinatus moraliter, nihilominus recte et utiliter illi actus fuerunt a Deo præcepti.

Instabis: Si Christus dumtaxat habuit libertatem physicam ad non observanda præcepta, sequitur quod non majorem habuerit libertatem ad non observantiam præceptorum, quam ad cessandum ab amore beatifico, et consequenter quod non plus meruerit subeundo mortem sibi præscriptam, quam meruerit amando Deum amore beatifico: at non videtur esse valde laudabile, nec meritorium, quod Christus videns Deum clare et intuitive, ipsum diligat, quamvis physice posset non diligere: ergo si ad observationem præceptorum Christus non habuit aliam libertatem, quam physicam ad observanda præcepta, non videtur in illa observatione multum meruisse. — **Respondeo**, rationem majoris laudis et meriti fuisse in morte Christi, et in observatione aliorum præceptorum, quam in amore beatifico, quia licet determinatus fuerit ad ipsam acceptandam moraliter ex suppositione amoris beatifici, et præcepti, tamen revera mors erat illi valde difficilis et acerba, nec eam de facto subire potuit nisi cum maximo dolore et summa tristitia: unde propter difficultatem maximam quam annexam habebat, mors subeunda, valde fuit ipsi laudabile, et magnum præmium meritus est illam subeundo.

Dices 2: Christus non poterat non elicere actus a Patre præceptos, neque non acceptare mortem: ergo in illis non erat liber libertate ele-

ctionis. *Probatur antecedens,* quia non poterat peccare: peccasset autem non acceptando id, quod Pater æternus præceperat. — **Respondeo negando antecedens,** quamvis enim Christus peccare non posset, ideoque nec transgredi mandatum Patris; sic tamen ipsi mandato obtemperabat, ut illo eodem tempore, quo actus præceptos faciebat, posset ipsos non facere, si humana ejus voluntas secundum se, et secundum modum operandi, quem in illo statu habebat, consideretur. Et quemadmodum Angeli beati liberi libertate electionis mandata divina exequuntur, neque tamen possunt ea transgredi, et peccare, ita Christus libere libertate electionis mandata Patris sui servabat, etiamsi peccare non posset.

Instabis: Supposito præcepto Christus non erat indifferens ad eligendos actus præceptos, et ad acceptandam mortem. — **Respondeo:** non erat indifferens supposito præcepto, indifferentia ex parte actus, concedo: indifferentia ex parte potentiæ, nego. Sic, supposita determinatione ultimi judicii rationis, non est indifferens voluntas ad eligendum hoc, vel illud medium, indifferentia ex parte actus, quia necessarie actus voluntatis sequitur judicium ultimum rationis; est tamen indifferens ex parte potentiæ, quia voluntas secundum se est indifferens ad hoc, vel illud medium: sic supposita præmotione gratiæ efficacis, non est voluntas indifferens ad agendum vel non agendum, indifferentia ex parte actus, sed est indifferens indifferentia ex parte potentiæ.

Instabis: Supposito præcepto non potest non servare illud. — **Respondeo:** non potest non servare illud in sensu composito, concedo: in sensu diviso, nego: hoc est, duo hæc componi simul non possunt, præceptum v. gr. de morte subeunda, et nolle mori, in Christo; simpliciter tamen si et mors, et Christi voluntas secundum se spectentur, eodem præcepto stante retinebat liberam facultatem non moriendi, et poterat non mori: nam præceptum Patris nihil operabatur in Christi voluntate, quod ejus libertatem impediret, sed eam æque liberam quoad actus electionis relinquebat, atque si non fuisset datum.

Corollarium. — Ex dictis sequitur non esse probandos illos omnes in tertio Notabili modos conciliandi impeccabilitatem Christi cum ejus libertate in servandis sibi præscriptis mandatis, nec verisimiles apparere præfatas sententias.

Non quidem prima, quæ contendit nullum præceptum stricte et proprie dictum fuisse impositum Christo ut homini, sed dumtaxat insinuatam fuisse ipsi divinam voluntatem quæ non induit obligationem rem exequendi, ita quod ejus omissio sit peccatum. Non, inquam, probatur, quia revera ex Scriptura sacra constat Christo a Patre fuisse impositum præceptum moriendi, nam Joan. 10. *Hoc mandatum accepi a Patre meo, scilicet ponendi animam meam: et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio,* et 15. *Sicut et ego Patris mei præcepta servavi:* quæ omnia aperte significant Christo imposita fuisse præcepta proprie dicta, siquidem Scripturæ sacræ verba debent accipi secundum propriam eorum significationem, quando nulla inde sequitur repugnantia nec indecentia: nulla autem apparet ex eo quod Christo fuerit impositum præceptum proprie dictum, quia, ut constat ex dictis, non minus

fuit liber in observandis illis præceptis, quam si essent præcepta in latiori significatione usurpata. *Deinde,* certum est Christum Dominum ut hominem fuisse subditum præceptis legis naturæ; nam legis naturæ nomine nihil aliud intelligitur quam dictamen rationis naturalis, quam Deus Conditor una cum natura inseruit mentibus hominum, qua ordinantur ad aliquid faciendum, vel non faciendum, quare quicumque est verus homo, ille naturali lege tenetur: ergo Christus tenebatur ad servanda illa præcepta: igitur vel meruit per observantiam illorum præceptorum, et sic etiam mereri potuit per observata præcepta positiva: vel non meruit, quod videtur absurdum, quippe cum observantia præceptorum juris naturalis in Christo habet id omne quod requiritur ad rationem meriti. *Denique,* proprium objectum obedientiæ est præceptum: at Christus revera meruit per obedientiam, ut constat ex illo ad Rom. 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi,* quibus verbis S. Apostolus comparat obedientiam Christi cum inobedientia Adami, ut significet, quod quemadmodum Adamus fuit inobediens præcepto Dei proprie dicto, ita obedientia Christi innotuit in subjectione sua ad præceptum stricte et proprie dictum.

Secunda etiam sententia asserens Christum idcirco libere observasse præcepta sibi præscripta, quia licet præsupposito præcepto de morte subeunda non potuit non mori, eo quod hæc moriendi necessitas non fuerit antecedens, sed consequens libertatem Christi, quippe præceptum illud impositum fuit dependenter ab ejus acceptatione. Hic, inquam, modus non probatur *primo,* quia nullum habet fundamentum in Scriptura, quæ tantum abest ut significet præceptum istud non fuisse impositum Christo Domino nisi dependenter a libera ejus acceptatione, quin potius docet præcessisse præceptum, et subsecutam fuisse acceptationem Christi, ut legimus Psal. 39. ubi Propheta in persona Christi dicit: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Nec isti sententiæ favent illi textus Isaiæ 53. *Oblatus est quia ipse voluit.* Et Joan. 10. *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a meipso:* significant enim tantum quod Christus non invitus, sed lubens ac volens mortem passus fuerit. *Deinde,* obedientia Christi debuit esse perfectissima: at eo perfectior est obedientia quo præceptum minus dependet a subditi voluntate: ergo obedientia Christi magis pendere debuit a voluntate Dei ordinantis et præcipientis mortem, quam a voluntate Christi illud præceptum sibi imponi exoptantis. *Denique,* hæc sententia non habet locum in præceptis legis naturæ quibus independenter a libera ejus acceptatione Christus tenebatur: sed tam conciliandi est Christi libertas cum summa ejus impeccabilitate circa observantiam præceptorum juris naturæ, quam circa observantiam aliorum præceptorum legis positivæ: igitur hic modus conciliandi minus est conveniens.

Non probatur etiam tertius modus affirmans Christum libere implesse mandatum moriendi, eo quod antequam instaret tempus illud præceptum implendi poterat Christus petere, et impetrare a Patre ejus dispensationem: non probatur, inquam, *tum quia* non videtur facile dispensari potuisse cum Christo circa præcepta legis naturæ, quibus

tenebatur: ergo neque potuit de iis petere a Patre dispensationem. *Tum quia* posset Deus in aliquo instanti præcipere ut aliquid faceret: sed in eo instanti non posset tolli præceptum, quia alias sequeretur quod præceptum esset et non esset in eodem instanti: ergo necessum est quod observantia præcepti alio modo concilietur cum impeccabilitate quam per hoc quod possit petere dispensationem. *Tum quia* quamvis Christus non habuerit præceptum de non petenda efficaciter dispensatione præcepti moriendi pro salute generis humani, habebat tamen de illa non petenda consilium, quippe cum mors illa cedere debebat in Dei gloriam et hominum salutem: sed Christus non habebat potentiam ad transgredienda præcepta, sed etiam illi repugnabat non amplecti Dei consilia, quia ipsi repugnabat non solum peccatum, ratione summæ sanctitatis, sed etiam quælibet moralis imperfectio, quæ contrahitur per omissionem consilii: igitur hic conciliandi modus non videtur etiam idoneus.

Quarta sententia etiam improbatur *primo*, quia Scriptura sacra insinuat mortem Christi fuisse præceptam non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad circumstantias temporis et motivi. *Temporis*, inquam, ut colligitur ex Lucæ 12. ubi Christus ait: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur!* quibus verbis Christus Dominus significat tempus suæ mortis fuisse determinatum a Patre, et se angi ex mora, et dilatione istius temporis: et capite 22. *Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit:* et Joannis 15. *Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*. Similiter significat alias circumstantias sibi præceptas fuisse, maxime circumstantiam *loci*, Lucæ 13. *Non capit Prophetam perire extra Jerusalem:* circumstantiam *mortis ignominiosæ*, Joannis 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, etc.* Similiter præceptum fuit illi *motivum obedientiæ*, ut patet ex illo ad Philippenses 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*. Præceptum etiam fuit motivum *charitatis:* hinc Joannis 24. *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio, surgite, eamus. — Secundo*, ex illa sententia sequeretur Christum non meruisse nostram redemptionem per sententiam mortis, et ex eo præcise quod mortuus est, sed solum ex eo quod tali affectu, vel motivo mortem sustinuerit: sed hoc repugnat Scripturæ; dicitur enim Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum:* quibus verbis præmium redemptionis hominum tribuitur non circumstantiis, sed morti ipsi: igitur, etc. *Sequela* patet, nam ea ratione actus est meritorius qua est liber: ergo si tantum sit liber penes motivum, et circumstantias, non autem quantum ad substantiam, consequens est quod mors Christi secundum se non sit libera. — *Denique*, cum Christus beatifica sua visione æternam Dei voluntatem in ejus æterna unitate cognoverit, vidit non tantum in ipsa, quæ ad genus, et substantiam mortis spectabant, sed etiam vidit motiva secundum quæ lex æterna postulabat ut illam mortem pateretur, et omnes circumstantias mortis istius: nam quod scribit S. Augustinus, lib. 13. c. 15. *De Angelis beatis*, illud ipsum habere potest locum in hominibus, maxime vero in Christo comprehensore: *Vident*, inquit, *faciem tuam semper, et hi legant sine syllabis*

temporum quid velit æterna voluntas tua; legunt, eligunt, et diligunt, semper legunt, et numquam præterit quod legunt: eligendo enim, et diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui: igitur Christus, ut comprehensor, non solum novit substantiam suæ mortis, sed etiam circumstantias æterna Dei lege definitas et ordinatas: lex autem æterna nihil aliud est, ut docet S. Augustinus, lib. 1. *De Lib. arbit.*, c. 6. *nisi summa ratio in Deo existens, cui semper est obtemperandum.* Igitur si Christus non fuit liber quantum ad substantiam mortis, quia illa erat præcepta, etiam non fuisset liber quantum ad circumstantias, et motiva, quæ a Deo erant definita.

Denique ultima sententia est improbanda, nempe quod Christus potuerit recusare mortem in sensu diviso, licet ipsam recusare non potuerit in sensu composito, et ut præcepta erat. Improbatur, inquam, tum quia non movetur præsens controversia de morte ut mors est, sed de morte ut præcepta est: igitur si Christus non fuit liber circa mortem ut præceptam, dici non potest libere et meritorie mortuus: tum quia Christum posse recusare mortem in sensu diviso, est ipsum potuisse velle non mori, cum tamen sciret mortem esse subeundam: at Christus non potuit habere istud velle subsistente illius impeccabilitate. *Probatur*. posse nolle mortem præceptam in sensu diviso est velle illam sejungere a præcepto: sed Christus non potuit habere volitionem sejungendi suam mortem a præcepto Dei, alias habuisset volitionem oppositam volitioni divinæ: igitur Christus non potuit nolle mortem præceptam in sensu diviso.

Nec valet reponere cum Goneto, divisibilitatem, seu volitionem separationis mortis a præcepto non esse positivam, sed præcisivam, quia divisio positiva negationis mortis a præcepto petit ablationem præcepti, præcisiva autem non ita. — **Hæc, inquam, responsio** potius effugium est, quam legitima difficultatis explanatio: enimvero Christus positive meruit cum implevit præcepta: ergo positive habuit libertatem ea implendi: at libertas positiva implendi præcepta supponit, aut importat potentiam positivam ea implendi, vel non implendi; ad libertatem enim indifferentiæ requiritur potentia ad agendum, vel non agendum: igitur si Christus potuit habere nolitionem mortis præceptæ, oportuit quod eam habuerit, non solum præcisive, sed etiam positive; ita quod illius voluntas positive potuerit nolle conjungere mortem cum præcepto: hoc est velle eam positive a præcepto dividere: igitur, etc.

QUÆSTIO QUINTA.

QUID CHRISTUS SIBI, ANGELIS, ET HOMINIBUS MERUERIT.

Notandum 1. Certum esse Christum ab instanti suæ conceptionis habuisse gratiam habitualem, qua sanctificabatur formaliter, necnon et gloriam essentialem animæ, nempe Dei fruitionem per visionem illius intuitivam, et amorem beatificum. *Certum* pariter, quod si assumpsisset naturam humanam tali gratia habituali, et gloria essentiali destitutam, utramque mereri potuisset, per bonos actus supernaturales, et cum auxilio supernaturali elicitos; siquidem nulla ex conditionibus ad meritum requisitis istis actibus deficeret. Unde so-

lum superest hic examinandum, an Christus per opera subsequentia gratiam habitualem, et gloriam essentialem meruerit, aut saltem de potentia absoluta mereri potuerit: siquidem meritum non debet necessario præcedere præmium, præcessione saltem temporis, quia aut meritum comparatur ad præmium, aut comparatur ad Deum conferentem præmium: sed ex neutro capite desideratur præcessio temporis respectu præmii. Et quidem, quod non ex primo capite, patet, quia in illis, qui quotidie merentur augmentum gratiæ, est simul meritum, et præmium; eodem enim instanti, quo merentur, Deus infundit augmentum gratiæ. Non etiam ex secundo capite, quia nulla videtur repugnantia, quin eodem instanti, in quo est meritum, Deus acceptet illud in præmium aliquod, cum sit omnipotens, si aliunde non repugnet. Præterea quotiescumque via aliqua ad terminum est momentanea, potest simul esse terminus, et via, nec est nulla repugnantia, ut patet in generatione: at vero meritum est instans, et est quasi via ad præmium tamquam ad proprium terminum; ergo non repugnat talem terminum poni tempore cum tali via; nec ex parte termini, et viæ, nec ex parte Dei conferentis talem terminum. Præterea non videtur aliunde esse, puta ex aliquo extrinseco; nam si quæ esset repugnantia, maxime quia ille qui elicit præmium est in statu repugnante statui possessionis termini, sicut v. g. Petrus viator, ut sic, non statim consequitur præmium, atque meretur, quia meretur per fidem, vel per alias virtutes spectantes ad statum viatoris repugnantis statui præmii beatifici. In proposito nostro vero non poterat adesse hæc repugnantia, quia Christus mereri poterat per virtutes, quæ non habent repugnantiam cum statu beatifico.

Notandum 2. Certum esse Christum non sibi tantum, sed etiam aliis meruisse; quippe gerebat munus et officium mystici capitis Ecclesiæ, cujus erat vitam spiritualem membris influere, sicut enim in corpore naturali caput sentit sibi et omnibus membris; ita in corpore mystico Ecclesiæ Christus non solum sibi, sed etiam suis membris vitam, motum, et sensum spiritualem procurare debuit. Hinc oritur difficultas, an Christus aliquid meruerit non solum hominibus, sed etiam Angelis. Cum vero homines alii sint fideles, alii infideles; et inter fideles alii Christum præcesserint, alii subsecuti sint, quæritur quid istis omnibus Christus meruerit, an videlicet eis suis meritis obtinuerit, non solum primam gratiam sanctificantem, liberationem a culpa, et januæ cælestis reserationem, sed etiam prædestinationem ipsam, sumptam tam pro electione æterna ad gloriam, quam pro debita ordinatione mediorum ad illam consequendam.

Notandum 3. Inter varios Calvini errores hoc unum præ cæteris fuisse, quod ut docet lib. 2. *Instit.*, cap. 17. § 6. Christus Dominus nil sibi meruerit, nec gloriam corporis, nec nominis exaltationem, sed omnia sua merita ad nos ordinaverit, omneque præmium illis correspondens nobis contulerit. Quocirca acriter insectatur scholasticos Doctores, et eos inanis curiositatis, et damnandæ temeritatis arguit, quod doceant Christum non solum nobis, sed etiam sibi aliquid meruisse. Verum quam impium, quamque divinis Scripturis adversum sit hoc hæreticum dogma, infra patebit.

Conclusio prima. — CHRISTUS DE FACTO SIBI NON MERUIT, IMO NEC DE POTENTIA ORDINARIA MERERI POTUIT GRATIAM SANCTIFICANTEM, ET GLORIAM ANIMÆ SUÆ, QUAMVIS DE POTENTIA EXTRAORDINARIA UTRAMQUE MERERI POTUERIT. Hæc Conclusio tribus partibus constat, quarum

Prima est non solum Alensis, 3. p. q. 17. memb. 3. art. 1., S. Thomæ, ibidem, q. 19. art. 3., S. Bonaventuræ, in 3. d. 18. a. 2., sed etiam Subtilis Doctoris, ibidem, n. 12., ubi ait: « Dico quod non meruit « sibi fruitionem: quia si sic, aut operatione elicita circa ea quæ « sunt ad finem, aut circa ipsum finem. Non primo modo, quia primum actum habuit circa finem, truendo prius scilicet, quam aliquem actum haberet circa aliquid, quod est ad finem. Et si meritum fuit circa aliquid, vel aliqua objecta visa in Verbo, ut dictum est « secundum viam præcedentem, vel circa matrem, vel circa electos « multos volendo eis beatitudinem: naturaliter tamen præcessit operatio circa ipsum finem, scilicet Trinitatem, vel essentiam in tribus: « nec actu fruitionis, qua fruebatur Trinitate, meruit eamdem fruitionem, quia hoc non esset aliud dicere, quam meruit fruitionem, quia « habuit fruitionem: vel meruit, quia Deus dedit actum: quod nihil « est dicere, quia nullus actus est meritorius sui ipsius, licet possit « esse alterius: igitur Deus liberaliter, sine aliquo merito præcedente, « conjunxit voluntatem istam per fruitionem ultimo fini, et ita non « meruit sibi fruitionem. Unde Augustinus 13. *De Trinit.*, cap. 19. « dicit quod summa gratia est, quod homo in unitate personæ est Deo « conjunctus: et quamvis loquatur de gratia unionis, idest, gratuita « Dei voluntate uniente, tamen ad unionem istam concomitanter sequitur gratia fruitionis de facto, ideo fuit summa gratia sine meritis præcedentibus ». Ita Doctor. Quibus significat Christum non potuisse mereri illam fruitionem, nisi per aliquem actum meritorium, qui versaretur *vel* circa Deum, *vel* circa aliquam creaturam, *vel* per ipsammet fruitionem: sed neutrum ex iis potest affirmari. *Non primum*, quia nullum actum habuit, quo mereri posset, priorem ipsa fruitione. *Non etiam secundum*, quia ipsius anima non potuit occupari circa creaturam per aliquem actum antecedentem ipsam fruitionem, siquidem creaturas nosse non potuit in illo primo instanti nisi in Verbo, et consequenter prius fruebatur Verbo saltem prioritate naturæ, quam videret ullam creaturam in Verbo, repræsentatam. *Nec denique tertium*, alias diceretur meruisse ipsam fruitionem, quia habuit fruitionem, quod certe ridiculum esset, nullus enim actus est meritorius sui ipsius, licet possit esse meritorius alterius.

Idem dicendum de gratia habituali sanctificante, nam non potuit illam mereri per actus ab ipsa procedentes: sed omnis actus meritorius Christi est a gratia habituali: igitur non potuit ipsam mereri. *Major constat:* nam principium meriti de lege ordinaria non potest esse præmium operum procedentium ab ipso. *Minor* etiam est evidens, quia Christus mereri debuit per actus connaturaliter meritorios. Siquidem cogitare debemus actus Christi fuisse elicitos conformiter ad eorum naturam, nisi aliunde sit revelatum: nulla autem revelatione constat Christum actus supernaturales elicuisse modo connaturali, et subinde id non debemus asserere: sed modus connaturalis actus me-

vitorii est, quod procedat a gratia habituali, non vero quod illam præcedat: igitur asserendum est Christum de potentia ordinaria non meruisse suam gratiam sanctificantem.

Objicit Doctor: Gloriosius est et laudabilius habere præmium per merita, quam sine meritis: sed Christus habuit gratiam et gloriam modo omnium nobilissimo: igitur conveniens fuit, ut illam haberet per merita. — **Respondet** ibidem distinguendo *majorem:* id laudabilius est, quando præmium potest haberi ex meritis, concedit: secus, negat. Et similiter distincta *minore*, negat *consequentiam*. « Quia, inquit, conjunctio animæ Christi cum Deo per actum fruitionis fuit tanta et tam excellens, ut ad ipsam non potuerit concurrere meritum, et nobilius est habere actum, ad quem non potest « præcedere meritum ex liberalitate dantis, quam habere actum minus « nobilem ex meritis præcedentibus: et videtur hoc rationabile, quia « sicut Deus creavit in esse naturæ aliquam substantiam, puta naturam Angeli, ad quam creandam non potuit cooperari causalitas « causæ propter perfectionem talis naturæ, ita in genere moris, creavit « Deus aliquem actum beatificum, ad quem non potest esse actus aliquis meritorius prior; et ejusmodi fuit actus beatificus animæ Christi, et hoc propter nobilitatem et excellentiam actus, et modi habendi « actum, quia immediate antequam haberet aliquem actum circa ea, « quæ sunt ad finem, habuit actum illum beatificum ». Aliam quamdam solutionem satis piam et probabilem affert dicendo, quod propter bonum patriæ, et pulchritudinem ejus, quæ consistit in quadam decenti diversitate, debuit aliquis habere beatitudinem sine omni merito, quia dantur ibi alii habentes beatitudinem variis modis per merita. — Ad illam vero objectionem respondet Seraph. Doctor, quod gloriosius est habere præmium per merita, quam sine meritis, in iis quæ uniuntur per conformitatem affectus; quia in istis gratia et gloria est quasi accidentalis per modum acquisitionis, quia isti natura sua nati sunt indifferentes esse boni, et mali; secus autem est de homine assumpto a Verbo, qui non tantum unitus est Deo per conformitatem affectus, sed etiam unione personali: unde non dicitur homo *divinus*, sed Deus, etsi gratia ipsi est quodammodo naturalis, quia connaturaliter exigitur ab unione hypostatica, unde multo gloriosius est ei habere gloriam a prima sua creatione, quam habere eam per acquisitionem.

Objicit 2. Voluntas Christi fuit prior natura, quam fruitio: sed illa prioritas sufficit ad meritum: igitur Christus mereri potuit fruitionem. *Deinde*, idem actus, ut prior natura seipso, potest mereri seipsum: igitur Christus poterat convenienter mereri fruitionem per ipsam fruitionem. — **Negat minorem Doctor**, quia ad merendum præmium non sufficit, quod voluntas concipiatur ut prior præmio, quia ipsa non est meritum, sed oportet, quod meritum ipsum saltem natura præcedat præmium. *Ad secundum* negat actum posse considerari ut prius natura seipso, nisi consideratione rationis sine fundamento sufficiente in re; qualis consideratio non sufficit, ut sit meritum respectu sui ipsius; et dicit præterea, quod si actus esset meritum sui ipsius, idem esset dicere: Deus ideo addit actum pro præmio, quia dedit actum. *Adde* ex terminis evidens esse, quod licet idem actus posset esse præmium Christo, hoc est datum ipsi ratione connaturalis exigentiæ unionis hy-

postaticæ, et meritum respectu aliorum præmiorum: non tamen posset esse meritum respectu sui ipsius.

Objicies 3. Sicut se habet gratia ad gloriam, sic se habet meritum ad præmium: sed Christus habuit gratiam ordinatam ad gloriam: ergo pariter habere debuit meritum ordinatum ad præmium, nempe ad beatitudinem et fruitionem Dei. — **Distinguit majorem Seraph. Doctor:** sic se habent quantum ad conditionem disponendi, concedit: quantum ad suam originem, negat: quia gloria a Deo solo conceditur, meritum vero est usus procedens a libero arbitrio gratia informato. In Christo potuit esse ordo gratiæ ad gloriam salvo ordine utriusque ad unionem: sic autem non est de ordine meriti ad præmium, nam meritum dicit ordinationem ad præmium, sicut dispositio, et complementum, et sicut via ad terminum, et ideo necesse est meritum præcedere præmium, vel prioritate temporis, vel naturæ, neutro autem modo debuit in Christo præcedere.

Objicies 4. Angeli sancti habuerunt præmium per merita: sed non minoris fuit efficacitatis gratia in Angelis, quam in Christo: ergo Christus etiam debuit habere præmium per merita. — **Nego paritatem,** quia Angeli in primo instanti suæ formationis non habuerunt unionem cum Deo, nisi dumtaxat accidentalem, nempe per gratiam sanctificantem: Christus vero habuit unionem personalem cum Deo a suæ formationis instanti, quæ personalis unio exigebat non solum gratiam sanctificantem, sed etiam unionem beatificam animæ Christi cum Deo per visionem et amorem.

Probatur secunda pars, nempe quod Christus Dominus, de potentia absoluta, potuit mereri gratiam habitualem, et beatitudinem animæ, quam habuit ab initio suæ formationis: quia ad rationem meriti sufficit quædam prioritas naturæ inter ipsum meritum et præmium: at quamvis anima Christi ab initio suæ formationis, et unionis cum Verbo fuerit donata beatitudine et gratia sanctificante, potuit etiam esse prioritas naturæ inter actum meritorium, puta inter actum quemdam charitatis correspondentem scientiæ infusæ, et ipsam beatitudinem; licet enim de facto primus actus, quem voluntas creata Christi elicuit, fuerit beatificus, nihilominus de potentia absoluta potuit esse alius, quam beatificus, et prior actu beatifico prioritate quadam naturæ, quæ non impedivisset quominus anima illa fuisset beata simultate temporis, non vero naturæ. Et huic sententiæ favent maxime illi omnes, qui tenent Christum meruisse de facto, vel saltem mereri potuisse etiam de potentia ordinaria suam beatitudinem, ut sunt *Albertus Magnus*, *De Bassolis*, etc. quam quidem sententiam male Recentiores temeritatis arguunt, cum tot graves habeat patronos.

Dices: Repugnat aliquod subjectum esse simul in termino, et moveri ad terminum: sed anima Christi per fruitionem, et beatitudinem est in termino, per meritum vero movetur ad illam beatitudinem tamquam ad suum terminum: igitur repugnat eam esse in primo instanti beatam, et simul illam beatitudinem mereri. *Deinde*, nullus mereri potest, nisi mediante actu spei de præmio obtinendo: sed spes beatitudinis non potest esse in eodem instanti cum ejus fruitione et possessione: igitur implicat Christum in eodem instanti beatum, simul et suam beatitudinem mereri. *Denique*, nullus potest mereri sine di-

lectione Dei, quæ per actum intellectus reguletur: sed in illo primo instanti non potuit anima Christi regulari aliqua notitia quæ sufficeret ad meritum; tres enim possunt dari cognitiones Dei, ut auctoris supernaturalis; nimirum cognitio obscura fidei, notitia scientiæ infusæ, et visio beatifica: dilectio autem simul existens cum visione beata regulari nequit cognitione obscura fidei, quia cognitio obscura non potest esse simul cum cognitione intuitiva: igitur illa dilectio necessario regulari deberet per notitiam scientiæ infusæ, vel beatificæ. Non potest autem regulari per notitiam infusam, quæ est posterior scientia beatifica: igitur necessum est Christi dilectionem regulari per scientiam beatam: at dilectio regulata per scientiam non potest esse meritoria: igitur per illam Christus mereri non potuit. — **Respondeo ad primum** distinguendo *majorem:* subjectum non potest esse simul in termino, et in motu successivo ad terminum, concedo: instantaneo, nego: meritum autem non consistit in motu successivo, sed in actione et mutatione instantanea: ideo simul potest esse, et in eodem instanti temporis cum præmio, ut constat de augmento gratiæ sanctificantis, quod simul et in eodem instanti est cum merito illius gratiæ. Ad secundum dico, *majorem* esse veram de lege ordinaria, nempe quod quis mereri non possit beatitudinem absque spe illam consequendi; nihil autem officit, nec ulla potest ostendi repugnantia, quod de potentia Dei absoluta, quis mereri possit absque certa et indubitata fiducia consequendi præmium, ad quod aspirat. *Ad tertium* dico dilectionem illam Christi eo in casu fore regulandam per scientiam infusam, quæ licet de facto supponat notitiam beatificam, et visionem intuitivam, tamen in illa hypothesi prius gloria supponeretur infundi, quam lumen gloriæ, et subinde in eo casu præexisteret ad visionem Dei intuitivam, et regularet dilectionem animæ Christi per quam illam Dei visionem, et fruitionem mereretur.

Conclusio secunda. — CHRISTUS REVERA MERUIT GLORIAM SUI CORPORIS, NECNON ET SUI NOMINIS EXALTATIONEM.

Hæc colligitur ex Scriptura sacra, quæ illam veritatem aperte significat. Sic Lucæ 24. *Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam?* corporis scilicet, nam gloriam animæ a primo conceptionis momento possidebat. Ad Heb. 2. *Vidimus Jesum, propter passionem mortis, gloria, et honore coronatum.* Ad Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est nisi quia descendit in inferiores partes terræ?* ubi ascensus in cælum descensui per humilitatem tribuitur. Item idem Apostolus ad Philip. 2. de Christo loquens sic ait: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, etc. Quibus verbis Apostolus (ut ibidem observat sanctus Thomas) commendat præmium humilitatis Christi, per quam meruit sibi exaltationem quantum ad tria: nimirum quantum ad gloriam resurrectionis, ut denotatur per illa verba, *propter quod et Deus exaltavit illum:* quoad manifestationem suæ divinitatis, ut designant verba sequentia, *et donavit illi nomen, quod est super omne nomen:* et quoad reverentiam totius creaturæ, quæ debet ipsi honorem rependere, ut significant sequentia verba, *ut*

in nomine Jesu omne genu flectatur, etc. — Illa autem nominis exaltatio maxime consistit in illis variis testimoniis, quibus attestata est illius divinitas et sanctitas, dum nasceretur, baptizaretur, transfiguraretur, et moreretur. Gloria vero corporis consistit in dotibus gloriosis, quibus illustratum est illius divinum corpus in instanti resurrectionis, necnon et in ipsa resurrectione, quam ipsum promeruisse docet S. Augustinus: *quia humiliatus est, propterea Deus exaltavit eum a mortuis*. Hinc idem tract. 104. in Joan. *Humilitas claritatis est meritum*, inquit, *claritas est humilitatis præmium:* quam utique claritatem Christus a Patre petebat Joan. 17. his verbis: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam, et nunc clarifica me tu, Pater.* ❋ " Confirmatur eadem veritas auctoritate SS. Patrum. Prodit imprimis S. Chrysostomus qui sic scribit, hom. 7. ad Philipp.: *Die mihi, an non extremam præstitit Christus obedientiam? Propterea accepit supremum honorem. An non servus factus est? Quapropter Dominus est omnium, et Angelorum et hominum.* Succedit S. Virgilius martyr. lib. 5. contra Eutych.: « Numquid, *ait*, et hono« ribus sublimari, et dignitatis profectibus augeri natura divina Christi « indigebat, ut humilitatis et obedientiæ, ac mors merito sublimium « meritorum tenere fastigium, et potestatem cæli et terræ mereretur « accipere, tamquam qui antea non habuit? Legant Apostolum do« centem de hoc ipso: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque « ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit « illum*, etc. » His verbis beatus Martyr aperte negat exaltationem, de qua Apostolus loquitur, competere divinæ Christi naturæ. Deinde humanæ datum fuisse tradit, quia humiliatione, obedientia et mortis perpessione istud accipere meruerat. Postea quoque idipsum aliis Scripturis confirmat. Subjicit enim: « Et David scribit: *De torrente « in via bibit, propterea exaltabit caput. De torrente*, idest, de fluvio « mortis humanæ: *propterea exaltabit caput*, qui « mortem gustavit. « Et ipse in Evangelio: *Propterea*, inquit, *diligit me Pater meus, quo« niam animam meam pono pro ovibus meis* ». Et paulo post: « Per« sequamur, *ait*, beatitudinis ejus munera passionis ejus merito acqui« sita. Dicit Isaïas propheta: *Si posuerit pro peccato animam suam, « videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus di« rigetur*, etc. » Tandem concludit: « Vide quanta eum ob meritum « passionis adepturum propheticus sermo describit ». Ex quibus clarum et utriusque Testamenti Scripturis certum efficitur, Christum ob meritum passionis suæ, gloriam proprii corporis atque nominis sui exaltationem accepisse. His adstipulatur S. Cyrillus scribens lib. *De rect. in Deum fidem ad Reginas*, lib. 3. sen. dist. 18. *Ob eam mortem et perpessionem, summæ gloriæ coronam promeruit*. Succenturiatur S. Fulgentius, lib. 3. *ad Trasim.*, ipsis verbis: « Filius Dei non sprevit carnem « nostram, *id est*, infimum nostrum suscipere, quia totum hominem ve« nerat liberare: nec potuit infimo nostro infimus fieri, per quem in« fimum nostrum, in illud *nomen quod super omne nomen est*, meruit « exaltari, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, etc. ». His consentit Rupertus, l. 2. *in Habac.*: ps. 68. dum explicans illa Davidis verba: *Dederunt in escam meam fel:* et a Sapientia: *Morte turpissima condemnemus eum*; « sic, *inquit*, tanta ignominia repletus, passus

« est, pro gloria, videlicet sciens inde sibi proventurum, ut jam ex eo « sederet a dextris virtutis in gloria Dei Patris; nam propter hoc, in- « quit Apostolus, *et Deus exaltavit illum*, etc. ». Plures alias SS. Patrum ea de re sententias adjicerem, sed ne diffusior videar, illæ mihi satis superque sufficient ad confutandam Calvini blasphemiam qui exponens præfata Apostoli verba: *Propter quod exaltavit illum*, etc. hæc scribere non erubuit: « Frivolum est quod ex hoc loco sophistæ « conantur elicere, Christum scilicet primo sibi meritum esse, deinde « aliis: *sic peregit*: quis non videat hoc a Satana suggeri, Christum « in cruce passum, ut sibi compararet operis sui merito, quod non « habebat? Quis negat istos Satanæ instinctu reclamare Christum sibi « ante gloriam esse promeritum, quam nobis salutem? » Hæc ille ¨ ✻

Dices: Præmium est excellentius merito, quia Deus remunerat supra condignum: sed charitas Christi superexcedebat glorificationem corporis: ergo opus ex charitate illa procedens dignum erat majori remuneratione: non ergo ordinabatur ad glorificationem corporis sicut meritum ad præmium. — **Respondet Seraph. Doctor**, quæst. 2. *majorem* esse quidem veram de præmio substantiali, quo Deus remunerat hominem supra condignum, non vero de præmio accidentali, seu inferioris boni, quam sit substantiale, majori enim bono potest mereri homo minus bonum: et ideo illa *major* propositio non est universaliter vera. *Respondet* secundo ad *minorem*, posse dici, quod præmium corporis Christi fuit excellentius merito, si fiat comparatio ad statum, et ad opus, per quod meruit; nam status corporis fuit nobilior post glorificationem, quam ante: gloria etiam corporis excedebat labores corporis, quos Christus sustinuit.

Dices 2: Anima Christi fuit donata beatitudine propter unionem ipsius ad Verbum, non autem propter ulla merita: sed illius corpus etiam fuit unitum Verbo: ergo pari ratione donari debuit gloria, et beatitudine absque ullis meritis. — **Respondet Seraph. Doctor** *ibidem*, non esse paritatem inter beatitudinem corporis, et animæ in Christo, quia cum Christus venisset, ut pro nostris delictis satisfaceret, ad id conveniens fuit, ut aliqua ejus portio subjaceret pœnalitatibus, ut divinæ justitiæ satisfacere posset, et nobis gloriam promereri; ad id autem convenientior fuit portio inferior, quam superior, ideo congruum fuit, ut superior portio donaretur beatitudine, inferior vero illam tam sibi, quam nobis promereretur.

Dices 3: Nullus mereri potest quod sibi jure debetur: sed gloria corporis jure debebatur Christo, hæc enim naturaliter sequitur ex beatitudine animæ: igitur illam Christus non potuit promereri. — **Respondet Doctor** num. 15. Christum quidem non meruisse simpliciter et directe gloriam sui corporis, sed tantum indirecte, nempe per amotionem impedimenti, quo gloria animæ suspendebatur, et prohibebatur, ne redundaret in corpus. « Potest dici, inquit, pie sen- « tiendo cum Magistro, et pie glossando, quod quamvis non meruerit « directe impassibilitatem utriusque, meruit tamen amotionem impe- « dimenti, propter quod non intuerunt statim, scilicet desitionem mi- « raculi prohibentis redundantiam gloriæ in portionem inferiorem, et « in corpus ». Quibus Doctor significat Christum meruisse, et obtinuisse a Deo, ne amplius continuaret istud miraculum, quo suspen-

debatur animæ gloria, et prohibebatur, ne redundaret in corpus. — Nec valet dicere cum Goneto, et aliis Recentioribus, doctrinam Scoti hac in parte videri minus consentaneam, quia sequeretur inde, quod Christus non meruerit proprie sui corporis gloriam. Istud enim nego ex Doctoris doctrina colligi, non enim negat Doctor Christum non meruisse sui corporis gloriam, sed solum, quod indirecte hæc gloria sub meritum ceciderit.

Dices denique: Sola causa adventus Christi in mundum est hominum salus: igitur omne suum meritum in nostram utilitatem impendit, non in sui gloriam. *Probat antecedens* Calvinus ex illo Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Joan. 17. *Pro illis sanctifico meipsum.* Ad Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* — **Respondeo**, his omnibus Scripturæ textibus significari, quod Christus primo et principaliter intenderit nostram salutem; hoc tamen non obstat, quin minus principaliter et secundario potuerit intendere gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem, quod equidem significavit S. Cyrillus lib. 3. thes. cap. 2. qui arguens contra Arianos docentes Christum non esse verum Deum, nec ante incarnationem habuisse nomen supra omne nomen, sed illud suis meritis obtinuisse, illum errorem demonstrat ex eo, quod inde sequeretur Christum magis incarnatum fuisse in sui utilitatem, quam in nostram: *Si vero*, inquit, *ut ipsi dicunt, exaltatus post incarnationem est Filius Dei, et factus sublimis, quod antea non habebat, pro se magis incarnatus esset, quam pro hominibus, sibi enim magis secundum vos profuit, quam hominibus: ita non pro nostra salute magis, quam ut ipse exaltaretur, nomenque maximum assequeretur, homo factus esset.*

Conclusio tertia. — Christus nobis meruit non solum gratiam primam, et secundam, quibus justificamur, sed etiam liberationem a culpa, et a pœna, necnon et aperitionem januæ cælestis, et introductionem in paradisum. Hæc Conclusio maxime tribus partibus constat, quarum

Primam significat Apostolus ad Ephes. 1. cum ait: *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* In quem locum Ambrosius, *Omne donum*, inquit, *gratiæ in Christo est, et si quis spreto Christo, benedici se putat, errare se sciet.* Item 2. Tim. 1. *Vocavit nos vocatione sua sancta, quæ data est nobis in Christo Jesu.* Item Philipp. 1. *Vobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credatis, sed etiam pro illo patiamini.*

Confirmatur auctoritate Concilii Trident. sess. 6. cap. 5. *Declaratur præterea ipsius justificationis exordium in adultis, a Deo per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Eadem veritas colligitur ex illo Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* Quo in loco, ut observat Chrysostomus ibidem Homil. 13. et Augustinus tract. 3. in Joan. denotatur omnia bona supernaturalia esse in nobis per Christum. Et sane id colligitur ex illis verbis, *gratiam pro gratia*, nam secundum phrasim Hebraicam significant omnem gratiam, ut patet ex illo Job. 2. *Pellem pro pelle*

dabit homo pro anima sua, idest, omnem pellem: ac si diceretur: a primo bono usque ad ultimum, et a minimo usque ad maximum et pretiosissimum, permittet homo se spoliari, ut vitam tueri possit. Unde præclare Bernardus serm. 13. in Cantica: *Quidquid sapientiæ, quidquid virtutis habere confidis, Dei virtuti, Dei sapientiæ deputa Christo.* Et ante initio sermonis dixerat: *Origo fontium, et fluminum mare est, virtutum, et scientiarum Dominus Jesus Christus.* Hæc veritas patebit evidentius in Tractatu *De gratia*, ubi omnem omnino gratiam a Christo in homines derivari demonstrabitur.

Secunda pars etiam apparet ex eodem Apostolo ibidem, ubi ait: *Gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem.* Quasi diceret, Deum per Christi meritum non solum nos replesse omni gratia, sed etiam nos redemisse ab omni culpa, et pœna. Hinc toties Scriptura sacra indicat Christum venisse ut redemptorem, et ut nos redimeret ab omni iniquitate. Hinc 1. ad Timoth. 2. Christus dicitur dedisse semetipsum redemptionem pro multis.

Tertia denique **pars etiam constat**; nam, inquit Doctor, quamquam plurimi Patriarchæ, virique sanctissimi, ante Christi ascensionem discesserint e vivis, attamen nullus eorum æterna gloria potiebatur, qua modo donantur parvuli recenter baptizati: quod signum est neminem fuisse potitum cælesti gloria ante Christi ascensionem in cælum.

Conclusio ultima. — CHRISTUS DOMINUS MERUIT ETIAM GRATIAM ET GLORIAM SS. ANGELIS.

Probatur primo ex Apostolo ad Ephes. 1. ubi proposuisse Deus dicitur *instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt in ipso.* Item ex epist. ad Coloss. 1. *In quo reconciliata omnia per Christum* asseruntur, *et pacificata per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Cætera quæ a nonnullis afferuntur sacrorum testimonia Librorum non satis diserta videntur.

Suffragantur etiam SS. Patres. In primis S. Augustinus, qui in libro *De Consensu Evangelistarum*, cap. 35. sic scribit: *Quapropter cum sit ipse Christus sapientia Dei, per quem creata sunt omnia, cumque nullæ mentes rationabiles sive Angelorum, sive hominum nisi participatione ipsius sapientes fiant, cui per Spiritum sanctum, per quem charitas in cordibus nostris diffunditur, inhæremus, quæ Trinitas unus Deus est: consultum est divina Providentia mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus et occidentibus occupata tenebatur, ut eadem ipsa Dei sapientia ad unitatem personæ suæ homine assumpto, in quo temporaliter nasceretur, viveret, moreretur, resurgeret: congrua saluti nostræ dicendo, faciendo, patiendo, et sustinendo, fieret et deorsum hominibus exemplum redeundi, et eis qui sursum sunt Angelis exemplum manendi.* — Subscribit Fulgentius lib. 2. *Ad Trasimundum*, cap. 2. *Non alia*, inquit, c. 3. *stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata: in hoc, ut surgeret: in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur: in isto ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit: illum infirmari non sinit. Illius esca: istius medicina.* — Adstipulatur Gregorius in lib. 2. *Reg.* cap. 2. *Qui absque dono Unigeniti sanctificationis spiritum habere neminem*

potuisse dicit, non solum de hominibus, sed etiam de Angelis: quia scriptum est Psalm. 18. *Verbo Domini cœli firmati sunt. Si ergo etiam Angeli sanctificati creduntur in Filio, multo magis de hominibus creditur, qui certe eum sanctificationis gratiam invenire non possunt.* — Ex Græcis Patribus unus afferri potest Cyrillus ex lib. 9. *De Adoratione:* qui verba illa 1. Joan. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus,* de Christo sic interpretatur: *Christi enim particeps est omnis tam aspectabilis, quam aspectu non subjecta creatura. Siquidem, et Angeli, et Archangeli, et quidquid ultra istos est, ac vel ipsi Cherubini, non aliter sancti sunt, quam per solum Christum in Spiritu sancto. Sed de Christo ipso, quia Deus est, et de eo, quod ante incarnationem factum est, aperte ibi loquatur.* — Similiter Hippolytus Portuensis in fragm. 2. quod est in Anastasii Collectaneis, ubi de Incarnatione Verbi sic scribit: *Nam propterea homo factus est universorum Deus, ut patibili carne patiens, totum nostrum peccato venditum redimeret genus: atque ut impatibili divinitati per carnem miracula faciens, ad incorruptam suam, et beatam vitam reduceret. Nec non uti sanctos illos Ordines, qui in cœlo sunt, intelligibilium substantiarum ad immutabilitatem firmaret Incarnationis suæ mysterio: cujus opus est omnium in eum recapitulatio.*

Suffragatur etiam ratio: nam Angeli tamquam extranei fuerunt adoptati ad gloriam: at non est congruum ut quis adoptetur ad hæreditatem filii naturalis, nisi mediante filio naturali, qui est Christus.

· **Dices**: Angeli sunt adepti beatitudinem ante Christum incarnatum: igitur independenter ab eo. — **Nego consequentiam**: hoc enim beneficium eis contingit eo quod essent immunes ab omni peccato, unde differenda non erat eorum beatitudo: inde tamen non est consequens, quod illam non obtinuerint intuitu meritorum Christi, siquidem Patres Veteris Testamenti, qui Christi incarnationem præcesserunt, plurimis donati sunt gratiis et beneficiis intuitu tantum Christi meritorum: ergo pari ratione Angeli potuerunt obtinere suam beatitudinem dependenter a meritis Christi, quamquam illam ante ipsius incarnationem fuerint adepti.

QUÆSTIO ULTIMA.

UTRUM, ET QUALITER CHRISTI MERITUM FUERIT INFINITUM.

Notandum 1. Omnes quidem Theologos convenire, Christi meritum esse infinitum: dissentire vero in assignanda ratione hujus infinitatis. Thomistæ siquidem, et plurimi Recentiores docent meritum Christi fuisse infinitum formaliter intrinsece: Doctor vero Subtilis cum suis omnibus Discipulis contendit fuisse duntaxat infinitum extrinsece, seu denominative, qualiter, v. g. visio beatifica aliqua ratione dici potest infinita. Hæc autem infinitas accidentalis et extrinseca ex multiplici capite oriri potest: *Primo* quidem, ex parte objecti, circa quod versatur: quemadmodum enim peccatum mortale per quamdam denominationem extrinsecam ab objecto infinito, quod offendit, denominatur grave in infinitum, ita etiam meritum Christi ratione objecti extrinsece denominari potest infinitum. *Secundo*, ex parte personæ operantis: sic actiones humanitatis Christi dici possunt infinitæ, quia nimirum

ex unione ipsius cum Verbo consurgit quædam dignitas in humanitate, et consequenter in ejus actionibus, ratione cujus dignitatis actiones illæ extrinsece et accidentaliter dici possunt infinitæ. *Tertio*, ex parte acceptationis divinæ, quia videlicet Deus illa Christi merita acceptat pro salvandis infinitis hominibus, si tot occurrerent salvandi. An autem hac dumtaxat infinitate extrinseca Christi merita fuerint infinita, hic erit determinandum.

Notandum 2. Seu potius revocandum ex dictis, Verbum divinum nullam habere physicam specialem causalitatem circa humanitatem assumptam, quam non habeat Pater, et Spiritus sanctus: siquidem opera sanctissimæ Trinitatis ad extra sunt indivisa, ita quod nihil quidquam una persona operetur, quin pariter cæteræ personæ censeantur idipsum producere; siquidem earum operatio ad extra est per potentiam, et voluntatem, quæ in tribus divinis personis est indivisibilis et simplicissima. Unde non sunt tres omnipotentes, sed unus omnipotens. *Adde quod* Verbum divinum terminat tantum dependentiam naturæ assumptæ, eodem quasi genere terminationis quo punctum terminat lineam, quod certe fieri potest absque speciali influxu.

Notandum 3. Principium *quod* nunquam operari nisi secundum mensuram et perfectionem principii *quo*. Aqua calida v. g. ut quatuor nunquam calefacit ut quinque; quia calor, qui est principium *quo* calefactionis, habet tantum perfectionem quatuor graduum. Hinc sequitur, quod etsi persona Verbi divini physice concurreret speciali influxu ad elicitionem actionum humanitatis assumptæ, tamen essent mensurandæ semper hujusmodi actiones secundum perfectionem principii *quo*, puta intellectus, vel voluntatis creatæ, quæ principia cum sint physice et naturaliter finita, non poterunt ab illis procedere actiones physice et naturaliter infinitæ. Unde sit

Conclusio unica. — Meritum Christi non est infinitum ex se formaliter et intrinsece, sed dumtaxat extrinsece. Ita Doctor dist. 19. num. 4. eamque

Conclusionem probat plurimis rationibus, quarum *prima* sic proponi potest: si aliqua actio humana Christi esset infiniti valoris, et acceptabilitatis, sequeretur quod esset tanti valoris, quanti est volitio increata et essentialiter infinita ipsius Dei: sed omnino absurdum est, quod volitio creata et contingens, quæ ex natura sua intrinseca posset esse et non esse, et quæ dependet a principio finito et limitato, esset tanti valoris, ac esset volitio increata: ergo actio meritoria Christi non est infiniti valoris. Patet *sequela majoris*: quia volitio increata non potest habere majorem valorem, quam infinitum: ergo si volitio creata haberet valorem infinitum, haberet tantum valorem quantum habet volitio increata. — *Confirmatur*, si volitio creata Christi habet ex se infinitum valorem et acceptabilitatem: ergo exigitur ex se ut sit tam grata Deo et accepta, quam ipsa Verbi persona est Deo grata et accepta: sed omnino hoc videtur absurdum: ergo non est tanti valoris aut acceptabilitatis. *Probatur minor*, quia inde sequeretur, quod quemadmodum Verbum, et volitio ipsius sunt simpliciter infinita, ita etiam volitio illa creata esset simpliciter infinita, quod certe nec ipsimet adversarii admittent, nec potest ulla ratione esse verisimile.

Probat secundo Doctor: Si volitio creata Christi esset ex se infiniti valoris, sequeretur quod Christus per ipsam tam perfecte frueretur Deo, quam per volitionem infinitam et increatam: sed hoc est absurdum, secundum omnes. — *Confirmatur;* quia major perfectio in ratione fruitionis provenit ex majori dignitate actus: ergo si volitio creata non habet tantam perfectionem in ratione fruitionis, non habebit tantam dignitatem, nec tantum consequenter valorem: aut si habet tantum valorem, debet habere tantam perfectionem in ratione fruitionis.

Reponunt Thomistæ: veram fore rationem Doctoris, si meritum Christi esset infinitum in ratione entis; at cum sit infinitum dumtaxat in ratione meriti, non vero in ratione entis, argumentum illud nihil concludit. — **Contra**, meritum Christi non est infinitum in ratione entis: ergo neque infinitum est ex se formaliter et intrinsece. *Antecedens* admittunt Adversarii. *Probatur consequentia:* non potest intelligi quomodo formaliter et intrinsece meritum Christi sit infinitum, nisi quia in entitate sua formali, et quatenus dependet ab operante infinito, et infinite operante, est infinitum: sed hoc est esse infinitum in ratione entis: ergo si meritum Christi sit infinitum formaliter, et intrinsece, ut volunt Adversarii, erit infinitum in ratione entis.

Confirmatur ratione Doctoris, quæ est tertia illius probatio: actio meritoria Christi fuit bonum finitum ex sua ratione intrinseca, non solum in genere entis, sed etiam in genere moris: ergo non fuit infinite meritoria ex sua ratione formali. *Consequentia patet*, quia non plus fuit acceptata, quam esset bona, ex sententia eorum qui eam volunt esse infinitam: ergo si ex ratione sua formali non fuit infinite bona in genere moris: ergo nec infinite accepta: ergo nec infinite meritoria. *Antecedens* sic ostenditur: principium per se actionis meritoriæ Christi sumptum, cum omnibus respectibus etiam ad Verbum, est finitum intrinsece: igitur et actio ejus fuit formaliter finita et limitata. *Antecedens* patet, quia principium illius actionis est voluntas Christi creata informata gratia infinita, quæ ex respectu ad Verbum nullam induit infinitatem intrinsecam, quia respectus ille finitus est. *Consequentia probatur:* quia a principio essentialiter intrinsece finito non potest esse actio intrinsece et formaliter infinita: actio enim non excedit virtutem suæ causæ.

Reponunt Thomistæ, principium *quo* formale esse quidem finitum in genere entis et moris, principium vero *quod* esse infinitum; quod sat est, ut actio meritoria dicatur infinita in genere moris. — **Contra**, hoc principium *quod* non agit nisi in virtute principii *quo*, ut dictum est in tertio Notabili; ergo quamvis principium *quod* sit infinitum, non potest tamen elici actio nisi præcise juxta mensuram perfectionis principii *quo:* quod quia finitum est, actio quoque Christi meritoria intrinsece, et formaliter debet esse finita. *Confirmatur*, agens, quod per suum principium formale est formaliter finitum in genere entis et naturæ, non potest causare effectum formaliter infinitum, nec elicere actionem formaliter infinitam: ergo nec per principium *quo* formaliter finitum in genere moris et gratiæ potest actionem infinitam in genere moris elicere. *Consequentia* patet a paritate rationis. *Antecedens probatur*, quia Christus v. g. per intellectum creatum non potest elicere intellectionem formaliter infinitam.

Reponunt iterum, hanc illam infinitatem esse petendam ex eo quod Verbum divinum specialem habeat influxum in actiones humanitatis, ratione activitatis illius humanitatis, quæ ipsi competit, unde potest elicere actionem infinitam, etsi principium *quo* formaliter merendi sit finitum. — **Contra** *primo*, conveniunt omnes pene Theologi, quod Verbum divinum nullam habebat peculiarem efficientiam respectu illarum actionum. *Secundo*, etiam admisso, quod habuerit illum influxum, adhuc implicat actionem ab eo per principium formaliter finitum elicitam esse infinitam. *Probatur*, quia actus essentialiter infinitus non potest dependere essentialiter ab aliquibus causis formaliter finitis in perfectione, etiam causa infinita coagente; ita quod causa finita habeat essentialem causalitatem super illum actum: sed natura assumpta habuit super actiones Christi creatam essentialem causalitatem: ergo non potuerunt formaliter esse infinitæ. *Consequens* est evidens cum *minore*. *Major* patet, tum quia nec a causa finita sola est causalitas effectus: tum etiam quia etsi causa infinita et finita subordinentur, implicat tamen, quod ab eis oriatur effectus infinitus, quia effectus non potest excedere perfectionem suæ causæ proximæ, a qua dimanat, unde quoniam effectus aliquis producitur a Deo, et a sole, propterea quod dependet essentialiter a sole, qui est causa finita, non potest talis effectus esse formaliter infinitus: ideoque quantumvis Verbum divinum habeat peculiarem efficientiam respectu actionum humanitatis Christi, non tamen propterea possunt illæ formaliter esse infinitæ; quia per alias causas finitas modificantur et determinantur in genere et ordine actionum et entium finitorum.

Confirmatur quarta ratione Doctoris: Nullus sequitur effectus formaliter et intrinsece infinitus etiam ex causa infinita, nisi ipsa agat infinite, seu modo infinito: at Verbum divinum, ut persona humanitatis assumptæ, dato quod egerit merendo, non egit infinito modo. *Probatur*, tum quia ut sic gerebat vices personæ humanæ, quæ non aliter operabatur, quam persona propria, si fuisset: tum quia mereri et satisfacere sunt actiones dicentes inferioritatem et submissionem: ergo non possunt elici a Deo ut sic: ergo neque a Verbo infinite, seu infinito modo operante.

Reponunt Thomistæ cum Suarez, equidem actiones Christi non fuisse infinite meritorias ex quadam efficientia et influxu, quem Verbum divinum habuerit circa humanitatem, et illius operationes, sed dumtaxat ratione unionis, quam illæ Christi operationes habent cum Verbo divino; ratione cujus unionis illæ operationes humanitatis censentur veluti Verbo propriæ, atque consequenter in infinitum dignificatæ. — **Contra**, quamvis actio dignitatem aliquam accipiat a persona, a qua elicitur, attamen actio finitæ perfectionis secundum entitatem non potest accipere dignitatem infinitam, quamvis eliciatur a persona infinita: igitur hæc responsio est nulla. *Probatur antecedens:* actio finitæ perfectionis secundum entitatem non potest habere tantum valorem et dignitatem moralem, quantum haberet, si esset infinita secundum entitatem: at si esset infinita secundum entitatem tantum habere posset valorem et dignitatem moralem infinitam: ergo actio, quæ est finita secundum entitatem, quantumvis eliciatur a persona infinita, non potest ex se et intrinsece habere dignitatem infinitam. —

Confirmatur, quia actio infinitæ bonitatis ex natura sua physica proveniens ab aliqua persona infinita deberet habere majorem dignitatem etiam in ratione meriti, quam alia actio finitæ entitatis elicita ab eadem persona infinita: sed hoc esset falsum si actioni physice infinitæ correspondere posset præmium infinitum: igitur tale præmium per se non debetur tali actioni provenienti a persona Christi ex ratione sua, et dignitate intrinseca. *Confirmatur secundo* non magis debet crescere valor operationis ex perfectione et dignitate personæ, quam valor cognitionis seu visionis ex dignitate objecti: sicut enim actio personæ dignioris existimatur excellentior, quam actio personæ minus dignæ, ita visio perfectioris objecti censetur præstantior, quam imperfectioris: at licet crescat et augeatur visionis perfectio secundum majorem perfectionem objecti, inde non sequitur, quod visio terminata ad objectum infinitum sit infinitæ perfectionis intrinsece, alias visio beatifica cujuslibet creaturæ esset intrinsece infinitæ perfectionis: igitur licet crescat dignitas actionis ex dignitate personæ, inde non sequitur, quod si persona sit infinitæ dignitatis, etiam actio sit infinitæ dignitatis in genere moris et meriti. *His addit*, quod etiamsi personæ dignitas aliquid influeret in bonitatem moralem, non efficeret illam bonitatem esse infinitam, etiamsi illa persona sit infinita: igitur licet circumstantia personæ augeat valorem meritorum, non efficiet illum infinitum, quamvis persona sit infinita.

Reponit Suarez *consequentiam* non valere, quia, inquit, aliter circumstantia personæ concurrit ad dignificandam personam in ratione meriti: aliter vero ad eam dignificandam, seu augendam bonitatem moralem ejus in genere virtutis: dignificat enim actionem in ratione meriti ipsa moraliter afficiendo actionem: sed non dignificat nec auget bonitatem moralem in genere virtutis, nisi quatenus ipsa potentia versatur circa objectum talis virtutis. Unde non potest communicare bonitatem, nisi juxta modum, quo tendit potentia in objectum illud; et idcirco cum potentia tendat finito modo in objectum, inde fit quod persona infinita non communicet bonitatem moralem infinitam actui elicito. — **Contra**, modus finitus quo potentia tendit in objectum impedit communicationem bonitatis infinitæ in actionem illam moralem, quamvis illa actio procedat a persona infinita: igitur etiam finitus modus operandi personæ infinitæ impediet quominus illa persona communicet dignitatem meritoriam infinitam isti actioni infinitæ. *Antecedens* est ipsius Suaresii. *Consequentia* vero patet a prioritate rationis. *Deinde*, valor et meritum actionis est proprietas consequens bonitatem moralem ipsius actionis, unde res in tantum valet, in quantum est bona: igitur cum bonitas moralis actionum Christi sit finita, etiam illarum actionum valor et meritum finitum erit. *Denique* gratis asserit Suarez personam dignificare seipsa actionem in genere meriti independenter ab objecto, non vero eam ita dignificare in genere virtutis.

Concludendum est igitur, meritum Christi esse dumtaxat infinitum extrinsece et accidentario, videlicet ex triplici circumstantia, objecti, personæ, et divinæ acceptationis. *Primo* quidem, ex circumstantia objecti, nam quemadmodum extrinseca quadam denominatione peccatum aliquod commissum in objectum infinitum, puta Deum, dicitur infinitum, ita etiam actio meritoria in Deum, vel propter Deum elicita, dici

posset aliqua denominatione extrinsece infinita. *Secundo* ex circumstantia suppositi, quia quotiescumque natura aliqua operatur in supposito infinito, licet illud suppositum non active concurrat, nihilominus tamen quia significat aliqua ratione naturam operantem, significat quoque consequenter actionem elicitam a tali natura; unde quia suppositum est infinitum, actiones illæ quoque dici possunt aliqua ratione infinitæ, hoc est extrinsece et accidentario. *Tertio* denique, ratione acceptationis divinæ, quia nimirum, licet opus aliquod in se non sit infinitum, quia tamen ad rationem illius, ut est meritorium, requiritur acceptatio divina, potest virtute illius acceptationis dici infinitum, quatenus nimirum pro infinitis peccatis, vel infinitis hominibus acceptatur: ergo Christi meritum multis titulis extrinsecis tantum et accidentariis dici potest infinitum.

Objiciunt adversarii, *primo* quidem aliquas Scripturæ sacræ auctoritates, quibus licet non significetur meritum Christi fuisse infinitum, tamen declaratur id fuisse sufficientis valoris pro solvendis peccatis omnium prorsus hominum: ex quibus interre licet illud meritum fuisse infinitum: sic Psal. 139. *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* 1. Cor. 6. *Empti enim estis pretio magno.* 1. Joan. 2. *Non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi.* Confirmant ex Clemente VI. in dicta extravaganti *Unigenitus*, ubi loquens de thesauro Ecclesiæ, sic ait: *De cujus consumptione, aut diminutione non est aliquatenus formidandum, propter infinita merita Christi.* Ergo juxta Pontificem, operationes Christi fuerunt valoris meritorii simpliciter infiniti. *Consequentia* patet: *tum quia* si illarum valor meritorius non esset infinitus simpliciter, merita Christi non appellarentur absolute infinita: *tum etiam*, quia alias liceret formidare cum fundamento ne in tantum peccata hominum crescerent, ut ex eorum multitudine merita Christi tandem consumerentur. Quod autem Pontifex ad infinitatem meritorum Christi suadendam, non ad acceptationem extrinsecam Dei, sed ad intrinsecam conjunctionem ipsius ad Verbum recurrat, colligitur ex eo, quod dicat unam guttam sanguinis Christi, *propter conjunctionem ad Verbum*, sufficientissimam fuisse pro peccatis omnium hominum: sed si merita Christi solum essent infinita ex acceptatione extrinseca Dei, ad illam recurreret, non vero ad unionem cum Verbo: igitur, etc. — Respondeo, ex illis omnibus tum Scripturæ, tum Pontificis auctoritatibus, nil aliud inferri, quam quod revera Christi meritum sit infinitum moraliter, et sufficientissimum pro solvendis infinitis hominibus: non quidem ex se, seu ex eo, quod procedat præcise a persona infinita, sed ex eo, quod Deus acceptavit illud tamquam pretium, et satisfactionem ad remittendam pœnam infinitam peccatis debitam, et conferendam vitam æternam; non minus, quam si ex se esset infiniti valoris. Ratio autem cur Deus ita Christi merita acceptavit, recte colligitur ex eo, quod illa meritoria opera, quatenus procedebant a persona divina, extrinsecam specialem habebant dignitatem, quæ movebat Deum ad illa merita potius acceptanda, quam merita omnium prorsus hominum, et Angelorum. Licet enim circumstantia personæ non tribuerit dignitatem infinitam intrinsecam, tamen tantum valorem, tantamque dignitatem conferebat istis operibus, ut nulla prorsus alia opera meritoria

majorem dignitatem haberent, imo nec æqualem. Unde non abs re Pontifex, ut significet præstantissimum fuisse Christi meritum, et sanguinis pretium, recurrit ad unionem; siquidem summa humanitatis Christi et illius operationis dignitas recte colligitur ex unione hypostatica, quamquam inde non sequatur dignitatem illam esse intrinsece infinitam.

Instant adversarii: Illa acceptatio divina vel fuit juxta dignitatem meritoriam operationis Christi, vel illam excessit; seu Deus pluris fecit illa merita acceptando, quam ex se valerent. Si *primum*, igitur illa merita habent ex se dignitatem infinitam independenter ab acceptatione Dei. *Secundum* vero dici non potest, quia opus ex se non condignum, sed solum ex præmiantis acceptatione, imperfectum est in ratione meriti, sicut pretium, quod ex se est inæquale, sed solum habet æqualitatem ex voluntaria acceptatione vendentis, est imperfectum in ratione pretii: igitur si Christi opera non fuerint ex se condigna in ratione meriti, sed id habuerint ex acceptatione extrinseca Dei, necessum est, quod fuerint imperfecta in ratione meriti. — **Respondeo**, Christi merita non fuisse acceptata ultra dignitatem et valorem suum, quia quamvis non fuerint intrinsece infinita, tamen quia procedebant a persona infinitæ dignitatis, tanti erant valoris, quanti opus erat ut acceptarentur a Deo pro salvandis infinitis hominibus, quia scilicet illa merita excedebant dignitatem cujuscumque alterius excogitabilis operis meritorii. *Adde quod* quamvis Deus illa acceptasset ultra dignitatem, non sequeretur, quod illa Christi opera essent imperfecta in ratione meriti: siquidem illa merita censeri non possunt esse imperfecta, quibus non potest dari meritum præstantius et perfectius: at Christi meritis non potest dari præstantius meritum: igitur non possunt censeri imperfecta. Hinc nulla est comparatio meritorum illorum cum pretio. Idcirco enim pretium, cujus valor dependet ab acceptatione vendentis, censetur imperfectum, quia tali pretio potest dari majus, quod ex se æquet dignitatem rei emptæ: at Christi meritis non possunt dari aliqua præstantiora merita, quæ ex se æquare possent solutionem faciendam pro infinitis peccatis expiandis, et infinitis hominibus salvandis: igitur exinde non debent censeri imperfecta.

Objiciunt 2. Actiones meritoriæ Christi dicuntur a SS. Patribus *Theandricæ*, idest, *Deiviriles*, seu actiones Dei et hominis; sic enim eas appellat S. Dionysius, Epist. 4. ad Cajum, et S. Damascenus, lib. 3. *De Fide*, cap. 15: sed actio theandrica tam procedit a Verbo, quam ab humanitate: igitur tam Verbum influit in actiones, quam ipsa humanitas: sed actio, in quam Verbum peculiariter influit, est infiniti valoris: ergo actiones Christi ut meritoriæ, fuerunt ex se infiniti valoris. — **Distinguo majorem**: tam procedunt a Verbo, quam ab humanitate per influxum physicum aut moralem quasi Verbum æque influat in actiones, ac humanitas in illas influit, nego: tam procedunt a Verbo, quam ab humanitate, hoc est actiones illæ producuntur a persona, quæ est simul Deus et homo, tamquam a principio *quod*, concedo: exinde autem non sequitur, quod Verbum peculiariter influat in istas actiones, et consequenter verum non est, quod illæ actiones ex se sint infiniti valoris.

Objiciunt 3. Offensæ gravitas crescit juxta perfectionem personæ læsæ: satisfactio autem juxta perfectionem personæ satisfacientis: igitur sicut culpa commissa in personam infinitam censetur infinita, ita satisfactio facta a persona infinita censeri debet infinita. — **Respondeo**, *antecedens* esse verum secundum proportionem, non secundum gradum, hoc est, proportione quadam, injuria illata personæ infinitæ censetur infinita, non tamen secundum gradum perfectionis personæ offensæ, quia persona offensa si sit infinita, est infinita secundum gradus intrinsece et formaliter perfectionis infinitæ; injuria vero non secundum gradus infinitatis, sed extrinseca quadam denominatione a persona infinita læsa, dicitur infinita: hinc satisfactio, vel actio meritoria mensuratur juxta perfectionem personæ merentis, non secundum gradum, sed secundum proportionem, præsertim si persona, cui attribuitur meritum, nullam habet efficientiam circa illud, sed dumtaxat illud extrinsece, et accidentario dignificet, quomodo diximus suppositum Verbi divini dignificare actiones meritorias humanitatis assumptæ. — Censerem tamen hanc controversiam facile componi posse, et utramque sententiam conciliari, dicendo Christum revera meruisse pro infinitis hominibus quantum ad sufficientiam, non quod opera ipsius meritoria habuerint bonitatem et dignitatem infinitam, quod etiam plurimi Thomistæ concedunt; sed quod tantæ fuerint dignitatis, tantique valoris, ex eo quod procederent a persona divina, ut Deus per eorum valorem et dignitatem summam motus fuerit ad illa acceptanda pro omnibus omnino hominibus, etiamsi numero essent infiniti.

SECTIO TERTIA.

DE PONTIFICATU ET SACERDOTIO CHRISTI.

Mediatoris dignitatem et ministerium implet Sacerdotis auctoritas et officium; est enim sacerdotium, maxime summum, mediatio quædam Deum inter et homines, ut recte Philo Judæus observat l. 2. *De Monarchia*, ut refert Petavius, lib. 12. cap. 11. ubi causam explicat, cur summo Sacerdoti luctu ac funebri officio interdictum fuerit etiam in morte propinquissimorum: *Etenim*, inquit, *Lex vult eum altiore quadam, quam humana sit, indole esse præditum, et ad divinam propius accedere, velut in confinio quodam, ut vere dicam, utriusque positum, ut et homines per Mediatorem quemdam placatum et propitium reddant sibi Deum, et Deus vicissim ad impertienda, suppeditandaque beneficia sua administro quopiam utatur.* Hinc egregie ajebat Isidorus Pelusiota, lib. 3. epist. 20. *Sacerdotium medium tenere divinam inter humanamque naturam, ut et illam colat, et huic mutationem in melius afferat.* Porro, Christum Dominum Pontificem esse, ac Sacerdotem luculentissimo testimonio Scripturæ sacræ declarant, ut illud Davidis *de Christo vaticinium*, Psal. 109. *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quod utique oraculum disertissime explicat S. Apostolus ad Hebr. 5. et sequentibus, ut Christi Domini sacerdotium, et sacrificium explicet, illudque supra cætera veteris Legis Pontificum munia extollat et efferat. Non est igitur immorandum in as-

serendo et comprobando Christi Domini pontificatu et sacerdotio. Nec etiam hujus loci est agere de jugi Eucharistiæ sacrificio ab ipso Pontificum principe, et summo hominum Sacerdote institutum; quippe convenientiori ordine hæc discutientur in tractatu *De Eucharistiæ Sacramento et Sacrificio*. Solum igitur hic investigandum et determinandum est, an vere et proprie sacerdotale munus Christus Dominus impleverit, illudque etiam nunc exerceat.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM ET SECUNDUM QUAM NATURAM CHRISTUS DOMINUS VERE ET PROPRIE FUERIT SACERDOS.

Notandum 1. Magnam inter Hæreticos semi-Arianos, et Catholicos fuisse de Christi sacerdotio controversiam; nam hæretici illi, qui naturam Filii Dei ac Verbi diversam a natura Patris, et ea longe inferiorem existimabant, quidquid in Christo inerat, vel ab eo gestum erat, humile, et imbecillioris conditionis naturæ, velut dolorem, tamem, et id genus cætera, adeoque precandi et invocandi affectus, aliaque Sacerdotii propria munia ipsius Divinitati adscribebant, ut eum Patre, secundum divinitatem ipsi attributam, inferiorem assererent. Nestorius vero, qui hominem a Deo reipsa esse divisum, et sola affectus et gratiæ unione sociatum existimabat, ita sacerdotium humanitati Christi assignabat, ut nullatenus pateretur Sacerdotis dignitatem Filio Dei, vel Deo attribui: quocirca, ut Catholicos in invidiam vocaret, tamquam divinitatem ipsam pontificem esse dicerent, eorum professionem sic interpretabatur apud Cyrillum, lib. 3. adversus illum: *Legentes*, inquit, *Divinitatem, sibi fingunt Pontificem, admirabili quadam insaniæ specie:* tum plurima subjiciebat argumenta, quibus istud dogma conficeret, puta: si Divinitas est Pontifex, quis erit ille, qui pontificali officio colitur? Si Deus offert sacrificium, nemo est, cui offeratur, aut sibi offeret, quod plane ridiculum est. Verum hanc calumniam a Catholicis removet Cyrillus, ostendendo Catholicos affirmare quidem Deum esse factum summum Sacerdotem, quando carnem humanam induit, non tamen munus Sacerdotis implere secundum Divinitatem, sed penes humanitatem Divinitati in unitate personæ sociatam.

Notandum 2. Ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. *Sacrificium et Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta esse, ut utrumque in omni lege extiterit.* Unde Sacerdotium necessario importat respectum et habitudinem ad sacrificium, ita quod quantumvis Sacerdos res alias sacras, aliaque divina mysteria peragat et celebret, tamen incomplete dumtaxat, non autem adæquate Sacerdotis munus et officium censetur exercere, nisi cum sacrificium celebrat, aut illud celebrandi potestatem et auctoritatem obtinet. Unde S. Augustinus epist. 19. quæ est ad *Deo gratias*, tria hæc commemorat, templum, sacrificium, et Sacerdotem, tamquam sibi invicem necessario connexa. Porro sacrificium duplex generatim censeri potest: unum quidem improprie dictum pro omni actione sive interna sive externa, quæ in Dei laudem et gloriam exercetur: cui sacrificio respondet aliquod Sacerdotium minus proprie dictum, qua ratione omnes fideles suis bonis operibus Dei gloriæ, suæque saluti incumbentes, Sacerdotes appellantur a S. Petro, epist. 1.

cap. 2. *Vos estis*, inquit, *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta*. Et omnes sancti cum Christo in cælis triumphantes, ipsi grates rependunt, quod eos fecerit Sacerdotes, et Reges: *Fecisti nos Deo nostro regnum, et Sacerdotes*. Aliud autem sacrificium proprie dictum significat oblationem exteriorem et sacram, quæ Deo offertur in cultum debitum ejus majestati, ac in obtestationem illius supremi dominii, vel in gratiarum actionem accepti beneficii, vel in satisfactionem pro peccatis, eorumque expiatione. Hinc maxime triplex distinguitur sacrificium, nempe venerationis, gratitudinis, et expiationis, quamquam plura alia genera commemorari possint, ut abunde diximus in tractatu *De Legibus*, agendo *De Lege Mosaica*.

Notandum 3. Quod sicut sacrificium duplici ritu potest offerri, privato scilicet et publico, ita duplex distinguitur Sacerdotis munus, aliud quidem privatum, quod Sacerdos interdum agere potest clanculum et privatim, ac semoto omni hominum consortio; aliud vero publicum, quod coram populi multitudine, ac in conspectu plurium celebratur. Hinc illud ad Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis*. Quod utique postremum Sacerdotii munus verum et proprie dictum sacerdotium significat.

His ita præmissis, duo maxime sunt in hac Quæstione determinanda: *Primum*, an Christus vere et proprie dicatur Sacerdos. *Secundum*, an Sacerdotis dignitas et ministerium ipsi conveniat, qua Deus, aut qua homo.

Conclusio prima. — Christus vere et proprie fuit Sacerdos. Hæc est de fide; quam egregie

Probat S. Apostolus cap. 5. ad Heb. et sequentibus, patetque hujus Conclusionis veritas ex eo quod Christus obtulit tamquam Sacerdos publicus verum et proprie dictum sacrificium, non solum secundum ordinem Melchisedech, quando in die Cœnæ accipiens panem et calicem, suum corpus, suumque sanguinem incruento ritu ac sacrificio æterno Patri litavit; sed etiam cum assistens *Pontifex futurorum bonorum*, inquit Apostolus ad Heb. 9. *per amplius, et perfectius tabernaculum non manufactum, idest, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*. Cum videlicet in ara crucis seipsum victimam æterno Patri obtulit.

Hoc egregie explicat Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. his verbis: « His igitur Deus, et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis « morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic re- « demptionem operaretur: quia tamen per mortem, sacerdotium ejus « extinguendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, « ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura « exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce « peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæ- « culi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, « quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur; Sacer- « dotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum « declarans, corpus, et sanguinem suum sub speciebus panis, et vini « Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos

« tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit « et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præ- « cepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, uti « semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit ».

Hanc veritatem suis oraculis, suaque doctrina luculentissime explicant SS. Patres tam Græci, quam Latini, qui Christum Dominum novæ legis Sacerdotem et Pontificem maxime secundum ordinem Melchisedech, eo quod semel litatum suum corpus et sanguinem oblatione cruenta in cruce, jugi ac perpetuo Missæ sacrificio diebus singulis ministerio Sacerdotum æterno Patri offerat in sacrificium: quos omnes sanctissimos Auctores hanc veritatem attestantes referemus in Tractatu *De divina Eucharistia*: ut nullum supersit effugium Calvinistis, et aliis hujus ævi hæreticis negantibus aliud novæ legis sacrificium præter id, quod a Christo in cruce oblatum est. — Interim laudare juvat, et recensere aliquos ex SS. Patribus, qui ut perfectum, ac omnibus titulis illustre Christi Sacerdotium demonstrent, illum non solum Sacerdotem, sed et victimam ac oblationem pronuntiant. Sic imprimis Epiphanius Hæres. 55.-quæ est Melchisedechianorum, ubi de Sacerdotio Christi loquens, ait: *Primum quidem seipsum obtulit, ut sacrificium dissolveret antiqui sacramenti, perficeret, viraque pro universo mundo mactata hostia: ut esset ipse victima, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus.* Id ipsum eleganter explicat S. Augustinus in Psal. 132. *Quis est Sacerdos*, ait, *nisi unus Sacerdos, qui intravit in sancta Sanctorum? Quis est Sacerdos, nisi qui fuit victima, et Sacerdos? nisi ille, qui cum in mundo non inveniret quod offerret, seipsum obtulit?* Egregie quoque Fulgentius lib. 1. *Ad Tras.* cap. 12. Christi Sacerdotium commendat his verbis: *Unus igitur, idemque Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, ipse pastor et ovis, ipse sponsus et sponsa, ipse sacerdos et victima: unus, idemque, et oblator muneris, et munus factus est oblatoris: ut nec oblator a muneris qualitate desciscceret, nec munus ab oblationis merito discreparet.*

Dices: Omnis verus et perfectus Sacerdos physice debet agere circa victimam ipsam *vel* mactando, *vel* igne absumendo, *vel* aliter immutando: sed impium est dicere Christum seipsum occidisse: igitur falsum est, quod fuerit simul Sacerdos, et victima. — **Nego majorem**: sufficit enim ad verum sacrificium, quod Sacerdos assumat victimam, illamque Deo offerat oblatione morali et spontanea: Christus autem Dominus hoc præstitit: siquidem mortem sibi illatam, ut rem sacram voluntarie subiit, illamque Deo in sacrificium obtulit.

Instabis: Si hæc ita sint, sequitur Martyres similiter revera proprie Sacerdotes esse, verumque Deo sacrificium impendere cum in illius gloriam et sanguinem fundunt, et mortem cruentam voluntarie obeunt: sed id nullus Catholicorum dixerit: igitur nec ipsum de Christo asserendum est. — **Nego majorem**: quamquam enim vitam cum sanguine Martyres in Dei gloriam et honorem litent, nihilominus cum non sint a Deo constituti, ut mortem subeant per modum sacrificii, nec ut se tamquam victimas offerant Deo ad satisfaciendum pro peccatis aliorum; inde illorum mors reputari non potest verum sacri-

ficium, ut egregie docet S. Leo, epist. 83. cap. 4. *Dicant*, inquit, *quo sanguine sunt redempti? dicant, quo sacrificio sunt reconciliati? quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis in oblationem, et hostiam in odorem suavitatis, aut quod umquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? quamvis enim multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen infantis occisio propitiatio fuit in mundo.*

Conclusio secunda. — Christus est Sacerdos et Pontifex non secundum naturam divinam, sed secundum humanam in persona Verbi subsistentem. Hæc est communis inter Catholicos, eamque

Probant SS. Patres, imprimis vero Epiphanius hæresi 69. ex illo Apostoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Quibus verbis significat Apostolus, inquit S. Epiphanius, Dei Filio *post susceptam hominis naturam, pontificiam dignitatem attributam fuisse.* Similiter S. Augustinus in Psal. 109. *Secundum id*, inquit, *quod natus est de Patre Deus apud Deum coæternus gignenti, non Sacerdos, sed Sacerdos propter carnem assumptam, propter victimam, quam pro nobis offerret a nobis acceptam.* Sic pariter Theodoretus dialogo. 1. probat adversus Apollinaristas, ex eo quod Christus corpus suum in sacrificium obtulerit, ipsum vero corpore fuisse prædituum: *Quamobrem*, inquit, *si hoc proprium est Sacerdotum offerre dona, Christus autem Sacerdos secundum humanam naturam appellatus est, non aliam porro victimam quam suum corpus obtulit, consequens est Christum habuisse corpus.* Missos facio alios SS. Patres idem affirmantes, quos congruentiori loco et ordine laudabimus in Tractatu *De Eucharistia*.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALE FUERIT CHRISTI DOMINI SACRIFICIUM, ET QUA RATIONE NUNC PONTIFICIS VICES IMPLEAT.

Notandum 1. Christi Domini sacrificium multis gloriæ titulis ab Apostolo ad Hebr. 5. et sequentibus supra cuncta legis naturæ ac Mosayeæ sacrificia celebrari: *Primo* quidem *a dignitate personæ Sacerdotis.* Siquidem Christus verus Dei Filius erat; unde inquit Apostolus: *In diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido, et lacrimis exauditus est pro sua reverentia. Secundo* ab innocentia Pontificis: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Tertio* a perpetuitate, nam ut ibidem ait Apostolus: *Alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem* (Christus) *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes ad semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Quarto* ab efficacitate sacrificii, nam, ut docet idem Apostolus cap. 13. *Impossibile est sanguine taurorum, et hircorum*

auferri peccata.... Omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, et eosdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata : hic autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei de cætero expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus, una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Denique in utriusque Sacerdotii Melchisedechiani et Aaronici adunatione, quippe Christus utrumque sacrificium, cruentum in cruce, ut Aaron in victimis, et incruentum in Eucharistia, ut Melchisedech in pane et vino, æterno Patri obtulit. An autem revera Christus dicendus sit Sacerdos secundum ordinem, seu ritum Aaron, et Melchisedech, controvertitur apud Theologos.

Notandum 2. Duplex potissimum esse sacerdotale munus, nempe sacrificia, et preces Deo offerre pro salute populi : *Omnis namque Pontifex*, (inquit S. Paulus cap. 5. ad Heb.) *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis :* hoc autem utrumque munus Christum implere constantissimum est : *Nam* inquit Claudianus Mamertus lib. 1. *De statu animæ Pontifex ille est Christus, qui principaliter apud divinitatem summæ Trinitatis humani generis oblata sanctificat, peccata expiat, vota commendat.* Et ante hunc Tertullianus hæc Lucæ verba declarans, *Vade ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses :* sic loquitur : *Argumenta enim figurata, ut puta prophetiæ, legis, adhuc in suis imaginibus turbantur, quæ significabant hominem quondam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet, et actionem gratiarum apud Ecclesiam, per Christum Jesum Catholicum Patris Sacerdotem.* Eleganter omnino Tertullianus *Catholicum Patris Sacerdotem* appellat Christum, idest, *generalem*, idque duabus de causis : *vel* quia solus oblationum, donorum, ac sacrificiorum genera omnia repræsentat Deo, et Patri : *vel* quia unus omnibus sufficit, ut et pro universis hominibus illa ipsa offerat, ac rata faciat, et omnes ad ipsum receptum habeant, ac per ipsum offerant, gratique Deo sint, et accepti, cum nulla, nisi per illum, et ejus interventu, ac merito, Deo sint probata, et nobis utilia dona et sacrificia. Quæritur autem, an hoc utrumque munus sacerdotale, etiam nunc Christus impleat, non solum seipsum in sacrificium per ministerium Sacerdotum novæ legis offerendo, sed etiam preces et orationes pro nobis ad Deum fundendo.

Notandum 3. Duplicem distingui posse orationis modum, *expressivum* videlicet et *interpretativum*. Expressiva oratio est, qua aliquis vel mente, vel voce, vel nutibus, aut scriptis beneficium aliquod aut gratiam sibi concedi postulat. *Interpretativa* autem est, qua quis beneficium aut gratiam sollicitat, non quidem eam de novo et expresse postulando, sed proponendo opera meritoria, ad quorum intuitum videtur illa gratia esse concedenda. *Insuper*, oratio expressiva duplex adhuc potest distingui, alia enim est de novo meritoria illius, quod petitur: alia vero dumtaxat petitiva ejus, quod debetur virtute præcedentis meriti. *Rursus*, cum oratio sit manifestatio appetitus et desiderii, cumque triplex sit in nobis appetitus, nempe rationalis, sensitivus, et naturalis, hinc movetur quæstio, quonam ex iis modis Christus oraverit. His ita præmissis, quatuor præcipue occurrunt determinanda: *Primum*,

utrum Christus fuerit Sacerdos secundum ordinem Aaron, et Melchisedech. *Secundum*, qualis fuerit effectus illius sacrificii tam erga ipsum, quam erga homines. *Tertium*, qualis fuerit ejus oratio. *Quartum* denique, utrum, et qualiter nunc pro nobis oret in cælis. Quæ omnia sequentibus in Conclusionibus resolventur.

Conclusio prima. — Christus Dominus non fuit Sacerdos secundum ordinem Aaron, nec in aliquo gradu Levitico in templo Salomonis ministravit.

Prima pars est de fide : nam Apostolus ad Heb. 7. postquam ostendit necessum fuisse, ut post Sacerdotem et Pontificem Leviticum, et secundum ordinem Aaron, surgeret alius Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, nempe Christus, subjungit : *In quo enim* (Christo) *hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit ; manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* Et paulo inferius de eodem Christo ait: *Qui non secundum legem mandati carnalis factus est* (nempe Sacerdos), *sed secundum virtutem vitæ insolubilis.* Quibus clarissime significat Apostolus, quod Christus Dominus non fuit Sacerdos secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech ; quapropter statim subjungit: *Contestatur enim, quoniam tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* His adde, quod si Christus fuisset Sacerdos secundum ordinem Aaron, maxime illam dignitatem fuisset adeptus, *vel* per electionem populi, aut aliorum Sacerdotum designationem : sed neutrum potest affirmari. Non quidem *primum*, quamvis enim ex supremo suo in homines dominio Deus possit quoslibet homines ad sui cultum evocare et destinare, quamvis aliter sanxisset, tamen non licet asserere ipsum præter leges a se sancitas aliquem ad hoc munus destinare, nisi id cum fecisse fuerit revelatum : at nullibi habemus expressum, quod Deus Christum instituerit Sacerdotem secundum ordinem Aaron ; imo contrarium aperte declarat Apostolus : igitur id leviter et absque fundamento non est asserendum. — Quod etiam ad illud sacerdotale ministerium Christus non fuerit evocatus per voluntariam electionem populi, aut designationem aliorum Sacerdotum, constat, quia non poterant sic eligi et assumi Sacerdotes, nisi ex tribu Levi, ut constat Exodi 29. et Levitici 8. necnon ex S. Paulo ad Heb. 7. et 8; igitur Christus non fuit Sacerdos secundum ordinem Aaron.

Patet etiam secunda pars, nempe quod in nullo ordine Christus ministraverit in Templo Salomonis : nullus enim nisi ex tribu Levi assumebatur, ut ministraret in templo : at, ut mox diximus, Christus non erat ex tribu Levi : igitur, etc.

Dices : Christus legit librum legis in Synagoga Nazareth. Luc. 4. Insuper in templo sedens in medio Doctorum disputabat. Similiter Matth. 21. ejecit vendentes et ementes de templo : sed id præstare non potuit, nisi haberet aliquem ordinem, aut lectoris, aut ostiarii : igitur oportuit ipsum initiatum fuisse aliquo ordine Levitici ministerii.— **Nego minorem**, nam legere librum legis non erat solum officium Levitarum, sed id etiam licebat cuicumque erudito et docto: nam Act. 1. 3. Paulus qui erat ex tribu Benjamin legit librum, et disputavit in Sy-

nagoga Antiochiæ. *Similiter*, quod ejecerit ementes et vendentes, non est signum eum habuisse ordinem aliquem Leviticum : id enim potuit exequi potestate divina, qua etiam prædicabat populo, et pravos illius mores, necnon et Sacerdotum carpebat. Si enim id fecisset ratione alicujus ministerii sibi competentis ex ordine Levitico, non fuisset interrogatus ab ipsis vendentibus et ementibus ejectis, necnon a suis adversariis, in qua potestate id faceret : igitur minus probanda videtur sententia *Waldensis* lib. *De sacramento Ordinis*, cap. 11. ubi asserit Christum non in sacerdotum, sed in lectorum numerum electum fuisse ; unde colligit eum etiam fuisse ex tribu Levi. — Nec etiam audiendus est Suidas, cum refert, Verbo *Jesus*, Rabinum quemdam confessum fuisse Jesum revera esse Messiam, quia legerat ipsius nomen exaratum in codice, ubi Sacerdotes templi conscribi consueverant, quem postea in excidio Jerosolymitano sublatum, et Tyberiade repositum fuisse dicebat. In eo autem codice referebatur quomodo Christus loco cujusdam Sacerdotis, qui eo tempore mortuus fuerat, inter Sacerdotes Leviticos communi aliorum consensu fuerit connumeratus, et electus præmisso examine illius Genealogiæ. Hæc, inquam, historia movere non debet, utpote cum aperte militet in Scripturam sacram affirmantem Christum non fuisse ex tribu Levi, sed Judæ, ut constat non solum ex S. Paulo, sed etiam ex Evangelistis Matthæo, et Luca, qui Christi Genealogiam texuerunt.

Conclusio secunda. — Sacrificium Christi quatenus expiatorium profuit non Christo, sed dumtaxat hominibus : ut vero honorarium, eucharisticum, et impetratorium, ipsimet Christo prodesse potuit. Hæc est communis inter Theologos quantum ad primam partem, imo de fide determinata in Concilio Ephesino cap. 11. approbante epistolam Concilii Alexandrini ad Nestorium, quæ est decima apud Cyrillum, in qua decimus anathematismus sic erat : *Quamobrem si quis dixerit, non pro nobis solum seipsum obtulisse*, (Christum) *sed simul etiam pro seipso, ille impietatis crimen vitare nulla ratione potest : constat enim nihil umquam deliquisse, nec nullum umquam peccatum designasse. Qua igitur indigebat oblatione, cum peccatum cujus hostia jure, meritoque offertur nullum admisisset?* Ita Concilii verba transtulit Peltanus. Ratio igitur hujus assertionis est apertissima, quia sacrificium expiatorium respicit remissionem peccatorum : sed Christus peccatum non fecit, nec levissimo quidem reatu fuit illigatus : igitur non potuit experiri vim sui sacrificii quatenus expiatorii.

Secundam partem apertissime docet Apostolus, maxime ad Heb. 10. ubi cum probasset Christum in oblatione et sacrificio corporis sui Deum nostris peccatis offensum placasse, et sanctificatos consummasse, infert præferendum esse sacrificium Christi et oblationibus antiquæ legis, quod unum Christi sacrificium nostra peccata expiaverit, illa vero toties repetita id non potuerint efficere.

Dices : Si Christus una oblatione ita peccata expiaverit, ut non sit amplius illam oblationem iterandi necessitas, quemadmodum iterabantur sacrificia veteris legis : igitur non est indesinenter continuandum Missæ sacrificium, quippe cum sacrificium crucis omnimodam

virtutem habuerit auferendi peccata. — **Respondeo** expiationem et ablationem peccatorum fieri posse duobus modis : scilicet vel tamquam a causa principali, vel tamquam a causa particulari : tamquam a causa principali et universali meritoria sufficientissimæ expiationis peccatorum ; vel tamquam a causa particulari applicando peccatorum remissionem jam sufficienter factam per causam illam universalem. Mens igitur S. Pauli fuit repeti debuisse sacrificium veteris legis : quia nullum illorum sacrificiorum veteris legis erat expiatorium peccatorum, ut causa principalis, universalis, et summe meritoria ; propter quam rationem igitur iterum repeti non debet crucis sacrificium ; quippe quod, ut causa universalis summe meritoria fuit expiatorium peccatorum nostrorum : repeti autem debet Missæ sacrificium, non propter insufficientiam sacrificii crucis, sed quia est applicativum tamquam causa particularis remissionis peccatorum nostrorum, jam factæ per crucis sacrificium.

Tertia pars suadetur, nempe quod Christi sacrificium in ipsius usum et fructum redundaverit, quatenus honorarium, eucharisticum, et impetratorium erat. Suadetur, inquam, ex illo ad Hebræos 5. ubi Christus non solum pro aliis, sed etiam pro se orasse et obtulisse dicitur his verbis : *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrimis offerens exauditus est pro sua reverentia.* Quibus verbis significat Apostolus non solum Christum Sacerdotem more aliorum Sacerdotum preces et supplicationes ad Deum fudisse, non tantum pro aliis, sed etiam pro se ; quippe eas dirigebat ad eum, qui poterat eum salvum facere : quod signum est eas fuisse directas pro obtinendo aliquo beneficio, forte ut celeriter a morte eriperetur per resurrectionem, quod beneficium obtinuit, et exauditus est pro sua reverentia : sed etiam preces illas, ut Sacerdos seipsum ut victimam offerens, ad Deum dirigebat, quod utique colligitur, tum ex eo quod Apostolus utatur verbo *offerendi*, tum quia ibi agit de sacerdotio Christi. Consequens est ergo Christi sacrificium, ut impetratorium et honorarium non solum aliis, sed etiam sibi profuisse. — Quod autem profuerit quatenus erat eucharisticum, facile colligi potest : siquidem Christus Dominus erga Patrem æternum gratissimi erat animi ; ac subinde interre licet eum ipsi grates rependisse, quas potuit maximas. Cum igitur nobiliori modo non possit quis Deo gratias agere, quam per sacrificium, igitur pie credendum est Christum suum sacrificium etiam ordinasse, ut debitas æterno Patri pro tot acceptis beneficiis gratias rependeret.

Dices : Concilium Ephesinum verbis supra laudatis absolute pronuntiat Christum non obtulisse sacrificium pro seipso, cum intentione placandi Deum : igitur censet etiam non obtulisse cum intentione obtinendi alicujus beneficii. *Probatur consequentia*, nam idcirco offertur sacrificium impetratorium, ut Deus offensus, sacrificii merito placatus, beneficium istud largiatur : igitur, etc. — **Nego consequentiam** : concilium enim Ephesinum determinat solummodo Christum non potuisse percipere effectum proprii sacrificii, quatenus erat expiatorium : dicit enim ex eo Christum non indiguisse sacrificio, quia nihil unquam deliquerat, nec ullum unquam peccatum commiserat. Nego etiam pa-

ritatem *antecedentis probationis:* nam si status innocentiæ diutissime perseverasset, fuissentque homines confirmati in gratia, non desiissent offerre sacrificia, tunc enim fuisset aliqua vera religio, quæ cum non possit subsistere sine sacrificio, fuisset tunc aliquod non tantum eucharisticum, verum etiam impetratorium: ergo non præcise offertur sacrificium impetratorium, ne peccata nostra impediant largitionem beneficii. *Adde quod*, si ubi non est peccatum, ibi nulla sit occasio offerendi sacrificium, pari jure erit tantum opus oratione facienda Deo, quia male vivendo possumus impedire eum, ne nobis conferat beneficia; et proinde Christus, qui erat omnino impeccabilis, numquam debuit orare pro impetrando sibi beneficio, quod repugnat Apostolo ad Hebræos cap. 5. *Nec refert*, quod sacræ Scripturæ, dum agunt de hoc sacrificio crucis, faciant tantum mentionem nostri: ibi enim agunt de illo ut fuit expiatorium, et reconciliatorium hominis cum Deo, quomodo Christus illud pro seipso non obtulit.

Dices 2: Christus pro se non oravit, nec suas preces ad æternum Patrem, ut aliquid beneficii sibi obtineret direxit: igitur multo minus sacrificium obtulit in proprium commodum et utilitatem. *Probatur antecedens* ex sancto Paulino lib. 1. *Contra Felicem Urgelitanum*, ubi diserte pronunciat Christum non pro se, sed pro nobis orasse: *Non sibi*, inquit, *nec pro se orabat: quia, sicut sæpius est intimatum, non est sibi natus, nec pro se passus vel mortuus: sed pro illis, idest membris suis orabat, pro quibus hæc omnia voluntaria dignatione, altissimaque pertulit potestate.* Ac postea eodem in libro, hæc Apostoli verba profert: *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere, cum clamore valido, et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Tum ista subtexuit: *Et quia non sibi, neque pro se, sed, sicut præfati sumus, nobis, et pro nobis oravit, pro quibus nasci, pati, et mori dignatus est, etc.* — **Respondeo**, S. Paulinum intelligendum esse de oratione Mediatoris sive Reconciliatoris, quam Christus in hominum salutem ad æternum Patrem fudit, qua certe Christus non egebat cum a Deo non esset aversus, nec subinde mediatione et reconciliatione egeret. Quippe eo loci agit contra Felicem, qui Christum idcirco filium non naturalem sed adoptivum contendebat, quod personam advocati et Mediatoris munus ageret. Paulinus vero ex adverso probare nititur ipsum Mediatoris, et advocati vices agere, non quasi ipse indigeret venia et reconciliatione, sed dumtaxat, ut munus illud in hominum gratiam impleret: unde subdit ibidem: *Mediator ab eo, quod medius sit inter utriusque dissidentium partes, ut reconciliet ambos in unum. Quod quidem Redemptor noster unigenitus Dei Patris filius pro nobis inter Deum et nos fieri gratis dignatus est: ut qui discordes a consortio charitatis Dei peccando extiteramus, per eum ad concordiam divini amoris reconciliati in sanguine ipsius, redintegrari meremur, sicut per Paulum docetur: Cum essemus, ait, inimici, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, salvi facti per sanguinem ipsius.* Subinde vero ita hæreticum pulsare pergit: *Si ergo ideo Christum Jesum verum denegas Deum, veramque Dei Filium, quia advocatus noster est, et pro culpis delinquentium intercedit: quæro quid de Spiritu sancto definire præsumas, qui et ipse advocatus noster est, et incarnatus non est? utrum sit verus*

Deus, an non? etc. Mox item : *Sed si de Filio recte sentires*, ait. *recte profecto et de Spiritu sancto intelligeres : Dei enim Filius omnia pro nobis, non pro se, voluntaria pietate suscepit.* Ex quibus, aliisque ibidem a Paulino dictis perspicuum est, illud tantummodo pro se genus orationis ab eo detractum esse Christo, quo pro nobis intercessit : ut et peccatis veniam, et reconciliationis gratiam, et idonea compacandæ salutis auxilia, et ipsam postremo salutem impetraret. Hujusmodi enim nihil opus habuit ipse, nec sibi postulavit.

Conclusio tertia. — Christus revera dum in terris ageret. Patrem oravit, non ut Deus, sed ut homo, idque oratione non solum interpretativa, sed etiam expressiva. Hæc tribus partibus constat, quæ simul

Probantur illis omnibus Scripturæ textibus quibus significatur Christum, dum mortalem vitam in terris ageret, pluries orationes et preces ad Deum fudisse. Sic Matthæi 14. dicitur de Christo : *Et dimissa turba ascendit in montem solus orare.* Et Matthæi 26. oravit ad Patrem illis verbis : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Lucæ 6. *Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.* Joan. 17. longam ad Deum habuit orationem illis verbis : *Pater venit hora, clarifica filium tuum, etc.* Denique ad Hebr. 5. *Qui* (scilicet Christus) *in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad Deum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Quibus omnibus textibus apertissime constat Christum revera oravisse, non solum oratione sumpta pro interiori actu, quo mens in Deum fertur affectu et amore, sed etiam sumpta pro manifestatione desiderii, seu postulatione et supplicatione. Decens autem fuit Christum orare quadruplici de causa, inquit Seraphicus Doctor d. 17. a. 2. q. 1. videlicet « propter meritum, propter virtutis exemplum, propter ve-« ritatis argumentum, et propter officium explendum. *Propter meritum*, « quia sua petitione et postulatione merebatur nobis, qui minus idonei « eramus ad susceptionem beneficiorum Dei. *Propter exemplum*, ut « scilicet discipulos suos, et per consequens alios invitaret ad orationis « studium, in cujus exercitio maxime superatur adversarius : propter « quod Dominus dicebat discipulis : *Vigilate, et orate, ut non intretis « in tentationem.* Propter *veritatis argumentum*, ut ostenderet se verum « hominem, et vere a Deo missum, propter quod dicit : *Gratias ago « tibi Domine, quoniam audisti me ; ego autem sciebam quoniam me « semper audis ; sed propter populum istum, qui circumstat, dixi, ut « credant quia tu me misisti.* Propter *officium* : quia Christus habebat « dignitatem Sacerdotis et Pontificis : unde sicut ad ipsius officium « pertinebat sacrificium offerre pro peccatis, ita et pro peccatis exo-« rare. Unde ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ab hominibus assumptus, « pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum* : et, *Talis « decebat, ut esset nobis Pontifex sanctus, innocens, impollutus, et se-« gregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus.* His ergo de causis « congruum fuit, et decens usum orationis in Christo reperiri ».

Dices : Ille vere et proprie non orat, qui propria potestate conferre potest quod ab alio videtur postulare : at id omne, quod Christus

postulare videbatur, propria auctoritate poterat obtinere, et aliis largiri. ut colligitur ex illo Joan. 11. ubi cum Martha exorans resurrectionem fratris sui dixisset Christo : *Scio quia quæcumque poposceris a Deo dabit tibi Deus*, respondit Jesus : *Resurget frater tuus*, quasi diceret, ait S. Chrysostomus Homil. 61. *Non opus est ut hoc petam a Patre meo, quia sola mea potestate possum efficere, ut resurgat frater tuus.* Id ipsum confirmatur ex sequentibus verbis Christi : *Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti.* Unde subdit S. Chrysost.: *Ego sciebam, quia semper me audis:* hoc est ut fiat voluntas mea non egeo precibus ad persuadendum, una enim voluntas est. Ad quid ergo preces? propter infirmiores, etc. scilicet, ut ostenderetur veritas naturæ humanæ, quam assumpserat. et ut orandi cæteris exemplum præberet. Sic etiam textum illum explicat Theophylactus: *Quare autem*, inquit, *precatus est, imo precantis figuram suscepit, ipsum Dominum dicentem audivimus: inquit enim: Propter circumstantem turbam dixi, etc.* Et infra : *Quis autem oravit sic unquam? prius enim, quam dixisset aliquid*, inquit, *audisti me, et ita non oratio, sed figura orationis est, et indicium solum.* Euthymius etiam in eadem verba Joan. 11. ait: *Sed quomodo dixit, quia audisti me, cum precatus non sit?* Et respondet statim: *Non est precatus, ostendens, quod precatione opus illi non esset.*— Respondeo, SS. Patres nihil aliud significare, quam quod Christus non oravit ex necessitate simplici, sed ex hypothesi et suppositione decreti ac providentiæ divinæ, quæ ab æterno decreverat aliqua tantum concedere Christo, virtute meriti ipsius orationis, ut significat Psalmista 2. his verbis : *Postula a me, et dabo tibi gentes in hæreditatem tuam*, hoc est, proposui quidem tuo imperio gentes subjicere, sed media oratione.

Conclusio quarta. — Probabilius est Christum Dominum non solum oratione interpretativa, verum etiam expressiva, nunc pro nobis Patrem orare in cælis.

Probatur primo auctoritate Scripturæ; nam ad Romanos 8. Apostolus testatur : *Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ubi Apostolus *interpellationis* nomine expressivam orationem significat : siquidem *interpellare illum pro nobis dixit* (inquit Theophylactus), *ut Christi erga nos explicet charitatem, qui etsi carnis assumptæ dispensationem perfecit, haud tamen suam in nos clementissimam sustulit animi affectionem, sed intercedit pro nobis.* Item ad Hebræos 7. docet sanctus Apostolus Christum habere sempiternum sacerdotium : *Unde*, inquit, *salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Interpellatio autem est orationis continuatio, et iterata repetitio. *Tandem* S. Joan. Epist. 1. cap. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quibus diserte pronuntiat Christum, nostrum agere advocatum apud Patrem : at inter officia advocati agentis partes alicujus rei, hoc unum est, ut expressis precibus apud judicem intercedat, quatenus clementer, et non ex rigore justitiæ agat cum reo : ergo cum Christus sit vere et proprie noster advocatus apud Patrem, etiam vere et proprie cum orat pro nobis.

Probatur secundo auctoritate SS. Patrum, imprimis vero S. Gregorii Nazianzeni, Oratione 36. *Unus* (inquit) *Deus, unus et Mediator Dei et hominum Jesus Christus. Nam et nunc quoque deprecatur, tamquam homo, pro mea salute, quandoquidem cum eo corpore est, quod assumpsit: donec me Deum faciat vi humanitatis assumptæ: Quamvis non amplius secundum carnem cognoscatur; nempe secundum carnis affectiones, et nostras circa peccatum. Eodem modo et advocatum habemus Jesum: non ut nostra causa se se ad Patrem abjicientem, et prosternentem more servili. Procul sit servilis ista suspicio, et indigna spiritu. Non enim Patrem decet id exposcere, nec pati Filium: neque pium est, et æquum tale aliquid de Deo cogitare. Verum iis, quæ tamquam homo passus est, Patri suo persuadet, ut patienter toleret, tamquam Verbum et hortator. Sic ergo advocationem hanc interpretor.* — Subscribit Didymus lib. 2. *De Spiritu sancto: Cum enim Salvator* (ait) *mediatoris et legati personam habeat, ex quo Pontifex deprecetur pro peccatis nostris, salvans in sempiternum eos, qui per ipsum accesserunt ad Deum, etc.* Idem egregie docet S. Augustinus in Psal. 85. *Nullum majus* (inquit) *donum præstare Deus posset hominibus, quam ut Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, et illos ei tamquam membra coaptaret: ut esset filius Dei, et filius hominis, et unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus: ut et quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde filium separemus; et quando precatur corpus filii, non a se separet corpus suum; sitque unus ipse Salvator corporis sui Dominus noster Jesus Christus filius Dei, qui et oret pro nobis, et oret in nobis, et oretur a nobis. Orat pro nobis, ut Sacerdos noster: orat in nobis, ut caput nostrum: oratur a nobis, ut Deus noster.* Idem habet sermone 119. *De tempore*, et epistola 59. ubi docet Christum non utcumque interpellare pro nobis, sed orando, et postulando. Ipsi subscribit Beda in sermone *De Pentecoste: Rogabit,* inquit, *Patrem per humanitatem, qui dabit cum Patre per Divinitatem: neque enim putandum est, quia ante passionem suam tantummodo pro Ecclesia rogaverit, et non etiam nunc post Ascensionem roget, cum dicat de eo Apostolus: qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Idem docent *Gregorius Magnus* in Psalmum 5. pœnitentiæ. Et *Bernardus* sermone *De Nativitate Virginis.* Quibus omnibus auctoritatibus constat Christum revera nunc etiam pro nobis orare.

Suffragatur etiam ratio: Enimvero si Christus nunc pro nobis non orat oratione expressiva, maxime quia hic orandi modus dedecet Majestatem ejus Divinitatis, vel statum beatitudinis: sed neutrum congrue potest affirmari. Non quidem *primum*, alioqui sequeretur etiam cum inter mortales mortalem vitam degeret, non potuisse hoc orationis modo Patrem æternum convenire, fuit enim Deus ab instanti conceptionis: at nullus orasse tunc negat Christum Dominum: igitur nec iste modus orandi ipsi est denegandus. Non etiam *secundum*: alioqui omnes Sancti sempiternæ felicitatis participes pro nobis interpellare non possent, quod nemo Catholicus concesserit.

Objicies plures e SS. Patribus, qui affirmant Christum non aliter nunc apud Patrem orare, quam interpretativo modo, manifestando scilicet æterno Patri suam humanitatem, suaque merita. Sic Rupertus lib. 9. *De divinis officiis*, cap. 3. ubi loquens de Christi interpellatione

ait : *Illa interpellatio. Doctorum omnium vera assertione, non submissa est postulatio, sed ejus passionis, quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio, semel in conspectu sanctæ Trinitatis admissa sanguinis ejus innocentis exclamatio.* Similiter S. Gregorius lib. 22. *Moral.* cap. 13. *Unigenito*, inquit, *Filio pro homine interpellare, est apud cœternum Patrem seipsum hominem demonstrare : eique pro humana natura rogasse, est eamdem naturam in Divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur nobis Dominus non voce, sed miseratione : quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberavit.* Alias ejusmodi auctoritates profert Vazquez pro sua sententia disput. 82. cap. 2. — **Verum respondeo**, SS. Patres esse ita intelligendos, ut velint Christum nunc pro nobis non orare oratione expressiva meritoria, quæ habet quid pœnale et humile annexum : non vero negant orationem expressivam, quæ fit per postulationem voluntariam illius, quod debetur virtute meriti præcedentis. Hinc facessat ridicula Origenis expositio Homil. 7. *in Leviticum*, ubi asserit Christum regnantem in cælis non solum pro nobis intercedere, sed etiam de nostris erroribus et peccatis affligi, plangere, et lugere : *Neque enim putandum est*, inquit, *quod Paulus lugeat pro peccatoribus, fleat pro delinquentibus : Dominus autem meus Jesus abstineat a fletu, cum accedit ad Patrem, cum assistit altari, et propitiationem pro nobis offert. Et hoc est accedentem ad altare non bibere vinum lætitiæ* (Levitici 22. vers. 9.), *quia adhuc peccatorum nostrorum amaritudines patitur :* quam utique de Christo pro nobis lugente fabulam merito carpit et arguit S. Bernardus, Homilia *De verbis Origenis.*

Petes: an Christus orando semper fuerit exauditus? — **Respondet Seraphicus Doctor** dist. 17. art. 2. q. 2. « quod cum oratio sit petitio « procedens ex voluntate et desiderio, secundum quod voluntas hu- « mana fuit in Christo, secundum triplicem differentiam, sic et oratio. « Nam quædam oratio fuit exprimens, sive procedens a voluntate ra- « tionis, quædam a voluntate pietatis, quædam a voluntate carnis. « Oratio procedens *a voluntate rationis* procedebat a voluntate, quæ « quidem requirebat exaudiri ; et talis oratio in omnibus est exaudita, « tum propter hoc, quod ista voluntas erat per omnia conformis vo- « luntati divinæ, tum etiam quia adeo petebat digne et sancte, quod « in omnibus erat exaudita pro sua reverentia et dignitate. Oratio « autem præcedens *a voluntate pietatis, et voluntate carnis* non fuit « in Christo exaudita per omnia : tum quia hac voluntate non con- « formabatur Deo in omni volito, sicut habitum est prius : tum etiam « quia illa petitio plus ordinatur ad nostram instructionem, quam ad « divinam exauditionem. Magis enim petebat hac voluntate, ut nos « erudiret, quam ut Deum ad suam petitionem inclinaret.

Petes 2. an possimus Christum orare, ut ipsemet oret pro nobis ; dicendo: *Christe Salvator, ora pro nobis.* — **Respondent communiter Theologi**, absolute, et secluso periculo erroris, atque scandali id fieri posse ratione humanitatis. Verumtamen censeo, id non esse in praxi usurpandum, ne convenire videamus cum Arianis : quando enim simpliciter oratur aliquis, ut oret, tunc significatur ipsum habere supe-

riorem, quem possit orare, et quia simpliciter loquendo Christus non est inferior Deo, imo Deus ipse, non debet orari ut oret, sed potius ut misereatur nostri. *Adde quod* orationes diriguntur præcise non ad humanitatem, sed ad personam Christi: persona autem cum divina sit, ratione sui non habet inferioritatem, nec subjectionem oranti necessariam. *Denique,* quando orandus est aliquis, ille compellandus est modo magis honorifico. Standum est igitur veteri Ecclesiæ praxi, quæ vitandorum errorum Arii et Nestorii causa renuit hunc orandi modum usurpare.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CULTU ET VENERATIONE CHRISTI DOMINI, EJUSQUE SANCTISSIMÆ GENITRICIS, AC SANCTORUM, EORUMQUE IMAGINUM, ET RELIQUIARUM.

Quoniam in more positum est a plurimis e recentioribus Theologis, ut explicato Dominicæ Incarnationis sacramento, de Christi hominis adoratione, necnon de ipsius sanctissimæ Genitricis, ac cæterorum Sanctorum, deque dominicæ crucis, et sanctarum imaginum, ac sacrarum reliquiarum cultu et veneratione dissererent, ne quidpiam intactum circa has theologicas difficultates relinquatur, operæ pretium judicavi aliis morem gerere, deque triplici Christianæ ac Catholicæ religionis cultu erga objecta Deo inferiora aliqua delibare. Is autem cultus pietatis et religionis est appendix, et officium quod maxime per adorationem impenditur: adoratio autem, ut paucis dicam, *est affectus, seu actus a voluntate elicitus, quo quis efficaciter sese alteri subjicit ob ejus excellentiam, eique signa servitutis, subjectionis, et honoris exhibet.* Ex quibus apparet adorationem ac religiosum cultum esse duplicem: unum *exteriorem,* qui corporis administratione, et externo aliquo gestu ac significatione præbetur, ob cognitam ejus excellentiam, velut inclinatione capitis, adgeniculatione, prostratione, et similibus; siquidem in omnibus sacræ Scripturæ locis, qui adorant, semper exhibent quædam signa suæ subjectionis et inferioritatis ad illum quem adorant. Aliquando *inclinatione genuum,* ut lib. 3. *Regum* cap. 19; aliquando per *osculum dexteræ,* ut Job cap. 31; interdum per procubitum in terram; sic Genes. 33. Jacob adoravit pronus in terram, et alibi passim. Hinc diabolus sollicitans adorari a Christo, ait, Matthæi 4. *Si cadens adoraveris me.* — Altera adorationis species est *interior,* quæ in mentis actione consistit, et exteriorem actum quodammodo animat, format, et perficit. Hic autem interior cultus fit dupliciter, nam et intelligentia percipimus ac profitemur excellentem illius dignitatem qui a nobis colitur, et voluntatis affectu in eumdem rapimur, et ipsi nostræ venerationis et subjectionis signa exhibemus; hinc adoratio ita in externo cultu ac veneratione consistit, ut necessario ipsius comes esse debeat interior animi affectus, quo nos alicui subjicimus propter illius excellentiam; nam, ut præclare observat Jonas Aurelianensis lib. 1. *De Cultu imaginum: Aliud est* colere, *aliud* adorare. *Potest quis interdum et invitus adorare, sicut nonnulli regibus adulantes, dum eos in ejusmodi studio deditos vident, adorare se simulant idola, cum in corde ipsorum certum sit, quia nihil est idolum;*

colere vero est totum huic affectu, et studio mancipari: Igitur ex interno illo animi affectu et cultu metienda est, dijudicandaque externa conformatio corporis, ut qualis ille sit cultus, et utrum major, minorve, pro merito ac dignatione rei quæ colitur, sit impendendus, nam externus cultus per se spectatus fallere potest, cum unus, idemque interdum homini tribuatur, ac Deo. Cæterum cum hic cultus tam interior, quam exterior triplex solito distinguatur, scilicet *Latriæ,* qui Deo ac divinis impenditur, *Hyperduliæ,* qui Virgini Deiparæ, et *Duliæ,* qui Beatis ac Sanctis tribuitur, de hoc triplici cultu agendum erit in hoc Articulo tribus in sequentibus Sectionibus.

SECTIO PRIMA.

DE CULTU LATRIÆ CHRISTO DOMINO DEBITO.

Quamquam *Latriæ* nomen, quod Græce λατρεία dicitur, secundum suam primariam institutionem significet obsequium ac servitutem, ut perhibent Grammatici Græci, unde λέτρειν, juxta Cyrilli dictionarium, significat *ancillam cum metu servientem;* nihilominus hoc vocabulum non tantum apud Græcos, sed etiam apud Latinos Patres ac Doctores, usurpatum est ad significandum cultum divinæ, ac supremæ majestatis, ut egregie docet S. Augustinus lib. 10. *De Civitate Dei,* cap. 1. ubi sic scribit: *Latriam quippe nostri, ubicumque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos Dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græce nuncupari solet.* Latria *vero, secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter ut pene semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Et libro 5. cap. 15. *Pietas,* inquit, *vera non exhibet servitutem religiosam, quam* Latriam *Græci vocant, nisi uni vero Deo.* Et in libro 20. *contra Faustum* cap. 21. postquam colendos esse Martyres religioso quodam cultu docuit, de quo post agemus, de altero, qui soli Deo convenit, ita disserit: *Et vero illo cultu, qui Græce* Latria *dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullomodo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo.*

Constantissimum est igitur *Latriæ* nomen significare supremum cultum, qui nulli rei creatæ, sed uni vero Deo tribuendus est. Cum autem Christus sit Deus-Homo, merito quærunt Theologi, an tam ipsius humanitati, quam iis instrumentis, quæ maxime ejus passioni, ac nostræ saluti operandæ deservierunt, hic latriæ cultus sit impendendus.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM ET QUALITER UNA ADORATIONE SIT ADORANDA DIVINITAS CHRISTI ET EJUS HUMANITAS.

Notandum 1. Quod cum Christum Dominum duplici natura constare Christiana Religio profiteatur, eademque doceat singulas naturas divinam scilicet et humanam, quæ sibi sunt propria et insita retinere, citra commutationem omnem, aut confusionem, nullus Catholicorum ambigit, Christum *qua Deum* propria Verbi persona in humanitate subsistentem, esse adorandum cultu latriæ; cum enim, ut sic, proprie et essentialiter habeat excellentiam increatam, nec tantum ejus natura, sed etiam ipsa ejus persona sit quid increatum summe et infinite excellens, ac motivum latriæ, haud dubium est, quin Christus, quatenus Deus, et Verbum divinum, sit colendus adoratione latriæ. Verum difficultas est utrum Christus totus, et in solidum, nempe quatenus Deus-Homo, simul sit illo adorationis genere colendus. Similiter, an ejus humanitas secundum se spectata, quatenus vel dicit ordinem ad suppositum Verbi, quo subsistit, vel secluso tali ordine, sit adoranda adoratione latriæ. Circa cujus quæstionis resolutionem variæ errarunt plurimi hæretici, nam *Appollinaristæ* negantes in Christo hominem fuisse perfectum, ac nostri similem, solamque a Verbo carnem esse susceptam, eamque de Cælo lapsam, et Patri consubstantialem statuentes, ut tradit S. Athanasius lib. *De Incarnatione Verbi*, etiam docebant unica adoratione latriæ carnem cum Verbo esse colendam, quia de substantia Dei credebant utrumque esse. Ideoque Catholicos vocabant *hominicolas*, quod veram in Christo sustantiam hominis colendam asserebant: at vicissim Catholici hoc se convitio purgabant, eos appellantes *carnicolas*. Nestorius vero unica itidem adoratione ambas naturas colendas putabat: sed subdole, quia morali dumtaxat unitione illas conjunctas esse dicebat. Refert etiam Gaufredus, discipulus S. Bernardi, in Epistola ad Cardinalem Albanensem, Gilbertum Porretanum exponendo hæc verba Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, dixisse carnem et humanitatem Christi non esse adorandam adoratione latriæ, sed adoratione quadam inferiore: *Non illam*, inquiebat, *dico adorationem, quæ latria est, quæ soli Creatori debetur: sed illam, quæ dulia dignior est: dulia enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur: quæ duas habet species: unam quæ hominibus indifferenter, alteram quæ soli humanitati Christi exhibetur*. Verum in Manuscripto membranis exarato commentarii illius Gilberti in Psalmos, quod asservatur in Bibliotheca monasterii sancti Victoris juxta Parisios, contrarium omnino iis, quæ refert Gaufredus, legere licet.

Notandum 2. Pariter citra controversiam esse, Christum ut hominem, posse adorari latria *per communicationem idiomatum;* quia cum natura humana, et divina de se invicem in concreto prædicentur, quo fit, ut Deus dicatur homo, et homo-Deus prædicetur, et revera sit, sic per eamdem communicationem idiomatum Christus, qua homo, dignus est, qui colatur eadem adoratione latriæ, quæ Deo et divino Verbo propria est. Sed difficultas videtur, an cultus latriæ deferri possit Christo ut homini, ita ut ad illum, ut ad hominem, et secundum

humanitatem terminetur, sicque non solum ille homo denominetur adorandus latria, verum etiam ita adoretur ut homo. Quod ut percipiatur evidentius, clariusque solvenda difficultas appareat, observandum est humanitatem Christi per respectum ad adorationem posse tribus modis considerari: *Primo*, quatenus concipitur, ut hypostatice unita Verbo divino, et ut sic concepta adoratur. *Secundo*, ut apprehenditur separata et derelicta a Verbo: siquidem illam Verbum absolute dimittere potest, in quo casu quæritur, an ut sic sit adoranda latria propter unionem, quam habuit cum Verbo: vel etiam utrum, secluso et præciso omni ordine ad suppositum Verbi, possit adorari latria, quatenus plurima per illam consecuti sumus gratiæ et redemptionis beneficia. *Denique*, spectari potest humanitas Christi secundum propriam suam excellentiam, puta eximiam sanctitatem, et omnia divina charismata, quibus illustratur. Quæritur itaque, an hoc triplici modo considerata Christi humanitas digna sit, quæ cultu latriæ adoretur.

Notandum 3. Duplex a Theologis distingui adorationis objectum, unum quidem motivum, alterum vero terminativum. *Primum* est illud, quod nos movet, et moraliter excitat ad exhibendam adorationem rei, quam colimus. *Secundum* vero est id, quod illam adorationem terminat. Sic in homine, quem propter virtutem colimus, virtus est objectum motivum honoris, et cultus illi exhibiti: homo vero virtute illustratus est objectum terminativum illius. Potest autem fieri, ut unum et idem sit objectum motivum et terminativum simul, quando scilicet nos movet ad exhibendam adorationem, et præterea simul etiam adoratur. Sic quando natura divina adoratur, illa simul est objectum motivum, et terminativum istius adorationis. Unde cum quæritur, an Christus *qua homo* possit adorari, sensus difficultatis esse potest, an humanitas possit esse objectum motivum adorationis latriæ, an vero dumtaxat sit illius objectum terminativum, quatenus id quod constat Verbo divino et humanitate adoratur latria, ita ut humanitas in illo toto subsistente inclusa sit etiam objectum terminativum, si non totale, saltem partiale, ad quod terminatur ista adoratio latriæ, licet non sit illius adorationis objectum motivum.

His prænotatis, resolvendum est *primo*, an Christus, qua Deus-Homo, sit adorandus unica adoratione latriæ, ita ut ejus humanitas, ut unita hypostatice Verbo divino, debeat adorari eadem adoratione, qua Divinitas et Verbi subsistentia adorantur. *Secundo*, utrum humanitas Christi a Verbo dimissa eadem adoratione latriæ esset colenda. *Tertio*, utrum illa humanitas licet unita Verbo, sic tamen non apprehensa, sed dumtaxat spectata secundum propriam suam excellentiam, sic etiam sit adoranda.

Conclusio prima. — Christus quatenus Deus-homo debet unica adoratione adorari, ita ut ejus humanitas, prout hypostatice unita Verbo divino, adoranda sit eadem adoratione latriæ, qua ejus Divinitas, et subsistentia divina adorantur. Hæc est communis inter Theologos, eamque docet Subtilis Doctor in 3. d. 9. num. 8. ubi ait: « Cum quæritur, an adoratio debeatur Christo « solummodo secundum naturam divinam, dico quod ly *solummodo* « potest accipi dupliciter, scilicet categorematice, vel syncategorema-

« tice. *Primo modo*, concedo quod sic, quia sufficiens ratio summi « adorabilis est in Christo considerato secundum solam naturam di- « vinam. Si autem teneatur syncategorematice, tunc notat exclusionem « ab uno extremo respectu alterius extremi. Hoc etiam modo distin- « guo, quia *solummodo* potest excludere aliquid, vel a termino ado- « rationis, vel a ratione adorandi. Primo modo dico, quod non solum- « modo secundum naturam divinam est Christus sic adorandus, quia « a termino adorationis non debet excludi natura humana, quasi ipsam « includendo non possit totum adorari. Hoc dicit Damascenus lib. 3. « c. 8. *Christus Deus perfectus et homo perfectus, quem adoramus « cum Patre et Spiritu S. una adoratione cum incontaminabili carne « ejus, non inadorabilem carnem ejus dicentes; adorantur enim in una « Verbi hypostasi, quæ ejus hypostasis facta est.* Et paulo post: *Unam « personam Dei Verbi duabus ipsis reductis naturis.* Exemplificat « postea: *Timeo lignum tangere propter ligno immixtum ignem.* In illa « auctoritate Damasc. ly *cum*, accipitur associative, non autem copula- « tive, ut sit sensus: adoramus Verbum cum carne, idest habens car- « nem sibi unitam: non autem cum carne, hoc est, carnem adoramus, « quasi sit præpositio copulativa: et hoc considerando carnem, ut caro « est, et non ut unita divinitati: sic ergo non debet excludi a termino « adorationis caro, licet ipsa non sit ratio adorandi. » Hæc Doctor.

Probatur autem Conclusio, primo quidem e Scriptura sacra, illis videlicet testimoniis, quibus significatur cultum latriæ Christo, ut homini Deo deferri. Sic Matth. 2. *De Magis Christi veneratoribus* dicitur: *Procidentes adoraverunt eum.* Ad Philipp. 2. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, etc.* Apocalypsis 5. *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno.* Et rursus; *Viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.* Et iterum: *Sedenti in throno et Agno benedictio, et honor, et gloria.* Quæ omnia quamquam de Christo quatenus Deo recte possint intelligi, nihilominus etiam possint accipi de ipso ut homine; siquidem Christo omne genu flecti debet, et omnis honor impendi, quia Jesus est, et quia Agnus: at non est Jesus nec Agnus tantum penes Divinitatem, sed maxime penes humanitatem, cujus vita oblata est, et mactata in pretium nostræ redemptionis: igitur illa testimonia possunt intelligi etiam de Christo ut homine. — *Verum*, clarius hæc veritas apparet ex Matthæi 28. ubi de mulieribus ad Christi sepulchrum accedentibus dicitur: *Et ecce Jesus occurrit illis dicens, Avete: illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.* Cum autem actus ille detensionis, seu osculi pedum, sit externa adoratio interioris adorationis significativa, et illa versetur circa corpus, et pedes Christi, certum est eas sic tenentes Christum, etiam humanitatem ejus adorasse. *Idem* præstitit S. Thomas Apostolus Joan. 20. cum ait Christo: *Dominus meus, et Deus meus;* quibus verbis confitebatur Christum esse Deum et hominem, eumque a mortuis revera suscitatum esse profitebatur; ac subinde eum ut Deum et hominem adorabat: nam illa professio fuit actus insignis cujusdam fidei, quæ proinde actum adorationis sibi comitem haberet, præsertim cum Christus esset præsens. Igitur sanctus Thomas non solum Christi divinitatem, sed et humanitatem censendus est adorasse.

Probatur secundo, auctoritate Concilii Alexandrini præside S. Cyrillo, cujus Synodalis ad Nestorium epistola hoc inter alia capitula octavum, subscribendum præfixit sub interminatione anathematis, et excommunicationis: *Si quis audeat dicere assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, et conglorificari, tamquam alterum cum altero (nam particula* cum *addita hoc cogit intelligi) et non magis una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem rependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.* Quod utique Alexandrinæ Synodi decretum, una cum illa epistola Synodica, approbavit Chalcedonensis Synodus Actione 5. necnon et V. Synodus: itemque Lateranensis sub Martino primo, quæ V. Synodi Canonem nonum sic refert, et probat: *Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt semotim Deo Verbo, et semotim homini: aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem Deitatis, et humanitatis unam naturam, sive essentiam convenientium protense dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorarit, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.* Quibus constat non solum Christum ut Deum hominem in solidum adorari, sed etiam adorationem illam terminari ad ejus humanitatem persona Verbi subsistentem. Quod utique confirmatur ex Concilio Tridentino Sess. 13. cap. 5. et Can. 6. ubi definiens cultum latriæ, qui vero Deo convenit, Eucharistiæ sacramento deberi, rationem reddit his verbis: *Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuit a Christo Domino, ut sumatur, institutum: nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit, et adorent eum omnes Angeli Dei, etc.* Sed Eucharistiæ sacramentum non solum comprehendit Divinitatem per concomitantiam, verum etiam corpus, et sanguinem Christi vi verborum, et significatione sacramenti: igitur si Eucharistiæ Sacramentum dignum sit adoratione latriæ, corpus et sanguis Christi eodem cultu adorantur.

Probatur tertio, **auctoritate SS. Patrum**, imprimis vero S. Athanasii in epistola ad Adelphium Episcopum: ubi de hoc argumento copiosam orationem exponit: negans adorationem carnis ab illa Verbi separandam: sed ambas naturas jubens unica coli veneratione. *Nos creaturam non adoramus,* inquit, *absit, Gentilium enim, et Arianorum ejusmodi est error. Sed Dominum creaturæ incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamvis enim caro ipsa per sese pars est creaturarum, tamen Dei corpus est facta. Ac neque corpus ejusmodi per se dividentes, per Verbum adoramus; neque Verbum adorare volentes, ipsum longe a carne disjungimus. Verum istud scientes, ut jam diximus, Verbum caro factum est, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat: recede a corpore, ut te adorem?* Hic veram, certamque rationem dicti sui Athanasius attulit, cum idcirco una erga utrumque fungendum adoratione dixit, *Quod caro propria sit Verbi;* nam ipsius erat corpus, et in eo Verbum inerat, ut subinde ait: *Ubinam vero* (pergit idem) *omnino impii isti separatim, ac per se carnem invenient quam Salvator suscepit, ut dicere audeant: Adoramus nos Dominum cum carne, sed dividimus corpus, et illi soli latriæ cultu servimus?* Quare ibidem vocat Gentiles atque Ethnicos,

minimeque Christianos, qui separandum a carne putant esse Verbum, ut illud adorare possint. — Insignis est etiam ad eamdem veritatem comprobandam S. Epiphanii doctrina in Anchorato, ubi contra Arianos probat Filium Dei increatum, ac Deum esse propter quod adoratur. Deinde profert hæreticorum calumniam Catholicis exprobantium, quod creaturam adorarent, quia corpus a creatura genitum adorabant. Hinc eos sic urget: *Adoras Salvatorem incorporatum, aut non adoras. Quomodo vero non adoravero? Si enim non adoravero, non habeo vitam. Ecce igitur creaturam adoras, ipsum corpus. Ingens autem est vesania eorum, qui talia dicunt: nam Rex purpura indutus ab omnibus adoratur. Numquid ergo purpura adoratur, aut Rex? Manifestum est, quod Rex: coadoratur autem cum ipso etiam purpura, quam gestat, ubi autem Rex hanc exuit, et in locum reposuit, non amplius vestis purpura adoratur.* — Præclare quoque illud demonstrat S. Ambrosius lib. 3. *De Spiritu sancto*, cap. 11. explicans illud Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, quæ sic accipit, ut scabellum pro carne Christi sumat. *Itaque* inquit, *per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus: et quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt: neque enim divisus Christus, sed unus: neque cum adoraretur tamquam Dei Filius, natus ex Virgine negabatur. Cum igitur incarnationis adorandum sit sacramentum, incarnatio autem opus Spiritus sit, sicut scriptum est: Spiritus sanctus perveniet in te, etc. haud dubie etiam Spiritus sanctus adorandus est, quando adoratur ille, qui secundum carnem natus ex Spiritu est.* — Sanctus Augustinus eadem Psalmistæ verba exponens, luculenter eamdem veritatem comprobat his verbis: *Anceps*, inquit, *factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cœlum, et terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum ejus, et dicit mihi Scriptura: Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, et invenio quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra Terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit: et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* — Præterea Joannes Damascenus primum in lib. 3. *De Fide*, cap. 8. idipsum egregie confirmat: *Unus igitur Christus est*, inquit, *Deus perfectus, et homo perfectus, quem adoramus cum Patre, ac Spiritu unica adoratione, cum ejus immaculata carne, nequaquam carni ipsius adorationem denegantes. Adoratur enim in una Verbi hypostasi, quæ hypostasis ei facta est, neque tamen hoc agentes, creaturæ servimus, non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam, et quatenus in unam personam, unamque hypostasim Dei Verbi duæ illius naturæ reducuntur. Timeo carbonem tangere propter ignem, qui cum ligno conjunctus est. Adoro utrumque, quod est Christi propter Divinitatem carni copulatam.*

Probatur etiam ratione: Ut aliquod totum censeatur dignum adoratione, sufficit, quod in tali toto ut adorato sit aliqua ratio motiva

adorationis ipsi exhibendæ, nec opus est, quod illud motivum existat in singulis ejus partibus: cum enim honor, v. gr. homini impenditur propter sapientiam, totus ille homo colitur, ac secundum se totum est objectum terminativum talis honoris; attamen sapientia, quæ est ratio motiva honoris exhibiti, in solo intellectu residet formaliter; quia tamen illa sapientia est in toto homine, est sufficiens ratio motiva, cur totus homo honoretur: sed Christus, ut homo, seu ut subsistens in humanitate, est aliquod totum constans divina natura, Verbi subsistentia, et humanitate: in quo toto natura divina, et persona Verbi propter suam infinitam et increatam excellentiam sunt rationes motivæ, ut impendatur Christo adoratio latriæ: igitur Christus, ut homo, seu subsistens in humanitate debet etiam adorari latria, et subinde humanitas, ut subsistens subsistentia Verbi, et ut hypostatice unita Deo, adorari debet eadem adoratione, qua Christi divinitas adoratur.

Objicies 1. S. Damascenum Oratione 1. *De imaginibus*, qui de Christi humanitate sermonem faciens, ait: *Non materiam, sed materiæ Auctorem adoro, qui propter me materia factus, et in materia voluit habitare, ut per materiam mihi salutem præberet: materiam vero per quam mihi salus parta est colere non desino, non tamen ut Deus, absit.* Igitur non censet S. Damascenus carnem et humanitatem Christi, quam ibi materiam appellat, esse eadem adoratione, qua Divinitas, et persona Verbi, adoranda. — **Respondeo**, S. Damascenum non negare humanitatem Christi esse adorandam cultu latriæ, quatenus est Divinitati conjuncta, id siquidem ipse disertissime docet, ut vidimus supra, sed tantum vult, quod non sit adoranda ut Deus, hoc est, quod ei non deferatur primo, et ratione suæ excellentiæ cultus adorationis latriæ, nec affectus servitutis in ipsam, sed in divinitatem feramur, quæ propter suam infinitam excellentiam est ratio nos movens ad illam adorationem Christo impendendam. Idipsum significat S. Epiphanius supra laudatus, cum dicit Regem adorari, non purpuram illius, sed purpuram solum coadorari, quia videlicet non adoratur, ut Rex, sed coadoratur cum Rege, ut aliquid illius ratione dignitatis, non ipsius purpuræ, sed Regis.

Objicies 2. Glossam ordinariam in hæc verba Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, ubi ait: *Carnem a Verbo assumptam sine impietate adorari a nobis, sed non illa adoratione, quæ latria est, quæque soli Creatori debetur:* igitur falsum est, quod Christi humanitas eadem adoratione, qua Divinitas possit adorari. — **Respondet Seraphicus Doctor**, glossam illam sic esse intelligendam, quod velit humanitatem Verbi prout in se, et secundum suam propriam excellentiam consideratur, non esse adorandam adoratione latriæ, non autem negat quod unita Verbo ita sit adoranda. *Respondeo secundo*, glossam illam desumptam esse ex S. Augustino in eadem verba Psalmi, qui, ut vidimus supra, non negat, imo affirmat humanitatem Christi, quam ibi vult designari per scabellum pedum, religiose adorari eadem adoratione qua Divinitas: non quidem propter suam excellentiam, sed propter suam unionem cum verbo. *Adde quod* verba glossæ non sint fideliter excerpta ex S. Augustino, siquidem apud eum non inveniuntur præfata verba, *sed non ea adoratione quæ latria est, etc.:* igitur illa glossæ auctoritas non est magni facienda.

Objicies 3. Solus Deus est adorandus adoratione latriæ: sed Christi humanitas ut Verbo unita non est Deus: igitur nec adoranda adoratione latriæ. — **Respondeo** distinguendo *majorem:* solus Deus est adorandus latria, tamquam objectum movens ad illam adorationem, concedo: tamquam solum terminativum illius, nego: cum enim humanitas Christi, et Divinitas in unam concurrant personam, hinc etiam unicum constituunt objectum terminativum illius adorationis.

Objicies 4. Minori minor reverentia est exhibenda, et major majori: sed Christus secundum quod homo minor est Patre, et ejus humanitas Divinitate inferior: igitur hæc non est colenda suprema adoratione, qualis est latria. *Deinde*, illius non est adorari adoratione latriæ cujus est adorare: sed humanitatis est adorare summam Divinitatem, et Trinitatem: quod probatur, quia ejus est adorare cujus est orare: at Christus ut homo pluries Deum oravit: ergo, etc. *Denique*, illi non recte impenditur latriæ cultus, cui ille cultus non potest reddi per id quod habet in se præstantius: sed non potest coli Christus ut homo per sacrificium, quod est præstantius signum cultus latriæ; quia Christo non est sacrificandum, nam ut docet S. Augustinus, lib. *De Civitate Dei*, cap. 20. *Christus maluit sacrificium esse quam sumere:* igitur latriæ cultus non potest impendi humanitati Christi. — **Respondet Seraphicus Doctor** ad primum, *majorem* esse veram in iis qui sunt diversorum honorum susceptibiles, nempe quando honores illi impendendi ordinantur ad diversas personas gradu et dignitate distantes: falsam vero quando unica est dumtaxat persona: igitur cum in Christo una sit persona, cui summa reverentia debetur, sicut honor debetur Regi quacumque veste sit indutus, honor enim, inquit, naturam respicit digniorem, et per consequens illud quod est annexum ei: sic caro Viri sancti honorari debet secundum dignitatem animæ, non secundum ignobilitatem propriæ naturæ. *Ad secundum* dicit, quod quamvis humanitatis Christi sit adorare, inde tamen non sequitur quod eadem pariter non debeat adorari adoratione latriæ: adorat enim secundum operationes et statum humanitatis, qua minor est Patre; adoratur vero secundum dignitatem divinitatis et personæ, secundum quas est æqualis Patri; nos autem, qui ipsum adoramus, non debemus attendere ad ejus inferioritatem humanitatis, sed ad personæ et divinitatis dignitatem et majestatem. *Ad tertium* respondet, quod licet humanitati Christi non possit sacrificium offerri, quatenus secundum se consideratur, tamen revera ei sacrificari potest, prout est divinitati conjuncta, quia toti Christo sacrificari potest, cum sit revera Deus. *Ad S. Augustinum* dicit, eum non negare quod Christo debeat sacrificari; sed id non esse practice faciendum, ut vitetur occasio erroris, et ne forte aliquis existimet honorem supremo Numini debitum creaturæ impendi.

Objicies 5. Si Angelus adorans Verbum ante Incarnationem, eamdem adorationem Incarnatione peracta continuaret, vel adoraret Christum ut Deum et hominem, vel non. Si primum: ergo adoratio antecedenter ad Incarnationem etiam terminabatur ad humanitatem, quod est absurdum. Si secundum: igitur adoratio Christi qua Deus non tendit in ipsum qua homo est, et consequenter ejus humanitas eadem adoratione, qua divinitas, non colitur. — **Respondeo primo**, in ea hypo-

thesi Angelum posse censeri eadem adoratione adorare Verbum ut hominem, qua prius Verbum dumtaxat adorabat: nam eo ipso quo tendit in personam Verbi, eadem adoratione absque ulla mutatione physica tendit in id omne, quod ipsi personæ conjunctum est, et per intellectum proponitur ut conjunctum; nec inde sequitur quod antecedenter fuerit terminata ad humanitatem; siquidem antecedenter intellectus angelicus ipsi non repræsentabat humanitatem conjunctam cum Verbo. *Respondeo secundo*, quod si Angelus Christum ut hominem sic adoraret, ut non solum ipsi vellet se subjicere, quatenus est Deus, sed etiam quatenus est homo, et servitutem suam secundum utramque considerationem vellet ipsi impendere, in eo casu esset distincta adoratio post Incarnationem ab ea, qua prius Verbum adorabat: quia videlicet alio affectu et cultu Christum prosequeretur quam antea.

Objicies denique: Christi humanitas etiam ut unita Verbo divino non potest eodem amore diligi, quo Deus; neque enim Christus ut homo, nec ejus humanitas deberet amari super omnia: igitur nec etiam debet eadem adoratione adorari. — **Nego antecedens**: Christus enim secundum se totum consideratus revera amari potest super omnia, quia habet bonitatem et excellentiam infinitam sibi conjunctam, ratione cujus amari potest super omnia objecta quæ ejusmodi bonitatem et excellentiam infinitam non habent. — Eamdem solutionem approbat Doctor n. 14. ubi cum proposuisset varios modos, quibus concedi vel negari posset quod Christus sit super omnia diligendus, ait: « Si dilectio tendere potest æque confuse in objectum sicut ado-
« ratio, potest concedi quod Christus habens naturam humanam sit
« summe diligendus, licet natura humana non sit ratio summæ dili-
« gibilitatis, neque etiam unio naturæ humanæ ad Verbum qualiter-
« cumque sit: sicut Trinitatem adoramus una adoratione, et diligi-
« mus una dilectione, non excludendo proprietates personales ab es-
« sentia: quæ tamen proprietates non sunt formaliter infinitæ, ita etiam
« tutum est in adoratione non nimis distinguere naturam illam creatam
« a Verbo, sed Verbum subsistens in duabus naturis adorare: et ita
« Verbum habens naturam humanam potest summe diligi: licet ipsa
« natura summe non diligatur, neque etiam summe diligatur unio
« naturæ ad Verbum, quæ est creatura ».

Conclusio secunda. — Si Christi humanitas dimitteretur a Verbo, non esset adoranda adoratione latriæ, etiam respectiva. Hæc est contra Wicleffum, qui, ut refert Thomas Waldensis, lib. 1. *Doctrinalis fidei*, art. 3. cap. 99. n. 1. asserebat Christi humanitatem a Verbo dimissam in propria persona adorandam esse adoratione latriæ, et diligendam ut Redemptorem.

Probatur primo ex S. Augustino, qui Sermone 58. *De Verbis Domini*, ait: *Ego Dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod a Divinitate suscepta atque Deitati unita est. Denique, si hominem separaveris a Deo, ut Photinus, vel Paulus Samosatenus, illi ego numquam credo nec serrio: velut si quis vestrum aut purpuram, aut diadema regale jacens inveniat, numquid conatur ea adorare? Cum vero Rex ea fuerit indutus, periculum mortis in-*

currit si ea simul cum Rege quis contempserit. Quibus verbis S. Augustinus aperte significat humanitatem Christi seorsim a Verbo non esse supremo cultu colendam.

Idipsum probat Doctor d. 9. n. 9. siquidem supremus cultus nulli debetur, nisi propter summam excellentiam et increatam: sed humanitas Christi a Verbo dimissa nullatenus haberet in se supremam illam excellentiam; quippe cum non haberet nec formaliter nec per unionem hypostaticam perfectiones infinitas: igitur, etc. *Deinde*, si hunc cultum sibi vindicare deberet humanitas sic dimissa, maxime vel absolute vel relative: sed neutrum potest affirmari. Non primum, quia, ut mox dictum est, humanitas in eo casu non haberet excellentiam infinitam. Non etiam secundum, quia illa habitudo, quam haberet ad Deum, non potest esse sufficiens ratio, quæ moveat ad illam supremam adorationem ipsi impendendam; siquidem Deum tantum respiceret *vel* ratione gratiæ sanctificantis, qua super cæteras creaturas illustraretur, *vel* ratione gratiæ capitis, in qua constitueretur, *vel* ratione ministerii redemptionis, quia nempe ad nostram salutem contulisset: sed nulla ex his tribus habitudinibus illius humanitatis ad Deum potest esse sufficiens motivum, ut illi impendatur supremus cultus latriæ. Non quidem *duæ priores*, quia fundantur in bono creato, et creata excellentia; siquidem gratia capitis, et gratia sanctificans sunt quid creatum et finitum; ac proinde insufficiens ad fundandum cultum latriæ. Non etiam *tertia*, quia, inquit Doctor n. 12, quamvis congruum fuerit quod Redemptor humani generis debuerit esse Deus, ut idem esset et Reparator qui fuerat Creator, et sic eidem supremum nostrum obsequium et honorem rependeremus; attamen non fuit absolute necessum, ut persona redimens esset Deus; siquidem pura creatura, Deo ita ordinante, sufficiens erat, secundum potentiam extraordinariam, ut nostram salutem et redemptionem operaretur, cujus rei hoc præclarum exemplum affert Doctor, quod quemadmodum licet congruentius appareat, ut qui filium genuit ipsum nutriat, quatenus eidem personæ debeatur et impendatur reverentia genitoris, et nutritoris; nihilominus hoc non obstante, posset alius quam pater filium genitum nutrire, et sic filius ille reverentiam et honorem deberet duabus personis distinctis, nempe genitori et nutritori, ita etiam licet congruum fuerit quod persona creans sit etiam redimens, ut sic eidem personæ utriusque tituli reverentia deberetur, tamen fieri potuit quod persona redimens non eadem esset quæ fuerat creans, et sic redemptrici non deberetur supremus cultus, qui soli Deo est impendendus. *Adde quod*, si per hypothesim Deus in creando homine fuisset usus aliquo Angelo, tamquam causa instrumentali, tali Angelo propter beneficium creationis non deberetur adoratio latriæ, sed soli Deo, ut causæ principali independenti, a qua tunc Angelus dependeret in creando: igitur cum humanitas in reparando homine fuerit duntaxat instrumentum Verbi, consequens est quod si ipsa separaretur a Verbo, non esset colenda adoratione latriæ.

Dices: Christo, quatenus est Redemptor, et caput generis humani, debetur major cultus, quam considerato duntaxat penes eximiam gratiam sanctificantem qua fuit illustratus, et alia supernaturalia dona, quibus dotatus et ditatus est: sed ratione tum suæ eximiæ sancti-

tatis, tum etiam cælestium illorum donorum, ipsius humanitati deberetur cultus hyperduliæ, quia his donis non solum æquat, sed etiam excedit excellentiam beatæ Virginis, quæ hyperdulia colitur: igitur Christus ut caput, aut Redemptor generis humani, majori cultu colendus est quam solo cultu hyperduliæ: at cultus major hyperdulia est cultus latriæ: ergo Christi humanitas, quatenus haberet rationem capitis et redemptricis, coli deberet latria. — **Distinguo majorem:** debetur major cultus intra eumdem gradum, et ordinem, transeat: debetur major cultus alterius ordinis, nego: et similiter distincta *minore*, neganda est *consequentia*. Cum enim cultus alicui impendatur ob suam excellentiam, cumque illa excellentia possit esse diversa, secundum majorem vel minorem gradum, penes quem unus altero magis vel minus divinis muneribus illustratur; hinc est quod intra eumdem ordinem adorationis duliæ v. g. unus Sanctus ampliori honore quam alter celebretur etiam ab ipsa Ecclesia, quæ Sanctorum solemnitates sub diverso ritu vel simplicis vel semiduplicis, etc. proponit celebrandas: igitur pari jure intra ordinem hyperduliæ posset aliquis altero majori cultu dignus apparere: sicque hac ratione humanitas Christi, si dimitteretur a Verbo, ampliori honore hyperduliæ colenda esset quam beatissima Virgo: tum quia donaretur gratia et dignitate capitis, quod beatæ Virgini non competit: tum denique quia efficacius ad nostram redemptionem quam beata Virgo contulisset. Inde tamen non est consequens, quod illa humanitas eo in statu colenda esset adoratione latriæ: siquidem propter istas habitudines ad Deum non censeretur habere excellentiam, et perfectionem infinitam, nec consequenter fundamentum, et motivum haberet cur supremo cultu esset colenda.

Conclusio tertia. — Humanitas Christi unita Verbo, considerata præcise secundum peculiarem suam excellentiam, et dona supernaturalia quibus illustratur, adorari potest adoratione hyperduliæ. Hæc videtur probabilior sententiá contra Suarem, qui existimat illam ut sic esse adorandam adoratione quæ sit latria, non quidem perfecta, quia hæc, inquit, dumtaxat respicit Deum, sed imperfecta, quæ tendit in illud quod realiter terminatur ad Verbum. Necnon et contra Vazquem, disp. 99, cap. 4, negantem Christi humanitatem prout concipitur sine Divinitate, posse ulla adoratione adorari.

Probatur itaque primo, quod possit adorari quatenus sic concipitur præcise secundum se.: honor debetur excellentiæ: sed humanitas unita Verbo secundum se spectata omnem creatam excellentiam obtinet: igitur illa ut sic revera potest honorari et adorari. *Major* constat. *Minor* probatur: humanitas considerata secundum se præcise habet excellentiam inter res creatas maximam, quia in rebus creatis nulla datur major: ergo ut sic est digna aliqua adoratione: sed non est digna adoratione latriæ: quia in illa sic apprehensa nihil apprehenditur nisi quid mere creatum: neque etiam duliæ communi Sanctis, quia est excellentia superior ipsi humanitati singularis: igitur debetur ipsi aliquis cultus inferior latria, et superior dulia, ac proinde ei debetur hyperdulia. — *Confirmatur*, quia humanitas, ut habens

unionem cum Verbo, est extremum illius unionis distinctum realiter a Verbo, et a natura divina, et habens in se intrinsece bonitatem, et perfectionem distinctam realiter a perfectione Verbi, et Deitatis: ergo ut sic potest adorari ratione istius perfectionis.

Dices: Non potest apprehendi humanitas Christi cum ejusmodi creata excellentia, quin pariter Verbum apprehendatur: ergo non potest adorari ob illam excellentiam, quin pariter Verbum adoretur. Patet *antecedens:* non potest illa humanitas concipi quin concipiatur ut humanitas Christi: at ut est humanitas Christi necessario concipitur ut unita Verbo: ergo ut habens ab eo omnimodam suam excellentiam: igitur non potest adorari, quin pariter Verbum adoretur. — **Nego antecedens**, et ad ejus probationem dico, quod licet non possit complete et perfecte intelligi humanitas Christi, quin concipiatur ut subsistens subsistentia Verbi, tamen conceptu præcisivo potest apprehendi secundum se, videlicet quatenus illa humanitas est omnibus gratiis et divinis charismatibus illustrata; ut sic autem apprehensa et proposita per intellectum revera potest adorari: nam si humanitas illa cum istis donis supernaturalibus, non dicentibus ordinem necessarium ad unionem hypostaticam, conservaretur a Deo sine ullo supposito, tam proprio quam alieno, sic ratione donorum istorum supernaturalium esset adorabilis: igitur cum hæc humanitas, et ipsius dona supernaturalia nihil suæ perfectionis et dignitatis deperdant ex sui unione cum Verbo, revera potest humanitas sic apprehensa adorari. — *Confirmatur* hæc responsio sicut et præcedens probatio: quia si illa humanitas non posset seorsim a Verbo adorari, maxime propter strictam illius unionem cum ipso Verbo: sed hæc ratio non obest. Probatur, quia major est conjunctio et unio divinarum personarum in essentia divina, quam sit divinitatis et humanitatis in persona Verbi, quia proprietates personales identificantur realiter cum essentia divina, natura autem humana non ita identificatur cum persona Verbi, nec cum divinitate cui unitur: sed non obstante illa identificatione. personales proprietates sunt secundum se adorabiles, et una persona potest adorari seorsim ab alia, sicut et orari, ut constat ex praxi Ecclesiæ, quæ in suis orationibus et collectis interdum dirigit suas preces ad unam. dumtaxat e divinis personis: igitur multo magis adorari poterit Christi humanitas, ut apprehensa seorsim a Verbo. *Adde quod* possumus laudare et amare humanitatem sic apprehensam ob creata dona; quidni igitur poterimus etiam illam sic adorare? Imo etiam experientia constat, nos aliquando humanitatem Christi, vel ipsius sanctissimam animam venerari, absque eo quod cogitemus de Divinitate atque de Deo, absque eo, quod divinitatem adoremus.

Objicies omnes illas tum Conciliorum, tum SS. Patrum auctoritates, quibus probatum est in prima Conclusione, Christum unica adoratione esse adorandum: igitur non potest ipsius humanitas seorsim a Divinitate adorari. — **Respondeo primo**, Concilia et SS. Patres sermonem instituere de adoratione latriæ, qua scilicet adoratur humanitas propter Divinitatem; sic enim necessum est, ut illa adoretur eadem adoratione, qua Divinitas, quia humanitas secundum se non est digna adoratione latriæ. *Dico secundo*, hæc idcirco docere Concilia, et SS. Patres, ut significent publice, et ordinarie Christum dumtaxat

esse adorandum unica adoratione propter se, suumque suppositum divinum, et naturam divinam, ne scilicet adorando humanitatem Christi seorsim ob dona creata, et inferiori cultu illis donis debito, videamur Christum deprimere ad statum puri hominis, cum ipse quatenus homo Deus sit capax majoris adorationis ob majorem excellentiam divinitatis. *Denique* dico, arceri a Christo duas adorationes totales, et partiales, ac si esset duplex persona, prout Nestorius censebat Christum duplici adoratione esse colendum.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM ET QUO CULTU CRUX CHRISTI DOMINI SIT COLENDA.

Notandum 1. Quæstionem moveri non solum de vera cruce, in qua salus nostra pependit, et adorandus Christus Dominus fuit suffixus, sed etiam de hujus imagine tam perseverante, quales sunt cruces pictæ, aut ex qualibet materia fabricatæ, quam transeunte, ut ita dixerim, nempe de signo crucis, atque forma, quam sibi Christianus quisque manibus in fronte, vel reliquo corpore designat; de quibus sigillatim quærimus an aliquo cultu colendæ sint. Cujus quidem quæstionis resolutio plenissime jam librata, et efficacissime firmata est per eruditos celebriorum Doctorum tractatus, qui generose cultum sacris imaginibus, maxime cruci debitum, contra Iconoclastas veteres et modernos defensarunt, inter quos ex Recentibus maxime celebrandi sunt *Waldensis* tom. 3. a capite 158. noster *Alphonsus a Castro* Contra hæreses verbo *adoratio*, Pamelius in annotationibus ad apologeticum Tertulliani a num. 238. *Gretserus* tribus de cruce tomis editis, *Petavius* lib. 15. qui omnes scriptores, ut plurimos recentiores omittam, ea omnia, quæ ad crucis venerationem attinent, ita copiose complexi sunt, ut dumtaxat nobis opus sit illa, quæ hunc cultum illustrant et firmant, compendiose referre.

Notandum 2. Ex Petavio lib. 15. c. 7. quod etsi crucis cultus oppugnatores ab Iconomachorum hæresis fonte profluxerint, non tamen eodem temporis initio venerandæ cruci, quo sacris imaginibus, bellum indixerunt: siquidem Leo Isauricus Imperator, ejusque successores, qui in sacrarum imaginum cultores omni, qua poterant, vafritie et crudelitate desæviebant, a crucis injuria sacrilegas manus ac linguas abstinuerunt, eique debitum cultum et honorem impendere cum Catholicis perseverarunt. — Hinc Nicephorus Constantinopolitanus Episcopus (qui Leone Armeno imperante vixit, a quo, et in exilium pulsus est, ob sacrarum imaginum cultum, ubi gloriose obiit, et cujus corpus incorruptum et suavem spirans odorem 18. anno post mortem exhumatum, Constantinopolim Patritiorum subjectum humeris in templo S. Sophiæ ipso etiam præsente tunc temporis Imperatore solemniter tumulatum est), is inquam in suo Berviario historiæ narrat Constantinum Copronymum jurejurando adigi subjectos sibi populos voluisse, numquam deinceps Sanctorum imagines adoraturos esse, *ac tum Patriarcham Constantinopolitanum*, inquit, *salutaribus lignis* (sanctæ crucis) *in altum sublatis, jurasse, se ex eorum numero non esse, qui sacras imagines adorarent.* — Idipsum observat S. Joannes Damascenus lib. 2. *De Imaginibus;* ubi absurdam illorum rationem arguit,

qui imagines ideo non se colere profitebantur, quoniam rem creatam, et materia constantem venerari nefas haberent; nihilominus crucem adorarent, et alia plurima, ut loca sancta, sacra Evangelia, altaria, et vasa. *Nonne materia est*, inquit, *crucis illud ter fortunatum ac beatum lignum? nonne materia est augustus ille, sanctusque collis, qui Calvariæ locus dicitur? Nonne materia est salutaris illa Petra, nempe sepulchrum Domini, fons nostræ resurrectionis? Nonne materia est, atramentum, et pelles, in quibus Evangelia describuntur? Nonne materia est mensa vivifica, quæ nobis panem vitæ suppeditat? Nonne item materia est aurum, et argentum, ex quibus cruces, et sacri disci ac pocula fabricantur? Et ante omnia ista, nonne materia est Domini corpus et sanguis? At igitur horum omnium cultum, adorationemque tolle: aut Ecclesiasticæ traditioni etiam imaginum adorationem permitte.* — Exprobravit etiam hoc Leoni Armeno Iconoclastarum fautori *Theodorus Studita*, de quo Michaël Studita, qui res ab illo gestas memoriæ prodidit, narrat inter cætera sic eum Imperatori locutum esse: *Sed quoniam vobis, Imperator, imaginis quidem honor odio est: Crux vero veneratione digna censetur: primum illud capere non possum, cum jam utriusque honor conjunctus sit. Simul enim imago, et simul Crux: quandoquidem Domini adventus gloriam utrique attulit. Nunc a vobis alterum ab altero secernitur, ita ut alteri sors melior obtigerit, alterum repudietur, et contemnatur. Deinde quæram, o veteris Scripturæ interpres! quomodo cum lex execratione dignam crucem vocet:* maledictus enim, *ait*, qui pendet in ea, *tu qui crucem colis, legem vilipendere non videare? etc.*

Notandum 3. Primum colendæ crucis impugnatorem videri *Claudium Taurinensem Episcopum*, Felicis Urgelitani in Francofordiensi Concilio una cum Elipando damnati discipulum, qui cum animadverteret quosdam Episcopos Gallos sacrarum imaginum cultui adversantes, et nihilominus crucem adorantes, hoc argumento pulsari: *Qua ratione crux, quæ est effigies illius salutiferæ crucis, in qua salus nostra pependit, adoratur, eadem ratione adorari debent Sanctorum effigies, et imagines:* sed *cruces adorandas, et colendas vultis, idque semper docuit, et tenuit Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus:* igitur *etiam oportet sacras imagines adorare.* Hic vaferrimus et sævissimus hæreticus contrario argumento cœpit sacræ crucis venerationem impugnare, dicendo: *Si non debeant Sanctorum imagines coli, pari ratione non est colenda crux Dominica:* sed *Sanctorum imagines nulla sunt veneratione colendæ:* ergo *nec crux Dominica.* Hinc publicum crucibus bellum, et generale excidium per universam suam diœcesim indixit, easque ab omnibus Ecclesiis eliminari, et projici voluit. Quem postmodum imitati sunt Pauliciani Manichæorum propago quædam, cui originem dedere Paulus et Joannes filii Callinicæ cujusdam impuræ et perditæ fœminæ, quæ cum filios suos Manichæorum dogmatibus perniciosis imbuisset, ad nefandam hæresim propagandam dimisit in varia loca; at illi maxime in Armenia suum virus evomentes, tot sectatores habuerunt, ut narrantibus Annalistis Græcis, maxime, vero Photio, et Petro Siculo, qui se Legatum ad illos hæreticos profectum asserit, formidolosi fuerint Imperatoribus Constantinopolitanis, maximaque cum illis bella susceperint. Hi, inquam, hæretici, imperante

Basilio Macedone cum suis filiis Constantino et Leone, inter sex illorum impia dogmata quartum hoc erat, quod *figuram, et efficaciam, ac vim pretiosæ vivificæque crucis non recipiant, sed infinitis contumeliis afficiant,* ut refert Petrus Siculus. At cum semper insaniat, et aliquid delirii semper habeat omnis hæresis, quiddam de illis hæreticis absonum et ludicrum refert Photius apud Euthymii Panopl. tit. 22. *Cum,* inquit, *in vehementiorem aliquem morbum inciderint, pretiosam et vivificam crucem, ex ligno factam sibi imponunt: tum recuperata sanitate illam confringunt, proculcant, et abjiciunt.* Et paulo post: *Evangelium nostrum adorare non dubitant: sed non ea parte, in qua imago pretiosæ crucis exarata est, verum in alia codicis ejusdem, ubi nulla est crucis figura.* Ad hos crucis inimicos, et ejus cultus impugnatores adjungendi *Bogomili* portentum quoddam hominum ex Manichæorum, et aliarum omnium hæresum colluvione concretum: illi namque, ut recenset idem Euthymius tit. 23. *Divinam crucem contemptui habent tamquam Salvatoris interfectricem: quam honore potius afficere oportuit, ut quæ diabolum dejecerit.*

Ab his impietatis Magistris, (inquit Petavius) Christi cultum abjicere ac damnare didicerunt posteriores hæretici, velut *Petro-Brusiani* cujusdam *Petri de Bruis* discipuli, de quibus hæc refert Petrus Cluniacensis in epistola 2. *Ad inauditam,* (inquit eos interpellans) *divinitatis contumeliam, magno de crucibus aggere instructo, ignem immisistis, pyram fecistis, carnes coxistis; et ipso passionis dominicæ die Paschalem Dominicam præcedente invitatis publice ad talem hæresim populis comedistis.* Hos nebulones et sacrilegos secuti sunt *Wicleffistæ,* quorum insaniam adversus S. Crucem Thomas Waldensis erudite coarguit: qui suæ impietatis et dementiæ successores habuerunt *Lutheranos* et *Calvinistas,* qui acerrimum bellum sanctæ cruci, Sanctorumque imaginibus, ac omnibus sacris indixerunt. Contra quos omnes errores sit

Conclusio prima. — Vera Crux, in qua salutis Auctor pependit, et singulæ illius particulæ, adorandæ sunt adoratione latriæ respective. Hæc Conclusio duabus partibus constat, quarum

Prima, nempe, quod crux sit adoranda, est de fide, ut colligitur ex 7. Synodo Œcumenica Actione 7. ubi hæc conclusio tamquam de fide certa supponitur, siquidem ibi definitur, *honorem, et adorationem deferendam esse typo venerandæ et vivificantis crucis Christi:* nam si typo defertur honor et adoratio, ipsi veræ cruci multo melius tribuenda est; utrumque *enim signum est* Christi crucifixi.

Probatur secundo ex Scriptura sacra, quæ varias causas indicat, ac egregia motiva, ob quæ Christi D. vera crux speciali cultu sit celebranda. *Primo* quidem: Christus sua cruce velut armis diabolum expugnavit, ut qui in ligno vicerat, in ligno quoque vinceretur. Quod utique egregie explicat Apostolus ad Coloss. 2. ubi ait Christum in cruce *donasse nobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, et expolians principatus, et potestates, traduxit confidenter palam triumphans eos in semetipso.* Quibus duo maxime

significat: *Primum*, quod Christus in cruce proprio suo sanguine eluens omnia nostra peccata, quibus tamquam debito nostra voluntate contracto, ac veluti chirographo manu nostra consignato eramus addicti cruciatibus æternis, nos ab ejusmodi debito liberos fecerit, et a dæmonis tyrannide liberaverit: *Secundum*, quod crux fuerit Christo veluti currus triumphalis, in qua ita devicit hostem humani generis, ut omnibus palam ostenderit, quam imbelles sint dæmones, quamque facili negotio a Christi sectatoribus exarmari possint et expugnari. Utrumque hoc in cruce præstitum a Christo beneficium elegantissime expendit Sanctus Leo. *Primum* quidem serm. 10. *De Passione*, ubi ait: « Exaltatus Christus Jesus in ligno, retorsit mortem in mortis « auctorem, et omnes principatus, adversasque virtutes per objectionem « passibilis carnis elisit, admittens in se antiqui hostis audaciam, qui « in obnoxiam sibi sapiendo naturam, etiam ibi exactor ausus est esse « debiti, ubi nullum potuit vestigium inveniri peccati. Evacuatum est « igitur generale venditionis nostræ, et lethale chirographum, et pactum « captivitatis in jus transit Redemptoris. Clavi illi, qui manus Domini, « pedesque transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus, et « Sanctorum pœna membrorum, inimicorum fuit interfectio potestatum: « sic suam Christo consummante victoriam, ut in ipso, et cum ipso « omnes, qui in eum crederent, triumpharent. » *Secundum vero explicat* serm. 8. cap. 4. « Cum Dominus, *inquit*, portaret lignum crucis, « quod in sceptrum sibi converteret potestatis; erat quidem hoc apud « impiorum oculorum grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus « grande mysterium, quia gloriosissimus diaboli victor, et inimicorum « virtutum potentissimus debellator, pulchra specie, triumphi sui por- « tabat trophæum, et invictæ patientiæ humeris signum salutis, ado- « randum regnis omnibus interebat. » — Similia profert S. Ambrosius l. 10. in c. 23. Lucæ, ubi ait: « Nos autem, quoniam trophæum jam « vidimus, et quod currum suum triumphator ascendit; consideremus « quod non arborum truncis, non quadrijugis plaustri manubias de « mortali hoste quæsitas, sed patibulo triumphali captiva de sæculo « spolia suspendit. Non hic Gentes brachiis post terga revinctis, nec « excisarum urbium imagines, oppidorumque captorum simulacra « cernimus, aut submissa captivorum Regum colla miramur, qualis « humanorum solet esse species triumphorum, ne victoriæ terminos « regionis fine definitos, sed ovantes populos nationum, quæsitos non « ad supplicium, sed ad præmium Reges liberis affectibus adorantes, « voluntariis urbes studiis deditas, et in melius reformatas imagines « oppidorum, quas non fucus expresserit, sed devotio colorarit: fidei « arma, victoriarumque jura toto orbe occurrentia, captivum principem « mundi, et spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cælestibus obedientia « imperio vocis humanæ; subditas dominationes, variarumque virtutum « species non sacris, sed moribus emicantes: fulget castitas, fides « splendet, et induta mortis exuviis devotio fortitudinis jam resurgit. « Unus Dei triumphus fecit omnes, prope jam homines triumphatores. « Solet quoque præcedere pompa victores: at vero currum Domini « triumphalem præit bona pompa resurgentium defunctorum. Solet « demum titulus subjugatarum Gentium numerum designare. Scri- « bitur autem et his titulus. Sit in illis triumphus ordine quodam di-

« gesta miserabili devictarum præuntium contumeliosa captivitas na-
« tionum : hic redemptarum Gentium vernat gratia. Digni tanto tri-
« umpho jugales, ut cælum, terra, maria, inferna, corruptela mutentur
« in gratiam. » — *Secundo,* Christus in cruce æterno Patri nos infensos reconciliavit, ut idem explicat Apostolus ad Coloss. 1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt: et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, etc.* Unde Sanctus Leo Sermone 13. cap. 3. Quid aliud egit crux Christi, quam ut destructis inimicitiis, et reconcilietur mundus Deo, et per sacrificium immaculati Agni veram in pacem cuncta revocentur? etc. — *Tertio,* Crux fuit quasi sacrum altare, in quo Christus D. consummans omnia veteris legis sacrificia seipsum in cruentum sacrificium offerebat, ut præclare docet S. Paulus ad Hebr. cap. 8. 9. et 10. quod etiam apprime declarat S. Leo. Serm. 4. *De Passione,* c. 3. « Crux ergo Christi, *inquit,* sacramentum veri, et
« prænuntiati habet altaris, ubi per hostiam salutarem, naturæ hu-
« manæ celebraretur oblatio. Ibi sanguis immaculati Agni antiquæ
« prævaricationis pacta delebat: ibi tota diabolicæ dominationis con-
« terebatur adversitas, et de elatione superbiæ victrix humilitas trium-
« phabat; et Serm. 8. cap. 5. Pascha nostrum, ut ait Apostolus, im-
« molatus est Christus, qui se novum et verum reconciliationis sacri-
« ficium offerens Patri, non in templo, cujus jam erat finita reverentia,
« nec intra septa civitatis, ob meritum sui sceleris diruendæ; sed
« foris, et extra castra crucifixus est: ut veterum victimarum cessante
« mysterio, nova hostia novo imponeretur altari, et crux Christi non
« templi esset ara, sed mundi. » — *Quarto,* Crux Christo fuit veluti via, et scala, per quam ad æternæ beatitudinis, et gloriæ thronum gradum faceret, ut docet Apostolus ad Philip. 2. *Humiliavit,* inquit, *semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Unde Apocal. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et Divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.* Hinc ipsemet adorandus Salvator præclare dicebat Joan. 12. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Quod equidem divinum oraculum sic mirum in modum elucidat S. Leo Serm. 8. *De Passione,* cap. 7. « O admi-
« rabilis, inquit, potentia crucis! o ineffabilis gloria passionis! in qua,
« et tribunal Domini, et judicium mundi, et potestas est Crucifixi.
« Traxisti enim, Domine, omnia ad te, et cum expandisses tota die
« manus tuas ad populum non credentem, et contradicentem tibi, con-
« fitendæ majestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti, Do-
« mine, omnia ad te, cum in execrationem Judaici sceleris unam pro-
« tulerunt omnia elementa sententiam, cum obscuratis luminaribus
« cæli, et converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur
« insolitis, universaque creatura impiorum usui se negaret. Traxisti,
« Domine, omnia ad te, quoniam scisso templi velo, sancta Sanctorum
« ab indignis Pontificibus recesserunt: ut figura in veritatem, prophetia

« in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur. Traxisti, Do-
« mine, omnia ad te, ut quod in uno Judæ templo obumbratis signi-
« ficationibus tegebatur, pleno apertoque sacramento universarum
« ubique nationum devotio celebraret. Nunc etenim, et ordo clarior
« Levitarum, et dignitas amplior Seniorum, et sacratior est unctio
« Sacerdotum: quia crux tua omnium fons benedictionum, et omnium
« est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmi-
« tate, gloria de opprobrio, vita de morte. » — ✻ *Quinto*, Crux Christi sacrum fuit ejus martyrii instrumentum, nam in cruce Christus omnium martyriorum obiit nobilissimum, et ad quod tolerandum solus par erat. Hinc Apocalypsis 5., per excellentiam vocatur μαρτυρ, et Isaïae 55. v. 4. De ipso Deus pronunciat: *Ecce testem, (seu martyrem) populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Et psalmo 49. v. 38. Christus dicitur *testis in cælo fidelis*, non tantum quia testatur de Patre et nobis revelat arcana quæ ante ipsum latuerant; sed quia etiam sanguine suo testatur et confirmat veritatem dogmatum quæ vivens clare et distincte docuerat. Ideo locus mortis ejus et resurrectionis appellatum est etiam a nascentis Ecclesiæ filiis *Martyrium*, quo etiam nomine donatum est templum in eodem sacro loco erectum ut refert Eusebius lib. 4. *De Vita Constantini*, cap. 15.: *Cum Imperator*, inquit, *Deo bonorum largitori, Martyrium, velut quoddam pacis donarium in ipso Salvatoris monumento dedicaret:* et Sozomenus lib. 2. Hist. cap. 26. de eodem templo sermonem faciens, *interea vero*, inquit, *circa trigesimum annum imperii Constantini, absoluta jam ecclesia Hierosolymis in Calvariæ loco, quæ magnum Martyrium appellatur, Marianus quidam non mediocri dignitate præditus, notarius Imperatoris. Tyrum ingressus, episcopis in concilio congregatis, Imperatoris porrexit epistolam, qua eos hortabatur, ut confestim Hierosolymam profecti, ecclesiam dedicarent.* — Idipsum confirmat S. Cyrillus Hierosolymitanus episcopus, qui Catechesi 14. quæ occurrit in editione Prevotï, ubi hæc legimus: *Deinde secundum eamdem Scripturæ seriem dicit Sophonias* 3. 8.: « *Propterea expecta me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ, in martyrium.* » *Vides quod et locum resurrectionis prævidit propheta, Martyrium vocandum, qua ratione enim, non secundum ecclesias, his Golgothæ, et resurrectionis locus ecclesia vocatur, sed et martyrium. Verum id forte propter prophetam dicentem: « in diem resurrectionis meæ, in martyrium. »* — His accedit Eucherius Lugdunensis, epistola ad Faustum Rhemensem, de situ urbis Hierosolymitanæ, ubi scribit: *Primum de locis sanctis pro conditione platearum, divertendum est ad basilicam quæ Martyrium vocatur, a Constantino magno cultu extructa. De hinc cohærentia ab occasu insunt Golgotha et Anastasis. Sed Anastasis est in loco resurrectionis, Golgotha vero medius inter Anastasim et Martyrium locus est Dominicæ passionis, in quo etiam rupes apparet, quæ quondam affixo Domini corpore crucem pertulit.* Quibus verbis Eucherius ab aliis historicis dissentire videtur in duobus maxime capitibus, *primo* quod locum crucis Martyrium vocaverit, et ibi basilicam extructam esse asseruit, quod quidem videtur alienum a sententia multorum qui Martyrium in loco resurrectionis ædificatum narrant, ut Eusebius, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, auctor itinerarii Hierosolymitani, et alii. Sed tamen Sozomenus

dicit conditam fuisse basilicam a Constantino in loco Calvariæ, lib. 2. cap. 26. ut supra dictum est. *Secundo* quod dixerit basilicam illam extructam fuisse a Constantino, cum tamen plurimi auctores ab Helena basilicam istam aliasque in locis Christi Domini peculiari præsentia consecratis extructas esse referant. Sic præsertim Rufinus, lib. 1. *Hist. Eccl.*, cap. 3. ubi memoravit miraculum quo Helena crucem Christi inter latronum cruces agnovit et distinxit, addit: *Ut admota fuit tertia crux languenti et fere exanimi mulieri, repente adapertis oculis mulier consurrexit, et stabilitate virium recepta, alacrior multo quam cum sana fuerat tota domo discurrere et magnificare Dei omnipotentiam cœpit. Sic evidenti miraculo Regina voti compos effecta, templum mirificum in eo loco ubi crucem repererat, regia ambitione construxit.* Et Sulpicius Severus l. 2.: *Hoc temporum tractu, mirum est quantum inualuerit Religio christiana. Tunc siquidem Hierosolyma horrens ruinis, frequentissimis et magnificentissimis ecclesiis est adornata. Nam Helena mater Principis Constantini quæ Augusta cum filio conregnabat, cum Hierosolymam agnoscere concupisceret, reperta ibi idola ac templa protrivit, mox usa regni viribus, basilicam in loco Dominicæ passionis et resurrectionis et ascensionis constituit.* — Ut autem hæ diversæ auctorum de templo et Martyrio Jerosolimitano sententiæ ad veritatem revocentur, dicendum arbitror, *ad primum* quod templum istud ab Helena simul et Constantino dicitur ædificatum, quia illa nonnisi hujus concessione, opibus et voluntate hoc opus suscepit. *Ad secundum* vero dico quod etsi Helena plura ædificari templa curaverit, præsertim in monte Olivarum unde Christus ad cælum ascendit, in civitate Bethleem ubi natus est, et in monte Golgota ubi crucifixus est et sepultus, et resurrexit, tamen hoc postremum cum cæteris esset magnificentius, etiam præ cæteris commendatur et memoratur ab auctoribus. Licet autem hæc basilica esset unica, tamen cum ab utroque latere dua haberet sacella, scilicet sacellum *Crucis*, et sacellum *Anastasæos* seu *resurrectionis*, ideo templum istud ab his suis partibus et sacellis denominationem accipiens dicebatur modo *Martyrium crucis*, modo Martyrium resurrectionis. Quia vero resurrectionis triumphus jucundius erat et gloriosius, idcirco frequentius vocabatur *Anastasis* et *Martyrium resurrectionis* quam crucis. Sic in concilio Constantinopolitano sub Menna anno 536. Sabinus dicitur *diaconus Anastasæos resurrectionis*, idest templi Hierosolymitani quod Anastasis dicebatur. Sic apud Theophanem Eudoxia Hunerici Ariani uxor, Hierosolymam fugit et cum ibi humanitatem exueret, reliquit omnia quæ habebat in Anastasi, idest in templo Anastasi. Et Justinianus Imperator in novella XL vocat *omnium ecclesiarum sanctissimam Anastasim*, nimirum templum. Sic in Græcorum menologiis memorantur ad mensem septembris *dedicatio templi Domini Christi Dei nostri resurrectionis.* — Ab isto vero templo exortam puto consuetudinem templa Ecclesiæ vocandi Martyria; nam ante hujus basilicæ ædificationem non video templa in honorem alicujus martyris constructa et consecrata nomine Martyrii appellata. Ex eo vero tempore vox *Martyrii* frequentissime usurpatur. sic in concilio Laodiceno Canone 9. *non oportet eos qui sunt Ecclesiæ concedere ad cæmeteria, vel ad ea loca quæ dicuntur Martyria hæreticorum accedere orationis vel sanationis recuperandæ*

gratia; et in concilio Chalcedonensi anno 451. Can. 6. 8. et 10. vox illa *Martyrium* eodem sensu accipitur, et alibi sæpe; unde S. Isidorus lib. 15. cap. 9. *Martyrium locus martyrum,* græca derivatione, eo quod in memoriam martyrum sit constructum. At ut eo unde deflexit oratio, nimirum ad encomia crucis Christi revertatur, observandum est.

Sexto quod ¨ ✻ « Crux Christi ideirco maxime a nobis est ve-« neranda, quod tactu carnis, et sanguinis Christi consecrata fuerit, « quod utique perdocte declarat S. Damascenus lib. 4. cap. 12. Hæc « (*supple crux*) clypeus, atque armatura, et trophæum est adversus « diabolum. Hæc sigillum, ut ne exterminator Angelus nos tangat, « velut Scripturæ sacræ monumentis proditum est. Hæc jacentium ex-« citatio est, stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ovium virga, « resipiscentium adminiculum, proficientium perfectio, animæ et cor-« poris salus, malorum omnium depulsio, bonorum omnium causa, « peccati extinctio, resurrectionis planta, vitæ æternæ lignum. » Et tum subnectit, quod huic rei servit, dicens: « Hoc itaque ingentis sane « pretii lignum, ac venerandum, in quo Christus seipsum sacrificii « causa pro nobis obtulit, ut ex sancti corporis et sanguinis contactu « sanctificatum optimo jure adorari debet, clavique item, et lancea, « et indumenta, ac særa ipsius tabernacula, hoc est præsepe, antrum, « Golgotha, crux, vivificum sepulchrum, Sion Ecclesiarum arx, aliaque « id generis: quemadmodum ait ejus parens David: *Introibimus in « tabernacula ejus, adorabimus in loco, ubi sedebunt pedes ejus.* Quod « autem his verbis crucem intelligat, argumento est id, quod sequitur: « *Exurge Domine in requiem tuam.* Comes enim crucis est resurre-« ctio. Nam si eorum, quorum amore flagramus, et domus nobis chara « est, et lectus, et vestis, quanto magis ea, quæ Dei ac Salvatoris « sunt, per quæ nobis salus parta est? » Hinc S. Hieronymus Epist. 17. *ad Marcellam* ægre fert Hierosolymam, maledictam terram nominari, quod cruorem Domini hauserit, et e contra sustinet potius benedictam ex eo dici debere; quidni magis de cruce? « Et quomodo, *inquit,* be-« nedicta loca putant, in quibus Petrus et Paulus, Christiani exer-« citus duces, sanguinem fudere pro Christo? Si servorum et hominum « gloriosa concessio est, cur Domini et Dei non sit gloriosa confessio? « Et Martyrum ubique sepulchra veneramur, et sanctam favillam « oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus; et monumentum, « in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum? Si « nobis non credimus, credamus saltem diabolo et angelis ejus, qui « quotiescumque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi « in conspectu tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt, et « sero dolent crucifixisse, quem timeant: si post passionem Christi « (ut scelerata vox concrepat) hic detestabilis locus est, quid sibi vo-« luit Paulus Hierosolymam festinare, ut ibi faceret Pentecostem? qui « retinentibus se locutus est, dicens: *Quid facitis flentes, et contur-« bantes cor meum? Ego enim non solum ligari, sed et mori in Hie-« rusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu.* » Quid cæteri Sancti « illustres viri, quorum vota et oblationes post prædicationem Christi, « ad fratres, qui erant Hierosolymis, deferebantur? » *Et longe* post expostulat illum diem, quo possit lignum crucis osculari, his verbis; « *Ergone erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare?*

in sepulchro Domini flere cum sorore? crucis deinde lambere lignum? » — Sanctus etiam Chrysostomus causam quærit, et exprimit, quare omnibus tantum sit crucis studium, « Unde, inquit, dices mihi, om- « nibus tantum est studium et cura, quod ita desiderata cunctis, et « omnibus desiderabilior? Ipsum ergo hoc lignum, in quo positum « corpus sanctum Domini, et crucifixum, quare non habet totus or- « bis ita contendit, ut qui parum quiddam ex illo habent, hoc auro « concludant, tam viri, quam mulieres, et cervicibus suis aptent, hinc « valde honestati, et magnifici, et muniti, ac protecti, licet condemna- « tionis fuerit lignum ». Et respondet: « Sed qui omnia operatur, et « præparat, qui orbem terrarum a peccato tanto transfert, et terram cæ- « lum facit, etiam rem hanc licet contemptam, et omnibus mortibus « turpiorem, ad cælos elevavit. » Hæc S. Chrysostomus.

Probatur tertio ex constanti, perpetuaque Ecclesiæ traditione, quæ ex antiquiorum usu temporum, institutoque, salutiferam crucem, cui suffixus est Salvator, fidelibus in honore et veneratione habuit. Cujus evidentissimum argumentum est miraculosa ejusdem crucis tot annis sub terra delitescentis inventio ab Helena Constantini Imperatoris matre cælesti monito instructa quæsitæ et inventæ, ut non solum testatur universalis Ecclesia Catholica, quæ illius Inventionis festum diem celebrat, sed etiam primarii ex Patribus, et Ecclesiasticæ historiæ Scriptoribus. Nam *S. Ambrosius*, in Oratione funebri Theodosii Imperatoris rei gestæ seriem uberrime descripsit; *Paulinus* item Nolanus Episcopus in Epist. 11. ad Severum Sulpicium: hic ipse *Severus* in libro secundo historiæ; Ruffinus lib. *Historiæ*, cap. 8; *Socrates*, lib. 1. c. 13. *Theodoretus* lib. 1. cap. 18. *Sozomenus*, lib. 2. c. 3. Hi omnes inventæ crucis ab Helena narrationem latius explicant. Quamvis autem in paucis, quæ rem circumstant, nonnihil a se mutuo discrepent, attamen in eo, quod caput est, conveniunt, sacrum crucis dominicæ lignum Helenæ cura et industria, imo vero peculiari ductu Numinis et admonitu apud Hierosolymam inventum fuisse. Testes sunt *ejusdem* rei, sed citra Helenæ mentionem, antiquissimi duo; *Eusebius Cæsariensis*, et *Cyrillus Hierosolymitanus*. Ille in lib. 3. *De vita Constantini*, c. 29. singulare in hac inventione, ac divinum plane miraculum agnoscit, et his verbis prædicat: *Tanta est*, inquit, *Servatoris nostri gratia, nullus ut orationis cultus præsentis miraculi dignitatem assequi possit. Etenim monumentum illius sanctissimæ passionis, jampridem sub terra delitescens tanto annorum spatio occultatum fuisse ad id usque tempus, quo communi omnium hoste sublato, in libertatem vindicatis servis suis refulgere deberet, omnem revera superat admirationem.* — Extra controversiam igitur est crucem Domini Constantini tempore Hierosolymis quæsitam et inventam fuisse, quidquid hæreticorum more obganniat Salmatius Epist. 1. *De cruce*, ubi hanc narrationem quasi fabulam ridet. At nisi crux Christi veneratione et honore digna esset, nec Helena, ut quæreret eam divina inspiratione mota, nec peculiari Dei providentia ipsam adinvenisse diceretur, nec in ejus præclara inventione Deus miracula edidisset, ut illa a latronum crucibus discerneretur. Quod enim Ambrosius supra laudatus, et Chrysostomus Homil. 84. in cap. 19. Joan. affirmant crucem Christi ex titulo fuisse cognitam, non est argumentum ad illam notitiam non

fuisse opus miraculo; nam, ut narrat Ruffinus lib. 12. *Historiæ*, c. 7. aderat quidem et titulus, sed neque ipse satis evidenter prodebat signa patibuli. Hic jam humanæ ambiguitatis incertum divinum flagitat testimonium; quod quidem hac ratione videtur intelligendum, vel quia titulus etiamsi juxta crucem Domini repositus esset, forte non erat affixus, vel quia licet affixus esset, tamen dubium esse poterat, an malitiose a Judæis esset mutatus, ut inde deciperentur Christiani, si aliquando defossas cruces inquirerent et invenirent.

Eamdem veritatem suis oraculis firmant SS. Patres, imprimis vero S. Ambrosius, qui cum plura elegantissime dixisset in illa oratione funebri Theodosii Imperatoris, describendo historiam repertæ crucis, et inventricis pietatem mirum in modum extulisset, postea de adoratione crucis istius ita meminit; *Sapiens Helena, quæ crucem in capite Regum elevavit, ut crux Christi in Regibus adoretur*..... Et mox Judæos ita conquerentes introducit: *Nos crucifiximus, quem Reges adorant.* Nec obstat, quod ibidem dicat, *Helena Regem adoravit, non lignum:* nam tantum significat Helenam non adorasse veram crucem *more Gentilium*, qui, ut intelligitur ex eodem S. Ambrosio libro 3. *Epistolarum*, Epistola 32. *putabant lignum esse Deum*, et ita illud colebant: at Helena non ita, sed Christum in illa cruce appensum, *vel* crucem illam propter ejus contactum ad Christum, *vel* quatenus fuerat salutis nostræ instrumentum, adorabat. Eamdem veritatem mirifice commendat S. Chrysostomus plurimis in locis, maxime vero Homil. 61. ubi inter cætera eximia et mirifica, quæ in crucis commendationem profert, hæc de veræ crucis ligno commemorat: *Illud ipsum lignum*, inquit, *in quo sanctum corpus est extensum, et crucifixum, quanto omnium studio expetitur? Itaque multi exiguum ex eo frustum adepti, auro includentes viri pariter, ac fœminæ de collo suo suspendunt, idque ornamenti loco habent.*— Hieronymus in epithaphio Paulæ: *Prostrata*, inquit, *ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Et Epistola 17. quam ad Marcellam, ut commigret Bethleem, scribit: *Ergone erit illa dies, quando nobis licebit speluncam Salvatoris intrare, in sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum Matre, cum istis deinde lambere lignum?* Quo significat affectum animi cum ligno testificante summam aliquam excellentiam esse in illo ligno, et proinde adorationem deberi, quatenus denotat singularem aliquem fructum percipi ex tali actione exercita circa veram crucem sanguine Christi Domini perunctam. Idem etiam significat in epitaphio Paulæ cum de eadem ait: *Ingressa sepulchrum resurrectionis, osculabatur lapidem.* Et idem *Apologia* 2. Contra Rufinum, ait: *Se adorasse præsepe Christi Domini:* cujus tamen adorandi ratio habet etiam locum in Christi cruce: quapropter exponens illud Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, ait ista etiam de cruce Domini intelligenda. — S. Augustinus lib. 22. *De Civit.*, cap. 8. refert partem sanctissimæ crucis ex calvariæ monte in Africam adductam multa patrasse miracula: hinc in crucis laudes, et encomia passim totus effunditur: maxime vero serm. *De Laude Crucis*, et in Psalm. 103. et serm. 130. *De Tempore*, ubi crucem mirum in modum extollit. — Similiter S. Paulinus Nolanus Episcopus Epist. 11. Severo Sulpicio Sanctorum reliquias postulanti mittere se respondet *etiam particulam de ligno divinæ crucis*, quod et sequenti epistola repetit, cujus occa-

sione sacri illius ligni præstantiam commemorat : ubi etiam narrat historiam crucis ab Helena repertæ, subjicit, narratque quantum illud lignum sacrum in honore habitum fuerit Hierosolymis : *Quamvis*, inquit, *Episcopus urbis ejus quotannis cum Paschæ Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerantium promit, atque alteram diem, qua crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, quæ sacramentorum causa est, quasi quoddam sacræ solemnitatis insigne profertur : nisi interdum religiosissimi postulent, qui hac tantum causa illo peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio in præmium longinquæ peregrinationis deferatur, quod solum Episcopi beneficio obtineri fuerit, cujus, et tantum munere de eadem cruce, hæc minuta sacri ligni ad magnam fidei et devotionis gratiam haberi datur : quæ quidem crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, et quasi intacta permaneat : quotidie dividuam sumentibus, et semper totam venerantibus : sed istam imputribilem virtutem, et indetribilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionem.* Idem miraculum sacri illius ligni quotidie sine ulla diminutione abradi soliti, commemorat Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 10. *Lignum*, inquit, *sanctæ crucis testatur* (nempe Christum esse Deum) *quod hodieque apud nos cernitur, et per eos, qui cum fide particulam ex illo capiunt, totum istinc orbem terrarum fere complevit.* Ut hinc discant hæretici, cur tot in locis olim servabatur, hodieque inter sacra habeantur tot venerandæ illius crucis particulæ, ut si colligerentur omnes, jungerenturque simul, earum multitudo crucis dimensionem excederet. — Vere igitur Rusticus Diaconus in dialogo *Contra Acephalos*, ait : *Clavos quibus confixus est* (Christus) *et lignum venerabilis crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat.* Cui similis est hæc Joannis Damasceni sententia : *At ipsum*, inquit, *pretiosum reipsa crucis lignum, et venerandum, in quo semetipsum in sacrificium pro nobis obtulit Christus, tamquam sancti corporis, et sanguinis tactu sanctificatum, merito est adorandum, necnon clavi, lancea, vestes, et sacra illius habitacula, cujusmodi sunt præsepe, spelunca, Golgotha, crux, vivificum sepulchrum.*

Secunda pars ejusdem conclusionis, nempe quod vera crux Christi adoranda sit cultu latriæ respectivæ, constabit ex dicendis, ubi probabimus Christi, et Sanctorum imagines adorandas esse eodem cultu respectivo, quo sua prototypa ; nam aut lignum veræ crucis, in qua Salvator pependit retinet formam crucis, aut non habet illam figuram. Si primum, certum est, quod quando apprehenditur ab adorante tamquam imago Christi in illa patientis pro nobis, adoratione latriæ respectivæ adoranda est, propter habitudinem quam habet ad Christum. Si secundum, cum ut sic apprehendatur ab adorante tamquam habens specialem excellentiam fundatam in eo, quod Christum tetigerit, eique fuerit instrumentum nos redimendi, eumque hæc excellentia Christum respiciat tamquam fontem, a quo emanat, sicut Christum adoramus latria absoluta, ita lignum illud salutiferum adoramus latria respectiva.

OBJICIUNT HÆRETICI *primo*. Quod non est ex fide, peccatum est, ut ait Apostolus ad Rom. 14 : sed adoratio crucis fit sine fide ; siqui-

dem illius adorationis nullum exemplum, aut præceptum legimus in Scripturis : igitur, etc. — **Respondeo** *primo*, mentem Apostoli non esse, ut supponunt hæretici, opus illud esse peccatum, quod non procedit ex ea fide, qua sumus Christiani, et quæ nobis divinitus revelata sunt credimus ; sed ibi Apostolus fidem sumit pro fidentia, seu *persuasione*, qua quis putat aliquid sibi esse licitum : unde sensus Apostoli est, illum peccare, qui agit contra dictamen conscientiæ, ut amplius dicemus agendo de fide, et gratia sanctificante. — *Respondeo secundo*, negando *minorem* : nam crucem esse adorandam est de fide determinata in 7. Synodo Generali, et perpetua traditione ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos usque propagata.

Instant : Si crucis adoratio ab Apostolis ad nos usque esset propagata, talem ipsi impendissent adorationem Apostoli, aut nascentis Ecclesiæ fideles : at numquam legitur ab eis, aut adorata, aut in honore, imo potius in contemptu habita, quippe cum ad annum 300. sub terra defossa jacuerit : igitur illa traditio non videtur ab ipsis Apostolis ad nos dimanasse. — **Respondeo** *primo*, argumentum hoc vitiosum esse et sophisticum, utpote a negatione, quod hæreticis familiarissimum, futile tamen et inane esse debet, ut communiter docent Dialectici. *Secundo*, dico non omnia opera bona, quæ fecerunt Apostoli sacris Litteris esse consignata. *Tertio*, suppositium, et gratis confictum, quod crux ipsis Apostolorum temporibus patenter hominibus proposita fuerit : imo longe probabilius illo ipso Christi de cruce depositionis die, aut non ita diu post, cruces illas tum Christi, tum duorum latronum a Judæis in terra fuisse defossas. *Denique*, quantum honorem cruci impendendum judicaverint Apostoli, colligere licet, non solum ex historia passionis S. Andreæ, qui summo affectu, et ingenti animæ exultatione ac veneratione paratam sibi crucem salutavit, sed etiam ex eo quod passim Apostolus de cruce honorifice sermonem faciat ; item ex eo quod primis illis sæculis, quibus hæretici Ecclesiam floruisse in puritate doctrinæ non denegant, vera crux apud fideles fuerit in summo honore, ut constat maxime ex iis, quæ referuntur de inquisitione et inventione sanctissimæ crucis ab Helena.

Urgent Centuriatores *Centuria* 4. cap. 10. et cum eis impius Salmasius, aliique plurimi hæretici historiam illam de crucis inventione inanem esse fabulam. Idque probare nituntur hoc maxime argumento, quod Eusebius historiæ ac vitæ Constantini oculatissimus ac peritissimus scriptor, non meminerit istius inventionis, quod tamen celebre admodum fuisset ipsi Constantino, ejusque matri, hoc autem ipsum, aut ignorasse Eusebium, aut incuria seu oblivione prætermisisse verisimile non est. — **Respondet Alanus Copus** dialogo 4. *Primo*, hoc genus argumentationis a negatione nil concludere. *Secundo*, etiam Eusebium meminisse illius inventionis crucis ; nam postquam 3. lib. *De vita Constantini*, cap. 25. narravit quomodo impii Gentiles et Judæi, ut obliterarent memoriam sepulchri Christi illud sordibus aggeratis, extructoque sacrario Veneris, et illius statua locata, ubi crux fixa fuerat, profanum facere studuissent, cap. 26. narrat qualiter hæc omnia fuerint a Constantino sublata. Et cap. 22. apparuisse sacrum Christi Domini sepulchrum, et tandem c. 29. refert Epistolam Con-

stantini ad Macharium, quæ incipit in hæc verba : *Tanta Servatoris nostri erga nos benignitas declarata, ut nulla tam accurata dicendi ratio et vis sit, quæ præsens miraculum possit explicare. Nam ut insigne illud sanctissimæ illius passionis monumentum, quod terræ visceribus abditum tot, tamque multis annorum conversionibus jam delituisset, tunc illucesceret servis Dei, cum illi hoste devicto in libertatem essent vindicati, omnem profecto hominum admirationem longe superat.* Hæc Constantinus, ubi licet solius *sepulchri* meminerit, tamen ibi absconditæ etiam cæteræ Passionis Christi reliquiæ facile sunt intelligendæ. *His adde*, quod Eusebius in suo Chronico ad *annum Domini* 325. peculiarem inventionis Crucis Christi mentionem fecit, quam sine ullo prorsus fundamento, et sola hæretica, omnia pro libito negandi, aut affirmandi libertate, asserunt Centuriatores a posterioribus fuisse isti Chronico additam.

Objiciunt 2. Si vera Christi Domini crux esset adoranda latria respectiva, maxime *vel* propter contactum quem habuit ad Christum in ea suffixum, *vel* quia fuit instrumentum nostræ reparationis. Primum dici nequit, alias beatissima Virgo, quæ per novem menses gestavit Christum in utero, potiori jure deberet adorari latria : siquidem contactus illius ad Christum fuit naturalis et diuturnior ; contactus vero Crucis violentus fuit et brevi tempore duravit : hunc tamen cultum Virgini Deiparæ tribuendum negant Catholici Doctores. Non etiam secundum, alioqui lictorum et crucifigentium manus pari ratione essent adorandæ, quia fuderunt Christi sanguinem in pretium nostræ salutis. *Confirmant :* si contactus ad humanitatem Christi sufficeret, ut aliquid adoratione dignum existimaretur, consequens esset, quod aqua Jordanis, qua Christus fuit baptizatus, *item* terra, quam pedibus calcavit, *asina*, cui triumphali apparatu Jerusalem intrans insedit, *similiter* cathedræ, lectuli, mensæ, et alia id genus innumera, quæ Christi Domini tactu nobilitata sunt, essent eadem latria respectiva adoranda : imo et ipsum impurissimum *os Judæ proditoris*, quo deosculatus est Christum, necnon et *manus Malchi*, quæ eum colaphis cædit, ac impiorum carnificum manus, qui tot diris tormentis ipsum in passione laniaverunt, eadem ratione forent adoranda latria, quod Catholicorum nullus admittet : igitur nec tali cultu Christi Domini crux est adoranda. — **Respondeo ad argumentum**, crucem esse adorandam latria respectiva, ob utramque rationem in objectione positam. Ad id autem inconveniens, quod deducitur ex parte Virginis, dico quod si res ex æquo libretur, non abnuerem illam esse capacem adorationis latriæ respectivæ, ob diuturnum illius contactum ad Christum, et ministerium ei exhibitum pro nobis redimendis. Imo id ei majori titulo convenit (inquit *Isambertus* disp. 5. ad quæst. 25. art. 2. ex *Clictovæo* in commentariis ad cap. 12. lib. 4. *De fide orthodoxa*, S. Damasceni) quam veræ cruci, cum nobiliori modo utrumque hoc præstiterit ; siquidem illa modo vitali tam in genere naturæ, quam in genere moris ad id concurrit ; corpus enim Christi formatum est ex purissimo ejus sanguine, et oportuit, ut suum præberet consensum, quo Deus Incarnationis mysterium in ea perageret : lignum vero crucis tantum concurrit ad nostram Redemptionem ut quid mortuum, et per modum altaris, in quo Christus seipsum tamquam victimam æ-

terno Patri obtulit. Cur autem beatissima Virgo communiter non adoretur cultu latriæ, dicemus Articulo tertio. — *Ad confirmationis particulas respondeo* sigillatim. *Primo* quidem, quod spectat ad aquam Jordanis, quod si hæc eadem numero, quæ Christum lavit, et tetigit fuisset asservata, et ut talis certo esset cognita, revera posset ob ejusmodi contactum adorari; secus vero de cæteris aquæ Jordanis partibus, quæ cum Christi humanitatem non tetigerint, tali adoratione non consentur dignæ. — Quantum ad *Asinæ pullum*, cui Christus insedit, respondeo, quod etsi adhuc subsisteret, non esset adorandus: tum quia cum non haberet proprium dominum, deputabatur communi hominum usui: certum est autem, quod res illæ, quæ post contactum ad Christi Domini corpus communibus usibus perviæ sunt, exinde cessant esse sacræ, nec ex illo contactu mutuatam excellentiam conservant; quippe secundum moralem hominum æstimationem non habent amplius peculiarem ordinem ad Christum, quæ tamen singularis habitudo sola in eis esset fundamentum respectivæ ejus adorationis. Idem dicendum de iis omnibus, quæ Christus Dominus tetigit, et postmodum communibus usibus mancipata reliquit. *Adde quod* caveri deberet illa Asinini pulli adoratio, quamvis nullis aliorum usibus post Christi contactum deservisset, propter suboriendum scandalum, et irrisionem indoctorum et ignorantium; non enim satis est ad hominis institutum, quod bonum faciat, sed requiritur præterea, ut istud bene et decenter exequatur. — Juvat hic attexere, quæ Jonas Aurelianensis in præfatione libri secundi *De cultu imaginum* reponit adversus Claudium Taurinensem eamdem objectionem effutientem, ubi cum dixisset, et retulisset varia encomia, quibus Apostolus celebrat Christi Domini crucem, subdit: « Quibus verbis quam sit absurda aselli tui, et vivi-
« ficæ crucis nostræ comparatio, aperte comprobatur, et cunctis Chri-
« stum veraciter colentibus manifestum habetur. Neque enim ait idem
« Apostolus, quod Christus asello tuo principatus et potestates tene-
« brarum harum, quæ spiritualia nequitiæ in cælestibus, sed cruce
« eas triumphans devicerit. Asellus itaque tuus, Claudi, rudit fame,
« aut lupi terrore stimulatus; Crux Christi purpureo, pretiosoque san-
« guine ejus rubet, in qua vitis vera pependit, ex cujus botro stirps
« crucis coruscæ rutilat, quadratumque orbem suis sacratis quatuor
« cornibus circumfovet, et fidelium frontibus defixa procul ab eis pro-
« pellit dæmonum præstigias. Nam si Isaac non asinum ad jugulan-
« dum futurus ipse hostia, sed ligna portavit; nec utique verus Isaac
« noster asellum tuum, sed crucem bajulavit, futurus ille salutifera
« hostia Patris ». — Quantum autem ad *os Judæ proditoris, manum Malchi*, et *carnificum*, respondeo quod cum illa membra fuerint hominum iniquissimorum, et cum sævitia ac contumeliis Christum tractantium, potius contraxerunt maculam, quam sanctitatem ex illo contactu Christi Domini corporis; quippe contactus ille, utpote contumeliosus, aut cruentus, grande peccatum erat. Unde tantum abest, ut propter contactum istum illa impiorum hominum membra dignitatem aliquam mutuata fuerint, et existimata ut digna aliqua veneratione, quinimo ut sacrilega et profana, erant execranda.

Objiciunt denique: Filius erga patrem amore et veneratione flagrans, non existimaret honorandum patibulum, in quo pater ejus con-

tumeliosa morte fuisset extinctus: sed Crux fuit patibulum, in quo Christus nostræ salutis parens contumeliose et cruente obiit: igitur tantum abest, ut censeatur a Fidelibus Christianis venerandum, imo potius apparere debet execrandum. — **Distinguo majorem**: Filius non colit, nec honorat patibulum, in quo pater, ob propriam culpam contumeliose extinctus est, concedo: non deberet illud honorare, si pater istud patibulum voluntarie elegisset et assumpsisset tamquam instrumentum congruum, tum ad conciliandum sibi honorem et gloriam, tum ad Patriam a captivitatis jugo liberandam, tum denique ad filios ipsos perpetua felicitate, et omni bonorum copia donandos, nego. Hæc autem omnia per crucem evenere; siquidem ipsemet Christus per crucem erat sublimandus, ut testabatur Joan. 12. ubi de sua morte sermonem faciens, ajebat: *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras, et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum: hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus.* Unde Lucæ 24. duobus Discipulis in via ait: *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.* Similiter per crucem nos a dæmonum jugo liberavit, nosque æterno Patri reconciliavit, ut significat Apostolus ad Coloss. 1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Hinc præclare exclamat S. Augustinus, sermone *De Laude Crucis:* « O Crux quæ Deo homi-
« nem conjunxisti, et a dominio diaboli captivantis magnifice segre-
« gasti! O Crux, quæ humano generi passionem Salvatoris mundi, et
« redemptionem captivitatis humanæ, vera comitante fide semper re-
« præsentas incolumem! O Crux, quæ quotidie laudes immaculati Agni
« Fidelibus dividis Apostolis, et dira serpentis venena poculo salutari
« depellis, atque romphæam paradisi signatam credentibus sine inter-
« missione restringis! O Crux, quæ quotidie pacem terrenis cum cæ-
« lestibus operaris, et Mediatoris mortem, qui de mortuis resurrexit,
« et jam non moritur, æterno Patri Ecclesia pro filiis satagente se-
« dulo reparas, et legatione felicissima renovas, et reformas grande,
« et profundum mysterium Crucis, et ineffabile, atque inseparabile
« vinculum charitatis! Per crucem ad se traxit omnia Deus. Hoc est
« enim lignum vitæ, quo destructum est mortis imperium. ». Hæc S. Augustinus.

Conclusio secunda. — CRUCIS EFFIGIES VEL PICTA VEL EX QUALIBET MATERIA FORMATA EST DIGNA ALIQUA ADORATIONE. Hæc est de fide determinata in 7. Synodo actione 7.

Probatur ex constanti perpetuaque traditione et praxi, quibus aperte constat effigiem S. Crucis sive pictam, sive ex qualibet materia fabricatam fuisse honoratam, ut testis est Tertullianus pluribi, maxime vero in *Apologetico*, cap. 16. ubi ait: *Qui Crucis nos religiosos putat, consectaneus erit noster cum lignum aliquod propitiatur, etc.* Quibus significat Christianos suo tempore crucem venerari: unde Gentilibus id objicientibus Christianis, quod lignum adorarent, id non denegat, sed ibidem ostendit, quod si absurdus videatur ille crucis cultus, paris absurditatis Gentiles esse arguendos, qui plura simulacra in crucis modum conformata adorarent. Idipsum firmatur testimonio S. Mar-

tialis Apostolorum discipuli epist. ad Burdigalenses, cap. 8. ubi vult Fideles *Crucem Domini semper non solum in mente, et in ore, sed et in signo habere.* Idem docet Justinus Martyr adversus Triphonem, necnon et *Apologia* 2. pro Christianis. — Hinc illa conficta ab Gentilibus in Christianos calumnia, cruces omnes ab illis adorari. Apud Minucium Felicem Cœcilius Gentilis homo in Christianos invectus hoc illis exprobrat, quod *hominem summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia eorum cæremonias suspicio fabulatur.* Cui sic Octavius Christianorum patronus occurrit: *Cruces nec colimus, nec optamus.* Nempe promiscuas, et quæ ad principalis crucis repræsentandam figuram proprie non spectant: igitur apud Gentes rumor iste percrebuerat cruces omnes etiam noxiorum a Christianis in more, cultuque haberi; quod certe non objicerent, nisi Christianos aliquas cruces venerari conspexissent. — Missa facio, quæ de crucis effigie exarata in vexillo, cui nomen *labari* impositum est, refert Eusebius in vita Constantini, lib. 1. cap. 32. *Quo salutari signo,* inquit, *velut munimento adversus hostiles, infestasque vires omnes, perpetuo usus est Imperator: et ejusdem expressas figuras præire deinceps mandavit exercitibus suis.* Neque hoc contentus idem crucis signum militum clypeis insculpi voluit, ac tam in nummis, quam alibi exprimendam illius imaginem imperavit. *Etenim,* inquit Sozomenus, lib. 1. cap. 8. *divinæ cruci multum venerationis adhibebat, tam propter subsidia in bello contra hostes gerendo ex ejus virtute sibi oblata, quam propter divinam de ea sibi oblatam visionem.* Sufficit enim ad istum cultum salutiferæ crucis imagini a Christianis deferri solitum comprobandum: sufficeret illa Juliani Apostatæ criminatio, qui in eo opere, quod adversus Christianos edidit, graviter eos incessit, quod ab avita religione Paganorum desciscentes Ancile, hoc est e cælo lapsum Clypeum colere desiissent, ac pro eo crucis signum adorarent, ait. enim: *O miseros mortales, qui crucis lignum adoratis, imaginem illius in fronte, et ante domos pingentes!* Cui Cyrillus Hierosolymitanus, lib. 6. contra ipsum hanc adorationem, ut objectum crimen non negat; sed fatetur crucis imaginem depingi ad genus humanum erudiendum, et ad omnis virtutis recordationem. — Exinde profanis usibus interdicta fuit crux, et a Constantino vetitum ne amplius in reorum suppliciis assumeretur, ut refert Eusebius. Unde S. Augustinus, serm. 2. in Psal. 36. *Crux jam de pœna generis humani sublata est. Cum enim sub ea antiqui scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur. Honorata est, et finita est pœna, manet in gloria; a locis suppliciorum fecit transitum ad frontem Imperatorum.* Et in Psal. 44. *Attende gloriam Crucis Christi: jam in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultarunt. Effectus probat virtutem, domuit orbem, non ferro, sed ligno.* Imo imperatoria lege cautum est, a Theodosio in codice tit. 8. lib. 1. cap. 1. *Signum illud Salvatoris Christi nemini licere, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere: sed quocumque reperitur tolli.* Quod ipsum sub excommunicationis pœna decrevit Trullana Synodus Can. 3. his verbis. *Cum crux vivifica salutare nobis ostenderit, nos omne studium adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus, eum quem par est honorem habeamus: unde et mente, et sermone, et sensu ado-*

rationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ a nonnullis in solo, ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur. Hos igitur, qui posthac crucis figuram construxerint excommunicari decernimus.

Conclusio tertia. — Signum crucis, quod manus consignatione formatur, semper fuit a Christianis usurpatum, et in veneratione habitum.

Probatur 1. ex S. Dionysio Areopagita, lib. *De Ecclesiastica hierarchia*, ubi signaculi usum in baptismo, et consecratione chrismatis pluries nominatim recenset. Idem testimonio SS. Ignatii, et Martialis comprobatum habes apud Eusebium, lib. 6. cap. 43. Hinc Tertullianus, lib. *De Corona militis*, cap. 3. demonstrans multa sola traditione usurpari in Ecclesia, id maxime probat ex more consignationis signi crucis: *Ad omnem congressum*, inquit, *atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Unde subdit: *Harum, et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules, Scripturarum nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.* Hinc catechumenis signaculum hoc ab ipsis rudimentis Christianismi præscribi solebat, ut testatur S. Augustinus, Tract. 11. in Joan. *Si dixerimus*, inquit, *catechumeno, Credis in Christum? respondet, Credo: et signat se cruce, Christi crucem portat in fronte; et non erubescit de cruce Domini sui.* Idem serm. 181. *De Tempore*, inter varias causas quas profert, quare Dominus potius elegit mori per supplicium crucis, quam alterius supplicii genus, hanc subdit: « Ut si-« gnum crucis in propugnaculum, et consecrationem nobis traderet: « quare Dominus tale mortis genus elegerit, inquit? quare noluit præ-« cipitari, vel lapidari, aut etiam gladio trucidari? Utique causa no-« stræ salutis hoc fecit. Mors enim Christi signum est nostræ salutis. « Noluit ergo lapidari, aut etiam gladio percuti, quia videlicet nos « semper lapides, aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur. « Elegit vero crucem, quæ levi motu manus exprimitur, qua et contra « inimici versutias munimur. Hoc enim signo crucis consecratur corpus « Dominicum, sanctificatur fons Baptismatis, initiantur etiam presby-« teri, ac cæteri gradus Ecclesiastici, et omnia quæcumque sanctifi-« cantur, hoc signo dominicæ crucis cum invocatione Christi nominis « consecrantur ». Ita S. Augustinus. — Quantæ efficacitatis et virtutis sit sacrum hoc signaculum adversus dæmonum insultus et insidias, præclare docet Origenes, Homil. 6. in Exod. *Quid times dæmones*, inquit? *Quid? Tremunt sine dubio crucem Christi, in qua triumphati sunt; in qua exuti sunt principatus eorum, et potestates. Timor ergo, et tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint crucis fideliter fixum; et magnitudinem brachii illius, quod Dominus expandit in cruce.* Eamdem dæmonibus terrificam in signaculo isto vim inesse eximie confirmat S. Athanasius, lib. *De Incarnat. Verbi Dei*, et eo argumento utitur ad Christi Divinitatem, et potentiam maxime adversus dæmones comprobandam; ad cujus rei experientiam provocat quemlibet e Gentilibus; *Utatur*, inquit, *signo crucis, quam irridere*

solet Christo solo nominato: ac videbit quemadmodum per ipsum dæmones quidem fugiunt, oracula vero cessant, porro magica vis omnis, et venefica irrita redditur. Hinc ut ipse refert in vita S. Antonii, sanctus ille monachorum parens signi crucis præsidio dæmonum omnes frangebat impetus, minasque superabat. Unde solebat dicere: *Signum crucis, et fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est.* Eodem armatus clypeo cum dæmonibus assidue luctabatur Hilarion, de quo in ejus vita Hieronymus sic scribit: *Provolutus genibus, Christi crucem signavit in fronte: talique armatus casside, et lorica fidei circumdatus, jacens fortius prœliabatur.* — Præclare igitur dixit S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. in Isaiam, crucis signum esse, quo fideles muniri solent: *Hac enim re semper utimur,* inquit, *cum omnem diabolicam vexationem abolemus, ac dæmonum impetus depellimus: Murus enim firmus et impenetrabilis est: et de ea gloriari revera est salutare, mihi vero absit gloriari nisi in cruce Christi.* — Neque vero cogitandum est, ut falso criminantur hujus temporis hæretici, nos putare, aut asserere mirificam illam vim inesse signaculo crucis, aut ipsi cruci, qualibet ex materia fabricatæ, per sese, seu quatenus physice considerantur: quis enim tam absurde, inepteque deliret, ut hoc sibi persuadeat? Fatetur igitur Catholicus quisque crucis effigiem, aut signum nullam ex natura sua virtutem præferre; sed esse instrumenta divinæ potentiæ, quæ per se nihil possunt, nec agunt, perinde ut in sacramento baptismi aqua propria vi nullam gratiæ ac sanctitatis habet efficientiam, uti nec malleus in extruenda domo: sed eadem illa mirifica opera per hæc signa patrat ille, qui ad hominum salutem ea instituit et usurpavit.

Petes: an sicut imagines veræ crucis, sic etiam imagines clavorum, lanceæ, et aliorum instrumentorum passionis Christi Domini possint adorari. — **Respondeo** *primo*, cum S. Thoma, q. 25. art. 3. ad 3. non eamdem esse rationem de clavis, et aliis instrumentis passionis Christi, ac de cruce, siquidem cruces referunt Christum, eumque repræsentant velut in cruce expansum: clavi autem, lancea, et alia hujusmodi Dominicæ passionis instrumenta, cum Christum ita pro nobis patientem non repræsentent, sed solum ejus sacro sanctum corpus tetigere, propter contactum istum quamdam excellentiam obtinent, et sic possunt adorari adoratione latriæ respectivæ; cum vero cæteri clavi, et lanceæ, nec Christum pro nobis patientem referant, nec ejus corpus tetigerint, idcirco nulla videntur adoratione digna. *Respondeo secundo*, clavos, lanceas, et id genus alia secundum communem Ecclesiæ usum non assumi ad repræsentandos clavos, lanceas, et alia instrumenta passionis Christi; ac propterea cum careant hac repræsentatione et significatione, non potest religiosus cultus eis adhiberi; secus vero dicendum est, quando illa instrumenta simul cum cruce pinguntur, cum enim tunc apprehendantur prout habent specialem aliquam habitudinem ad Christum patientem, sic considerata adorari possunt adoratione latriæ respectivæ.

SECTIO SECUNDA.

DE CULTU SANCTORUM, EORUMQUE IMAGINUM. ET RELIQUIARUM.

Cum diabolus hominum infensissimus hostis omne suum virus evomat, in eos maxime, qui vacuatas ab eo sedes, divina suffragante gratia, obtinere et implere nituntur, omnes quas potuit semper movit machinas, et malitiæ tentavit artes, ut quorum felicitatem præpedire non valuerat, eorum gloriam et honorem infuscaret: hinc virulento ipsius afflatu concitati nefarii homines, debitum illis beatissimis hominibus cultum et obsequium, omni ferme ab Apostolis sæculo oppugnare tentarunt. Prodierunt namque imprimis Marcionistæ, Manichæi, et Phantasiastæ, qui ut asserit Tharasius Constantinopolitanus Archipræsul Actione 5. septimæ Synodi, omnes tum Christi, tum Sanctorum imagines execrabantur. — Eodem pestifero veneno agitatus fuit Xenaias quidam natione Persa, conditione servus, qui dominum fugiens cum Antiochiam venisset, pro clerico se gerens, etsi nondum baptismo fuisset initiatus, vicinos illic pagos a recta fide instituit abducere: sed a Calandione Antiochiæ legitimo Præsule pulsus, a Petro Cnaphæo ejusdem urbis Pseudo-Patriarcha Hierapolytanus Episcopus creatus est circa annum 485. Hic itaque ab universis suæ Diœcesis Ecclesiis sacras imagines amovere tentavit; at neminem in hoc impio negotio habuit sectatorem. — Contigit etiam post centum circiter annos, ut Serenus Massiliensis Episcopus zelo quidem ductus, sed minus prudenti, sacras imagines ab Ecclesiis sibi commissis deturbari curaret, ne videlicet, qui ex Gentilibus ad Ecclesiam fuerant recepti, eas ut idola, et ementitas divinitates adorarent. Quocirca Gregorius ad eum scribens laudavit quidem intentionem, sed intempestivum zelum reprimens, mandavit ut quantocius imagines restitui curaret, populumque doceret, quem eis cultum deberet impendere. — At omnium, qui sacris imaginibus exitiale bellum indixerunt, perditissimus fuit Imperator Leo a patria Isauricus cognominatus, qui Conon antea dictus, obscuro genere natus, vile mercimonium exercens, cum duos Judæos Impostores et Magos casu asellum ducens obviam habuisset; audiissetque ab eis se futurum Imperatorem si spondere vellet se rem unicam eis concessurum, ubi primum Imperium esset adeptus, stipulatione facta, renuntiatoque vili opificio, statim militiæ nomen et operam dedit; et ita feliciter ac strenue pugnavit, ut summos tandem præfecturæ militaris gradus adeptus, postmodum Imperator salutatus fuerit circa annum 715. quem cum illi duo Judæi Præstigiatores convenissent, se velut a Deo deputatos Prophetas simulantes, hoc unicum rogaverunt, quod si diu, feliciterque Imperium tenere et regere peroptaret, omnes e Christianorum templis imagines tamquam idololatriæ offendicula semovere ac exturbare curaret. Hoc vaticinio excitatus Leo, et diuturni ac felicis Imperii spe illectus, nullum non movit lapidem, quo execrabile sacris imaginibus bellum denuntiaret. Quod utique diu conceptum nefarium animi decretum, tandem in apertum deduxit, cum decimo post adeptum Imperium anno publicum edictum proposuit, quo ex Ecclesiis, aliisque quibuscumque locis sacras ima-

gines exturbari voluit. Dum vero pervetustæ religionis imaginem Salvatoris, quæ ad æneam urbis portam sita erat, ex edito loco vi, ferroque deturbat; succensent qui aderant, totaque hoc nuntio civitas percellitur; tunc armati populi concursu satellites discerpuntur, et apparitores ad hoc exequendum facinus missi. Ea de re infrendet ferox et truculentus Leo, totamque urbem rapinis, hominum raptationibus et teralibus suppliciis infestat et cruentat. Aggreditur inter alios sapientissimum et venerandum Studitarum collegii præfectum, ejusque duodecim contubernales divina, humanaque sapientia instructissimos, ad quos, ceu ad oraculum in præcipuis divinarum, humanarumque disciplinarum ambiguitatibus recurrere solebat, quos etiam ipsi Imperatores frequenter consulebant. Hos privatis colloquiis adhibitis, nunc blanditiis, nunc minis in suas partes attrahere conatus est Leo; sed eorum constantia repulsus, eosdem cum ædibus, in quibus convivebant, una cum instructissima Bibliotheca flammis una nocte absumpsit. Novis præterea sceleribus priora accumulans, Sanctorum etiam cultum abolere, eorum loculos perfodere, sacraque fœdare lipsana institit. Has excitatas a Leone tragœdias recensent Auctor *Historiæ miscellaneæ*, Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha in Breviario, Zonaras, et Cedrenus in Leone. Dum truculenter furit Leo, (inquit Cabassutius in epitome Conciliorum) Regiæ urbis Patriarcha Germanus vir sanctissimus omni studio nascentem impietatem coërcere nititur, atque fideles, quos dira insectatio urgebat, aut labefactabat, confirmare: hunc privatis colloquiis frustra tentatum ex sede Patriarchali, et urbe exegit, ejusque loco Anastasium Iconoclastam Leo subrogavit. Joannem quoque Damascenum piarum imaginum strenuum defensorem transmissis ad Saracenum Principem Damasci confictis proditionis litteris, accusat, quasi Damascenam civitatem, cujus custodiæ Joannes præfectus erat, sibi vendere attentasset: unde ipsi dextera manus jussu Principis barbari amputatur; sed ei præcisam manum invocata Dei Genitrix insigni miraculo restituit. Sic efferatum, grassatemque Leonem Gregorius Papa II. boni, sollicitique Pastoris pro dominico grege munus obiens, a cœptis nefariis per litteras revocare conatur. Verum crescente in dies illius rabie, anathemate pertulit, simulque Italiam ejus dominationi subtraxit, atque illi tributa ulterius pendi prohibuit. Tum ille majori perculsus rabie, comparata ingenti classe, et Pontificis et Italiæ molitur exitium. Sed classem cum omni bellico apparatu ad Adriaticum littus exorta tempestas allisit, aliisque simul calamitatibus ejus Deus ferociam reprimit, et impietatem ulciscitur defectione urbium et Provinciarum; maxime vero fame, penuria, pestilentiis, et horrendis terrarum agitationibus, eo usque ut plurimæ urbes, maxime vero Regia Constantinopolis, per integrum annum istis assiduis concussionibus agitata pene tota corruerit, mœniaque illius magna ex parte solo sint æquata. Et ipse Leo tandem post exactos in imperio annos 24. et menses tres diris excruciatus torminibus animam miseram exhalavit. Impio parenti successit impiissima proles Constantinus, cui Copronymi, idest, Stercorei cognomen indutum fuit, ab excrementorum profluvio, quo cum infans baptizaretur, sacrum lavacrum inquinaverat. Unde Germanus Patriarcha, qui illum baptismo excipiebat, vaticinatus est ejus impietate sanctam Dei Ecclesiam ali-

quando fœdatum iri : prædictionem eventus demum comprobavit. Is enim paternam non solum æmulatus est impietatem, sed etiam longe supergressus, quippe qui se totum magicis flagitiis, et dæmonum execrandis evocationibus, quibus ventura posset cognoscere, et suis adversariis mortem, dolores, et alia quævis infausta procurare, et insuper longe crudelius, quam pater, Dei Genitricis, aliorum Sanctorum cultoribus, et sacris imaginibus bellum denuntiavit. Crudelissime vero sæviit in omnes prorsus Religiosos, et sanctissimos quosque viros, in desertis, montibus, et cavernis latentes, quos Sanctorum cultores, et sacrarum imaginum defensores audiebat. Cum autem ipse ubique provinciarum præsens non posset adesse, ut conceptum in Catholicos odium facilius expleret, omnibus sibi subditarum provinciarum rectoribus mandavit, ut dirissime in imaginum cultores animadverterent. Cujus impio mandato præ cæteris obsequentissimi fuerunt Manes prorex Galatiæ, Michaël Melissæ, et Lacanodrogon Themis Thracesensium, qui omni sævitia in omnes Catholicos debacchati sunt ; maxime vero eorum postremus. Is namque omnes sibi subditæ provinciæ Religiosos, sive solitarios, sive in claustris degentes, una cum religiosis Virginibus in aperta et patenti planitie juxta muros Ephesi congregari mandavit, et eis omnibus ingenti numero collectis significavit, aut exuendam religiosam vestem, ejurandamque professionem, et matrimonium invicem ineundum, aut avulsis illico oculis in exilium esse detrudendos. Cui nefario mandato pauci obsequentes ingens illa sanctissimorum Virorum, ac venerandarum Virginum turba perditis oculis varias in insulas relegata est. Post hæc omnium eorum monasteriorum divendita sunt suppellectilia ornamenta, ac sacra vasa, ex quibus ingens auri, argentique copia compacta, transmissa est ad Constantinum, qui gratulatorias ad Lacanodragon epistolas scripsit, quod ita feliciter, fideliterque sui Principis mandato paruisset. Interea tot impietatibus, et conjunctis una crudelitatibus populi commoti, Constantino rebellant, affinemque illius Artabasdum Curopalatem virum Catholicum, qui adversus illum arma sumpserat, illiusque exercitum profligaverat, designant Imperatorem, sacrasque imagines pristinis in locis reponunt. Sed comparato ingenti exercitu, Artabasdo bellum denuntiat Copronymus, illumque semel, et iterum victum tandem Constantinopoli inclusum obsidet, eumque cum civitate captum oculos perdere jubet, et omnes illius liberos interfici. In reliquos etiam sibi adversos crudelissime desæviit, maxime in orthodoxos, quorum plurimos variis suppliciis excarnificatos interimit, reliquos omnibus fortunis spoliatos in exilium tradit. Quin etiam in Pseudopatriarcham Anastasium, qui Artabasdo manus dederat, et sacras imagines animo placendi regnanti principi, restitui curaverat, suæ vesaniæ specimen exhibuit ; hunc enim asello præpostere impositum, et a publico lictore per urbis compita flagellis cæsum, tandem tot cumulatum opprobriis in thronum Patriarchalem idcirco restituit, quod in universo imperio hominem ipso nequiorem, et principi assentatorem magis, ac devotum non agnoverat. Cum autem Romani Pontifices diversis in occidente collectis Conciliis, Copronymi, et omnium sibi Iconoclastarum adhærentium impietatem et nefariam hæresim damnassent, ut aliquid religionis prætenderet Copronymus, Pseudo-synodum 330. Antistitum Con-

stantinopoli coegit anno 753. qua in sacras immagines conclamatur. Quoniam autem audierat non solum a Romano Pontifice, sed etiam a tribus Patriarchis, Antiocheno, Alexandrino, et Hierosolymitano damnatam esse suam suorumque de sacris imaginibus hæreticam sententiam, ut saltem aliquis e Patriarchis ipsi suffragaretur, et eo præside Synodus aliquid auctoritatis præ se ferre videretur, Anastasio jam misere vita functo suffecit perditissimum nebulonem nomine Constantinum, eumque Patriarcham denunciavit, ac consecrari voluit, qui peracta Pseudo-Synodo, cui præfuerat, ut suam (ait Cabassutius) Imperatori fidem consignaret, ipsius satellitio stipatus per forum, per Ecclesias, per omnis sexus Monasteria, per privatorum ædes concursans, imagines quot supererant diripit, abradit, dejicit, et eos qui habebant verberibus et carceribus mancipat. Sanctorum reliquias cum venerandis imaginibus, et Catholicorum libris excitatis rogis incendit. Ipse vero Copronymus aliquot Senatores, et clarissimos viros, eo quod prohibitas imagines coluissent, vel occultassent, durissimis nervis in medio foro verberare ad necem jussit: Monachos etiam, et Sanctimoniales raptari, et post immania supplicia, et ludibria trucidari. Qui vero superfuerunt Monachi, compulsi sunt pallio, et cucullo deposito inire incesta connubia, sordidisque artibus victum quærere, inter milites quoque Monasteria distributa sunt, ut omnis instituti Monastici memoria prorsus aboleretur; Monasteriorum autem prædia, et facultates fisco sunt addictæ. Constantinum Pseudo-patriarcham tot scelerum facem ac incentorem divina ultio prosecuta est. Cum enim detestandus Copronymus arcanum illi suum de abroganda Christi divinitate aperuisset, nec ille rem silentio texisset, jussus est per urbis vicos flagellari, et in sordidissimo loco jugulari. Par eti m ultio in Copronymum incubuit, cui pedes ardentibus anthracibus intumuerant, tantoque æstu totum ejus corpus exarsit, ut vociferaretur infelix se inextinguibili traditum igni, ob violatum Deiparæ nomen et cultum: et cum eamdem jussisset honorifice coli, sera tamen ejus minime recepta est pœnitentia, sed acerbissimo et horrendo interitu, ad quæ migraret supplicia demonstravit. Successorem Copronymus habuit Leonem filium, qui Catholicum se principio simulavit; ubi vero suum stabili fundamento firmatum credidit Imperium, in apertam hæresis professionem erupit, quam et sacrilegio cumulavit. Cum enim gemmarum cupiditate carbunculis radiantem coronam, quam in majori Basilica Mauricius olim dedicarat, detractam inde suo capiti imposuisset, eruperunt ex illius capite venenati carbunculi, ex quibus ardens exorta febris hominem brevi extinxit, ut Theophanes, et Miscellæ Historiæ scriptor Diaconus, referunt. Hinc hæredem reliquit Constantinum ex Irene susceptum Filium. Irene gubernacula suscepit Imperii sub Constantino decemni puero. Tum demum immanibus, diuturnisque procellis discussis, pax, et nova lux Orientis Ecclesiis refulsit. Catholicæ namque religionis amantissima Irene, nihil antiquius habuit, quam ut illam jacentem excitaret, Regiamque civitatem multiplici anathemate involutam, et a reliqua Ecclesia divulsam reduceret. Cumque Paulus abdicato Patriarchatu se in Monasterium conclusisset ad spontaneam pœnitentiam, respondit Imperatoribus causam rei sciscitantibus, quia Copronymi Conciliabulo, quo procusum fuit

adversus venerandas imagines, decretum, suam adjecerit subscriptionem, et ni pœnitentia scelus elueret, æterno foret supplicio damnandus. Qua permoti responsione Imperatores de optimo Patriarcha eligendo solliciti Therasium promovendum curarunt. Ille vero gravissimum onus detrectabat, nec prius urgentibus Augustis cessit, quam fore pollicerentur, ut legitimam Synodum ex Romani Pontificis consensu indicendam et habendam curarent. Scripsit ergo litteras ad Adrianum Papam Tharasius, quibus de sacrarum imaginum cultu pie, docteque disserit. Scripsere pariter ad eumdem Constantinus et Irene, rogantes, ut Synodum indiceret, suosque de more Legatos ad eam mitteret. Lætior Pontifici nullus afferri poterat nuntius. Itaque Petrum Archipresbyterum Ecclesiæ S. Petri, et alterum Petrum Abbatem S. Sabæ committit, qui suo nomine Synodo præsint. Cæterum adeo Constantinopoli hæresis invalescebat, ut ibi tumultus incredibiles excitarint Iconomachi, quos ne ipsi potuerunt Imperatores compescere. Igitur Nicæa prælecta fuit, in qua Synodus haberetur : quæ Civitas Metropolis Bithyniæ est, prima Synodo Œcumenica dudum insignis. Interfuere cum Tharasio religiosissimo Constantinopolis Episcopo duo Monachi Joannes et Thomas sedium Orientis Patriarcalium locum tenentes, et cum his 350. Episcopi, multique cum delectis Monachis Archimandritæ, qui Patrum consessum sanctitatis doctrinæque splendore decorabant, missique ab Imperatoribus aliquot Senatores. Concilio præsederunt Apostolici Legati. Gesta hæc sunt an. 787. Coacta jam Synodo multitudo Episcoporum supplices libellos obtulerunt ad veniam deprecandam, eo quod Copronymi Synodum approbassent : imprimis Gregorius Neocœsariensis, qui fuerat in Pseudo-Synodo quasi præses et antesignanus. Utramque in partem agitata sententia est, sed mitior demum prævaluit, qua cunctis condonatum est, et permissum, ut suum quisque gradum et dignitatem retineret. Lecta primum fuit Adriani epistola, cui honorifice ab omnibus acclamatum est. Placuit deinde, ut ex sanctorum Ecclesiæ Doctorum libris depromptæ palam legerentur gravissimæ sententiæ, et exempla, quibus religiosa imaginum veneratio asseritur, tamquam a sanctissimis Patribus tradita, jam inde ab exordiis Ecclesiæ, continuoque Christianorum sæculorum usu recepta, plurimisque confirmata miraculis. Quapropter Patrum suffragiis sancitum est, ut in Ecclesiis, aliisque honestis locis, Christi Domini, Sanctorumque imagines collocentur ad piam memoriam et virtutum imitationem excitandam : tum etiam ut ipsi in suis imaginibus debita sibi veneratione colantur, quandoquidem his delatus honor ad prototypum et exemplar refertur, quod illæ repræsentant. Decretum quoque, ut fideles debita veneratione Sanctorum reliquias prosequantur, et his contradicentes hæretici declarantur, et anathemate feriuntur. His sanctissime constitutis placuit in medium proferri Salvatoris imaginem, et ab omnibus suppliciter procumbentibus adorari. Perlecta etiam ne quid deesset, examinataque sedulo fuit Copronymi Synodus, ejusque vanæ rationes verissimis aliis eversæ, et quantum opus erat exposita divinarum litterarum testimonia, quibus idola Gentium redarguuntur, nihil cum sanctis imaginibus habere commune. Proinde damnata illa Pseudo-Synodus omnium consensu fuit, et dictum anathema in Anastasium, Constantinum, etc. Hanc autem Synodum probavit Adrianus

summus Pontifex, et illam inter Œcumenicas ordine septimam admittendam decrevit. Cui tamen intercesserunt plurimi occidentalis Ecclesiæ Præsules, quasi minus Catholice in ea decretum fuisset eodem cultu adorandas esse sacras imagines, quo divina Trinitas. Hinc illa existimatione decepti Præsules, qui *Francofurti* regnante Carolo Magno in Synodum convenerant adversus hæresim Felicis et Elipandi, qui Christum non naturalem, sed adoptivum Dei Filium prædicabant, hunc secundum Canonem ediderunt: *Allata est*, inquiunt, *in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati, servitium, aut adorationem non impenderet, anathema judicaretur: qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodo adorationem et servitutem renuentes, contempserunt, atque consentientes condemnaverunt, etc.* Verum multiplex in illa sententia circa factum error involvitur. *Primo* Constantinopolis pro Nycæa. *Secundo*, Constantinopolim esse Bithyniæ urbem, cum sit Thraciæ. *Tertio*, fuisse Græcorum Synodum illam sine Romani Papæ consensu habitam; cum tamen constet fuisse ab ipso Adriano Papa indictam et approbatam, ejusque Legatos in ea præsedisse. *Quarto*, eamdem Synodum constituisse, ut imagines eodem cum Deo cultu colerentur, cum tamen ejus Actione 1. Basilius Anciræ Episcopus quondam Iconomachus, non aliter a Nycæna Synodo admissus fuerit, nisi profitendo palam sacras imagines esse venerandas et adorandas modo ne latriæ cultu, qui soli Deo debetur. Et Act. 3. Constantius Constantiæ Cypri Episcopus, Actionibus 4. et 7. aliique similiter Ecclesiæ reconciliati fuerint, et unitati fidelium redintegrati cum eadem fidei protestatione, modo ne latriæ cultu soli Deo competenti sacræ imagines adorentur. Verum de hac Concilii decisione, sicut et de sententia Ecclesiæ Gallicæ nobis amplior et commodior erit sermo in sequentibus tribus Quæstionibus: quarum *Prima* aperiet utrum, et quo cultu Sanctorum imagines sint colendæ; *Secunda*, quali honore sint excipiendæ eorum reliquiæ: *Tertia*, qua pietate et devotione Sancti sint invocandi et venerandi.

QUÆSTIO PRIMA.

AN ET QUIS CULTUS SACRIS IMAGINIBUS SIT DEBITUS.

Notandum 1. Quod etsi tria hæc vocabula, *imago*, *idolum*, et *simulacrum*, prima sua institutione, et communi Grammaticorum usu idem significare videantur; tamen apud Christianos pridem factum est, ut distinctam significationem obtinerent. *Imago* namque latius patet simulacro, *simulacrum* vero idolo; omne siquidem idolum simulacrum est, et omne simulacrum imago; non autem vice versa, omnis imago simulacrum, nec omne simulacrum idolum, saltem secundum Latinam significationem; quamquam, ut observat S. Augustinus in Psal. 135. *Simulacra Græce appellentur idola*, et passim ubi septuaginta Interpretes habent *idolum* εἴδωλον, Latina editio vertit *simulacrum*. Unde *imago* tantum sonat similitudinem rei veræ expressam seu factam ad repræsentandum. *Simulacrum* vero, vel est similitudo et conformitas imaginis cum re, quam exprimit, si verum sit illud simulacrum; vel est tantum repræsentatio rei fictæ; nam, ut observat

S. Isidorus lib. 8. *Etymologiarum, Simulacra dicuntur, vel pro eo, quod sunt similia, vel pro eo, quod simulata, atque conficta, unde et falsa sunt.* Quocirca simulacrum a *simulando* dicitur, ut habet commentarium ad caput primum ad Thess. S. Hieronymo falso adscriptum: unde simulacra proprie significant imagines falsas, hoc est, quæ vel nullam rem repræsentant, vel nonnisi ementita effigie illam adumbrant, juxta illud Habacuc cap. 3. *Sculpsit illud fictor suus, conflatile, et imaginem falsam: speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulacra muta.* Idolum vero est *simulacrum, quod humana effigie factum, et consecratum est,* inquit ibidem Isidorus; quapropter omne idolum est effigies ordinata ad repræsentandam aliquam divinitatem quasi præsentem, et simulacro inexistentem, cui propterea religiosus cultus impendatur. Hinc Apostolus 1. ad Corinth. 8. egregie ait: *Scimus quia nihil est idolum in mundo:* quod tripliciter exponi potest, ait ibidem in Commentario S. Thomas: *Primo modo* sic: « Idolum nihil « est, idest, inter creaturas mundi, quantum ad formam idoli: « licet enim materia idoli sit aliquid, scilicet aurum, vel argentum, « vel hujusmodi; tamen nil est forma, scilicet quæ creditur ibi esse « ab idololatris, qui credunt idolum esse Deum. *Secundo modo* sic: « Idolum nihil aliud est, scilicet persona subsistens ex simulacro, « et spiritu præsidente: ex illis enim duobus nihil fit, sicut ab ido- « lolatris putatur. *Tertio modo* sic: Idolum nihil est in mundo, idest, « nullius rei, quæ fit in mundo, habet similitudinem; est enim diffe- « rentia inter idolum et simulacrum, quia simulacrum dicitur, quod « sit ad similitudinem rei alicujus naturalis, idolum ad nullius rei fit « similitudinem, ut si corpori humano addatur caput equinum: Isaiæ. 40. « *Cui similem fecistis Deum?* » Certum est igitur, *quod apud Ecclesiasticos Scriptores* (inquit etiam ipse Henricus Stephanus in thesauro linguæ Græcæ) εἴδωλα *Latine etiam idola peculiari significatione vocantur simulacra numen aliquod repræsentantia, quod honore et cultu dignantur.* — Constat itaque imaginis nomen esse genericum, nempe ad veram et falsam aut fictam repræsentationem, ut etiam colligitur ex Scriptura sacra, quæ nomen imaginis interdum usurpat ad significandas falsas et ementitas effigies, ut Deuter. 4. Ezechiel. 7. Habacuc 2. Interdum vero ad veras et reales exprimendas: sic homo dicitur creatus *ad imaginem Dei*, Genesis 1. Item Christus *imago Patris* 2. ad Corinth. 4. Si autem hoc nomen non esset genericum ad veram et falsam imaginem, sed esset plane synonymum, tam recte possemus asserere Christum esse idolum Patris, et hominem fuisse creatum ad Dei idolum, ac religiose dicimus Christum esse imaginem Dei: et male etiam apud hæreticos audiret, qui assereret Christum esse idolum Patris, et non esse factum ad idolum Dei, quia sic significaretur falsa quædam, et rei inanis repræsentatio: igitur imago ita distinguitur ab idolo, ut idolum supra imaginem addat inanitatem et falsitatem: quocirca non distinguitur idolum ab imagine penes solum cultum religiosum rei exhibitum, ut volunt hæretici, quia prius intelligitur aliquid esse idolum, quatenus est repræsentativum rei inanis et falsæ, quam cultus aliquis existimetur ei deferri.

Notandum 2. Gentiles revera existimasse simulacra et idola, quæ colebant, non solum esse deorum suorum repræsentationes, sed etiam

pro diis haberi, ut colligitur ex Psalmo 95. *Omnes dii Gentium dæmonia*, 4. Reg. cap. 19. *Miserunt Deos eorum in ignem, non enim erant Dii, sed opera manuum hominum ex ligno, et lapide*, Isaiæ. 44. *Deum fecit, et sculptile sibi: curvatur ante illud, et adorat illud, et obsecrat dicens: Libera me, quia Deus meus es tu.* Et Sapientiæ 15. *Omnia idola nationum Deos æstimaverunt.* Et Act. 19. Demetrius argentarius faciens ædes argenteas Dianæ coram Ephesiorum populo de Paulo conqueritur: *Paulus hic suadens avertit multam turbam dicens: Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt.* Quibus aperte constat revera Gentiles existimasse Divinitatem aliquam inesse suis idolis. Quod utique confirmatur ex SS. Patribus, nam Irenæus lib. 3. cap. 6. *A Moyse dictum est: Non facies tibi omnem similitudinem in Deum, quæcumque in cælo sursum, et quæcumque in terra deorsum.* Similiter Tertullianus in Apologetico adversus Gentes loquens de diis Gentium, et de persecutione, qua sæviebant Gentiles in Christianos; *Ignibus urimur*, inquit, *hoc, et illi*: (dii vestri) *a prima quidem massa in metalla damnantur: inde censentur Dii vestri, etc. Si per hæc constat divinitas aliqua, ergo qui puniuntur, consecrantur, et numina erunt dicenda supplicia.* Paulo post: *Si Capitolium, si olitorium forum petitur, sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quæstoris, divinitas addicta conducitur.* Similiter Minutius Felix in Octavio: *Ecce funditur, fabricatur, scalpitur, nondum Deus est: Ecce plumbatur, construitur, erigitur, nec adhuc Deus est: Ecce ornatur, consecratur, oratur, tunc postremo Deus est.* Denique Arnobius adversus Gent. lib. 1. *Eos ipsos divos, quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus, cum eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia.* Et idem lib. 6. præveniens objectionem Gentilium: *Sed erras* (inquit) *et laberis: nam neque nos æra, neque auri, argentique materias, neque alias, quibus signa confiunt, eas esse per se Deos, et religiosa decernimus Numina: sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra, et fabrilibus efficit inhabitare simulacris. Non improba, neque aspernabilis ratio, qua possit quivis tardius, necnon et prudentissimus credere, Deos relictis sedibus propriis (idest cælo) non recusare, nec fugere habitacula inire terrena; quinimo jure dedicationis impulsos simulacrorum coalescere inductioni. In gypso ergo mansitant, atque in testulis dii vestri? quinimo testularum, et gypsi, mentes, spiritus, atque animæ dii sunt? atque ut fieri augustiores vilissimæ res possint, concludi se patiuntur, et in sedis obscuræ coercitione latitare.* — Hanc autem falsam existimationem habuere Gentiles, quod revera dæmones plerumque in simulacris et idolis existerent, in eisque vaticinia et oracula personarent, ut testantur Tertullianus de Idol. *Dæmoniis corpora conferunt.* Cyprianus de Idol. van. *Hi spiritus sub statuis, atque imaginibus consecratis delitescunt.* S. Hieronymus in Habacuc cap. 2. *Omnibus simulacris assident immundi spiritus.* S. Augustinus in Psalm. 135. *Ut dæmonia potius, quæ sunt in simulacris significarentur.* Arnobius Junior in Psalm. 95. *Probatum est, quod omnes dii Gentium, qui in templis positi essent, habitarent in eis dæmonia.* — Non me latet politissimos quosque ac doctissimos ex Gentilibus non adeo fatuos, hebetesque fuisse, ut inania simulacra Deos putarent,

quod significavit Julianus Apostata in 1. part. operum his verbis: *Simulacra, et aras, necnon æterni custodiam ignis, et, ut uno verbo dicam, cætera id genus omnia deorum præsentiæ signa majores nostri constituerunt, non ut ista Deos esse credamus, sed ut ipsos per illa veneremur. Etenim quoniam nos in corpore degentes consentaneum corpori cultum adhibere diis oportebat, iidem porro corporis sunt expertes: primum nobis illi simulacra monstrarunt: quod est secundum a primo genus Deorum, quod circum cœlum universum in orbem volvitur. Sed cum ne istis quidem corporeus cultus attribui possit, nam suapte natura rei nullius indigent: tertium in terris inventum est genus simulacrorum, in quod cultum nostrum impendentes, Deos nobis propitios reddemus.* Mox ita disputare pergit, illa ipsa simulacra, Deos non esse, sed effigies Deorum, sicut imagines Regum non sunt Reges, sed horum effigies. Porro, qui Reges amant ac venerantur, eorumdem imagines in amore habere atque cultu. Ita Deorum amatores atque cultores pari in illorum simulacra ferri affectu. Hæc Julianus. Verum, inquit Petavius, non est dubium, quin, etsi prudentiores et eruditi inter Gentiles facile istud animadverterint, ligneas, aut æreas, aut pretiosiore metallo fabricatas effigies, Deos non esse; complures tamen, et quidem majore numero, pro diis illas habuerint et adoraverint. De quo nemo Christianus controversiam facere potest: neque quisquis divinis utriusque Testamenti Litteris fidem potius adhibendam esse censeat, quam execrando Apostatæ, ex mendacio et impudentia pessimæ causæ præsidium advocanti. Certe idipsum, quod ad institutum nostrum satis est, persuasum erat hæreticis Iconoclastis, qui Catholicam Ecclesiam sacrarum imaginum cultricem eadem onerabant infamia, quam penes Ethnicos simulacrorum, hoc est, idolorum veneratores, residere cognoverant.

Notandum 3. Triplicem de imaginibus fuisse generatim sententiam; *Prima* quidem erat hæreticorum, non solum imaginum cultum impugnantium, sed eas etiam in Basilicis, locisque aliis tamquam idola deturbantium, qui idcirco *Iconoclastæ* dicti sunt, vel *Iconomachi*, quod imagines penitus execrati, eas demoliri ac diffringere fuerint ausi. Quorum rursus secta bifariam dividitur, nam *alii* solas ad humanam formam expressas effigies improbabant, crucem vero, ejusque figuram retinebant, et honore utramque prosequebantur; quocirca Paulus Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus, ut Copronymo adularetur, dum publicam ad populum concionem haberet, *Salutiferis lignis in altum sublatis juravit se ex eorum numero non esse, qui sacras imagines adorarent*, ut refert Nycephorus in Breviario ad ann. 766. Hinc Michaël Baldus Imperator Iconoclasta in epistola ad Ludovicum Pium Imperatorem, queritur imagines in tali honore habitas sicut honorificum et vivificum lignum, in quo Christus verus Deus noster crucifigi dignatus est propter nostram salutem. *Alii* vero, ut Claudius Taurinensis, omnes etiam cruces ab Ecclesiis semovebant, cujus impietatem hisce postremis sæculis æmulati sunt, imo supergressi nefarii Calvinistæ, et ejusdem farinæ plures alii nebulones, qui generale bellum sacris Imaginibus, et crucibus denuntiavere. — *Secunda* opinio fuit eorum, qui imagines quidem habendas esse putabant, nec penitus abolendas, aut ab Ecclesiis et templis semovendas, sed ita ut nullus

illis honor, nullaque veneratio impendatur : at duntaxat servarentur, exponerentur ad spectaculum, hoc est, ad conservandam divinorum beneficiorum memoriam, aut Sanctorum eximiam virtutem, ac præclara facinora refricanda et repræsentanda. Quam sententiam complures olim complexi sunt, minime tum hæretici judicati. Tales videntur Gallicani Præsules, qui in Francofordiensi Synodo Concilum Nycænum secundum damnarunt : talis fuit præ cæteris Jonas Aurelianensis, ut constat ex tribus illius libris adversus Claudium Taurinensem editis ; talis etiam extitit ille, quisquis est auctor et scriptor eorum quatuor librorum, qui Caroli Magni Imperatoris nomine conscripti feruntur, et ad Adrianum Romanum Pontificem missi ; tales denique fuerunt illi Antistites, qui ex Ludovici Pii Imperatoris mandato Parisiis convenientes, suam de sacris imaginibus sententiam in epistola, seu libello ad Eugenium summum Pontificem direxerunt. Illi siquidem omnes existimabant imagines Sanctorum neutiquam venerandas et adorandas esse, neque tamen a Basilicis et sacris locis exeludendas, — *Tertia tandem sententia* est omnium Catholicorum docentium, *primo* ab ipso Ecclesiæ exordio ad nos usque a fidelibus usurpatas; *secundo* illas etiam in templis collocari solitas; *tertio* tandem eas esse cultu et veneratione dignas, ut patebit in tribus sequentibus Conclusionibus.

Conclusio prima. — Imaginum usus et cultus ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio fuit a fidelibus frequentatus.

Probatur primo ex illis celeberrimis imaginibus Christi, vel miraculosa ipsius virtute, vel discipulorum, et priorum fidelium studio efformatis ac elaboratis. Ferunt enim primo sacri Annalistæ, duas ab ipso Christo expressas esse sui divini vultus imagines : primam quidem, quam ipse sudario super faciem imposito expressit, misitque ad Abagarum Regem Edessenæ civitatis, qui cum per Legatos illum exorasset, ut relictis perfidis Judæis, ipsum assiduo infestantibus, in civitatem Edessenam una cum Discipulis sese reciperet, ut auditas miraculorum opiniones illi et populo suo exhiberet, refert Eusebius lib. 1. cap. 13. Christum per epistolam respondisse : *Si faciem meam corporaliter cernere cupis, en tibi vultus mei speciem transformatam in linteo dirigo, per quam, et desiderii tui fervorem refrigeres, et quod de me audisti nequaquam impossibile existimes. Postquam tamen complevero ea, quæ de me scripta sunt, dirigam tibi unum e discipulis meis, qui tibi et populo tuo sanitates impertiat, et ad sublimitatem fidei vos perducat, etc.* Porro hujus imaginis mentionem faciunt non solum Evagrius lib. 4. *Historiæ*, cap. 26. *Nicephorus*, lib. 2. cap. 7. Damascenus Oratione 1. *De Imaginibus*, Stephanus summus Pontifex in Concilio Romano; sed insuper Leo Lector Constantinopolitanus testatus est in septima Synodo Act. 5. se illam divini Christi vultus effigiem vidisse in civitate Edessena, ex qua Romam deportata etiam hodie religiose asservatur et fidelium venerationi exponitur in Ecclesia Monasterii Monialium S. Sylvestri. — *Secunda* divinitus a Christo Domino expressa sui divini vultus effigies est illa, quam tempore passionis in linteo expressit, et Veronicæ piæ mulieri tradidit ; quæ in Ecclesia S. Petri adhuc Romæ conservatur, et in Bibliotheca Vaticana extat historia manuscripta, in qua refertur qualiter

tempore Tyberii hæc divini Christi vultus effigies Romæ fuerit deportata.

Celebratur etiam apud SS. Patres et Ecclesiasticæ historiæ Scriptores plurimis miraculis famosa illa *statua ærea*, quam apud Paneadem, mulier a fluxu sanguinis per tactum fimbriæ vestimenti Christi liberata, gratitudinis ergo ipsi Christo Domino erexit : quam ab ipso Christo, et ab ejus Apostolis visam fuisse credibile est, atque se quoque illam vidisse affirmat non solum Antipatras Bostrensium Episcopus serm. de miraculo ejus sanatæ mulieris, sed etiam Eusebius lib. 7. *Historiæ*, cap. 14. qui insuper refert, quod herba quædam inusitatæ formæ ad statuæ pedes pullulabat, quæ ubi ad ejusdem statuæ pallii fimbriam excrevisset, omnia morborum genera curandi virtutem eliciebat. Addit Sozomenus lib. 5. cap. 20. quod cum Julianus Apostata inde statuam amovisset, suamque ibidem imponi jussisset, illico ligno de cælo demisso caput impiæ statuæ abscissum fuisse. Subdit cap. 21. cum illam Christi statuam Gentiles ignominiose tractatam confregissent, Christianos ejus frusta colligisse, et in Ecclesia reposuisse; ubi, inquit Sozomenus, ad hunc usque diem asservantur.

Ex quibus colligere licet imaginum fabricam, venerationem, et cultum, nec a Deo vetitum esse in novo Testamento, nec a nascentis Ecclesiæ fidelibus reprobatum ; quippe cum ipsemet Christus Dominus imaginum ipse fictor fuerit, et illas in pretio fideles habuerint, et effinxerint. Nam, ut observat Tertullianus libro *De Pudicitia*, cap. 10. ubi stultis Montani, et sagarum fœminarum fascinatus næniis contra Catholicos declamat, quo mœchiæ convictis, et pœnitentia functis veniam, et communionem relaxarunt, et ad hoc suadendum, boni pastoris uterentur exemplo, et amissam ovem et inventam suis humeris ad ovile reportantis, cujus effigiem in calicibus depingebant. Cui ille : *Si forte patrocinabitur pastor*, inquit, *quem in calice depingis, prostitutorem, et ipsum Christiani sacramenti merito, et ebrietatis, dolum, et mœchiæ asylum post calicem subsecuturæ ; de quo nihil libentius bibas, quam ovem pœnitentiæ secundæ. At ego ejus pastoris Scripturam haurio, qui non potest frangi.* Quibus verbis Tertullianus, quamvis hæretico animo, nihilominus vere refert imaginem Salvatoris a nascentis Ecclesiæ fidelibus effigiari solitam. — His accensere juvaret, quæ refert Niceph. Calixtus in lib. 6. cap. 15. nempe Apostolorum imaginum frequentem usum fuisse apud Christianos tempore Constantini primi Imperatoris, ut constat ex historia ipsius conversionis ad religionem Christianam. Quod itidem confirmat S. Ambrosius Epist. 54. ubi de SS. Gervasio et Protasio sibi per visum oblatis loquens, ait : *Cum quadam mihi tertia apparuerunt persona, quæ similis esse beato Paulo Apostolo videbatur, cujus me vultus pictura docuerat.* Quem etiam locum citavit sanctus Damascenus Orat. 2. *De Imaginibus*. Viderat ergo S. Ambrosius Pauli effigiem coloribus expressam. Idem indicat S. Augustinus lib. 1. *De Consensu Evangelistarum*, cap. 10. ubi agens de quibusdam gentilibus, qui nescio quos libros a Christo conscriptos ad Apostolos Petrum et Paulum fingebant, dicit ideirco potius finxisse illos libros ad Petrum et Paulum directos, quam ad alios Apostolos, *Quod pluribus locis*, inquit, *simul cum eo pictos viderunt.* Similiter S. Hieronymus in cap. 4. Jonæ, Apostolorum imagines a fi-

delibus effigiari solitas testatur, his verbis : *Et revera in ipsis cucurbitis*, inquit, *vasculorum, quas vulgo Saucomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrari.* — Non juvat his attexere omnes SS. Patrum sententias, qui celebrem de sacris imaginibus usurpatam memoriam instituunt. Quippe eas omnes auctoritates ubertim collectas habes, et commendatas a Patribus 7. Synodi, qui in conclusione ultimæ actionis, post definitum sacrarum imaginum cultum, una voce exclamant in hæc verba : *Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides orthodoxorum : hæc fides orbem terrarum confirmavit. Nos antiquæ Ecclesiæ Legislationi insistimus, nos decreta Patrum custodimus.* Idem pluribus confirmat Adrianus Papa Epist. ad Carolum Imperatorem adversus Pseudo-Carolinum librum, ubi refert omnes suos prædecessores, necnon et Œcumenica Concilia, quibus sacræ imagines venerationi fuerunt, ut patebit infra.

Objiciunt hæretici. Minutium Feliciem, qui gentilem ita Christianis exprobrantem refert : *Cur nullas aras habent, templa nulla nota simulacra?* Cui Octavius respondens ait : *Putatis nos occultare quod colimus, si delubra, et aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod ei extruam, cum totus hic mundus ejus opere fabricatus, eum capere non possit? et cum homo latius maneam intra unam ædiculam, vim tantæ majestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente, in nostro imo consecrandus est pectore?* Igitur tempore Minutii Felicis, sicut Christiani nulla habebant templa, ita nec imagines. — **Nego sequelam**, quamquam enim primis Christianæ religionis temporibus cum adhuc gentilis in eam exardesceret furor, et in hominum mentibus hæreret adhuc idolorum superstitio, non tam frequens fuerit sacrarum usus imaginum, uti neque templorum et altarium; inde non est consequens apud eos nullas fuisse imagines, nec altaria; constat enim ex Tertulliano, et aliis antiquioribus, fideles tunc temporis habuisse quædam loca sacra, necnon et altaria, in quibus antelucanis cœtibus convenire solebant, tum ad fundendas preces, tum ad offerendum incruentum sacrificium, tum ad sacram synaxim faciendam. Constat pariter ex eodem, ut supra diximus, imaginum usum apud fideles fuisse frequentem. Pace autem ac libertate Ecclesiæ reddita, uti Basilicas, et Templa, et Altaria in Dei honorem ac cultum extruere non dubitarunt fideles, sic imagines Christi atque Sanctorum, quarum nondum publicus et solemnis percrebuerat usus, usurpare cœpit Ecclesia ad propagandam Christi, ac Martyrum, Sanctorumque cæterorum memoriam, et animandos ac instruendos ad pietatis constantiam fideles. Nam, inquit Nilus Abbas S. Chrysostomi discipulus, epistola ad Olympiodorum Præfectum: *Qui litteras nesciunt, neque sacras litteras possunt legere, picturæ contemplatione in memoriam revocant illorum præclara facta, qui vero Deo sincere serviebant.* — Hic autem publicus imaginum usus, ut præclare observat Petavius lib. 15. cap. 13. « neu- « tiquam omnibus in locis eodem instituto ac tempore fuit a fidelibus « frequentatus ; sed alibi citius, alibi tardius, prout nationum captus « et indoles erat, et qui illis præerant expedire judicabant, ne imagi- « num veneratio idololatriæ periculum esset ». Quod utique diligenter observandum est ad enodandas plures difficultates, et explicanda ve-

terum exempla ac testimonia, quibus ad oppugnandum imaginum cultum abuti solent Iconomachi, contendentes imagines repudiatas et damnatas fuisse interdum ab orthodoxis, ut referemus in sequenti Conclusione. Quod equidem prudenter factum fuisse non denegarem pro temporum et locorum ratione.

Conclusio secunda. — LICITE AC RELIGIOSE SACRÆ IMAGINES IN CHRISTIANORUM TEMPLIS COLLOCANTUR. Hæc est contra Iconomachos, maxime vero contra Calvinum, qui licet aliquas imagines a primitivæ Ecclesiæ fidelibus usurpatas admittat, tamen lib. 1. *Institutionum*, cap. 11. affirmat quingentis primis annis a fundata Ecclesia in Christianorum templis imagines non fuisse, et ideo nunc perperam in ipsis collocari.

Probatur primo ex Canone 8. Apostolorum in Synodo Antiochena, ubi sic statuitur: *Ne decipiantur salvati ob idola: sed pingant ex opposito divinam, humanamque manufactam impermixtam effigiem Dei veri, ac Salvatoris nostri Jesu Christi: ipsiusque servorum contra idola, et Judæos. Neque errent in idolis, neque similes fiant Judæis.* Quibus verbis tria notanda occurrunt: *Primum*, efformandas esse Christi D. et servorum ejus imagines: *Secundum*, districte prohibitam esse idololatriam: *Tertium*, opponendas esse Christi, et Sanctorum imagines, tum idolomaniæ, tum Judæorum superstitioni. Ex quibus inferre licet scopum illius Canonis, et Concilii esse, quod imagines collocentur in templis. Nam hæc oppositio imaginum contra idola indicat ibidem ordinari imagines in templis esse constituendas. Illic enim, ut plurimum, Ethnici habebant sua idola, ut et Judæi, qui ad idololatriam Gentium deflexerant. *Confirmatur* ex Theodoreto, qui lib. 8. adversus Græcos refert idolorum loco Sanctorum reliquias introductas esse in templa. — *Nec valet* reponere fidem istius Apostolicæ constitutionis esse dubiam; nam, inquit Fevardentius noster lib. 2. cap. 2. in annotationibus suis ad lib. S. Irenæi num. 15. *hunc Apostolicum Canonem, germanum esse, non recens unus, et alter in angulo affirmant; sed prope innumerabiles, qui in publico totius orbis theatro ante octingentos annos convenerunt Patres Synodo Nycæna posteriore. Hoc quoque Canone innixus Basilius Magnus ante* 1270. *asseruit, imaginum usum ab Apostolis emanasse: simulque eo adhuc antiquior Eusebius a majoribus prodiisse confirmans: et Pamphilus Martyr utroque superior, hanc Apostolorum constitutionem, cum pluribus aliis se in Origenis Bibliotheca reperisse testatur.* Quod vero de Synodo Nycæna attingit, hoc ex eadem adscribo, nempe ex Act. 1. ubi Gregor. Pessenuntis Episcopus hunc Canonem adducit in confirmationem usus imaginum, his verbis: *In Antiochena Synodo 88. Apostolorum dictum est, salvatos non debere amplius ad idola aberrare, sed certandum esse ante columnam Dei, hominisque Jesu Christi Domini nostri.* Cui cæteri Patres annuerunt. Verum nota Apostolorum Canonem ubivis non potuisse sortiri effectum illico in primitiva Ecclesia, juxta eorum decretum, quia propter persecutiones decem Cæsarum Ethnicorum, paucissimæ Ecclesiæ ædificatæ fuerunt usque ad tempus Constantini Imperatoris. Adeoque mirum non esse, quod eo usque parum reperiatur de imaginum usu in templis scripto consignatum. A tempore

vero ipsius Constantini, et deinceps frequens legitur ipsius usus; hujus enim rei testis est Damascenus in Pontificali de S. Sylvestro Pontifice, ubi dicit Constantinum in Basilica Constantina hæc dona dedisse: fastigium argenteum habens in fronte Salvatorem sedentem in sella, et duodecim Apostolos cum coronis, item a tergo in abside respicientem Salvatorem sedentem in throno, et Angelos quatuor ex auro purissimo; candelabra denique ex aurichalco numero septem interclusa sigillis Prophetarum cum ornatu ex argento. Et rursum in labro fontis, ubi baptizatus est, agnum ex auro purissimo, ac in læva agni B. Joannem Baptistam ex argento tenentem titulum scriptum: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Probatur ex ipsa Ecclesiæ perpetua praxi, nam Tertullianus, qui floruit circa annum 200. lib. *De Pudicitia*, cap. 9. et 10. ut dictum est in priori Conclusione, notat suo tempore in sacris calicibus fuisse depictam imaginem Christi Domini portantis super humeros ovem inventam. Similiter S. Gregorius Nyssenus Orat. de S. Theodoro Martyre, refert Basilicam in ejus Martyris honorem extructam picturis decoratam fuisse, quibus ipsius certamina coloribus expressa videbantur pari elegantia atque fructu. *Solet enim*, inquit, *pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse.* Item S. Basilius, Oratione de Barlaam Martyre, ait victorias Martyrum fuisse depictas in Ecclesia: et in fragmento epistolæ illius ad Julianum loquens de Apostolis, Martyribus, et Prophetis ait: *Characteres imaginum eorum honoro, et adoro, præcipue cum hoc traditum a SS. Apostolis, et non prohibitum sit, quin et in omnibus Ecclesiis nostris ostendatur depictum.* Hanc veritatem luculenter explicat Prudentius in hymno S. Cassiani, ubi ait se in ipsius Martyris Basilica conspexisse ejus imaginem, his verbis:

Stratus humi, tumulo advolvebar, quem sacer ornat
Martyr, dicato Cassianus corpore.
Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera, et omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina:
Erexi ad cælum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago Martyris
Plagam mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.

Et S. Paulinus, lib. 1. Epist. 4. describens baptisterium S. Severi, hæc habet:

Martinum veneranda viri testatur imago:
Altera Paulinum forma refert humilem.

Et in descriptione trium sacellorum, seu capellarum templi S. Felicis, quas Basilicas appellat, ait:

Martyribus mediam pictis pia nomina signant,
Quos par in vario redimivit gloria sexu:
At geminas, quæ sunt dextra, lævaque patentes,

Binis historiis ornat pictura fidelis.
Unam Sanctorum complent sacra gesta virorum.
Job vulneribus tentatus, lumine Tobis.
Ast aliam sexus minor obtinet, inclita Judith:
Qua simul, et Regina potens depingitur Esther.

Hi autem omnes, et alii plures, quos commemorare tædiosum esset, vivebant ante primos quingentos annos: mentitur itaque Calvinus, cum affirmat primis quingentis annis ab Ecclesia fundata imagines in Christianorum templis non fuisse. Quam utique veritatem non minus docte, quam eleganter explicat et confirmat summus Pontifex Adrianus in Epistola ad Carolum Imperatorem, nam cap. 19. respondens Pseudo-Carolino libro sic objicienti: *Scientes nos faciant, ubi in veteri, vel novo Testamento, aut in sex Synodalibus Conciliis jubeatur imagines facere, vel factas adorare,* sic ait: « Nos quidem infra scientes faci-« mus, sicuti jam fecimus, quia et in Veteri, et in Novo Testamento, « sive et in sex Synodalibus Conciliis semper venerandæ fuerunt sacræ « imagines, et factæ inter sancta Sanctorum titulabantur. Nam illi nobis « dicere solebant, in quali de ipsis sex Synodalibus Conciliis reprehensæ « sint sacræ imagines. Enimvero in *primo sancto Concilio* sæpius osten-« sum est, quia sanctus Sylvester Papa, et Constantinus Christianis-« simus Imperator venerati sunt sacras imagines, et cum nomine Chri-« stianitatis palam coram omnibus fideliter, atque mirabiliter eas « ostenderunt, et a tunc usque hactenus sanctorum Pontificum, vide-« licet Sylvestri, Marci, et Julii miræ magnitudinis sanctæ eorum « Ecclesiæ apud nos sunt depictæ, tam in musivo, quamque in cæ-« teris historiis, cum sacris imaginibus ornatis. — Item in sancto *se-« cundo Concilio* sanctus Damasus elegantissimus Papa propriam suam « fecit Ecclesiam, cujus sanctus Gregorius meminit in Dialogis, quæ « ex nomine Conditoris Damasi vocatur: similiter a tunc usque hactenus « historiis sacris, et imaginibus pictam habemus. — Iterum, et de sancto « *tertio Concilio* S. Cœlestinus Papa proprium suum cœmeterium pi-« cturis decoravit. Magis autem successor ejus beatus Sixtus Papa « fecit Basilicam sanctæ Dei Genitricis Mariæ cognomento *Majorem*, « quæ ad *Præsepe* dicitur. Simili modo, et ipse tam in metallis aureis, « quamque in diversis historiis, sacris decoravit imaginibus. Sed et « per rogatum ejus, Valentinianus Augustus fecit imaginem auream « cum duodecim portis, et Salvatore, gemmis pretiosis ornatam, quam « voto gratiæ super confessionem beati Petri Apostoli posuit, et a tunc « usque hactenus apud nos ab omnibus fidelibus venerantur. — Itemque « de sancto *quarto Concilio* egregius atque mirificus prædicator S. Leo « Papa, et ipse fecit Ecclesias, quas in musivo, et diversis historiis « seu imaginibus pingens decoravit. Magis autem in basilica beati « Pauli Apostoli, arcum ibidem majorem faciens, et musivo depin-« gens Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, seu viginti « quatuor Seniores, nomine suo versibus decoravit, et a tunc usque « hactenus fideliter a nobis venerantur. — Et de sancto *quinto Con-« cilio* sanctissimus Vigilius Papa in Lateranensi Patriarchio basilicam « faciens, pulcherrime eam decoravit picturis, tam in historiis, quamque « in sacris imaginibus. Multo amplius vero ejus sanctissimi successores

« Dominus Pelagius, atque Dominus Joannes miræ magnitudinis Ec-
« clesiam Apostolorum a solo ædificantes historias diversas, tam in
« musivo, quam in variis coloribus cum sacris pingentes imaginibus,
« et a tunc usque hactenus a nobis venerantur. Sed et sanctus Gre-
« gorius, lib. 3. *Dial.*, cap. 33. in Monasterio suo pulchrum fecit ora-
« torium, et ipsum diversis historiis pingi fecit, atque sacras ibidem
« erexit imagines: ubi et cum beato Eleutherio pro ægritudine sto-
« machi ingressus, in oratione pariter exauditi sunt. Et ille vir san-
« ctus Eleutherius, quem dicunt, et mortuum suscitasse, ante ipsas
« sacras imagines se prosternens divinam exorare clementiam cum
« sancto Gregorio non dubitavit: sed fidem ferentes perfectam, pa-
« riter exauditi sunt, et usque hactenus apud nos venerantur. Sed et
« Ecclesia Arianorum cujus ipse sanctus Gregorius in Dialogis suis
« meminit, placuit eidem sancto Gregorio, ut in fide Catholica intro-
« ductis illic beati Sebastiani, et S. Agathæ Martyrum reliquiis, de-
« dicari debuisset, quod et factum est. Et post miraculum, quod in
« eadem Ecclesia factum est, diversis historiis ipse beatus Gregorius
« pingi fecit eam, tam in musivo, quam in coloribus, et venerandas
« imagines ibidem erexit: et a tunc usque hactenus venerantur. Si
« enim voluerimus enarrare per ordinem, nostri prædecessores Ponti-
« fices quantas Ecclesias fecerunt usque nunc, mirifice in eis sacras
« imagines erigentes, atque diversas historias pingentes, necnon et
« venerantes, apostolice audemus dicere, deficiet nos tempus enume-
« randi, atque eorum ædificia cum sacris imaginibus, et historiis ex-
« planandi. — In *sexto* vero sancto *Concilio* Canone 82. non solum
« contemnere non sunt ausi, sed etiam easdem sacras imagines vene-
« rantes, statuerunt Agnum Christum Deum nostrum secundum huma-
« nam figuram, et in imaginibus a nunc pro veteri agno retitulari.
« Quapropter S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus in lib. 3. *De*
« *Fide*, cap. 7. inter cætera pro hujusmodi docuit: *Servemus ergo*
« *præcepta majorum, nec hæreditaria signacula ausi rudi temeritate*
« *violemus, etc.* ».

Objiciunt hæretici 1. Deus vetuit ne in templo Salomonis, et Judæorum synagogis imagines aliquæ collocarentur: sed eadem est ratio, imo longe potior de templis Christianorum: igitur omnes imagines ab eis sunt ablegandæ. *Antecedens probatur* primo ex illo Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, et quæ in terra deorsum; neque eorum, quæ sunt in aquis sub terra.* Et Levitici 26. *Non facietis vobis idolum, et sculptile, nec titulos erigetis, nec in signum lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum.* Hinc Tertullianus, lib. 4. *Contra Marcionem*, cap. 22. cum dixisset Moysem et Eliam cognitos fuisse a Petro in transfiguratione, non quod antea eorum effigiem Petrus vidisset, sed per divinam revelationem, ait: *Nec enim imagines eorum, vel statuas populus habuisset, et similitudines lege prohibente.* Unde Origenes, lib. 4. *Contra Celsum*, de Judæis sermonem faciens ait: *Apud quos nullum aliud Numen erat receptum, quam Deus cujus rerum universalitatis præses procul ablegatis omnibus simulacrorum opificibus, nam in civitate eorum nullus pictor admittebatur, nullus statuarius, legibus totum hoc genus arcentibus, ne occasio præberetur hominibus crassis, neve animi eorum*

a Dei cultu avocarentur. — **Respondeo** *primo,* negando *antecedens;* et ad illius probationem dico, eatenus dumtaxat imagines lege divina prohibitas fuisse, quatenus dumtaxat adorarentur pro diis, et ipsis cultus soli Deo debitus impenderetur; hinc præceptis prohibentibus fabricationem sculptilis, statim subditur, ut *adores illud,* quo significatur ea solummodo ratione vetitas fuisse Judæis illas imagines, quæ communi Gentilium ritu Numina dicebantur, veraque erant idola. Quod autem absolute a Judæorum templis et synagogis lege divina imagines et sculptilia non fuerint eliminanda, aperte constat ex eo, quod Exod. 25. Domino jubente duæ figuræ Cherubinorum ex auro fusili positæ fuerint; et in ipso oraculo templi posuit etiam Salomon 3. *Reg.,* cap. 6. duas alias Cherubinorum statuas ex lignis Olivarum altitudinis decem cubitorum, quarum singulæ alæ quinque cubitorum erant. Denique ut scribitur 3. *Reg.* 17. idem Salomon in templo posuit Boum, Leonum, et Cherubinorum figuras; igitur non omne simulacrum arcebatur a Judæorum templis. Hanc eamdem solutionem præclare expendit Leontius Episcopus Neapoleos apud Damascenum, Orat. 3. *De imaginibus:* « Age, inquit, deinceps jam sanctarum ex-
« pressionis imaginum defensionem moliamur, ut ora iniquorum injusta
« loquentium obstruantur. Neque enim inventum nostrum hoc est, sed
« legis institutum. Audi enim Deum ipsum Moysi præcipientem, ut
« gemmas Cherubim imagines sculptiles et conflatiles strueret, quæ
« propitiatorium obumbrarent. Præterea templum ostendit Deus Eze-
« chieli, quod quidem a pavimento usque ad laquearis fastigium scul-
« ptiles, inquit, habebat leonum, et palmarum, et hominum, et Che-
« rubim facies. Quid tum, o Leonti? Vere sermo, inquit, terribilis.
« Deus qui jussit Israëli, ne ullius rei, quæ in cælo, quæve in terra
« sit, simulacrum aut imaginem vel similitudinem faceret, idem
« præcepit Moysi, ut sculpta faciat animantia Cherubim; idem ostendit
« Ezechieli templum imaginibus et sculptis leonum, et palmarum, et
« hominum similitudinibus plenum. Quin etiam Salomon formam ex
« lege sumens, templum æris boum, et palmarum, et hominum simu-
« lacris implevit. Neque tamen ob id reprehensus est a Deo. Et im-
« mediate post inferens non esse sugillandam confectionem imaginum
« in Ecclesia, subjungit: quamobrem si vis me reprehendere, Deum
« prius hæc fieri jubentem reprehende, ut ejus admonitio nobis exemplo
« sit ». His adde, quod ex illo Matth. 22. *Cujus est imago hæc, et superscriptio?* constat non omne genus imaginum fuisse populo Judaico prohibitum; siquidem imago illa Cæsaris apud omnes erat recepta, nec consequenter pingendi et sculpendi artes fuisse apud Judæos vetitas aliqua lege divina: licet forte decursu temporis populus ille omnem ejusmodi artificem ex suis civitatibus relegaverit, ut ita securius præceptum legis observaretur, ne imperito vulgo ulla prorsus idololatriæ esset occasio.

Urgent: Scriptura sacra pluribi prohibet cultum cuiusvis simulacri opera manuum hominum effigiati: igitur et imaginum. — **Nego absolute**; nam, ut præclare ait Stephanus Bostrensis, lib. *Adversus Judæos,* c. 4. « Si quæ facta sunt hominum opera, et manu ejicienda
« putas; quid obsecro, Judæi, adoratur in terra, quod hominum manu
« factum non sit? Quid? Arca Dei, manufacta non fuit? aut altare,

« aut propitiatorium, aut Cherubini, aut urna illa aurea, quæ manna « continebat, aut interius tabernaculum, et omnia, quæ a Deo appel- « lantur sancta Sanctorum? Nonne Cherubim, quæ Angelorum ima- « ginem referunt, hominum facta sunt labore et manu? Quid ais, si « hæc idola appellas, quod Moysi et Israëlitis adorantibus nomen im- « pones? »

Objiciunt 2. Canonem 36. Concilii Eliberitani sic definientis: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, nec quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* — **Respondeo** 1. Concilium aperte in hæreticos militare, quippe significat in primitiva Ecclesia imagines a fidelibus esse usu receptas, et in veneratione habitas. *Dico secundo,* Concilium non proscribere imaginum cultum, et earum in Ecclesiis situm, sed dumtaxat vetare ne depingantur in parietibus, vel aliis ejusmodi subjectis, quæ facile non possent loco moveri, et alio deportari. Quod autem hæc fuerit genuina mens Concilii, patet tam ex ratione, quam ibi subjicit, quam ex conditione illorum temporum. *Ex ratione* quidem, eam enim subjicit, *ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur,* quibus verbis significat se tali edicto prohibere dumtaxat pingendas imagines in parietibus, sed potius debere majori cum reverentia in tabula, aut alia materia per se collocari; imagines enim in parietibus depictæ non solum splendorem et pulchritudinem amittunt, atque facile fœdantur, nec ita ad venerationem movent sicut si in tabulis collocentur: sed etiam non possunt alio deportari. *Ex conditione vero temporum,* quia Concilium hoc celebratum creditur circa annum Christi 305. hoc est, viginti annis ante primum Concilium Nicænum, quo tempore, cum adhuc in Christianos sæviret persecutio, nec esset eis liberum Christianæ religionis exercitium, facile poterat contingere, ut eorum templa profanis usibus cederent, ibique remanentes Sanctorum imagines, non solum debito sibi honore frustrarentur, sed etiam in contemptum et ludibrium venirent. Hinc est, ut observat Vazquez, disp. 105. cap. 2. quod rarissime in Hispanorum templis in parietibus depictæ antiquitus appareant imagines, præter effigiem S. Christophori; quamquam plurima templa invenies, aut tabulis depictis, aut statuis ligneis inauratis, et coloribus variatis exornata. Quod certe indicium est, definitionem illius Concilii diuturna consuetudine in Hispania viguisse, licet hisce novis temporibus Hispani, sicut et cæteræ nationes, suorum templorum parietes pictis imaginibus exornare cœperint. — ✻ " Origenes, lib. 7. *Contra Celsum,* non procul a fine, refert illius calumniam et objectionem adversus christianos, quod barbarorum instar aversarentur templa, aras et statuas: *Nec ferunt,* inquit, *templa, aras et statuas inspicere. Ne Scythæ quidem et Numidæ, et Seres impii, non aliæ gentes, quæ tam religione carent quam legibus. Idem de Persis narrat Herodotus. Persarum, inquit, ritus hos novi: statuas, aras, templa nec ipsi dedicant, et alios pro stultis habent qui hoc faciunt: ut equidem opinor, quia Deos non credunt esse hominibus ortos, quæ Græcorum est opinio. Atqui Heraclitus sic de illis pronuntiat: ita preces offerunt istis simulacris, ac si quis fabuletur cum stipitibus, quia nec Deos, nec heroas sciunt quinam sint. Quid igitur hi nos docent Heraclito sapientius? Ille subindicat, stultum esse vota deponere apud statuas, nisi quis noscat Deos et heroas, quinam*

sunt. Hujusmodi est Heracliti sententia: at isti contemnunt in totum Deorum statuas. Si ideo quod lapis, aut lignum, aut æs aut aurum ab hoc vel illo expolita non sit Deus, ridicula est hæc sapientia: quis enim alius, nisi sit totus fatuus hæc Deos credit, non Diis dicatas statuas? Quod si putant ne pro imaginibus quidem Deorum habendas, et aliam esse Dei formam, ut etiam Persis videtur; imprudentes suum dogma redarguunt, cum dicunt ad imaginem Dei creatum esse hominem, et ei specie similem. Sed de similitudinibus quidem assentiunt, cæterum negabunt esse Deos quibus hæc dedicantur, contendentque esse dæmonia: fugiendam autem Dei cultori venerationem dæmonum.

Hanc calumniam depellit Origenes ibidem, Christianos alia ratione statuas et idola non colere quam qua moventur Scythæ, Numidæ, Seres et Persæ. *Illarum enim,* inquit, *Gentium nemo ab his alienus est, quod vereatur numen, ad viles has cæremonias detrahere, quæ versantur circa aras, et materies effigiatas variis imaginibus: nec quod intelligat dæmones derinctos hærere certis locis et statuis, sive incantatos quibusdam magicis carminibus, sive alias incubantes locis semel præoccupatis, ubi Turcarum more se oblectant victimarum nidoribus, voluptatem captantes nefariam et vetitam divinis atque naturæ legibus. Cæterum Christiani homines et Judæi sibi temperant ab his propter illud legis: « Domi-« num Deum timebis, ipsi soli servies... » Nos vero ideo quoque non honoramus simulacra, quia quantum possumus, caremus ne quo modo incidamus in eam credulitatem, ut et his tribuamus divinitatis aliquid.* ¨ ✳

Objiciunt 3. S. Irenæum, lib. 1. *Adversus hæreses,* cap. 23. et 24. referentem inter hæreses Gnosticorum, et Carpocratianorum, *quod habuerint quasdam imagines depictas, quasdam autem de reliqua materia fabricatas, dicentes formam Christi factam a Pilato in tempore, quo fuit cum hominibus:* igitur sanctus Irenæus hæresim deputat, quod imagines a Christianis habeantur: ac subinde multo magis, quod in eorum templis collocentur. — **Respondeo**, S. Irenæum non culpare illos hæreticos, quod imaginem Christi habuerint, et eam fuerint venerati; sed quod eam more gentili ita adorarent, ut etiam ei sacrificium offerrent, sicut de eis observat S. Epiphanius, hæresi 27. Quod etiam significat S. Irenæus; nam ibi est sermo de Marcellina, quæ, ut notat S. Augustinus, cap. 7. *De Hæresibus,* fuit sectæ Simonis; hæc autem secta istis imaginibus tamquam diis sacrificabat, ut habet Theodoretus, lib. 1. *Hæreticarum Fabularum.* Hinc S. Irenæus claudit citatum cap. 24. his verbis: *Et reliquam observationem circa eas similiter, ut Gentes faciant.* Signum est igitur hæreticos ab eo impugnatos ritu gentili imagines coluisse.

Objiciunt 4. Adrianus Imperator, ut refert Ælius Lampridius in vita Alexandri Imperatoris, in Christianorum gratiam templa condidit sine imaginibus, ut in eis orarent. — **Respondet** Alanus Copus, dialogo 4. cap. 2. templa illa non dici extructa absque *imaginibus,* sed sine *simulacris, et numinibus Gentilium:* cum enim Christiani nollent in templis Gentilium orare, quod idolis plena essent, Imperator jussit alia templa extrui, in quibus nulla essent simulacra, quæ pro diis et numinibus Gentiles colere solebant; non autem consequens, quod ibi nullæ fuerint imagines. *Adde quod* forte initio conditi templi.

Christiani illius temporis noluerint in eo imagines collocare, ne forte Imperator et Gentiles adversus eos querimoniæ ansam haberent, quod respuentes Gentilium simulacra venerari, alia venerarentur.

Objiciunt 5. S. Epiphanium Epist. ad Joan. Hierosolymitanum Antistitem, quam Latinam fecit S. Hieronymus, et quæ inter ejus epistolas numeratur ordine 60. ubi ita scribit: *Præterea quod audiri, quosdam murmurare contra me, quia quando simul pergebam ad S. Locum, qui vocabatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more Ecclesiastico facerem, et venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præteriens lucernam ardentem.... inveni velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ, tinctum, atque depictum, et habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam (non enim memini cujus imago fuerit): cum ergo vidissem in Ecclesia Christi contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, et magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent.* — **Respondent Catholici Doctores** cum Alano Copo, dialogo cap. 22. illam partem epistolæ, quæ hanc historiam refert, suppositiam esse, et ab hæreticis additam, quod utique apparet, *primo* quia tempore S. Hieronymi plurima illius epistolæ Græca exemplaria extabant, ut ipse testatur Epistola 101. nec tamen Iconomachi in Pseudo Synodo Constantinopolitana, qui omnia sanctorum Patrum testimonia specie aliqua cultum imaginum impugnantia colligere et referre studuerunt, nullatenus istius testimonii Epiphanii meminerunt, non omissuri si illo ipso tempore in codice Græco Epiphanii, et in Latino Hieronymi fuisset. *Secundo,* non est verisimile S. Epiphanium optime callentem sacros Canones (quibus cavetur ne unus Episcopus in alterius diœcesi absque ipsius licentia Episcopale munus exerceat) ausum fuisse id attentare in diœcesi Hierosolymorum Antistitis: aut si id attentasset, haud dubie de illo non minus conquestus fuisset Joannes Hierosolymitanus, quam conquestus est, quod in sua diœcesi se inscio Presbyterum ordinasset, ut constat ex eadem epistola: nullatenus tamen de hoc facto querimoniam instituit, ut patet ex Epistola 61. S. Hieronymi respondentis ad omnia, quæ Joannes objiciebat Epiphanio. *Tertio,* quia S. Damascenus, Orat. 2. *De Imaginibus,* circa finem, respondens cuidam testimonio S. Epiphanii ab Iconomachis objecto, ait sermonem illum esse confictum ab aliquo, qui S. Epiphanii nomine abusus est. Quod utique confirmat ex eo, quod ejus Ecclesia Cypri semper fuerit imaginibus exornata usque ad Iconomachorum tempora. *Quarto,* cum S. Epiphanius complexus fuerit omnes hæreses, quæ ad suum usque tempus Ecclesiam vastaverant, si imaginum cultores revera contra Scripturam agere fuisset arbitratus, haud dubie illos inter hæreticos annumerasset, cujus tamen hæresis nusquam meminit. *Denique,* appendix illa priori parti epistolæ repugnat; nam tota secunda parte notat Joannem Hierosolymitanum esse Origenistam, et de seipso esse conquestum, quod dixisset eum non debere laudare Origenem Arii patrem, et aliarum hæresum radicem: at in illa extrema parte monet eum quasi Catholicum, ut fugiat Palladium, quia hæresim Origenis disseminabat et tuebatur; quod certe non minus fuisset ridiculum, quam si Catholicus adhortaretur ministrum Calvinistam, aut Lutheranum, ne commercium haberet cum altero comministro, quia Calvini aut Lutheri hæresim præ-

dicat. — *Respondet secundo,* cum Mariano Victorino in Annotatione ad illam epistolam, Vazquezio, disp. 95. cap. 4. quod si S. Epiphanius hæc fecerit, propterea fecisse, quod existimaret imaginem illam non esse alicujus Sancti, sed profani cujusdam hominis, quem venerari ut sanctum, in Scripturam pugnat: si enim putasset illam imaginem esse alicujus Sancti, non diceret *habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam,* sed scriberet absolute, *habens imaginem Christi, aut Sancti.* Unde parenthesis illa *(non memini cujus imago fuerit),* non denotat eum non potuisse discernere, an esset imago Christi, vel alterius Sancti; enimvero si illam deposuit et laceravit, id facile judicare potuit; significat igitur per illam parenthesim se ab incolis illius loci non potuisse rescire cujusnam hominis, profani an sancti esset illa imago. Unde, ut observat Vazquez, parenthesis non debet referri ad illud, *Christi, vel Sancti cujusdam,* sed ad illud, *habens imaginem,* quasi diceret: non memini cujusdam hominis esset illa imago, quæ ante fores templi ea majestate et veneratione pendebat, ac si esset Christi aut alicujus Sancti. — *Confirmatur,* quia addit *ibidem,* quod ut compesceret murmur incolarum illius loci, promisit se daturum aliud velum, ac statim cessasse murmurationem; quod signum est, incolas illos non fuisse etiam certos cujus esset illa imago; si enim existimassent fuisse imaginem Sancti, aut Christi, quam in veneratione habebant, non annuissent ipsi duntaxat aliud velum promittenti, nec solum dixissent: *si scindere voluerat, justum erat, ut aliud daret velum, et mutaret;* sed ultro requisiissent, ut aliam Christi, aut illius Sancti, quem colebant, imaginem substitueret.

Objiciunt 6. S. Augustinum lib. *De consensu Evangelistarum,* c. 9. ubi ait eos errare, *qui Christum, et Apostolos in pictis parietibus quæsierunt.* Et Epist. 49. q. 3. *De simulacris,* quæ in loco insigni collocantur, ut adorentur; necnon et concione 2. in Psalm. 113. exponens illa verba, *Os habent, et non loquentur,* ubi ait: *in templis Christianorum esse quidem vasa aurea, et argentea, sed non talia, quæ os habeant, et non loquantur, et quibus supplicetur.* — **Respondeo.** nil ex præfatis S. Augustini testimoniis posse elici, quod Iconomachorum errori patrocinetur. Non quidem ex *prima auctoritate;* siquidem ibi S. Augustinus non damnat imaginum picturas et repræsentationes, sed crassam eorum culpat ignorantiam, qui ex eo, quod viderent S. Pauli effigiem una cum imagine Christi, et S. Petri depingi, colligebant etiam S. Paulum Christi Domini, dum mortalis in terris viveret, fuisse discipulum: unde illam ignorantiam arguendo subjungit, *eos promeruisse decipi, quod omissis sacris codicibus, in quibus falsitatem sui erroris cognovissent, ejus probationem quæsierint in picturis.* Ex quibus contra Iconomachos infertur tempore S. Augustini apud Christianos fuisse usu receptum, quod imagines Christi, et Apostolorum pingerentur. — Non etiam eis suffragatur *secunda auctoritas* ex Epistola 49. siquidem ibi tantum dicit, *Christianos habere, quod culpent in sacrilegis ritibus Paganorum, non quod construant templa, instituant sacerdotia, et faciant sacrificia, sed quod hæc idolis et dæmoniis exhibeant: quodque idola his sedibus locentur honorabili sublimitate, ut a præcantibus et immolantibus attendantur, ita ut ipsa similitudine animatorum membrorum, atque sensuum, quamvis sensu et anima*

careant, afficiant infirmos animos, ut vivere, ac spirare videantur. Quibus verbis aperte significat, se sermonem facere de simulacris et idolis, in quibus Gentiles aliquod Numen inesse putabant: certum est autem, quod Christiani ita imagines venerentur, ut nihil in ipsis inesse putent dignitatis et excellentiæ, nisi ratione prototypi, quod adumbrant et repræsentant. — *Denique* nil quidquam etiam eis suffragatur *ultima* S. Augustini *auctoritas*, ibi namque dumtaxat loquitur de idolis et simulacris, quibus Gentiles supplicabant; non autem negat esse in templis Christianorum imagines, uti nec vasa aurea et argentea, quibus non supplicamus, sed soli Deo; neque enim Catholici preces suas ad imagines dirigunt, sed tantum ad Sanctos, quos ipsæ repræsentant.

Denique objiciunt: Omnis idololatriæ occasio a Christianorum templis est submovenda: at imagines sunt ejusmodi: igitur, etc. *Major constat* a simili; nam Ezechias lib. 4. *Reg.*, cap. 18. laudatur, quod deturbaverit serpentem æneum, quia Judæis erat occasio idololatriæ. — **Nego minorem**, siquidem, inquit *Isambertus* ad q. 25. dist. 3. art. 9. Ecclesia studiose cavet ne in templis Christianorum collocentur imagines, quæ sint vel falsi dogmatis, vel præbeant populo occasionem erroris, præcipitque Pastoribus, ut sedulo incumbant, quatenus populos instruant circa cultum sacris imaginibus impendendum. Unde non est par ratio de nostris imaginibus, ac de serpente æneo, quia hic tunc temporis tamquam aliquid divinitatis in seipso habens, a Judæis colebatur, ut notat S. Augustinus lib. 10. *De civit. Dei*, cap. 8. *Quem serpentem*, inquit, *propter facti memoriam reservatum, cum postea populus errans, tamquam idolum colere cœpisset, Ezechias Rex religiosa potestate serviens cum magna pietatis laude contrivit.*

Ex his apparet, quam perperam hæretici hujus temporis Catholicos calumniis incessant, quod videlicet idololatrarum instar, imagines non solum in templis collocent, sed etiam in processionibus publice circumferant. Enimvero nihil aliud facimus, quam Israëlitæ, qui ex Dei instituto Arcam cum Cherubinis ad Dei honorem pluribus annis circumferebant. Adde quod hujusmodi usum Deus etiam miraculis comprobarit. Adscribam unum, atque alterum. Notum est, quod Gregorius Magnus, cum sævissima pestis Romæ sæviret, ac multæ simul aliæ calamitates accederent, religiosam in die Resurrectionis supplicationem instituerit, et imaginem Dei Genitricis per Sanctum Lucam depictam in publicum deferri curaverit, et piam circumgestationem Deus miraculo comprobavit. Etenim quacumque ferretur imago, pestilentis cæli gravitas depulsa, et optata salubritas in urbe consecuta est. Ubi gratulantibus omnibus Deo, ecce tibi Angelus, qui sanctam Virginem his vocibus e cælo alloqueretur: *Regina cæli, lætare, alleluja: Quia quem meruisti portare, alleluja: Resurrexit sicut dixit, alleluja.* Quam orationem simul atque Gregorius coram audivit, divino Spiritu statim excitatus, eam in hunc modum explevit: *Ora pro nobis Deum, alleluja.* Quod Canticum deinde solemne mansit in Ecclesia, et Paschalis lætitiæ vel argumentum, vel confirmatio quotannis esse consuevit. Eamdem historiam a veteribus acceptam Sigonius quoque confirmat.

Conclusio tertia. — Sacræ imagines Christi et Sanctorum dignæ sunt aliqua adoratione et veneratione. Hæc est de fide, et

. **Probat** primo Alanus Copus dialogo 3. cap. 8. ex illis omnibus Scripturæ textibus, quibus affirmatur res etiam inanimes divino cultui dicatas et sacras aliqua veneratione esse dignas. Sic Exodi 3. *Solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Et Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est,* quod intelligitur de Arca Domini, quæ lib. 1. *Paralip.*, cap. 28. appellatur *scabellum pedum :* existimabant enim Hebræi Deum sedere velut in throno super alas Cherubim, qui erant super Arcam, juxta illud Psalmi 79. *Qui sedes super Cherubim,* et pedes ejus super Arcam tamquam in suppedaneo seu scabello pedum quiescere. Hinc summa veneratione illa Arca erat tractanda a solis Levitis et Sacerdotibus ; quapropter Oza percussus obiit 2. *Reg.*, cap. 6. quod. ut existimat Lyranus, eam in plaustro posuisset, cum humeris esset religiose, et a viris sanctis portanda, juxta illud Isaiæ 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini,* et ideo 1. *Reg.* 6. ex Bethsamitis plures occisi sunt, quia sine debita reverentia curiosius eam aspicere voluerunt. — *Nec refert,* quod in Hebræo textu legatur *adorate ad scabellum,* non vero *adorate scabellum,* ut objiciunt hæretici ; nam Hebraice non est verbum, *adorate*, sed *prosternite :* unde cum sit idem se prosternere ad scabellum, ac adorare scabellum, consequens est, quod eo loci exprimatur veneratio et adoratio Arcæ debita propter ordinem et habitudinem, quam habebat ad Deum. Quidni igitur pari ratione cultus impenderetur sacris imaginibus, propter similem causam ?

Probatur secundo ex definitione Conciliorum, in quibus sacrarum imaginum usus et cultus contra suborientem Iconoclastarum hæresim assertus fuit et propagatus : nam, ut missas faciam varias Synodos hac de re tum in Oriente, tum in Occidente collectas, illas commemorare juvat, quæ Romæ congregatæ sunt sub variis Summis Pontificibus, quos refert Adrianus Papa in responsione ad librum *Pseudo carolinum* his verbis : « Nam et Prædecessores nostros, videlicet bea-
« tissimos Pontifices Gregorium, et Gregorium, Zachariam, et Stepha-
« num, Paulum, et iterum Stephanum, reperimus pro sacrarum ima-
« ginum erectione in Spiritu sancto ferventes rectæ fidei zelum ha-
« bere. Pro quo Dominus Gregorius Papa secundus junior, una cum 79.
« sanctissimis Episcopis, ante confessionem beati Petri Apostolorum
« principis præsidens, multorum sanctorum Patrum testimonia robo-
« rantes, venerari et adorare sacras imagines in eorum Concilio cen-
« sueverunt. Porro et prædecessor noster sanctæ recordationis quon-
« dam Dominus Stephanus Papa similiter cum Episcopis partium
« Franciæ, atque Italiæ præsidens in Basilica Salvatoris Domini no-
« stri Jesu Christi, quæ appellatur Constantiniana, prædecessoris sui
« venerabile Concilium confirmans, atque amplectens, magis, magisque
« et ipse una cum omnibus Episcopis præsidentibus, Sanctorum Pa-
« trum testimoniis adhærentes, adorare, atque venerari sacras imagines
« statuerunt. Unde et beatus Paulus Apostolus docens, inquit: *Tenete*
« *traditiones, quas accepistis.* Et iterum: *Sed licet nos, aut Angelus de*
« *cœlo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, ana-*

« *thema sit* ». — Verum apertissime hoc catholicum ac fidele dogma traditum ac definitum fuit in VII. Synodo generali Nicæna 2. Act. 7. in professione fidei, his verbis : *Statuimus cum omni exacta cura, ac diligentia similiter, ac sanctæ crucis, et vivificæ figuram, venerandas et sanctas imagines palam proponi, quæ coloribus tesserisve constant, aut alia quavis idonea materia in sanctis Dei Ecclesiis, in sacris vasis, et vestibus, necnon et parietibus et tabulis, ædibus ac viis : nempe tum Domini ac Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi imagines, tum incontaminatæ dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, necnon honorabilium Angelorum, ac Sanctorum omnium, et piorum virorum : quanto enim frequentius per imaginatam expressionem videntur, tanto magis, qui illas intuentur ad prototypporum recordationem et desiderium excitantur : et uti ipsis osculum, et honorariam adorationem deferant, non tamen verum, secundum fidem nostram, latriæ cultum, qui soli divinæ naturæ convenit. Sed eodem modo veneremur, quo figuram pretiosæ, ac vivificæ crucis, et sancta Evangelia, ac cætera sacra donatia : tum ut suffitus, et lumina ad illas honorandas adhibentur : quæ fuit antiquorum religiosa consuetudo.* — Quibus verbis Concilium triplicem errorem perstringit et damnat. *Primum* quidem Iconoclastarum sacras imagines demolientium. *Secundum* eorum, qui illas honore ac veneratione spoliaverant. *Tertium* denique proscribit quorumdam superstitionem, qui Iconoclastis extreme oppositi volebant sacras imagines adorandas esse eodem cultu latriæ, qui Deo debetur, ut refert S. Damascenus lib. *De hæreticis*, circa finem ubi superstitiosos illos nominat *accusatores Christianorum*, quod ansam præberent Saracenis Christianos idololatriæ insimulandi. Adversus igitur hunc triplicem errorem sancte, religioseque Concilium pronuntiat : *Primo*, sacras imagines non esse confringendas : *Secundo*, illas honore ac veneratione esse prosequendas : *Tertio* denique, eas cultu latriæ soli Deo debito non esse colendas. — Eamdem veritatem definivit Concilium Florentinum Sess. 5. Sed omnium clarissime Tridentinum Sess. 25. his verbis : « Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum Sanctorum in « templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem, « et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in « iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quod ab eis « aliquid sit petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, « veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; « sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ « illæ repræsentant ; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram « quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et San- « ctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur : id quod Con- « ciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ Synodi decretis contra « imaginum oppugnatores est sancitum » : *Subdit rationem cur pingi, et effigiari debeant, ac eis honos deferatur* : « Illud vero diligenter doceant « Episcopi per historias mysteriorum nostræ Redemptionis picturis, « vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum « in articulis fidei commemorandis, et assidue recolendis : tum vero « ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum « quia admonetur populus beneficiorum, et munerum, quæ a Christo « sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, et salu-

« taria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias « agant, ad Sanctorum imitationem, vitam, moresque suos componant, « excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem « colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, « anathema sit ».

Probatur denique ratione: Honor qui defertur prototypo, etiam redundare debet in illius effigiem : sed Deus, Christus, et Sancti omnes honorem merentur et venerationem : ergo et illorum imagines. *Minor constat* quantum ad Deum, et Christum. Constat pariter quantum ad Sanctos ; quisquis enim excellentia et dignitate præstat, honore dignus est : Sancti autem multis titulis, tum propter eminentem gratiam, tum propter eximias virtutes, tum denique propter præclara eorum facinora celebrandi sunt, et consequenter honorandi. *Major vero probatur:* excellentia prototypi consequitur ipsum ubicumque est, et communicatur illius excellentia, cui communicatur ejus esse : sed prototypum est in ipsa sui imagine, imo est ipsa imago, prout formaliter consideratur secundum rationem repræsentati ; et imago est quædam participatio illius prototypi, nam et ab illo desumitur, et fit ad instar illius, et illum repræsentat, imo est ipsummet prototypum non in essendo, sed in repræsentando : ergo est capax honoris repræsentati, et relativi. — *Confirmatur* auctoritate S. Athanasii Oratione 1. *Contra Arianos*, ubi loquens de imagine Regis, cum dixisset illam posse sic inspectorem alloqui: *Ego, et Rex unum sumus, ego enim in illo sum, et ille in me, et quod in me animadvertis, id quoque in illo animadvertis, et quod videris in illo, videris et in me:* statim significat imaginem non solum esse Regem quantum ad expressionem lineamentorum corporis, sed etiam quoad dignitatem et excellentiam Regis, quæ moraliter in ipsam imaginem redundat, ait enim : *Qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipsum Regem, quippe cum ipsa imago, nihil aliud sit, quam forma Regis, ac species.* Idem docet S. Basilius lib. *De Spiritu sancto*, cap. 18. *Rex dicitur*, inquit, *Regis imago, non autem duo Reges; neque enim potestas scinditur, neque gloria dividitur.* Quibus verbis significat dignitatem et excellentiam quæ est in Rege, redundare in illius imaginem, et ei inesse, secundum moralem hominum æstimationem. Hinc S. Ambrosius in Psal. 118. Sermone 10. præclare ait : *Qui coronat imaginem Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit*, scilicet quia honor imaginis redundat in honorem prototypi, sicut honor prototypi in ejus effigiem redundat. — *Deinde*, quidquid est capax injuriæ est etiam capax alicujus honoris, et cultus : sed imagines personarum illustrium capaces sunt injuriæ et contumeliæ, ita ut injuria ipsis irrogata redundet in ipsas personas, quas repræsentant, ut docet Methodius Orat. 2. *De Resurrectione*, his verbis: *Sicut Regum imagines honoramus, licet ex ære, saxove, et quisquis eas contumeliose tractaverit, is non ac si lutum, aurumve contempserit, sed tamquam in ipsum Regem impius extitisset, condemnatur; sic Angelorum, quas ex auro conflamus imagines, eas ad honorem, et gloriam Dei conficimus.* — Hinc constat ex variis historiis principum, etiam Christianorum, illos supplicio affecisse eos omnes, qui suis imaginibus injuriam et contumeliam fecerant ; nam refert S. Ambrosius de obitu Theodosii, illum plurimos Antiochenos occidi jussisse, quod

suæ uxoris imaginem ignominiose tractassent. Unde etiam Deus plerumque divinam suam ultionem exercuit in eos, qui imagines vel fregerunt, vel contumeliose tractarunt, ut videre est in Ecclesiasticis Annalistis, maxime Eusebio lib. 7. cap. 19. et Richeomo in libris *De miraculis, et imaginibus.* — *Tertio* denique, Deus multa dignatus est miracula patrare ad præsentiam SS. imaginum, tum ad remunerandam devotionem illorum, qui illas colebant, tum ad puniendam impietatem eorum, qui illas ignominiose tractabant: igitur signum est illum velle imagines in honore, et reverentia haberi. *Antecedens* constat ex VII. Synodo, Act. 4. ubi plurima referuntur miracula patrata occasione sacrarum imaginum. — *His adde*, quod imagines Christi, et Sanctorum multas præ se ferunt utilitates, ob quas non solum servandæ, sed et colendæ videntur, quas omnes expendit VII. Synodus. *Prima* est, quia librorum instar idiotas erudiunt, eosque fidei mysteria, et Sanctorum præclara facta edocent, solet enim pictura tacens in pariete loqui, ait Sanctus Gregorius Nyss., Orat. *De S. Theodoro.* Hinc docet S. Gregorius Magnus lib. 7. *Epistolarum*, Epist 111. ad Serenum Massiliensem, quod *idcirco pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent.* — *Secundo*, imagines efficacius movent aliquando ad virtutem sectandam, vitiumque cavendum, quam libri vel conciones. Hinc Gregorius Nyssenus, quem referunt Patres VII. Synodi, visa imagine Abrahæ sacrificantis suum filium lacrimatus est, unde addit Theodorus Catanæ Episcopus: *Quanto magis depicta incarnata dispensatio Christi Domini nostri, qui propter nos homo factus est, videntes ad profectum, et lacrimarum effusionem hortabitur?* Referunt ibidem ex Gregorio Nazianzeno Serm. *De virtute habito in carminibus*, quod cum meretrix ab adolescente ad nefarium actum advocata, prospiciens juxta portam illius, vidisset imaginem Philosophi *Polemonis*, tanto pudore suffusa est, ut viventem verecundata depictum statim retrocesserit, et in meliorem frugem sese receperit. Unde inferunt Patres, quod si effigies Philosophi tam efficax ac potens fuerit, ut scortum immutaret, quantæ efficacitatis debent esse Christi ac Sanctorum imagines, ut ad eorum vestigia sectanda nos provocent? — *Tertio*, imagines Christi et Sanctorum eorum virtutes et exempla referunt, et ad illa sectanda nos adhortantur; nam, et si Scipio Africanus dicebat *nullo se magis animari ad virtutem, quam majorum exemplis, quorum imagines in foro depictas videbat*, ut refert Plutarchus in ejus vita, quanto magis Christi et Sanctorum effigies nos provocare debent ad eorum virtutem sectandam? — Has omnes utilitates egregie explicat Sanctus Bonaventura in 3. dist. 9. artic. 1. q. 2. ubi docet, quod imaginum introductio in Ecclesia non fuit absque rationabili causa. « Introductæ enim fuerunt propter triplicem causam: videlicet pro-
« pter simplicium ruditatem, et propter affectuum tarditatem, et pro-
« pter memoriæ labilitatem. Propter *simplicium ruditatem* inventæ
« sunt, ut simplices, qui non possunt legere, in hujusmodi sculpturis
« apertius possint sacramenta nostræ fidei legere. Propter *affectus tar-*
« *ditatem* similiter introductæ sunt, videlicet ut homines, qui non ex-
« citantur ad devotionem in his, quæ pro nobis Christus gessit, dum
« illa aure percipiunt, saltem excitentur, dum eadem in sculpturis,

« et picturis tamquam præsentia oculis corporeis cernunt. Plus enim « excitatur affectus noster per ea quæ videt, quam per ea quæ audit. « Unde Horatius de arte Poëtica, circa medium :

« *Segnius irritant animos demissa per aurem,*
« *Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, etc.*

« Propter *memoriæ labilitatem*, quia ea quæ audiuntur solum, fa- « cilius traduntur oblivioni, quam ea quæ videntur. Frequenter enim « verificatur in multis illud, quod consuevit dici : verbum intrat per « unam aurem, et exit per aliam. Præterea non semper est præsto. « qui beneficia nobis præstita ad memoriam reducat per verba : ideo « dispensatione Dei factum est, ut imagines fierent præcipue in Ec- « clesiis, ut videntes eas recordemur de beneficiis nobis impensis, et « Sanctorum operibus virtuosis. »

Objiciunt 1. Hæretici varios Scripturæ textus, quibus prohibetur cultus omni sculptili impendendus, nam Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper ; etc.* Levitici 26. *Non facietis vobis idolum, nec sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum* .— **Respondeo**, his, et similibus forte prohiberi Hebræis cultum omnis imaginis sive Dei, sive Patriarcharum, sive aliorum Sanctorum, ne foret eis causa idololatrandi; cum enim crassioris essent genii, proclivissimi erant ad idololatriam : ideo ut omnis idololatriæ removeretur occasio, congruum fuit, ut eis prohiberetur quarumlibet imaginum cultus. Inde tamen non est consequens, quod etiam ille sit prohibitus Christianis: sicut enim nunc, abrogata veteri lege, non amplius tenemur legalibus præceptis, et nobis licitum est comedere plures cibos tunc temporis vetitos ; sic nunc licet uti imaginibus, et eas colere, quamvis eo tempore fuerint prohibitæ. *Respondeo secundo,* illis locis non prohiberi cultum imaginum , sed tantum earum, quæ falsa numina repræsentabant, quæque pro diis colebantur, ut dictum est in secundo Notabili. Unde Exodi 20. supra laudato, prius prohibentur falsi dii, *Non habebis Deos alienos;* deinde cavetur inanium Deorum sculptile ; demum adoratio illius sculptilis, ita quod tria ex unico præcepto prohibeantur, nempe fabricatio imaginis falsi Dei, ejusdem conservatio et adoratio. Hinc Deus rationem illius prohibitionis subjungit : *Ego sum Dominus tuus* quo significat se hæc tria prohibere, ne scilicet sculptilia ista adorentur pro Diis, et habeantur ut idola gentium.

Objiciunt 2. Varias Sanctorum Patrum auctoritates. Primo quidem Hieronymi in cap. 3. Danielis, ubi ait: *Cultores Dei statuam aut imaginem adorare non debent.* Similiter S. Augustini lib. *De Moribus Ecclesiæ,* cap. 34. *Novi,* inquit, *multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores.* Denique Gregorii Magni lib. 7. *Epistolarum,* Epist. 11. qui ad Serenum Massiliensem Episcopum scribens, graviter eum redarguit, quod *quosdam imaginum adoratores aspiciens* (inquit) *easdem Ecclesiæ imagines, confregit, atque projecit.* De quo quid sentiat, his verbis exponit Gregorius : *Et quidem zelum nos, ne quid manu factum adorari possit, habuisse laudamus : sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcirco enim pictura Ecclesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ in codicibus*

legere non valent. Tua ergo fraternitas, et illas servare, et ab earum adoratu populum prohibere debuit: quatenus, et litterarum nescii haberent unde scientiam historiæ colligerent, et populus in picturæ adoratione minime peccaret. Ad eumdem porro Serenum alteram scripsit ibidem lib. 9. epist. 9. epistolam, in qua pluribus idem illius factum redarguit: *Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus, fregisse vero reprehendimus.* Maxime vero illa re offensus est, *quod cum inter gentes habitaret, attendere debuerat, ne dum recto zelo incaute succenditur, ferocibus animis scandalum generaret. Frangi vero non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condiisses, sine dubio, et ea quæ intendebas salubriter obtinere, et collectum gregem non dispergere, sed potius dispersum poteras congregare.* Demum hortatur illum, ut imagines restituat, et ne adorentur admoneat. — **Respondet** ad S. Hieronymum Sixtus Senensis lib. 5. *Bibliothecæ Sanctæ*, annot. 247. eum loqui de imaginibus, et statuis, quas gentes suis Regibus adhuc vivis effingebant, vel in publico loco collocabant, qualis fuit illa Nabuchodonosor Daniel 13. *Ad S. Augustinum* respondet Alanus Copus Dialogo 1. cap. 7. eum loqui de cultoribus sepulcrorum, non Martyrum, sed quorumvis mortuorum, super quorum sepulcra dicit eos luxuriose bibere et manducare, et suas voracitates religioni tribuere. Eodem pacto intelligit adorationes picturarum, non Dei, Christi, aut Sanctorum, sed quorumcumque; et eos jure reprehendit, quod cum Christiani essent, indiscriminatim quasvis imagines ad sepulcra positas colebant, et more Gentilicio, religionis cujusdam prætextu, voracitate super sepulcra contaminabantur. — *Denique, ad Sanctum Gregorium* respondeo illum prohibere adorandas imagines cultu latriæ, qui soli Deo debetur, eo scilicet cultu, quo Gentiles suorum Deorum inania simulacra adorabant. Hanc autem ipsius esse mentem aperte constat ex ejus verbis in objectione laudatis, idcirco namque prohibet adorandas imagines, ne illi qui recenter ex Gentilibus ad fidem et Ecclesiam fuerant recepti, ex imaginum aspectu, eis parem honorem tribuerent, qualem non ita pridem suis idolis impendebant. Quod autem Sanctus Gregorius non improbaverit cultum sacrarum imaginum inferiorem eo cultu, qui divinitati defertur, probarunt Patres VII. Synodi, necnon et Adrianus summus Pontifex in responsione ad lib. *Pseudo-Carolinum*, ex ejusdem Sancti Gregorii Epistola ad Secundinum Religiosum inclusum, ad quem mittens imaginem Salvatoris, quam ipse postulaverat, quemadmodum illa sit colenda ita declarat lib. 7. *Epistolarum*, Epist. 54. *Scio quidem*, inquit, *quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus tu imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur.* Quibus verbis Sanctus Gregorius significat in usu positum esse apud fideles Catholicos, ut imagines venerarentur, et coram eis sese prosternerent, ita respiciendo prototypum, ut cum exteriore cultu coram imagine exhibito interiorem voluntatis affectum in illius imaginis prototypum dirigerent.

Objiciunt 3. Quædam Concilia, in quibus imaginum cultus fuit proscriptus, maxime Concilium Constantinopolitanum sub Leone Isaurico, et alterum *ibidem* sub Copronymo, necnon et Ephesinum tertium. — **Respondeo**, duo præfata Concilia Constantinopolitana esse nullius auctoritatis et momenti. *Primum* quidem, utpote cum nullus Patriarcha ei interfuerit, et quotquot aderant Catholici Præsules adversus hæreticam illius Concilii definitionem reclamaverint. *Secundum* vero, quia illegitima fuit illius convocatio, et celebratio ; unde falso sibi sanctæ, magnæ, ac universalis VII. Synodi nomen vindicat ; nam ut VII. Synodo Act. 6. dixit Joannes Cancellarius: *quomodo sancta, quæ nec quid est sanctum in notione suscepit ? Præsertim cum sit polluta, et execranda. Illi namque, qui in ea congregati sunt, ut prophetice fateamur, inter sanctum et pollutum non distinxerunt, et inter mundum et immundum non discrererunt, iconem incarnati Dei Verbi, Domini videlicet nostri Jesu Christi, similiter ut iconem satanæ, idolum nuncupantes. Quomodo autem magna et universalis, quam neque receperunt, neque concordaverunt reliquarum præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos, qui circa ipsum sunt sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum lex dictat Conciliorum. Sed nec consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, ac sanctæ civitatis, vel comministros, et summos Sacerdotes, qui cum ipsis existunt.* Idem judicium ferendum est de tertio Concilio Ephesino, cum ex VII. Synodo Act. 6. appareat præfatum Concilium Constantinopolitanum, vocatum fuisse Ephesinum, occasione sumpta erroris a Theodosio Ephesino Episcopo, qui isti Pseudo-Synodo Constantinopolitanæ inter Præsides adfuerat.

Objiciunt 4. Canonem 2. Concilii Francofordiensis, quo damnatur VII. Synodus quod imaginum cultum statuisset, ut diximus in præludio hujus sectionis. — **Respondeo**, variam ac multiplicem esse de isto Canone auctorum sententiam. Volunt enim aliqui *primo* cum Alano Copo Dialogo 1. cap. 11. non esse damnatam Nicænam Synodum secundam, sed solum Constantinopolitanam hæreticam. Verum reclamant omnes Annalistæ Francorum asserentes Francofurti damnatam fuisse illam Synodum, quæ imaginum adorationem et cultum definierat. Sic imprimis referunt Annales antiquissimi, quos Tomo 2. inseruit Andreas Quercetanus, ubi hæc habentur: *Pascha celebratum est in Francofurt, ibique congregata est Synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum: in præsentia jam Principis* (Caroli) *et Missorum Domini Apostolici Adriani, quorum nomina hæc sunt, Theophilactus, et Stephanus Episcopi.* Tum *Pseudo-Synodus Græcorum, quam falso septimam vocabant, et pro adorandis imaginibus fecerunt, rejecta est a Pontificibus.* In alio vero Chronico: *Pseudo-Synodus Græcorum pro adorandis imaginibus facta, quam falso septimam vocabant, rejecta est a Pontificibus.* Eadem et Bertiniani annales referunt. Similiter Eginhardi annales, *Synodus etiam,* inquit, *quæ ante paucos annos in Constantinopoli sub Irene, et Constantino filio ejus congregata, et ab ipsis non solum septima, verum etiam universalis erat appellata, ut nec septima, nec universalis haberetur, di-*

cereturve quasi supervacua, in totum ab omnibus abdicata est. Idem refert Ammonius in Annalibus Francorum sub ann. 794. ubi ita scribit: *Ibi etiam* (scilicet Francofurti) *Synodus, quæ ante paucos annos Constantinopoli congregata sub Irene, et Constantino filio ejus septima, et universalis ab ipsis appellata est, ut nec septima, nec aliquid diceretur, quasi supervacanea ab omnibus abdicata.* Hæc eadem verba ex ipso desumpsit *Abbas Urspergensis in Chronico sub anno* 79. Rhegino autem lib. 2. *sub anno* 794. sic habet: *Pseudo-Synodus Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerant, a Pontificibus* (scilicet Episcopis Francofordiensis Concilii) *rejecta est*, Ado *in Chronico anno* 792. ait; *Sed Pseudo-Synodus, quam septimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus abdicata penitus est.* Joannes Aventinus in *Historia Bojorum* sic inquit: *Item acta Græcorum de imaginibus adorandis recisa sunt.* Igitur ex iis omnibus constat damnatam fuisse in Francofordiensi Concilio aliquam Græcorum Synodum, in qua determinatus fuerat imaginum cultus. Certum est autem, quod ille cultus non fuerit propugnatus, imo expugnatus in Pseudo-Synodis Constantinopolitanis: igitur de ipsis non fuit sermo in Concilio Francofordiensi. Nec refert, quod eorum plurimi damnatam illam Synodum asserant fuisse celebratam Constantinopoli. Nam addunt *sub Irene et Constantino filio ejus* congregatam, quibus significant in Concilio Francofordiensi damnatam fuisse illam Synodum, quæ celebrata est sub Irene: illa autem est Nicæna secunda, quam forte idcirco Constantinopolitanam appellant, quod primum Constantinopoli fuerat congregata et inchoata, ut dictum est in præludio Sectionis. — *Secundo* plurimi contendunt Patres Concilii Francofordiensis revera damnasse definitionem Synodi secundæ Nicænæ, sed rei gestæ ignoratione plane decepti, utpote cum existimaverint ibi definitum esse eumdem sacris imaginibus cultum impendendum, qui Deo deferri debet, ajunt enim in illo Canone secundo: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur: ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur:* cujus tamen contrarium definitum fuerat per illam Synodum, siquidem Act. 1. Basilius Ancyræ Episcopus antea Iconomachus, non aliter receptus fuit in Concilio, quam profitendo sacras imagines esse venerandas dumtaxat adoratione, quæ pertinet ad honorem, ut legere est in ejus confessione fidei ibi exarata. Alii similiter Episcopi, qui Pseudo-Synodo Constantinopolitanæ interfuerunt, non aliter admissi sunt, quam confitendo honorem debere impendi sacris imaginibus inferiorem illo, qui Deo defertur.

Nec refert, quod Act. 3. VII. Synodi dixisse videatur Constantinus Cypri Episcopus, ut habet liber Pseudo-Carolinus: *Suscipio et amplector honorabiliter sanctas et venerandas imagines, et quæ secundum servitium adorationis substantiali et vivificatrici Trinitati emitto.* Certum est enim illam confessionem Constantini in Pseudo-Carolino libro corrupte et vitiate referri: nam ipse Constantinus in supra dicta Act. 3. approbans definitionem fidei Theodori Patriarchæ Hierosolymorum, sic loquitur: *His consentio, et concors efficior, suscipiens et amplectens honorabiliter sanctas et venerabiles imagines, atque adorationem, quæ per*

latriam, idest Deo debitam servitutem efficitur, soli supersubstantiali et vivificæ Trinitati impendo. Quod certe directe adversatur prætensæ illius confessioni, prout in Carolino libro jacet exarata. Ex quibus inferre licet, quod acta illa VII. Synodi, quæ ex Græco Latina facta, missa sunt ad Adrianum summum Pontificem, et ab eo in Gallias, depravata fuisse : siquidem Græca aliud longe significant, quam Latina, cujusmodi in Adriani Apologetico, et in Pseudo-Carolino libro leguntur ; nam Acta Græce exarata continent sensum Catholicum, nempe imagines esse adorandas ; non tamen eo adorationis genere, quod Deo debetur ; Latina vero significant imagines eodem latriæ cultu prosequendas, quo sanctissimam Trinitatem veneramur. Quod autem conjicere liceat etiam Adrianum summum Pontificem non habuisse fideliter traducta Act. VII. Synodi, dum rescribens ad Carolum Magnum respondet aliquibus objectionibus in Pseudo-Carolino libro expressis, aperte satis colligitur ex eo, quod faciens satis confessioni illius Constantini Cypri Episcopi, qua Pseudo-Carolinus liber contendit illum voluisse eodem cultu venerandas sacras imagines, quo divina Trinitas, nihil aliud reponit Pontifex, quam quod revertentes ex prava hæresi, conantur abundantissime Ecclesiæ satisfacere ; nullo autem negotio, et longe doctius ac melius illam solvisset et diluisset objectionem, reponendo confessionem illius Constantini corrupte et depravate fuisse in objectione positam, si ipse ad Græcum exemplar fideliter (ut nunc habemus Tomo 7. Conciliorum opera, et studio Philippi Labbæi) exarata et traducta habuisset acta VII. Synodi. *Nec dicas* summum Pontificem, cum acta illius Synodi transmisit in Galliam, illam jam approbasse, et inter Œcumenicas Synodos computari voluisse ; ac proinde oportuit illum tunc temporis habere illius Synodi acta integra. *Respondeo* enim, summum Pontificem eatenus tantum Concilium tunc temporis approbasse, quatenus a suis Legatis Romam reversis audiverat viva voce Synodum Nicænam sacras imagines (ut ipse loquitur circa finem suæ epistolæ ad Carolum Magnum) in pristino statu erexisse, et eis osculum et honorabilem salutationem esse reddendam, non autem verum cultum adorationis latriæ, quæ soli Deo est impendenda, et insuper damnaverat Pseudo-Synodum Constantinopolitanam sub Constantino hæretico : *Et ideo*, inquit, *ipsam suscepimus Synodum : nam si eam minime recepissemus, et ad suum pristinum errorem fuissent reversi, quis pro tot millium animarum Christianarum interitu, habuit reddere rationem ante terribile et tremendum divini judicis examen, nisi nos solummodo?* Et infra : *Nos vero adhuc pro eadem Synodo nullum responsum hactenus eidem Imperatori* (Constantinopolitano) *reddidimus, metuentes ne ad eorum reverterentur errorem, etc.* Quibus verbis indicat se nondum plenarie, et publico ac authentico testimonio (quod posteriora tempora *bullam* appellavere) illam Synodum approbasse, et dumtaxat eam ea lege recepisse, quia ipsius Legati testati fuerant viva voce, nil in ista Synodo fuisse definitum, quod Catholicæ ac Apostolicæ doctrinæ non concordaret. — *Tertio*, Baronius ad *annum* 794. ingenue quidem fatetur Nicænum Synodum in Francofordiensi Concilio fuisse damnatam, non quidem a tota Synodo, sed dumtaxat a quibusdam Episcopis Iconoclastarum errore infectis, qui certa capitula de Nicænæ Synodi

actis excerpserant, et ea Carolo Magno Imperatori eo fine obtulerant, ne scilicet in suo regno illius Synodi decreta publicari et recipi permitteret, quæ quidem excerpta, in fascem redacta, et quatuor libris distincta misit Carolus ad Adrianum summum Pontificem, ut de iis quid sentiendum esset aperiret. Bellarminus vero lib. 2. *De Romano Pontifice*, cap. 8. existimat Francofordiensem Synodum revera Nicænam improbasse, *sed per errorem, et materialiter,* deceptam ab auctore librorum Carolinorum, qui dupliciter mentitus est: primum quod in Nicæna decretum esse finxit, *ut imagines adorarentur cultu latriæ;* deinde, *quod a Græcis sine consensu Papæ Romani illud esse factum asseruit.* — *Quarto*, probabilius mihi videtur dicendum cum Vazquez disp. 107. cap. 5. Kellisono, qu. 25. art. 3. Bernardo Pujol lib. *De Sacro Adorationis Cultu*, d. 3. qui sect. 6. existimant Concilium Francofordiense nil quidquam adversus VII. Synodum decrevisse, nec in ea actum fuisse de imaginibus, quidquid dicant Annalistæ supra nominati, necnon et Hincmarus Rhemensis in Opusculo 55. capitulorum cap. 20. qui in eo decepti sunt, quod Pseudo-Carolinum librum pro Synodalibus actis Concilii Francofordiensis habuerint. Cujus sententiæ fundamenta sunt, quod Concilium Francofordiense habuerit Legatos Adriani Pontificis, ut supra dicti historiæ Francorum Scriptores asserunt, a quibus Patres collecti rescire poterant VII. Synodum non decrevisse imagines eodem cultu, quo sancta Trinitas, esse colendas; et sic de hac veritate certiores facti a sua contra VII. Synodum definitione libenter abstinuissent. Cujus observantiæ maximum argumentum est, quod in libro sacro-syllabo nomine illius Synodi a S. Paulino Aquilejensi scripto, postquam sententiam excommunicationis tulissent in eos, qui contrarium de servitute et adoptione Christi sentirent, subdunt Patres, *Servato per omnia juris privilegio summi Pontificis Domini, et Patris nostri Adriani, primæ sedis beatissimi Papæ.* Non igitur verisimile est illius Synodi Patres restitisse Legatis summi Pontificis, qui in omnibus supremam illius auctoritatem agnoscebant. — *Deinde,* Claudius Taurinensis Iconomachus, licet suam Iconomachiam paulo post hoc Concilium disseminaret, non allegavit pro se tuendo hoc Concilium; nec Jonas Aurelianensis, qui contra illum pro imaginibus scripsit, nec Petrus Diaconus, qui floruit tempore Caroli Magni, hujus decreti contra Synodum, et contra, vel pro imaginibus meminit. *Denique,* non est verisimile coram Carolo Magno pio admodum Imperatore, qui Concilio intererat, errorem Iconomachiæ fuisse definitum; nam Carolus electus fuit Imperator in Occidente a Leone III. septem fere annis post Concilium Francofurd. eo quod Orientales Iconomachi essent, cum tempore Concilii dumtaxat esset Rex Francorum. Quis ergo putet summos Pontifices, qui ab Orientalibus Imperatoribus ob eorum impietatem contra sacras imagines discesserant, electuros Carolum in Imperatorem, si ipse idem cum Orientalibus in Concilio sensisset? Probabilius igitur est, auctores libri Carolini, utpote Iconomachos, cum intelligerent VII. veram Synodum generalem definivisse imagines esse adorandas et colendas, plus illi, more hæreticorum, ascripsisse, et dixisse illam definivisse imagines esse adorandas cultu latriæ; sicut quia Catholici dicunt imagines, et Sanctos esse colendos, moderni hæretici dicunt nos colere imagines et Sanctos ut Deos. *Nec obstat,*

quod plures auctores, et scriptores historiæ Francorum supra laudati asserant Synodum Nicænam proscriptam fuisse in Francofordiensi. « Nam, inquit Vazquez capit. 8. hi omnes Germani et Galli scri-« tores, multo tempore post VII. Synodum, et Concilium Francofor-« diense scripserunt. Cæteris namque antiquior Ammonius usque ad « annum 828. historiam texuit, (neque enim est Ammonius ille Mo-« nachus, apud Trithemium, qui post Rhegionem, et Adonem fuit) « quocirca centum fere annis post VII. Synodum, et Concilium Fran-« cofordiense scripsit: reliqui autem post ipsum. Jam vero unde hic « auctor scire potuit, in Concilio Francofordiensi contra VII. Synodum « actum esse, aut reliquam notitiam hujus habere, nisi aut ex Paulo « Diacono, qui Carolo Magno familiarissimus fuit, aut ex Secretario « Caroli Eginhardo, aut ex Jona Aurelianensi qui eodem fere tempore « vixit, aut ex libri illius Carolini præfatione, aut denique ex Hinc-« maro? At Jonas in libris illis de cultu imaginum sæpius citatis, et « Paulus Diaconus, et Eginhardus in vita Caroli nullam hujus damna-« tionis mentionem faciunt: superest ergo, ut, aut eam confinxerit « ex suo cerebro, aut ex Hincmaro, et libro Carolino desumpserit. « Hos autem ostendimus plane fuisse deceptos: librum sane Carolinum, « malitiose: Hincmarum autem, ex ignoratione, utpote cum referat « se hæc audivisse cum esset junior, ait enim in Opuscul. 55. *Capi-« tulorum ad Hincmarum Laudunensem*, cap. 20. » *Septima vocata universalis Pseudo-Synodus de imaginibus: quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant: neutra vero pars intellectu sano definiens, sine auctoritate Apostolicæ sedis, non longe ante nostra corpora. Constantinopoli est a quampluribus Episcopis habita, et Romam missa quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Unde tempore Caroli Magni Imperatoris, jussione Apostolicæ sedis, generalis est Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata, et secundum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipsa Græcorum Pseudo-Synodus destructa, et penitus abdicata. De cujus destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum.* Quibus verbis significat se id accepisse ex libro Carolino, cum adhuc esset juvenis. Adolescentulus autem, et juvenis male de rebus instructus facile potuit decipi, accipiendo librum Carolinum pro definitione Concilii Francofordiensis, cum forte tunc temporis liber ille una cum actis Concilii Francofordiensis editus fuisset. Porro cum ait, *neutra vero pars intellectu sano definiens, etc.* non est dicendus damnasse sacrarum imaginum cultum, cum alioqui vir Catholicus esset, sed tantum negasse cultum latriæ imaginibus esse impendendum, cujus contrarium arbitrabatur fuisse definitum in VII. Synodo, cum accurata illius Synodi acta nondum haberet. Ex his colligit Vazquez Ammonium nullum habuisse veterem scriptorem, ex quo certe rescire potuerit, quid decretum fuisset circa imagines in Concilio Francofordiensi. *Verum* fallitur in Eginhardo cum ait illum nullam damnationis imaginum mentionem fecisse: contrarium enim apparet, ex ejusdem testimonio supra laudato. — *Denique*, aliqui existimant cum Petavio lib. 15. cap. 12. n. 10 Patres Francofordienses non tam VII. damnavisse Synodum, quam nondum Œcumenicam, et ab Adriano probatam esse

scirent, utpote cujus ad illos acta miserat Pontifex, utique considerauda et cognoscenda, ut Hincmarus testatur) quam falsam et nefariam sententiam Constantini Cypri Episcopi fraude, vel inscitia interpretis vitiatam ac depravatam, et illis actis intextam. Verum quamquam omnes illæ de Canone Francofordiensi sententiæ (si primam excipias) non careant fundamento, videanturque probabiles; nihilominus (ut dixi) probabilius existimarem nullum in Concilio Francofordiensi de sacris imaginibus editum fuisse canonem; cujus assertionis non leve argumentum est, quod omnes veteres historiæ scriptores ejusmodi Canonis non meminerint, quem cum cæteris antea ignotum, non ita pridem in lucem edidit Sirmondus; nec etiam aliqua illius controversiæ fit mentio, tum in libro sacrosyllabo, tum in Epistola Caroli ad Episcopos Hispaniæ, tum in aliis actis hujus Concilii, quod dumtaxat collectum videtur contra Felicianam hæresim. *Nec obstat*, quod liber Carolinus in præfatione hunc Canonem referat, nam plurimi suspicantur præfationem illam ad librum Carolinum, in qua hic refertur Canon, fuisse editam ab aliquo hæretico hujus temporis, qui tacito suo nomine, et expresso solum his syllabis, *Eli; fili*, illud opus in lucem edidit anno 1549. quamquam Cardinalis Perronius in *suis collectaneis* asserat D. *du Tillet* illud prælo commisisse studio nocendi, quoniam ipse Calvini discipulus extiterat, nec consequenter alia ipsi, quam impia præceptori de imaginibus hæretica sententia inerat.

Objiciunt 4. Librum illum Pseudo-Carolinum, quem nomine Caroli Magni volunt fuisse editum contra definitionem VII. Synodi de colendis imaginibus, qui liber quadripartitus missus dicitur a Carolo Magno ad Adrianum summum Pontificem, cui summus Pontifex respondit retellens omnia objecta. Illudque videtur esse volumen, quod se adolescentulum in Palatio legisse, et ab Carolo Magno Romam esse missum per quosdam Episcopos, testatur Hincmarus verbis supra laudatis. Signum est igitur, (inquiunt Calvinus, lib. 1. *Institutionum*, c. 11. et Centuriatores *centuria octava*) Carolum Magnum, et Ecclesiam Gallicanam venerationem imaginum reprobasse. — **Respondeo** *primo*, libros illos non fuisse revera a Carolo Magno, nec ejus nomine aut imperio compositos, quidquid præ se ferat et asserat illis præfixa præfatio; quod utique suadetur *primo*, quia Carolus ipsos libros direxisse videtur ad Adrianum summum Pontificem, ut ipse sua auctoritate responderet et confutaret, et quid circa hanc controversiam credendum esset definiret, ut videre est circa finem apologiæ, seu epistolæ Adriani, necnon et capitulorum directorum ad ipsum Adrianum. Capitulum enim ultimum fert sequendum esse sensum Epistolæ S. Gregorii scribentis ad Serenum Massiliensem Episcopum: *Permittimus*, inquit, *imagines Sanctorum, quicumque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quam extra Ecclesiam, propter amorem Dei, et Sanctorum: adorare vero eas nequaquam cogimus, qui noluerint: frangere, vel destruere eas, etiam si quis voluerit, non permittimus, et quia sensum sanctissimi Gregorii sequi in hac epistola universalem Catholicam Ecclesiam Deo placitam indubitanter libere profitemur.* Quod utique ultimum capitulum *sacrum*, et *venerandum*, ac multum a cæteris capitibus *distans* agnoscit Pontifex ibidem. *Et idcirco*, inquit, *in eo cognovimus vestræ a Deo servatæ, orthodoxæque regalis excellentiæ esse proprium, in eo ubi rectæ*

fidei plena penitus confessa est sensum sanctissimi Gregorii sequi. Hic autem sensus omnino catholicus est, et longe alienus, ut merito dixit Pontifex, a sensu auctoris libri Pseudo-Carolini: igitur Carolus Magnus non est censendus illius libri auctor nec promotor; quippe si liber ejus auctoritate aut genio fuisset editus, nec illum transmisisset ad Pontificem, quem noverat approbasse septimam Synodum, nec ultimum illud capitulum cæteris addidisset. Unde inferre licet, librum illum a quibusdam Auctoribus Iconoclastis Gallis fuisse editum, et cum ejus occasione contentiones ac disceptationes fierent in Gallia, Carolus forte illum direxit ad Adrianum, ut quid de eo sentiret, auctoritate Pontificia aperiret: quocirca ipse Carolus cæteris capitulis hoc ultimum proprio genio adjecit, ut suam fidem et venerationem circa sacras imagines significaret. *Secundo,* certum est, quod mortuo Adriano post Concilium Francofordiense, Leo tertius Pontifex, Græcorum Imperatorem relapsum in hæresim Iconoclastarum execratus, eorum excussit auctoritatis jugum, et Carolum Magnum in Imperatorem Romanorum in Occidente nominavit, et coronavit: quis autem credat ea occasione ipsum Imperatorem electum et coronatum, si paulo ante Iconomachiæ doctor et promotor fuisset? *Tertio.* testatur Paulus Æmilius, lib. 1. *Historiæ Francorum.* ipsum Carolum initio sui regni misisse ad Concilium Lateranense sub Stephano Papa duodecim selectos Episcopos, quorum maxime opera damnata est pseudoseptima Synodus sub Copronymo. Non apparet ergo verisimile, Carolum Regem improbare voluisse doctrinam Ecclesiæ definitam in Synodo Nicæna in omnibus concordem cum definitione Concilii Lateranensis; alioqui isti omnes Episcopi, qui Lateranensi interfuerant, necnon et alii ejusdem fidei et confessionis, haud dubie repugnassent: et inde non minor fuisset in Gallia, quam in Oriente circa cultum imaginum animorum suborta contentio, et seditio, cujus nullus veterum Scriptorum meminit; igitur non est, quod hæretici tantopere in his libris sui erroris patrocinium quærant. siquidem constat illos potius a Carolo improbatos, quam approbatos. — *Respondeo secundo,* librum illum ab imperitis et omnino ignaris fuisse editum, ut docte observat Perronius in *collectaneis* titulo *imago,* et *Carolus Magnus,* colligitque auctorum inscitiam et puerile genium, eo quod contendant primam Nicænam Synodum esse longe excellentiorem, quam secundam, quia in ipsa erant Episcopi 312. in hac vero tantum 306. numerus autem, inquiunt, duodenarius longe ternario præstantior est, quod utique probant, quia sunt duodecim Apostoli, duodecim menses, duodecim signa, etc. Quæ certe ratio futilis et puerilis est. *Deinde,* auctor librorum illorum plerumque Iconoclastarum dicta quasi definitiones Concilii usurpat, et inde virulentum et acerbum odium suum in Synodum effundit. *Addit* etiam impugnando historiam imaginis Philosophi *Polemonis* in Concilio memoratam, se nescire qualis ille sit sanctus Polemo, quem diutino labore in Sanctorum albo et Kalendario quæsitum non invenit. *Denique,* quærit quis sit S. Gregorius Nyssenus, quem inter SS. Patres, et Doctores a Synodo memoratum et laudatum demiratur. Alia ejusmodi innumera ignorantis et puerilis genii ludicra exempla et testimonia in ipso opere invenies, ex quibus apparet illud nullius esse auctoritatis. – *Nec dicas,* Adrianum Pontificem, qui omnes istius

libri nævos et errores notavit ac improbavit, nullam prædictorum mentionem fecisse. Hinc enim non leve mihi argumentum est præfatum librum non eum esse, qui a Carolo Magno ad Adrianum directus est, sed tantum ejusdem libri capitulorum titulos aliquot selectos, et inverso ordine scriptos. Quod insuper *confirmatur*, quia titulis dumtaxat præfixis in capitibus librorum Carolinorum respondet Pontifex: non vero eorum titulorum probationibus, quæ acri ac vehementi reprehensione varias sententias in septima Synodo pronuntiatas notant, et damnant: quis autem existimet Pontificem scribendo ad Regem, qui capitula transmiserat, ut eis responderet, voluisse dumtaxat refellere operis titulos, rationes autem ac probationes eorum reliquisse intactas? *Deinde*, in libris quatuor Carolinis inveniuntur 120. capitula, seu lemmata, et objecta proposita contra Synodum: Pontifex autem nonnisi 81. commemorat ac refellit. *Denique*, non eodem ordine Pontifex refert et refellit illa objecta, quo scripta sunt in libris Carolinis: siquidem primum capitulum, cui respondet Pontifex, præfixum est capiti tertio libri tertii Carolini. Secundum capitulum in Pontificis apologia pro Synodo, est titulus capitis quarti libri tertii Carolini. Et sic frequenter in cæteris nullum invenies concordantem ordinem inter titulos librorum Carolinorum, et eos quibus in sua apologia respondet Pontifex. Quod certe non leve mihi argumentum est, non ex integro libros illos directos fuisse ad Pontificem, sed ex eis excerptos quosdam capitulorum titulos, qui forte tunc temporis in libellum collecti et compacti ab Iconoclastis per Gallias vulgabantur, quo facilius minus cautos et doctos in suam erroneam sententiam pellicerent. — *Nec refert*, quod Hincmarus supra laudatus asserat, non modicum illud volumen contra septimam Synodum scriptum, quod adolescentulus in palatio legerat, fuisse a Carolo Romam missum per quosdam Episcopos. Inde enim etiam mihi argumentum est, illos libros non esse, quos excepit, et quibus respondit Adrianus, sed dumtaxat forte quædam eorum librorum capitula; ipse enim initio apologiæ, et Epistolæ ad Carolum Regem scribit se accepisse *quoddam capitulare adversus Synodum, quæ pro sacrarum imaginum erectione directum a vestra clementissima præcelsa regali potentia, per Engilbertum Abbatem, et ministrum capellæ, qui pene ab ipsis infantiæ rudimentis in palatio vestro enutritus est, et in omnibus Conciliis vestris receptus.* Igitur opus, cui respondet Pontifex, non est illud grande volumen, quod Romam missum per Episcopos commemorat Hincmarus. Inde tamen inferre non licet volumen istud ex quatuor Carolinis libris compactum, fuisse etiam per Episcopos transmissum, legatione et deputatione distincta, et seorsim ab ea qua fungebatur Engilbertus: siquidem hujus Episcoporum legationis ne leve quidem indicium apud Adrianum, nec apud scriptores Gallos invenies, nisi forte apud eos, qui decepti sunt Hincmari relatione; qui cum esset adhuc adolescentulus facile errore labi potuit, existimando totum volumen fuisse transmissum Romam per Episcopos, cum dumtaxat illius Synopsis aliqua transmissa fuerit per Engilbertum Abbatem, qui in regali curia summa auctoritate pollebat.

Urgent hæretici: Non potest efficacius colligi, quæ fuerit Caroli Magni sententia, quam ex iis, quæ post ejus obitum gesta sunt: sed

post ejus obitum nondum Ecclesia Gallicana admittebat venerationem imaginum, nec 7. Synodum, nam imperante Ludovico Pio Caroli Magni filio, cum Michaël Balbus, et Theophilus Imperatores Græci ad Ludovicum Pium legatos in Gallias misissent cum imperatoriis litteris, quibus Orientalis Ecclesiæ, propter imaginum venerationem, dissidium exponebant, seque ea de causa mandasse legatis suis, ut acceptis Ludovici Imperatoris commendatitiis Epistolis Romam ad Pontificem pergerent, efficerentque cum eo, ut ejus opera per Orientem et Occidentem concors fieret de sacris imaginibus apud Christianos sententia. Legatis autem auditis, congregari jussit Parisiis Synodum in suo Palatio anno 824. in qua proscripta fuit imaginum veneratio et adoratio, necnon et secunda Nicæna Synodus, ac duæ Epistolæ Adriani damnatæ, in quibus Pontifex cultum sacrarum imaginum tuebatur. — **Respondeo** *primo*, conventum illum Parisiensem, si quis fuerit, non fuisse Synodum, quamquam libellus anno 1596. prodierit Francofurti typis excussus cum hoc titulo, *Synodus Parisiensis de imaginibus anno* 824. *ex vetustissimo codice descripta, et nunc primum in lucem edita,* ubi nulla fit mentio loci, unde acceptus esset ille vetustissimus codex. Nam sui tituli vanitatem redarguit libellus ipse, sic enim legimus pag. 126. in prætensa Epistola Ludovici Pii ad Eugenium Pontificem: *Nos non Synodum congregando, sed quemadmodum a vobis postulavimus, licentiamque agendi percepimus, una cum familiaribus nostris, filiis vestris, quantum pro multiplicibus regni diversis occupationibus impediti, per intervalla potuimus, considerare studuimus, quid columitati vestræ de tanta necessitate significare potuissemus.* Igitur ex ipsius libelli assertione, Conventus ille Parisiensis, si quis fuerit, non habuit nomen, nec auctoritatem Synodi, sed dumtaxat congregationis cujusdam, in quam convenere non solum aliqui Episcopi, sed et Doctores ac viri litterati, qui excerperent et colligerent SS. Patrum de imaginibus sententias, quibus ad decidendam controversiam istam, et conciliandam pacem inter Latinam Ecclesiam et Græcam Pontifex posset adjuvari. *Respondeo secundo,* verisimilius videri spurium et illegitimum esse, ac ex cujuspiam recentioris hæretici cerebro confictum libellum istum, ut præclare demonstrat Bellarminus in ejusdem libelli refutatione sex capitibus distincta, quam ut appendicem attexuit tract. *De Cultu imaginum.* Hic enim libellus, inquit Bellarminus, quinque præcipue continet: *Primo* namque in eo legitur epistola Michaëlis nomine, et re Balbi ad Ludovicum Pium Caroli Magni filium. *Secundo,* collecta testimonia ex veteribus Patribus, quibus probatur imagines, neque frangendas esse, ut volebant Iconomachi, neque colendas, ut Synodus Nicæna secunda statuerat. *Tertio,* epistola summi Pontificis nomine scripta a Francis Doctoribus ad Michaëlem Imperatorem, qua docetur imagines, neque injuria afficiendas esse, neque etiam adorandas. *Quarto,* epistola Ludovici Imperatoris ad Eugenium Pontificem ejus nominis secundum, qua eum hortatur ad legationem in Græciam mittendam, et Ecclesiam pacificandam. *Quinto,* epistola ejusdem Ludovici ad Jeremiam, et Jonam Episcopos, quos Romam ad summum Pontificem mittit, eosque instruit, quemadmodum prudenter cum Pontifice se gerere debeant, ut eum ad suam sententiam pertrahant.

Verum hæc omnia, aut falsa sunt et erronea, aut ementita et supposititia, nam, ut paucioribus complectar, quæ fusiori stylo tradit et explicat Bellarminus, certum est *primo* epistolam Michaëlis Balbi mendaciis esse refertam, nam imprimis deplorat simul necem Leonis Imperatoris sui prædecessoris, quem dicit ab improbis quibusdam conjuratione facta misere necatum: at constat ex annalibus Zonaræ, Cedreni, etc. ipsum Michaëlem conspirationis, et necis principem fuisse. Insuper pie queri videtur, quod Ecclesia ob cultum imaginum sit dissensione divisa, cum ipsemet præcipuus esset illius dissensionis artifex, quod Synodum Nicænam, quæ dissensiones sustulerat, rejecisset, et Iconomachiam eam pene sepultam restituisset. Quod vero in extrema epistolæ parte reprehendit Catholicos, quod crucem despiciant, quod imagines ut Deos adorent, quod eis sacrificia offerant, quod ab eis, nescio quo artificio de sacro fonte suscipi, et sacram communionem percipere velint, etc. meræ calumniæ, atque impostura sunt. Igitur vel illi, qui supponuntur convenisse in conventu Parisiensi, fidem dederunt hujusmodi epistolis, vel non. Si primum, haud dubie decepti sunt: si secundum, decipere voluerunt abutentes litteris illis, ut suaderent Ludovico Pio, necnon et Eugenio Pontifici improbandam esse Nicænam Synodum, et imaginum cultum esse impugnandum. *Secundo*, eorum vel error, vel crassa ignorantia apparet ex collectis SS. Patrum sententiis, quorum plurima nihil aliud probant, nisi solum Deum esse colendum cultu latriæ sibi uni proprio, et non esse imagines ita adorandas, ut etiam sacrificia illis offerantur, quæ neque Catholici negant, neque Nicæna Synodus decreverat; nonnullas vero contrarium in sensum detorquent; alias vero plurimas congerunt, quæ directe in eorum nefarium dogma militant. Unum referam, quem laudant, S. Basilium Epist. ad Imperatorem Julianum, ubi hæc ex illo inter cætera excerpunt: *Suscipio vero, et sanctos Apostolos, Prophetas, et Martyres, et ad Deum deprecationem, quæ per eos propitium mihi effecit misericordissimum Deum, pro quo et figuras imaginum eorum honoro, et adoro, specialiter hoc traditum est a sanctis Apostolis, et non prohibitum, sed in omnibus Ecclesiis nostris eorum designari volo historias, etc.* Non desunt alia testimonia similia in eodem libello, Athanasii, Germani, Leontii, et aliorum, quæ imprudenter ab adversariis contra suum erroneum dogma proferuntur, ut inde appareat quantis viribus polleat veritas, nam ipsam quoque illius oppugnatores non raro vel inviti tuentur. *Tertio*, ridicula prorsus, et Pontifici omnino indigna epistola, quam ipsi prætensi Doctores, nomine Pontificis, scribunt ad Michaëlem Imperatorem, prætenduntque illam a Pontifice subscriptam, ut plurimis demonstrat Bellarminus, maxime vero, quia hæc epistola facit Pontificem adulatorem Imperatoris imprudentissimum, dum volunt ad eum ita scribere: *O venerandi mundi Principes! cum universa sancta Dei, quam Domino disponente et committente gubernatis, Ecclesia.* Quis autem ferat Pontificem sic alloqui hominem scelestissimum, qui magicis artibus addictus erat, carnis resurrectionem negabat, fornicationem licitam esse dicebat, et tot sanctissimos viros Catholicæ veritatis defensores, vel exilio, vel carcere, vel cæde mulctaverat? Secundo, in illa epistola reprehenditur Constantinus, et ejus Mater Irene, quod edicto suo jusserit sacras imagines juxta Concilii gene-

ralis decretum cum veneratione esse habendas. Quæ sane reprehensio a summo Pontifice, nisi plane amente, scribi non potuit. Unde etiam nec huic epistolæ subscripsit Eugenius, nec ullus ex ejus successoribus in eum lapsum ruit. Hinc Anastasius Bibliothecarius scribens ad Joannem octavum ejusdem nominis Pontificem, qui Adriano secundo Eugenii secundi successori suffectus fuerat, in præfatione septimæ Synodi, ait: *Quæ super venerabilium imaginum adoratione præsens Synodus docet, hæc et Apostolica vestra sedes, sicut nonnulla scripta innuunt, antiquitus tenuit, et universalis Ecclesia semper venerata est, et hactenus veneratur, quibusdam dumtaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum est horum veritas revelata.* Denique quantum ad cætera, nempe ad epistolam Ludovici Pii ad Eugenium Pontificem, et Jeremiam Senonensem, et Jonam Aurelianensem Episcopos, plura sunt, quæ redolent fraudes recentium hæreticorum, ut legenti patebit, unde maxime suspicatur Bellarminus totum libellum istum, vel esse confictum, vel quod credibilius est, depravatum et auctum, ad invidiam Ecclesiæ Romanæ conciliandam.

INSTANT HÆRETICI: Talis erat Ecclesiæ Gallicanæ de imaginibus sententia tempore Ludovicii Pii, qualem referunt scriptores illius ævi: at illi imaginibus nullam venerationem censent esse deferendam. *Probatur* maxime ex Jona Aurelianensi, qui in libris de adoratione imaginum respondens Claudio Taurinensi arguenti ex veteri Testamento, Deum adorationem sculptilium prohibuisse, ita scribit: *Negare non poteritis, quin similitudines cœlestium et terrestrium creaturarum extiterint: etsi illa non a Deo ad adorationem, sed ut typos futurorum prætenderent, sint factæ: sinantur a te imagines Sanctorum, non ut adorentur, sed potius, ut quamdam pulchritudinem reddant, et quarumdam præteritarum rerum memoriam sensibus imperitorum ingerant, in Ecclesiis depingi, creaturam vero adorari, eique aliquid divinæ servitutis deferri, nefas dicimus.* Similiter Hincmarus post quadraginta annos scribens in Opuscul. 55. capitulorum capit. 20. ad Hincmarum Laudunensem, inter cætera ait, illo ipso tempore Romanos Pontifices *suarum pupparum cultum vehementius promovisse*, ut referunt Centuriatores 8. cap. 9. — **Respondeo** *ad primum*, Jonam non solum ad ornatum et recordationem, sed etiam ad cultum imagines in Ecclesiis servari voluisse, nempe ut eas osculemur, caput eis inclinemus, et alia exhibeamus signa venerationis et honoris; id namque sæpius docet in illis libris, sed tantum denegat adorationem ipsis impendendam, quæ in affectu divinæ servitutis consistit, et est latria interna ac mentalis, ut videre est in ejus libro secundo, ubi Claudio Sanctorum reliquias contemnenti, et venerationem eis exhibendam prohibenti, quod opera sint manuum hominum, ait: *In hujus sententiæ sensu nobiscum sobrie sapis. Verum est, inquam, quia neque opera manuum hominum sunt adoranda et colenda, illo videlicet cultu et adoratione, qui solius Divinitatis est. Opus namque manuum Dei corpora Sanctorum præcedentia opusculi tui te dixisse produnt: quæ non adoranda adoratione Divinitati debita, sed pio sunt amore complectenda et honoranda, utpote S. Spiritus templa sacra.* Non abnego tamen Jonæ de imaginibus sententiam implicatam videri, et parum sibi constantem ac cohærentem; nam interdum denegat omnem cultum ac venerationem operi

manuum hominum, et aliquam adorationem creaturæ non impendendam esse profitetur, nihilominus totus est ut probet contra Claudium, crucem laudabiliter coli, et adorari ex SS. Patrum traditione; illam tamen creaturam esse et opus manuum hominum nemo dubitet. *Ad secundum* dico præfata verba non esse Hincmari, sed Centuriatorum; quamquam Baronius ad annum 794. n. 41. existimans hæc ab Hincmaro scripta, eum acriter arguit, quod minus catholice, nec ea gravitate ac pietate, quæ Archiepiscopum decebat, de sacris imaginibus senserit. Verum verba ista non sunt Hincmari, utpote quæ nec in ejus libris typis excussis, nec in aliquibus ejusdem manuscriptis operibus inveniantur; illa igitur verba sunt Centuriatorum, quæ forte Baronii Amanuensis ab eis exscribendo sententiam Hincmari, quæ diverso charactere non erat exarata, etiam cum Hincmari verbis descripsit.

Quæres. 1. *An licite imagines aliquæ Deum, divinasque personas repræsentantes formari possint, et adorari?*

Affirmo cum omnibus Catholicis, colligiturque ex septima Synodo Act. 5. ubi inter impia dogmata cujusdam Xenajæ recensetur et istud quod diceret, *hoc esse puerilis animi factum, fingere in columbæ idolum per adorabilem Spiritum sanctum.* Et paulo post ibidem, damnatur quod putaret inconveniens *pios homines Spiritum sanctum, ut corpus habentem, delineare.*

Confirmatur ex frequentissimo et antiquissimo usu Ecclesiæ, quæ in templis divinas personas pridem figuris exprimi delineari voluit, nam in Synodo Constantinopolitana sub Memna Act. 5. refertur libellus supplex Clericorum et Monachorum Antiochiæ ad Joannem Patriarcham contra Severum, in quo inter istius scelera refertur eum *columbas aureas, et argenteas in formam Spiritus sancti super divina lavacra, et altaria appensas sibi appropriasse, dicentem non oportere in specie columbæ Spiritum sanctum nominare.* Hinc Concilium Tridentinum Sess. 25. approbat ejusmodi usum Ecclesiæ, cum præscribit: *Quod si aliquando historias et narrationes sacræ Scripturæ, cum idiotæ plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus et figuris exprimi possit.*

Ut autem omnis objicienda difficultas facile eluatur, observandum est ex Cajetano ad q. 25. imagines Dei posse fieri tribus modis: *Primo* quidem, ut per eas intendatur depingi et figurari Deus secundum veritatem suæ naturæ: et sic imagines Dei fingere prohibetur Isaiæ c. 40. et ab Ecclesia damnatur, ut hæresis Anthropomorphitarum: *Non enim debemus æstimare auro et argento divinum esse simile,* ait Apost. Act. 17. *Secundo,* ut per imaginem repræsentetur Deus, non quidem ut in se est, sed ut aliquando hominibus apparuit in forma aliqua visibili, sive per seipsum immediate, sive per Angelos. Et sic imagines Dei posse fingi, non denegant etiam hæretici, maxime Kemnitius supra citatam definitionem Concilii Tridentini; et Petrus Martyr in locis communibus cap. 5. Sic Deum Patrem pingimus in forma senis, quia in illa videtur apparuisse Danieli cap. 7; Deum filium in forma humana, quia humanitatem assumpsit; Deum vero Spiritum sanctum in specie

columbæ, quia in ea apparuit Matt. 3. Quamvis enim illa columbà formata fuerit indivisim a tribus personis, tamen quia facta fuit ad repræsentandum Spiritum sanctum, solus in ea dicitur apparuisse. *Tertio*, ut per imaginem Deus, aut divina aliqua persona repræsentetur, quatenus illa habet analogiam cum aliqua Dei perfectione: et hoc modo etiam apparet Deum, divinasque personas posse repræsentari. *Nec obstat* Can. 82. sextæ Synodi, in quo prohibetur imago Christi effigianda in forma agni. Nam *dico primo*, quod Canones isti a multis videantur non esse mere, et germane sextæ Synodi sed nonnullorum Episcoporum, qui aliquot annis post solutam et finitam sextam Synodum congregati in Trullo, illos Canones ediderunt, quos universalis Ecclesia non comprobavit, ut fuse docent Turrianus lib. *De actis veris sextæ Synodi*, et Baronius ad annum Christi 692. *Dico secundo* Canonem non prohibere Christum sic figurandum absolute, sed tantum comparative, nempe quod istis figuris agni præterendæ sint imagines Christum repræsentantes in figura humana. — Plura testimonia tum Scripturæ, tum Patrum congerunt hæretici, quibus probare nituntur nullam imaginem Dei esse faciendam. Verum illa omnia facile dissolves reponendo intelligenda esse de imagine Dei *primo modo* usurpata, qua scilicet significare vellet Deum hujusmodi in figuram habere.

Objiciunt: Si quæ imago Dei sit adoranda, maxime viva, qualis est homo: sed homo non est adorandus: igitur nec ulla imago est colenda. — **Respondeo** *primo*, hominem non tam dici Dei imaginem, quam ad imaginem Dei factum. *Secundo*, adorationem religiosam fundari in aliqua excellentia, quæ dicat ordinem ad finem supernaturalem, sicut cultus civilis fundatur in perfectione ordinis naturalis: unde cum homo sit imago Dei tantum secundum sua naturalia, hac ratione non videtur colendus religioso cultu. *Tertio*, hominem, quatenus est imago Dei, posse etiam aliqua veneratione excipi: hinc plerumque videmus in Scripturis sacris homines coram aliis procumbentes, et eos adorantes.

Quæres 2. *An imagines possint adorari* vel *per se, ita ut adoratio ad eas dirigatur, tamquam ad rem, quæ illas terminat, sitque terminus* qui *illius adorationis:* vel *tantum ratione prototypi, ita quod imago tantum dicatur terminus* quo *illius adorationis?*

Respondeo, verisimilius videri imagines dumtaxat adorandas ut terminum *quo* illius adorationis, ita ut, qui imaginem adorat, per eam veneretur exemplar, ut terminum, et materiam proximam illius adorationis. Ita omnes Theologiæ principes, id enim docent Alensis 3. par. qu. 30. membr. 3. art. 3. § 1. S. Bonaventura in 3. dist. 9. art. 1. qu. 2. Albertus ibidem artic. 4. S. Thomas ibidem qu. 1. artic. 2. et plures alii eorum sequaces, quos citat Vazquez dist. 108. cap. 3. *Probatur* autem hæc sententia contra plurimos Recentiores

Primo quidem auctoritate Conciliorum: maxime vero ex definitione septimæ Synodi, quam expressimus supra: nam postquam decrevit imagines in templis honorifice retinendas, *quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes qui viderint ad prototypporum memoriam, et recordationem, et desiderium veniant, illisque salutationem, et honorariam adorationem exhibeant*, etc., subjungit rationem

his verbis: *imaginis enim honor in prototypum resultat, et qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum.* Quibus verbis significat idcirco imagines adorari, quia scilicet idem honor imaginis in exemplar resultat. Similiter Concilium Senonense decreto 14. *Christi imagines adorantur,* inquit, *non quia illis insit numen aliquod, sed ob recordationem exemplaris.* Quibus verbis totam adorationem imaginis refundit in ipsum prototypum. *Deinde.* Tridentinum docet imagines esse adorandas, *Non quod,* inquit, *credatur inesse aliqua in his Divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ: sed quoniam honos, qui his exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illæ similitudines sunt.* Non ergo existimat Concilium Imagines esse per se adorandas ob peculiarem suam excellentiam, sed dumtaxat ratione prototypi, quod repræsentant.

Probat secundo Vazquez auctoritate SS. Patrum docentium honorem sacris imaginibus impensum non in eis sistere, sed in prototypum refundi. Sic S. Dionysius cap. 2. *De cœlesti Hierarchia: Qui sacra simulacra studiose spectant, in his talibus lineamentis, ut veris non immorantur, utque rebus divinis, et ex veris negationibus, et diversis cum extremis vestigiis earum similitudinibus honor tribuatur.* Quibus significat in sacris imaginibus cum spectantur et adorantur et coluntur, non esse immorandum et sistendum, sed earum exemplaribus honorem esse tribuendum. Eamdem veritatem luculenter probat S. Damascenus Orat. 1. *De Imag.* testimonio S. Basilii ex libro *De Spiritu sancto,* cap. 18. ubi sic habet: *Quia Rex etiam dicitur Regis imago, et non duo Reges: neque enim imperium scinditur, neque gloria dividitur, quemadmodum principatus, et potestas una est, quæ nobis dominatur: sic etiam et glorificatio a nobis una est, et non multæ, propterea quod imaginis honor ad exemplar transit.* Quam etiam sententiam sic commentatur: *Quemadmodum purpura, et sericum, et quod ex his vestimentum conficitur, per se nihil aliud sunt, nisi tenue quoddam operimentum; quod tamen si Rex induerit, honoris quo præstat Rex, ipsum quoque particeps fit: ita res ex materia constantes per se quidem adorandæ non sunt, at si gratia plenus sit is, quem illæ referunt, pro fidei proportione, ipsæ quoque participes fiunt.* Confirmat Oratione 3. testimonio Leontii in Dialogo 4. contra Judæos, ubi sic dicitur: *Quemadmodum etiam Jacob accipiens a filiis suis vestem sanguine conspersam Joseph, cum lacrymis osculatus est, suisque oculis circumposuit, non ipsam vestem diligendo, aut honorando hoc fecit, sed per eam arbitratus est, se Joseph osculari, et in manibus habere: sic etiam Christi omnes imagines Christiani, aut Apostoli, aut Martyris tenentes, nostraque carne osculantes, animo videmur nobis ipsum Christum, aut Martyrem amplecti.* Adducit vero in exemplum eum, qui filii mortui vestem osculatur. Idem de filiis, qui, Patre ipsorum longe absente et peregrinante, quidquid in domo illius vident, sive baculum, sive chlamidem, cum lacrymis amplexantur, hi tamen digni non sunt reprehensione. Reddit rationem his verbis: *Non enim, ut Deum, vestes adorasti, sed ipsum amorem erga eum, qui his amicibatur tuum per oscula declarasti.* Tandem concludit rationem dicens:

Ergo, ut sæpius dixi, in omni salutatione et adoratione intentio ipsa requiritur et reputatur, idest, consideranda et expendenda est. Missa facio aliorum SS. Patrum testimonia, quibus eamdem veritatem probat ibidem Vazquez.

Ut autem a Recentioribus Theologis gravis hac de re concitata controversia, etsi, ut mihi videtur, ad Catholicam veritatem minus utilis, æquiori judicio componatur, censerem dicendum, sacras quidem imagines præcipuo ac primario cultu dumtaxat propter earum prototypum esse venerandas, ita quod ea ratione censeantur cultu religioso dignæ, quod excellentiam prototypi in memoriam revocent: nihilominus cum, ut supra diximus, fiat quædam ipsius prototypi in suam imaginem excellentiæ moralis diffusio et attributio, inde censerem etiam imagines ratione illius promanantis et super effusæ moraliter excellentiæ, per se etiam aliqua veneratione censeri dignas, non quidem secundum earum esse materiale, ex quo formantur, nempe quatenus sunt lignum, æs, argentum, aurum, aut colores, neque etiam secundum earum esse formale simpliciter, hoc est secundum lineamenta, et dispositionem partium perite, et affabre concinnatarum, hoc enim mere artificiale est, sed quatenus ordinantur ad significandam et repræsentandam rem, quæ secundum se, et in se complectitur præcellentiam veneratione dignam.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM, ET QUO CULTU SANCTORUM RELIQUIÆ SINT ADORANDÆ.

Notandum 1. Varios hæreticos sacras Sanctorum vita functorum exuvias et reliquias non solum nullo in honore habuisse, sed etiam despexisse, ac earum cultum damnasse. Nam, ut missos faciam omnes *Iconoclastas*, qui sicut imaginum, sic et reliquiarum sacrarum fuerunt impugnatores acerrimi, maxime vero nefarius ille Copronymus, plurimi sunt, qui speciatim reliquiarum venerationem e medio sustulerunt. Primus apparet Eustatius Sebastiensis, qui, ut referunt Alphonsus de Castro, et Prateolus, verbo *Eustatius*, damnatus fuit in Concilio Gangrensi: nam licet in eo Concilio nullus Canon contra sacras reliquias spernentes præscribatur; nihilominus in ejus Concilii præfatione attribuitur error Eustatio, quod loca sanctorum Martyrum contemnat, et qui illuc conveniunt, reprehendat. Eumdem errorem isti Eustatio attribuit Jonas Aurelianensis lib. 1. *De cultu imaginum*. Hujus autem in errore sequaces fuerunt Eunomius, et Vigilantius, quorum postremus, ut refert S. Hieronymus Epist. 54. Catholicos appellabat *cinerarios* et *idololatras*, quod Sanctorum cineres et sacras exuvias colerent. Ejusdem erroris propagator fuit Faustus Manichæus, nam, ut refert S. Augustinus lib. 20. *Contra ipsum*, cap. 22. Christianos arguebat, quod Martyrum memorias honorarent, et idola in Martyres convertissent, vino et dapibus defunctorum umbras placantes. At omnium istorum Erronum nefariam animi sententiam pridem sepultam denuo excitarunt Wicleffistæ, ut refert Waldensis Tom. 3. tit. 14. cap 131. Lutherani, quorum antesignanus Serm. *De Cruce*, reliquias, fidelium seductiones appellat, et altissime sub terra defodiendas cupit.

Calvinistæ, qui maxime hoc sæculo omnem illorum veterum hæreticorum virulentam fæcem ebibentes, non solum Sanctorum invocationem, ac imagines e medio tollere nisi sunt, sed etiam dæmonis rabie in omne sacrum furentes, in venerandas omnes Sanctorum reliquias debacchati sunt; quorum omnium impia dogmata, et fundamenta proponenda sunt ac convellenda.

Notandum 2. Non unam, concordemque esse apud Catholicos de modo sacras reliquias colendi sententiam. Quamquam enim conveniant omnes contra hæreticos, Sanctorum sacras exuvias esse in pretio et honore habendas, nihilominus invicem dissentiunt circa modum eas colendi. *Quidam* enim cum Seraphico Doctore in 3. dist. 9. art. 1. quæst. 1. docent quod etsi imagines sacræ non sint colendæ speciali cultu ab illo, qui prototypo debetur; quia eas ratione dumtaxat repræsentationis veneramur, nosque semper ducunt in venerationem et æstimationem exemplaris quod referunt; nihilominus reliquiæ Sanctorum secundum se aliquam excellentiam sibi vindicant, nempe aut propter contactum, aut propter affinitatem, quam habuerunt, et adhuc servant cum anima beata, a qua in generali mortuorum resurrectione denuo debent vivificari, subindeque eas secundum se cultum aliquem, ac venerationem promereri. *Alii* vero existimant reliquiis secundum se cultum, et adorationem non deberi, sed solum cum eo cujus reliquiæ sunt: ita quod illæ non sint terminus *qui* totalis illius adorationis, sed tantum partialis; nec simpliciter dici queant adorari cultu absoluto, sed dumtaxat respectivo: quid autem verius censendum sit, infra patebit.

Notandum 3. Per sacras reliquias nos non solum hic intelligere sacras Sanctorum vita functorum exuvias, et integra corpora, aut eorum partes, sed etiam illorum vestes, et alia similia, quæ vel ad ipsorum necessarium usum, vel ad pœnitentiæ et mortificationis ministerium inservierunt. De quibus omnibus duo hic occurrunt determinanda: *Primum*, an istæ sacræ reliquiæ colendæ sint, et adorandæ. *Secundum*, an cultum absolutum, vel dumtaxat respectivum sibi vindicent.

Conclusio prima. — Reliquiæ Sanctorum veneratione dignæ sunt.

Probatur primo ex Veteri Testamento, illis videlicet omnibus testimoniis, quibus Deus voluit Sanctorum virorum vita functorum corpora in veneratione haberi, idque tamquam religiosum, ac divino præcepto sancitum munus viri pietate celebres observarunt. Hinc Genes. 50. Joseph præcepit, ut aromatibus condirent patrem suum Jacob vita functum, petiitque licentiam a Pharaone eum sepeliendi in terra Chanaam, in illa spelunca duplici, quam emerat Abraham, prout Jacob ipse petierat Genes. 23. Similiter Joseph Genes. 50. morti proximus fratribus suis mandat: *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto.... et conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto.* Hinc Eccli. 49. dicitur de ossibus Joseph: *Ossa ipsius visitata sunt*, quia nimirum Joseph Genes. 50. dixerat: *Visitabit vos Deus, asportate ossa mea vobiscum*, et dicuntur ibidem ossa Joseph *post mortem prophetasse*, vel quia Prophetia Joseph de illis impleta fuit, quando juxta prædictionem

ejus asportata sunt; nam Exodi 13. *Tulit Moyses ossa Joseph secum, eo quod adjurasset filios Israel dicens: Visitabit vos Deus, afferte ossa mea vobiscum:* vel quia post mortem operata sunt miracula, quæ illum Prophetam Dei magnum fuisse testabantur. Similiter Eccli. etiam 49. de duodecim Prophetis dicitur: *Et duodecim Prophetarum ossa pullulant de loco suo.* Dicuntur autem ossa illorum *pullulare,* quia post mortem in memoria et honore vivunt, ob fidem, miracula, prophetias, et vitæ sanctitatem. Legimus similiter 4. *Reg.* c. 13. quod Deus ad contactum sepulti corporis Elisæi, cadaver in ejus sepulcrum injectum suscitaverit, ne videlicet profanum cadaver in sepulcro sanctissimi Prophetæ quiesceret: quo miraculo significavit Deus Prophetarum ac Sanctorum reliquias in veneratione et honore esse habendas. Hinc ibid. cap. 23. Josias Rex volens omnem idololatriam et superstitionem evertere, cum omnia Pseudo-Prophetarum ossa exhumari, et super idolis dedicatum altare comburi jussisset, Elisæi, et alterius veri Prophetæ sepulcrum intactum esse voluit. Hinc observat S. Hieronymus in cap. 1. Oseæ, quod ejusdem Oseæ, Jonæ, et Abdiæ sepulcrum usque hodie cum Elisæi Prophetæ, et Baptistæ Joannis in Sebaste venerationi habetur.

Similiter eadem veritas colligitur ex Novo Testamento, nam imprimis Christi Domini sepulcrum tanto apud omnes fideles in honore semper extitit, juxta illud Isaiæ cap. 11. vaticinium: *Et erit sepulcrum illius gloriosum,* ut S. Hieronymus Epistol. 17. scribat suo tempore de toto orbe Christiano fideles ad illud devotionis et venerationis causa concurrere. *Quicumque,* inquit, *in Gallia primus huc properat, divisus ab orbe Britannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, quærit locum forma sibi tantum per scriptorum relationem cognitum.* Legimus item Matth. 9. quod mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, devote tangens fimbriam vestis Christi, ab infirmitate sanata fuerit. Et *Actor.* 5. scribitur quod populi certatim ægros adducebant, et ponebant in lectulis ac grabatis, *ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam, et liberarentur de infirmitatibus suis.* Quod Serm. 29. de Sanctis ponderans S. Augustinus, et celebrans vincula, quibus illigatus fuerat Petrus ait: *Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quanto plus de corpore meruerunt attrahere salutis, ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis?* Idem refertur cap 19. de Sudariis, et Præcincturis S. Pauli: *Supra languidos deferebantur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.*

Probatur tertio hæc veritas ex Conciliis; definita est enim in Concilio *Gangrensi* Canone ultimo, si cum his, quæ dicuntur in præfatione ipsius Concilii, conferatur. Similiter in septima Synodo Act. 6. in definitione fidei præcedenti Quæstione expressa. Item in *Carthaginensi quinto* Can. 14. ubi definitur altaria non esse sine reliquiis Sanctorum consecranda; in *Braccharensi tertio* Can. 5. *Moguntino* tempore Caroli Magni Can. 51. *Lateranensi* sub Innocentio III. cap. 62. maxime vero *Tridentino* Sess. 25. ubi præscribit modum exponendi et colendi sacras reliquias, ita quod nullæ possint de novo recipi,

et fidelium venerationi exponi, nisi recognoscente et approbante Episcopo.

Eamdem veritatem contestantur SS. Patres, ac sacri Ecclesiastici scriptores, qui asserunt Christianos ex antiquo, Sanctorum, præsertim Martyrum, corpora, cineres, ossa, et alias reliquias in veneratione habuisse. Id probat imprimis Ecclesia Smirnensis in Epistola encyclica, quam de actis et morte S. Polycarpi sui Episcopi, et Apostolorum discipuli, scripsit circa annum Christi 147. quam etiam Eusebius Cæsariensis in lib. 4. *Suæ Historiæ* cap. 15. intexuit. Ibi post expositam passionem, illius narrationem refert ad extremum apud Proconsulem egisse Christianorum hostes, *Ut ne corporis illius potestatem illis facerent, ne Crucifixo relicto venerari hunc ejebant incipiant.* Hoc cum Judæi potissimum urgerent, ait Centurionem corpus sacrum incendio consumpsisse. *Ita nos*, inquiunt Smirnenses, *sublatis postea ossibus illius, quæ quibusvis prætiosiora lapillis, et auro probatiora erant, ibi ea uti par erat reposuimus, quo in loco, pro eo ac poterimus, in exultatione ac lætitia, dabit nobis Dominus congregatis natalem Martyrii illius celebrare diem: tum ad eorum memoriam, qui antea certamine functi sunt: tum ad illorum, qui postea sunt passuri exercitationem et præparationem.* — Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. de Resurrectione disputans, deque Elia et Elisæo, et ab utroque suscitatis agens, posteriorem hunc ait bis mortuum excitasse, in vita et post mortem. *Vivus enim*, inquit, *resurrectionem effecit per animam suam: sed ut non solum animæ justorum honorentur, verum etiam credatur vim quamdam inesse justorum corporibus, qui in Elisæi sepulcrum abjectus erat mortuus, ubi mortuum Prophetæ corpus attigit, vivificatus est.* Quod et subinde probat sic; nam si sudaria, et semicinta Pauli quæ extra corpus erant ipsius, ægris admota eos sanabant, quanto id magis de Sanctorum par est credi corporibus, quæ vim trahunt ex animis, quibus diu domicilium præbuerunt? — *S. Basilius* in Psal. 195. exponens hæc Verba, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, observat in veteri Lege mortuorum corpora pro immundis habita fuisse; in nova autem lege secus rem habere. *Modo vero quisquis*, inquit, *ossa Martyris attigit, nonnullam sanctificationis communionem percipit ex ea gratia, quæ corpori illius insidet.* — S. Gregorius Nazianzenus Oratione 18. in S. Cyprianum, testatur hujus reliquias, sacrosque cineres dæmones expellere, morbos sanare, et mirabilia facere. *Quæ omnia Cypriani*, inquit, *vel pulvis ipse potest, si fides adsit, ut experti norunt, et qui rem gestam ad nostram usque memoriam propagarunt, et in consequentia tempora transmittent.* — S. Ambrosius in Epistola 53. referens qualiter repererit corpora SS. Gervasii et Protasii, narrat deinde quanta miracula ibi facta sint: *Cognovistis*, inquit, *imo vidistis ipsi multos a dæmoniis purgatos, plurimos etiam, ubi vestem Sanctorum manibus contigerunt, iis quibus laborabant debilitatibus absolutos, reparata vetusti corporis miracula, quo se per adventum Domini Jesu gratia terris major infuderat: umbra quorum Sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria jactantur? Quanta indumenta super reliquias sacratissimas, et tactu ipso medicabilia reposcuntur? Gaudent omnes extrema linea contingere, et qui contigerit, salvus erit.* Demum se Martyres ait sub altari condidisse: *Con-*

damus ergo reliquias sacrosanctas, et dignis ædibus invehamus, totamque diem fida devotione celebremus. Et in Sermone 14. qui est de SS. Nazario et Celso, de reliquiis SS. Corporum agens: *Hæc est,* inquit, *sanctorum Martyrum gloria: quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo.* Et in fine: *Honoro ergo,* inquit, *in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viventis memoriam perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere: quod me propter Dominum mortem docuit non timere: cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur et dæmones, quod et afflixerunt in supplicio, sed glorificatur in sepulcro? Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio: quod cum Christo regnavit in cœlo.* — S. Hieronymus Epist. 53. sic Vigilantium interpellat: *Dolet,* inquit, *Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur; sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, et Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus et nunc dicendus est Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam, et cineres dissolutos in serico, et vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, et tanta lætitia, quasi præsentem, viventemque Prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palestina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, et Christi laudem una voce resonarent?* ✻ " Addit paulo post: *Male fecit ergo Romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, et eorum tumulos Christi arbitratur altaria, etc.* " ✻ — S. Chrysostomus innumeris prope locis, et maxime Homil. 65. de SS. Berenice, Prosdoce, et Domina: *Forte,* inquit, *ingens in vobis concitatum est desiderium Martyrum istorum. Cum hoc igitur ardore accedamus ad reliquias ipsorum; amplectamur eorum loculos. Possunt enim vel ipsa Martyrum conditoria magna vi pollere, quemadmodum eorumdem ossa Martyrum plurimum possunt.* Sic in Hom. 65. de S. Pelagia: *Illustrius,* ait, *esse palatiis regiis omnium judicio sepulcrum illud, in quo situm est corpus ejusmodi, quod cum virtute, pietateque vixit. Atque hujus rei testes vos estis, qui divitum sepulcra, quamvis aureis ornata palliis, tamquam speluncas prætervolatis; ad hanc vero Sanctam cum ingenti alacritate concurristis; quoniam martyrio, et confessione, ac virginitate, pro aureis vestibus, semetipsam velut ad funebrem apparatum componens, inclyta Martyr excessit.* Ita in calce Homil. 76. de SS. Juventino et Maximino, quorum reliquias in unum loculum impositas fuisse dicit, eos vocat columnas, et scopulos, et turres, et luminaria Ecclesiæ, quod eam sustentent et protegant. Tum populum sic hortatur: *Assidue itaque ad illos veniamus, et loculum contingamus, et cum fide reliquias eorum circum-*

plectamur, ut benedictionem aliquam illinc attrahamus. Nam ut milites vulnera ostendentes ab hostibus accepta, audacter Regem alloquuntur, sic etiam isti capita sibi abscissa manibus portantes, et in medium producentes, facile omnia quæcumque coluerint apud cælestem Regem efficere poterunt. — Si plus desideres SS. Patrum hac de re testimonia, consulas Coccium lib. 5. *De Sanctis Ecclesiæ*, cap. 16. Alanum Copum dialogo 3. cap. 12. Bellarminum lib. 2. *De Imaginibus*, Petavium lib. 14. *De Incarnatione*, cap. 17. Perronium in refutatione falsæ dissertationis et mendacis discursus Tilleni, ac plures alios moderniores, qui de hac controversia adversus hæreticos hujus temporis uberrime scripserunt.

Merito igitur contra hæreticos hujus temporis, innovare possumus querimoniam, quam anno Christi Domini 825. formavit Dungalus in eadem omnino controversia, libro suo adversus Claudium Taurinensem: « Qualis, inquit, et quanta est insana elatio, et vana temeritas, ut « quod a primævo tempore Christianitatis per annos ferme 825. (di- « camus nos 1675.) a sanctis ac beatissimis Patribus, ac religiosis- « simis postmodum principibus, in gloriam et laudem Dei, in Eccle- « siis, et in quibuslibet Christianorum dominibus fieri concessum, con- « stitutum, et jussum est, unus homo (scilicet Claudius Taurinensis) « blasphemare, reprehendere, contestari, projicere, ac sufflare præsu- « mat? Quasi in tanto jam dicto spatio nullus sic sanctus, vel sapiens « in Ecclesia Dei extitisset auctor, qui tam ardentissimum in corde « suo zelum, vel subtilissimum potuerit habere intellectum, sicut iste, « qui audet oppugnare, quod cæteri quasi formidolosi ausi non sunt; « vel vituperare, quod alii esse vituperandum, quasi stulti non intel- « lexerunt. »

Objiciunt hæretici Illud Christi Domini oraculum Lucæ 11. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: Patres autem vestri occiderunt illos; profecto testificamini, quod consentitis operibus Patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra:* at Christus his verbis non accusat Judæos de alio crimine, nisi quia ædificabant monumenta Prophetarum, et eorum reliquias venerabantur, in quo consentiebant operibus Patrum suorum: igitur crimen est Sanctorum reliquias venerari. — **Nego minorem**, nullus enim est ex SS. Patribus, aut Scripturæ Interpretibus, qui dixerit eo loco improbari ornatum monumenti Virorum justorum; nam eorum sepulcra in honore semper fuerunt apud Judæos, nec usquam aliqua superstitione notata, ut optime observat Waldensis Tom. 3. cap. 131. Dicendum est ergo Christum Dominum ibidem Pharisæos hypocrisis speciatim insimulare, quod dilucide explicat Matth. 23. ubi eamdem querimoniam instituens ait: *Væ vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ; quia ædificatis sepulcra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis: si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum: itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt.* Quibus verbis Christus Dominus significat illos fuisse ejusdem, quantum ad animum, criminis reos, cujus parentes; quia sicut illi Prophetas occiderunt, sic debebant ipsum Prophetarum maximum occidere, etiam in animo ipsius necem ac persecutionem meditabantur. Unde reprehendit eos, non quod ædificarent monumenta Prophetarum, sed quod sub hac

specie pietatis erga Prophetas, occultarent malevolum animum erga illum, qui Prophetarum erat Princeps: sicut ibidem eos reprehendit, quod decimarent *mentham, et anethum, et cyminum,* non quod arguat decimationem, quæ lege erat præcepta: sed quod sub prætextu, et velo horum operum leviorum occultarent impietatem, et graviora legis præcepta omitterent.

Objiciunt 2. Illud Deuteronomii cap. ult. ubi dicitur Moysem vita functum in Monte Nebo sepultum fuisse in valle Moab, et postea additur: *et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem:* at (inquit Calvinus in admonitione de reliquiis), non aliam ob causam occultatum fuit Moysis corpus, et sepulcrum, quam ne coleretur a Judæis: igitur corporum Sanctorum cultus est a Deo prohibitus. *Confirmant* ex epistola S. Judæ, ubi ait: *Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore, etc.:* hæc autem altercario inter Michaëlem, et diabolum, non alia fuit, quam quod Michaël vellet corpus Moysis semper occultari, ne Judæi illud venerantes in idololatriam ruerent, diabolus vero voluit sepulcrum, et corpus Moysis revelari, ut sub prætextu pietatis Judæis foret occasio idololatriæ: igitur cum idem sit periculum in veneratione reliquiarum, pari ratione hæc est cavenda. — **Respondeo** *primo,* præfatum textum Calvino potius adversari, quam patrocinari: siquidem cum Deus voluerit Moysis corpus Angelorum ministerio tumulari, signum est, quod ipse velit reliquias, et corpora Sanctorum in honore esse habenda. *Dico secundo* jure quidem optimo Deum noluisse Moysis corpus revelari, ne Judæi, ad idololatriam proclives, illum tamquam numen colerent, maxime cum eum vivum habuissent ducem, legislatorem, et salvatorem, ac tot tamque stupenda miracula illum edentem conspexissent. Non est autem hujusmodi cavendum periculum in Christianis, maxime cum melius instruantur de cultu sacris reliquiis impendendo: nullus enim est, qui nesciat se sanctos colere non ut numina, sed ut pios Dei ministros propter eximiam virtutem Sanctorum, et patrocinium, quod ipsorum intercessione potest obtineri.

Objiciunt 3. Illud S. Pauli ad Coloss. 2. *Nemo vos seducat volens, in humilitate, et religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ:* hanc autem religionem Angelorum vocat ἐθελοθρησκεια, idest, *voluntarium cultum,* hoc est a Deo non præceptum: sed cultus reliquiarum est voluntarius, et minime a Deo præceptus: ergo est cultus voluntarius, et superstitiosus. — **Respondent** huic objectioni Doctores Catholici, Apostolum in eo capite duo reprehendere in Judæis: nimirum cultum Angelorum, quia illos colebant tamquam minores Deos, et quia eos supra Christum extollebant; et observationem certorum ciborum, et aliorum legalium, et hunc cultum Angelorum vocat *religionem Angelorum;* et observantiam illam legalium in fine capitis, vocat superstitionem. Quocirca nihil ex hoc loco colligi potest contra Catholicos, quia illi non honorant Angelos, vel Sanctos, vel eorum reliquias, supra Christum; neque observant legalia, vel certis cibis utuntur more Judæorum, et tamquam lege veteri præceptis, quia agnoscunt legem veterem quoad cæremonialia, et judicialia esse per Christum abrogatam: neque cultus Sanctorum, vel imaginum, et reliquiarum potest vocari ἐθελοθρησκεια, quia hæc

significat fictum et mere voluntarium cultum, pro quo nulla est auctoritas sufficiens, nulla ratio: at pro cultu Sanctorum, imaginum, et reliquiarum habemus auctoritatem Scripturæ, Traditionis, Conciliorum, et Patrum, imo et rationem pro hoc cultu militantem, et sic hic cultus non est mere voluntarius et fictus, uti erat cultus ille Angelorum, et superstitio in cibis.

Objiciunt 4. Concilium Eliberitanum Can. 34. ubi prohibetur cereos interdum accendi, ne spiritus defunctorum inquietentur: *Cereos*, inquit, *placuit in cœmeterio non accendi: inquietandi enim Spiritus sanctorum non sunt.* Similiter et S. Hieronymum adversus Vigilantium, ubi cum objecisset Vigilantius, idololatriam esse, ejusmodi cereos interdiu in templis, vel coram Sanctorum reliquiis accendere, respondet S. Hieronymus: *Cereos clara luce non accendimus, sicut frustra calumniaris: sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, et vigilemus ad lumen, nec cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui propter imperitiam et simplicitatem sæcularium hominum, vel certe religiosarum fœminarum, de quibus vere possumus dicere, confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* Existimavit igitur S. Hieronymus cultum Sanctorum reliquiis impensum esse superstitiosum. — Respondeo, Concilium Eliberitanum idcirco prohibuisse usum cereorum coram Sanctorum sepulcris, ut fideles inter paganos versantes eorum superstitioni non participarent: Ethnicis enim persuasum erat mortuorum animos in sepulcris degere, et eorum sepulta corpora aliquid adhuc sensus habere, ac subinde cibis et lucernis indigere, quibus famem et tenebras dispellerent: ideoque dapes, et lac, et vinum funeribus interebant, ut refert Plutarchus initio vitæ Romuli. Hinc Virgilius lib. 6. Æneidon in exequiis *Miseni*, ait:

Aversi tenuere facem, congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateris olivo.

Observat etiam Tertullianus, ethnicos ita defunctis parentare, ut eis esculenta apponant, quæ comedant. Quin etiam tumulis accensas lucernas includebant, cujusmodi etiam nunc ad effossas eorum urnas reperiuntur: imo fiebat plerumque, ut appositis ad sepulcra luminibus, per magicam impietatem et necromantiam spiritus evocarent, ut refert Plinius 28. *Historiæ*, c. 2. sicque animas vita mortali functas videbantur inquietare; qua voce usus est etiam Samuelis spiritus a Pythonissa rogatu Saulis Regis evocatus, dicens 1. *Reg.*, cap. 28. *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* Ne autem fideles viderentur gentilibus morem gerere, et nefarios eorum ritus sectari, idcirco prohibet in cœmeteriis per diem lucerna accendi. *Addit* vero rationem dicens: Inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt, non quod existimet Concilium animas defunctorum magicis incantationibus moveri de loco suo, etiamsi in phantasmate appareant, cum a Magis evocantur: sed quia sciebat cultum illum supertiti sum esse, ac proinde Sanctis displicere, et spiritus eorum eo dici inquietari; sicut ad Ephes. 4. Spiritus sanctus nostris pravis operibus contristari dicitur. *Vel*, ut exponit Garsias Loaysa exponens præfatum Canonem, spiritus Sanctorum intelliguntur, non mortuorum, sed viventium; nam fideles in Scriptura Sancti ap-

pellantur; ideo vero dicerentur inquietari illo ritu, quia ille superstitionem, et imitationem gentilium redolere videretur. Postquam vero deficiente gentilitate, Christi invaluit religio, tum demum fideles procul ablegato metu, vel suspicione approbandi, vel imitandi profanos gentilium ritus, cereis accensis Christianorum exequias prosecuti sunt. Scribit namque S. Hieronymus ad funus S. Paulæ, ingentem fuisse concursum Clericorum, et Monachorum cereos ardentes deferentium. Gregorius etiam Nyssenus in vita Macrinæ Sororis commemorat Clericos, qui ei justa persolvebant, funus comitantes, cereos accensos præ manibus habuisse. — *Ad S. Hieronymum dico*, prætatis verbis non improbare ritum accendendi cereos in templis Christianorum, sed tantum Vigilantio demonstrare, quod falso Catholicis imponat, et quod si aliqui propter imperitiam in cœmeteriis, vel coram sacris Martyrum reliquiis cereos accendant interdiu, non propterea culpandi sunt, cum pro honore Martyrum id faciant, ac subinde nihil perdant, et sui operis mercedem sint accepturi. ✻ " Cum autem adderet Vigilantius hunc ritum esse superstitiosum et ab idolotatris acceptum, respondet S. Hieronymus: *Non diffiteor omnes nos qui in Christo credimus de idololatriæ errore venisse. Non enim nascimur, sed renascimur christiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere debemus, nec simili eum videamur cum idolis honore venerari. Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est: hoc fit martyribus, et idcirco recipiendum est. Nam absque martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante: non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde et virgines illæ evangelicæ semper habent accensas lampades suas. Et ad Apostolos dicitur: sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.* " ✻ Igitur censet in signum lætitiæ posse lucernas interdiu accendi super Martyrum sepulcris, et ad significandam lucernam æternam, quæ post caducam hanc vitam piorum animis affulget.

Objiciunt 5. Id non est exponendum fidelium venerationi, quod potest in superstitionem ducere: at tales sunt Sanctorum reliquiæ, quia pro veris possunt esse supposititicæ, et sic qui illas veneraretur, indebitum ac superstitiosum cultum exhiberet. — **Respondeo** *primo* plurimas, ut diximus, Sanctorum reliquias miraculis esse illustres, et in dies clarere prodigiis, quibus illarum veritas et virtus aperte sit cognita. *Dico secundo*, Concilium Tridentinum, Sess. 25. huic abusui impediendo sufficienter providisse, dum præcipit eas reliquias fidelium venerationi non esse exponendas, nisi prius Episcoporum judicio ut legitimæ approbentur. *Dico tertio*, quod etsi his non obstantibus contingeret aliquas reliquias esse suppositicias, inde tamen non esset damnanda circa eas fidelium veneratio, quæ in hoc casu esset dumtaxat superstitio materialis, non vero formalis, cum fideles haberent intentionem venerandi alicujus Sancti reliquias, et ad id suam venerationem dirigerent.

Conclusio secunda. — Reliquiæ Sanctorum venerandæ sunt cultu respectivo, eo scilicet quo eorum imagines sunt colendæ. Ita sanctus Damascenus lib. 1. *De fide*, cap. 12. ubi uni-

versim de omnibus sacris venerandis ait: *Omnia, quæ Deo dedicata atque consecrata sunt, ita adoramus, ut cultum et venerationem ad eum referamus.* Idem docet Auctor Epist. 27. apud S. Hieron. qui loquens de veneratione, quam sancta Paula exhibuit locis et rebus per humanitatis Christi contactum et præsentiam consecratis ait: *Inde specum Salvatoris ingressa, postquam vidit sacrum Virginis diversorium, et stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, ut impleretur, quod in eodem Propheta scriptum est, me audiente jurabat, se cernere fidei oculis Infantem pannis involutum, vagientem in præsepio, Magos adorantes Dominum, etc.* Hinc ipsa Paula dicebat: *Ego misera, atque peccatrix indigna sum deosculari præsepe, in quo Dominus parvulus vagiit.*

His etiam suffragatur ratio, quia res inanimes, quales sunt reliquiæ, per se non sunt capaces honoris, aut contumeliæ, nisi quatenus dicunt ordinem et necessitudinem cum rebus ratione præditis: igitur in tantum Sanctorum reliquiæ venerandæ sunt, in quantum dicunt respectum ad ipsos Sanctos, seu ad eorum animas præcellenti virtute, gratia, et habitudine illustres. Idem itaque ferendum est judicium de reliquiis, ac de sacris imaginibus; quamquam judicem sacras reliquias ampliori cultu et veneratione dignas esse, quam Sanctorum imagines, tum quod Deus sæpius ad reliquiarum, quam imaginum præsentiam miracula operetur: tum quod corpora Sanctorum maxime deservierint ad virtutis exercitium; et consequenter, inquit Tertullianus libro *De Resurrectione carnis*, *Non possunt separari in mercede, quæ opera conjungit:* tum denique quia illæ venerandæ exuviæ non solum viva fuerunt templa Spiritus sancti variis sacris unctionibus delibuta, sacramentorum frequentatione pluries consecrata, et speciali ac jugi animæ sanctissimæ non solum contubernio, sed et motibus, operationibus, ac præclaris facinoribus illustrata. His enim omnibus, et aliis similibus gloriæ titulis, ampliorem sibi vindicant honorem et venerationem, quam imagines, quæ dumtaxat prototypi similitudinem referunt.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM SANCTI SINT INVOCANDI.

Notandum 1. Sanctorum opitulationem, et mediationem ab eisdem hæreticis impugnari, qui venerationem insectantur: nam Vigilantius apud Hieronymum libello 1. *Contra eumdem*, impie dicebat: *Dum vivimus mutuo pro nobis orare possumus, postquam mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda est oratio.* Non minore impietate Copronymus publico edicto prohibuit Sanctorum intercessionem, ut testantur Suidas in Copronymo, et Glicas 4. annalium. Eamdem hæresim sectati sunt *Waldenses* ex Guidone hæresi 16. *Lollardi* ex Trithemio in Chronico ad annum 1315. *Wicleffistæ*, nam, ut refert Waldensis, Wicleffus l. 3. *Trialogi* dicebat, *Stultum esse Christum fontem paratiorem relinquere, et ad rivos turbidos, et remotos* (sic Sanctos appellat) *accedere. Lutherani* hanc, ut omnes fere alias veteres pridem sepultas hæreses, etiam ab interis suscitarunt; nam Lutherus in postilla majore super dominicam septimam post Trinitatem ait: *Diri Petri merita ne se*

quidem redimere : quomodo autem mihi auxiliarentur, cum neque sibi ipsi opem tulerint? Ei in hac impietate subscripsit Calvinus libro 1. *Institutionum*, capit. 14. ubi dicit solum Deum esse orandum, et invocationem Angelorum appellat *Platonicam Philosophiam*.

Notandum 2. Sanctos merito appellari mediatores nostros apud Deum ; mediatoris siquidem qualiscumque nota propria est intercessio, hoc est, deprecatio, et conciliatio, qua in gratiam potentioris aliquis reducitur, præsertim alienati, et offensi : quamquam enim Christus apud Patrem hujusmodi functionem primario exerceat, ac munus istud præstantissima et peculiari quadam ratione illi conveniat, ut disp. 2. demonstratum est ; nihil ea res tamen obstat, quin post ipsum, et ejus auctoritate ac virtute, suffragatores sint, et mediatores alii, per quos ad principalem accessus pateat. Nam ad mediationem perfectam duplex desideratur officium : unum quod in bene merendo, ac factis ipsis opitulando cernitur : alterum quod in precibus, et orationibus consistit. quas pro susceptis in tutelam clientibus, patronus ad Deum, mediatorque fundit, ut ejus opem, et beneficientiam eliciat. Ex quibus mutuus in clientibus amor in patronum, et fiducia nascitur ; qua fit ut et cubiis ac difficilibus in rebus, ad illius præsidium recurrant, et eum supplicationibus ac votis ambiant, tum in eumdem vicissim gratum ac benevolum animum, quibus possunt, obsequiis et honore, cultuque testentur. Hæc autem omnia Sanctos erga nos implere patebit in hujus disputationis decursu.

Notandum 3. Ex Seraphico Doctore in 4. dist. 45. art. 3. quæst. 2. Sanctos nobis opitulari, et divinam beneficentiam conciliare duplici medio ; nempe *merito, et affectu*. « Merito quidem præcedenti, inquit, « quo Deo facillime servierunt, et tantum locum suis meritis sunt « adepti, ut non solum sibi beatitudinem et gloriam meruerint, sed « etiam aliis suffragari. Multa etiam supererogaverunt affectu, quia « amici Dei sunt facti, et amicitiæ est idem velle, et nolle : hinc cum « Sancti aliquem speciali amore prosequuntur, illum stimulant, ac « impellunt, ut Deum diligat, et ei impense in omnibus obsequatur. » His ita præmissis, statuendum est Catholicum dogma, nempe constanti, ac perpetua Ecclesiæ traditione Sanctorum invocationem, et interpellationem a fidelibus omni sæculo fuisse usurpatam, quam utique veritatem aperiet et firmabit

Conclusio unica. — Sanctorum invocatio ac interpellatio religiose a fidelibus semper fuit frequentata et usurpata.

Probatur primo ex Scriptura sacra, illis maxime locis, quibus Angeli a Patriarchis, et viris sanctissimis interpellantur, et exorantur. Sic Genes. 48. Jacob Angelum precatur, ut benedicat filiis Joseph, et præterea monet, ut post suam mortem, suum nomen cum nomine Patrum suorum Isaac, et Abraham super eos invocetur : *Angelus*, ait, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham, et Isaac*. Censet ergo sanctorum Angelorum, et virorum etiam vita fungorum opitulationem et interpellationem vivis prodesse. Idem significatur Job 5. ubi Eliphaz Job monet: *Voca ergo si est, qui tibi respondeat, et*

ad aliquem Sanctorum convertere. Supponit ergo interpellationem Sanctorum non fore frustraneam. Idem significatur Job 33. ubi Eliu loquens de peccatore, cujus anima appropinquavit corruptioni, ait: *Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem, miserebitur ejus, et dicet: libera eum, ut non descendat in corruptionem: inveni quo ei propitier.* Quibus verbis aperte significat sanctos Angelos hominibus interdum opitulari, et pro eis ad Deum preces fundere, ac auxilium elicere, quo peccata declinent. — *Confirmatur* ex illo Jeremiæ 15. ubi Deus Prophetam alloquens ait: *Si steterit Moyses, et Samuel coram me, non est anima mea ad populum*: supponit ergo Moysem et Samuelem, licet tunc vita functos, potuisse orare pro populo.

Nec valet reponere cum Calvino lib. 3. cap. 20. inde colligi contrarium nostræ Conclusioni; nam, inquit, cum Deus dicat: si steterit Moyses et Samuel, supponit eos non stetisse, nec ipsum orasse pro populo Israëlitico: igitur multo minus cæteri Sancti existimandi sunt pro vivis intercedere, et si Deus non exaudiisset orantes Moysem et Samuelem, nec alios exauditurus est. — **Respondeo** enim Calvinum ineptias vel latebras quærere; nam quamvis Moyses et Samuel tunc non oraverint, non est consequens eos non potuisse pro illo populo deprecari: nec enim asserimus Sanctos continuo pro nostris vel delictis vel necessitatibus exolvendis apud Deum precibus agere: et certe, si nullæ pro vivis essent Sanctorum vita functorum preces, luderet Deus dicendo, quod si Moyses, et Samuel pro prævaricante Israëlitico populo preces funderent, eos tamen hac in parte non esset exauditurus. Ad quid enim hæc obtestatio, nisi ut significet eorum preces se solitum exaudire? Hinc merito S. Chrysostomus Homil. 1. in 1. ad Thess. (quem mutilum, ac suppressis quibusdam verbis truncatum, ut hæreticis familiare est, in suas partes traduxerat Plessæus Mornæus) ex illis Jeremiæ verbis infert non esse spernendas Sanctorum preces; nec tamen in eis dumtaxat nostræ salutis securitatem ac certitudinem esse stabiliendam. Id maxime probatur ex 2. Machabæorum 15. ubi Judas Machabæus refert se in somniis Oniam et Jeremiam vita functos vidisse et audisse orantes pro populo Israëlitico: hunc autem librum esse Canonicum constat ex Concilio Carthaginensi 2. Can. 22. Augustino lib. 18. *De Civitate*, cap. 36. et Hieronymo contra Vigilantium.

Confirmatur etiam ex Novo Testamento, nam S. Petrus Epist. 2. cap. 1. spondet fidelibus se post mortem suis precibus apud Deum acturum, ut quæ docuerat, divina suffragante ac stimulante gratia opere complerent; ait enim: *Dabo autem operam, et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Adde quod eadem sit ratio, imo potior, interpellandi Sanctos vita functos longe intimius Deo conjunctos in cælesti patria triumphantes, quam eos qui hac in mortali vita exulant et militant: sed docet Apostolus nobis prodesse intercessionem justorum hic degentium, et illam ipsemet sæpius exorat: nam eos sollicitat, ut pro se ad Deum preces fundant. Sic 1. ad Thess. 5. *Fratres, orate pro nobis.* Et ibidem Paulus orat pro illis. Et Epistola ad Philemonem: *Spero per orationes vestras donari me vobis.* Ad Heb. ultimo: *Orate pro nobis.*

Secundo eadem veritas definita est in Conciliis, maxime vero in

septima Synodo; nam in ejus Actione 1. approbatur epistola Tharasii ad Joannem Presbyterum et Anachoretam, in qua inter cætera hæc habet: *Poscimus intercessionem intemeratæ Dominæ nostræ sanctæ Deiparæ, sanctorum item Angelorum, omniumque Divorum.* Et in fine ejusdem epistolæ: *Salvos facias intercessione, et precibus Dominæ nostræ, sanctæ Deiparæ, et omnium Sanctorum.* Approbatur similiter ejusdem fidei confessio, in qua hæc habet: *Obsecrans intercessionem sanctisssimæ, intemeratæque Virginis Mariæ, sanctorumque Angelorum, Prophetarum, et Martyrum, Confessorum, et Doctorum.* Et iterum in fine: *Sanctamque suam Ecclesiam custodiat, quæque huic imminent scandala, intercedente immaculata Deipara Virgine Maria, omnibusque Sanctis, avertat.* — Similiter Concilium Chalcedonense Act. 11. post medium, hanc veritatem confirmat; nam in eo Patres clamarunt: *Flavianus post mortem vixit, Martyr pro nobis oret.* Et Concilium Trid. Sess. 25. in decreto de invocatione, veneratione, et reliquiis Sanctorum, et sacris imaginibus, definit *bonum et utile esse Sanctos invocare, etc.* et damnat contrarium asserentes.

Probatur tertio auctoritate SS. Patrum, et veterum Theologorum: imprimis Origenes lib. 8. *Contra Celsum,* Sanctos orare pro nobis, Deumque placare demonstrat: *Habent enim,* inquit, *sensum eorum, qui Dei benevolentia digni sunt: nec solum erga eos, qui digni sunt, bene sunt affecti: sed et omnibus opitulantur, qui summum colere Deum cupiunt, quem et propitium reddunt, et cum iis communiter precantur, ac simul postulant.* Quapropter lib. 2. in Job ait: *O beate Job, ora pro nobis miseris, etc.* et in lamentatione: *O Sancti Dei, vos lacrymis, fletu, dolore pleno deprecor, ut procidatis misericordiis ejus pro me misero.* Et postea: *Hæc mihi Pater Abraham deprecare pro me.* — Subscribit S. Basilius Homil. 20. de quadraginta Martyribus ubi ait: *Quantum laborares, ut vel unum invenires, qui pro te Dominum rogaret? Ecce quadraginta sunt concordem effundentes orationem. Ubi duo, vel tres congregati sunt in nomine Domini, ibi in medio ipsorum est. Ubi ergo quadraginta sunt, quis de illius præsentia dubitabit? Qui affligitur, ad quadraginta confugit: qui lætatur, ad ipsos occurrit. Hic, ut malorum exitum inveniat: ille, ut in secundis rebus conservetur. Hic religiosa fœmina pro illis orans invenitur: ac peregre agenti viro reditum postulans: aut ægrotanti sanitatem. Tum Martyribus postulata nostra jungantur.* Tunc quibusdam interpositis: *O communes,* inquit, *custodes humani generis, boni curarum participes, orationis adjutores, legati potentissimi!* — Adstipulatur S. Gregorius Nazianzenus Oratione funebri in S. Basilium, ubi circa finem sic eum exorat: *Tu vero, divinum, et sacratum caput e cœlo nos aspice; et carnis stimulum a Deo nobis ad disciplinam datum, vel precibus tuis siste, vel persuade fortiter ferre: ac totum vitæ nostræ curriculum ad id, quod maxime conducibile est, dirige. Postquam autem excesserimus e vita, illic nos etiam in tua tabernacula suscipe; ut simul viventes, et sanctam ac beatam Trinitatem intuentes, etc.* Eadem precandi formula S. Athanasium compellat in fine Orationis 21. Et in Oratione 24. de eodem loquens Athanasio: *Hunc res,* ait, *nostras e cœlo prospicere, ac manum porrigere iis, qui virtutis causa laborant, eoque id magis facere, quo vinculis corporis expeditus est.* — Concordat S. Gregorius Nyssenus

Oratione in S. Theodorum, cujus his verbis auxilium sic præclare postulat: *Intercede pro patria apud communem regem... Timemus vexationes, expectamus pericula. Non longe absunt nefandi Scythæ, qui bellum contra nos meditantur. Tamquam miles pro nobis pugna: tamquam Martyr pro conservis utere libertate. Quamvis e vita excesseris, at nosti perpessiones et necessitates humanæ naturæ. Pacem postula.* Tum ita pergit: *Nos enim quod incolumes sumus servati, tibi acceptum referimur. Postulamus autem, et futuri securitatem temporis. Quod si majori advocatione et intercessione opus est, fratrum tuorum Martyrum chorum congrega; et cum omnibus deprecare. Multorum justorum orationes populorum ac multitudinum peccata dissolvant. Admone Petrum, excita Paulum, necnon Joannem Theologum et dilectum Discipulum, ut pro fundatis a se Ecclesiis solliciti sint, pro quibus catenas gestarunt.* — Sanctus Ambrosius eamdem veritatem pluribi commendat, maxime Epist. 53. ubi refert quemadmodum sanctorum Gervasii et Protasii corpora, revelante sibi Deo, repererit, in quorum sepulcro libellus etiam inventus est, in quo et eorum ortus, ac finis scriptus erat, cujus hæc erat clausula: *Ego servus Christi Philippus abstuli cum filio meo furtim nocte sancta corpora: et in domo mea, Deo solo teste, in ista arca saxea sepelivi: credens me orationibus eorum consequi misericordiam Domini nostri Jesu Christi.* At clarissime hanc veritatem explicat in libro *De Viduis*, ubi demonstrat sanctos mortuos, perinde ac vivos, pro nobis intercedere: cum enim retulisset miraculum socrus Simonis a Christo sanatæ ob intercessionem Petri et Andreæ, addit: *Ergo rogaverunt pro vidua Petrus et Andreas. Utinam existat aliquis, qui tam cito possit rogare pro nobis, vel certe iste, qui pro socru rogat, Petrus et Andreas frater ejus. Tunc enim pro affinitate poterant: nunc jam possunt pro nobis, et pro omnibus impetrare.* Pergit deinde: *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiam si quæ habuerunt peccata, lavarunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere: qui et ipsi infirmitatem corporis, etiam cum viverent, cognoscebant.* Id ipsum variis in locis commendat Sanctus Chrysostomus, maxime vero in Homilia panegyrica de Martyribus Ægyptiis. Et in Epistolam primam ad Cor. 1. 12. ac in Homilia de Sanctis Berenice, etc. ubi ait: « Non « solum in hoc die festo, sed in aliis etiam diebus ad illas adhæremus, deprecemur eas; oremus uti patronæ nostræ sint, magnam « quippe fiduciam apud Deum obtinent, non viventes dumtaxat, sed « etiam mortuæ: imo mortuæ multo magis. Nunc enim stigmata « Christi portant: hæc porro stigmata monstrantes, nihil non Regi « persuadere possunt, etc. » — S. Hieronymus clarissime hanc veritatem ubique prædicat, maxime Epist. 1. 25. et 27. at fusissime in libro *Contra Vigilantium*, ubi inter cætera hæc habet: *Dicis in libello tuo, quod, dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cum Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiverint. Si Apostoli, et Martyres adhuc in corpore constituti, possunt*

orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias, et triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam: et Stephanus imitator Domini sui, et primus Martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur: et postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? etc. Denique, Sancti non appellantur mortui, sed viventes. Quo nos item argumento Catholici contra Vigilantii sectatores Hagiomachos uti consuevimus, ad easdem diluendas calumnias. — Omnium optime Sanctorum invocationem et opitulationem commendat S. Augustinus infinitis prope testimoniis: at præclarissime Sermone 51. *De diversis*, cap. 6. De S. Stephano, cujus reliquiæ recens inventæ fuerant: *Triumphavit*, inquit, *coronatus est: latuit tanto tempore corpus ejus: processit quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit, et mortuus vivos facit mortuos, quia nec mortuus. Ergo hoc commendo charitati vestræ, ut sciatis, quod orationes ejus multa impetrant, non tamen omnia. Nam invenimus etiam in libellis, qui dantur, fuisse illi difficultates impetrandi: et accepisse tamen postea beneficium, non deficiente supplicis fide. Non cessatum est, oratum est: et dedit postea Deus per Stephanum. Sunt verba orantis Stephani: et responsum est illi: Pro qua oras non est digna, hoc et hoc fecit. Et tamen institit, rogavit, accepit.* Similia habet Serm. 94. 96. et 99. necnon et libro *De cura pro mortuis gerenda*, cap. 16. quærit *quomodo Martyres* invocantibus se interesse possint: et id censet vel Angelorum ministerio, vel singulari Dei gratia fieri. *Deus*, inquit, *omnipotens, qui est ubique præsens, nec concretus nobis, nec remotus a nobis, exaudiens Martyrum preces per Angelica ministeria usquequaque diffusa præbet hominibus ista solatia.* Sed et in libro 7. *De baptismo* contra Donatistas, sub initium: *Adjuvet itaque nos in orationibus* (ait de S. Cypriano loquens) *in istius carnis mortalitate, tamquam in caliginata nube laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur.* — Missos facio omnes alios celebres posteriores ejusdem veritatis assertores, qui constanti traditione a Patribus acceptum Sanctos invocandi ritum, ad nos usque propagarunt: sat enim est demonstrasse illos sanctissimos Ecclesiæ Doctores, quorum tempore adhuc illibatam viguisse fidem ac puram Evangelii doctrinam non denegant hæretici, ut inde constet illos nefario errore detineri, dum Sanctos invocare grande piaculum deputant.

Probatur insuper hac ratione: Si superstitiosum vel illicitum esset Sanctorum opem implorare, maxime *vel* quia hoc redundaret in Christi injuriam: *vel* quia ipsi nos orantes et interpellantes audire non possunt: *vel* quia non possunt opem et subsidium ferre: *vel* quia nolunt: at nullum istorum verum est: igitur Sanctos interpellare et invocare non est illicitum. *Majorem* admittunt hæretici, his namque potissimum quatuor capitibus Sanctorum interpellationem impugnant. Probatur *minor* quantum ad singulas partes: *Primo* namque certum est Sanctorum invocationem non esse Christo injuriosam, tum quia absque Christi injuria oramus Sanctos, et viros justos viventes, ut pro nobis Christum obsecrent: quidni igitur etiam citra injuriam Christi licebit interpellare vita functos? quippe qui non aliter eos, quam apud nos viventes invocemus, hoc est, non ut Deos, nec ut Christos, sed ut amicos Dei, et Christi. Tum quia non invocamus Sanctos, ut gratiam

largiantur, vel remissionem peccatorum conferant, vel alia beneficia impendant, sed ut suis precibus apud Deum agant, quatenus ipse bonorum omnium auctor et largitor, a nobis postulata et expetita largiri dignetur. Tum quia non illos interpellamus, ut mediatores redemptionis: unus siquidem et solus redemptionis mediator Christus est: sed ut mediatores intercessionis, non quidem primarios et principales (hanc enim dignitatem solus Christus sibi vindicat), sed ut intercessores secundarios et minus principales, quorum preces omnem vim et efficaciam ex Christi meritis obtineant: igitur cum Christi gloriæ et ministerii dignitati nihil detrahat sanctorum virorum interpellatio, nec etiam derogare censenda est invocatio eorum, qui licet vita corporea sint functi, nihilominus vivunt apud Deum, penes quem est fons vitæ. Nec etiam illicita et frustranea foret Sanctorum invocatio, quia preces nostras audire non possent, ut ore fœtido contra hanc religiosam observantiam effutivit Calvinus, lib. 3. *Institutionum*, cap. 20. n. 24. *Quis tam*, inquit, *usque longas esse illi aures revelavit, quæ ad aures nostras porrigantur: oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris advigilent?* Dico enim quod etsi Sancti in Cælis degentes corporis aures et oculos non habeant (si beatam Virginem, et eos qui cum Christo resurrexerunt excipias), habent tamen oculos et aures spirituales, quales sunt in Angelis, qui Lucæ 15. lætantur *de conversione peccatoris:* quales habuit Samuel, qui 1. Reg. 9. Sauli indicavit asinas, quas quærebat, inventas esse: quales habuit Elisæus, dum 4. Reg. 6. intima Regis Assyriorum consilia penetrabat, et illa Israëlitarum Regi renuntiabat. Cum enim Sancti clara Dei visione illustrentur, omnia quæ ad eorum statum pertinent intuentur, et audiunt. Hinc S. Ambrosius, lib. *De Viduis*, Martyres appellat spectatores vitæ, actuumque nostrorum. Unde S. Gregorius Magnus lib. 4. *Dialog.*, cap. 33. *Quia*, inquit, *in illa æterna felicitate omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?*

Idipsum probat S. Augustinus, lib. 2. *De Civitat. Dei*, cap. 29. allato exemplo Elisæi. — *Nec refert*, quod idem Augustinus, lib. *De Cura pro mortuis gerenda*, videatur asserere Sanctos ignorare quæ agantur, sed vel ab Angelis audire posse, vel revelante spiritu Dei; nam c. 16. cum dixisset Martyres ipsos interdum præsentes adesse supplicantibus, ut opem suam invocantibus præbeant, quod probat exemplo S. Felicis, qui visibiliter apparuit Nolanis civibus, ut illos a barbarorum obsidione liberaret: subinde dubitans proponit utrum *Martyres per seipsos adsint uno tempore tam diversis locis, et opitulentur iis, quos per eos certum est adjurari, an iis generaliter orantibus pro indigentia supplicantium. Deus exaudiens Martyrum preces, per Angelica ministeria usquequaque diffusa præbeat hominibus ista solatia*, etc. *Res hæc altior est*, inquit *quam ut a me possit attingi, et abstrusior, quam ut a me valeat perscrutari: et ideo quidquid horum duorum sit, an vero fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo: mallem a scientibus ista perquirere.* — At illud ipsum, quod hæsitando in medium protulit Augustinus, et probabile putavit, asseverantius docuit Hieronymus, Sanctos

neutiquam certis affixos esse sedibus, ut huc, illucque volitare ad opem ferendam nequeant: et hoc arguentem Vigilantium acriori oratione pungens ab veterno excitat. *Ais*, inquit, *vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum, et Martyrum consedisse: nec posse suis tumulis, et ubi voluerint, adesse præsentes? Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere: sed in libera, honestaque custodia in Fortunatorum insulis, et in campis Elisiis recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: Sequuntur Agnum, quocumque ierit? Si Agnus ubique, ergo et hi, qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus, et dæmones toto vagentur orbe, et celeritate nimia ubique præsentes sint; Martyres, post effusionem sanguinis sui, arca operientur inclusi, et inde exire non poterunt? — Non etiam tertium*, nempe quod ea auctoritate non valent, ut aliquid suis precibus pro nobis a Deo impetrent: nam, ut ait S. Augustinus, Sermone 1. *De Sancto Stephano: Commendemus nos orationibus ejus, multo magis enim nunc exaudietur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est pro lapidatoribus.* Idem supra contra Vigilantium urgebat sanctus Hieronymus. Quapropter S. Bernardus Sermone *in Vigilia Sanctorum: Nos tria*, inquit, *in festivitatibus Sanctorum considerare debere: auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram. Auxilium ejus, quia potens in terra, potentior est in cœlis ante faciem Domini Dei sui, etc.* — Non denique, quia nolunt: 'eninvero si dum mortales viverent, tanta erga proximum charitate flagrarunt, ut eorum unusquisque cum Apostolo dicere posset: *Cupiebam anathema esse a Christo pro fratribus meis*, quanto ferventior et constantior erit eorum amor in proximum, non tantum gratia sanctificante excitatus, sed et gloria consummatus? Unde S. Bernardus loco mox laudato: *Si Sanctus, dum hic viveret, misertus est peccatoribus, et oravit pro illis: nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem, qui beata illa patria charitatem ejus non immutavit, sed augmentavit: nec enim quia impassibilis omnino, ideo et incompassibilis factus est, sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existat.*

His adde quod, ut inquit Seraphicus Doctor in 4. dist. 45. quæst. ult. Deus decrevit, et voluit quod Sanctos rogaremus triplici ex causa, scilicet propter nostram inopiam, Sanctorum gloriam, et Dei reverentiam.. *Propter inopiam in merendo*, ut ubi nostra non suppetunt merita, patrocinentur aliena. *Propter inopiam in contemplando*, ut qui non possumus summam lucem aspicere in se, aspiciamus in Sanctis. *Propter inopiam in amando*, quia miser homo se magis sentit affici circa unum Sanctum, quam etiam circa Deum. Ideo compassus nostræ inopiæ voluit nos rogare Sanctos, ac per hoc patet *primum;* quia ille qui ante erat indignus de se, rogando Sanctos, eorum patrocinio efficitur dignus. *Secunda causa* est Sanctorum gloria, quia Deus vult Sanctos suos glorificare, vult per eos miracula facere in corporibus, et salutem in animabus, ut ipsos laudemus: et hoc non tantum per supremos Sanctos, sed etiam infimos; unde sicut aliquis sanatur corporaliter invocando Petrum, alius e converso, sic et spiritualiter. Et sic patet

secundum, quia Deus vult honorem duliæ omnibus Sanctis dari. *Tertia causa* est Dei reverentia, ut peccator quia Deum offendit, quasi non audeat Deum in propria persona adire, sed amicorum patrocinium implorare. Et sic patet *tertium* objectum, quia bonum est aliquando a Deo resilire propter reverentiam.

Objiciunt 1. Hæretici varios Scripturæ textus: primo quidem illud Isaiæ 93. *Abraham nescivit nos, et Israël ignoravit nos.* Secundo illud Apostoli ad Rom. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Cum igitur non credamus in Sanctos, sed in Deum, non debemus illos, sed solum Deum invocare. Tertio illud 1. ad Timoth. 2. *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Et 1. Joan. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum:* igitur non debemus alium, quam Christum interpellare. — **Respondeo** *ad primum*, quod etsi tunc temporis Abraham, et Jacob non cognoverint, quæ apud Israëlitas agerentur, non est consequens, quod Sancti nunc in cælis degentes nesciant, quæ apud nos gerantur: siquidem illi Patriarchæ tunc cum cæteris justis erant in limbo, ubi clara Dei visione non illustrabantur. *Dico secundo*, Prophetam his verbis dumtaxat significare, quod illi Patriarchæ non cognoverint Israëlitas scientia et notitia approbationis, eo quod pro legitimis filiis ipsos non habuerint, quia Judæi per peccata a suorum Patriarcharum virtute deviantes, degeneres erant, et indigni qui Prophetarum virtute filii nominarentur. *Ad secundum dico*, Apostolum non asserere solum Deum esse invocandum omni prorsus invocatione, alioquin nec viros justos viventes, nec principes, aut alios homines pro qualibet gratia liceret interpellare; sed tantum loquitur de invocatione suprema, quæ latriæ cultum habet annexum, quæque in Deum tendit, tamquàm in potentissimum et uberrimum bonorum omnium largitorem et fontem. *Ad tertium dico*, Apostolum asserere Christum esse mediatorem unum, non tamen dicere eum esse unicum, quæ duo longe distincta sunt, nam vocabulum *unus* societatem alterius includit, *unicus* autem excludit. *Deinde*, dico Apostolum loqui de mediatore redemptionis, subdit enim: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Idem sapit S. Joannes, nam addit: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Hoc autem genere mediationis non negamus Christum esse unicum mediatorem. Sancti autem, ut supra dicebamus, non dicuntur mediatores redemptionis, sed intercessionis. Hoc autem genus mediationis alteri a Christo competere non denegant Apostoli, quippe cum ipsi viventes fuerint interpellati, ut pro ipsis ad Deum preces funderent.

✳ " Objicies 2. Canonem 35. Concilii Laodiceni quo, juxta Theodoreti interpretationem, *ad Coloss.*, cap. 2. illi damnantur qui docebant Angelos esse colendos. Hæc autem habet Canon: *Non oportet christianos derelicta Dei Ecclesia abire et ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere, etc.* — **Respondeo**, hunc Canonem edictum esse contra hæreticos angelicos, sic dictos, ex eo quod teste Epiphanio, Hær. 60. et Augustino, Hær. 39. Angelos cultu latriæ, soli Deo debito, colendos esse docerent: quod autem piam quamlibet Angelorum venerationem non damnet Canon, nec etiam Theodoretus, constat ex eo quod præcedente Canone 34. veri martyris cultus religiosus reci-

pitur, falsorum vero martyrum superstitiosa veneratio prohibetur. Quis autem credat sanctam synodum Canone immediate sequenti rescidisse pium cultum Angelorum qui naturæ et gratiæ donis omnes fere sanctos excellunt. Theodoretus vero non tantum veneratur Angelos, sed eosdem nostræ salutis administros, nostrosque apud Deum intercessores et patronos esse constanter affirmat, ut videre est lib. *Divin. Decret.*, 5. *De Angelis, et in Danielem*, cap. 1. *Respondeo secundo* cum Baronio, ad annum Christi 60. num. 20. et seq. quod sicut præcedenti Canone falsorum martyrum, ita falsorum Angelorum hic cultus prohibetur. Falsos autem Angelos quos gentiles et magi religiose colebant genios fuisse ait Baronius, quorum gratia diem natalitium celebrantes, affines et amicos suos convocabant, et hoc est quod notat his verbis: *et ad Angelos idololatriæ abominandæ* (hoc est ab idololatris adoratos) *congregationes facere.* Probabilius tamen judicat per falsos Angelos intelligi debere dæmones, quos cum illi ad magias suas perficiendas invocarent, a Patribus hujus concilii idololatræ nominati sunt. Cum vero ad imposturas suas honesto nomine velandas profiterentur se Angelos invocare, ut ait Tertullianus, in *Apologet.*, cap. 23. idololatræ occulti nuncupabantur. Hæ responsiones sequentibus ejusdem Canonis verbis confirmantur: *Quicumque autem inventus fuerit occulte huic idololatriæ vacans, anathema sit: quoniam derelinquens Dominum Jesum Christum Filium Dei, accessit ad idola.* At honor quem Angelis exhibemus cum non sit latriæ, idololatria dici non potest, nec ipsi Angeli idola appellari possunt. Ergo longe alium a nostro damnat cultum synodus laudata. " ✳

Objiciunt 3. Varias SS. Patrum trium priorum sæculorum auctoritates: maxime Ignatii, Epistola ad Philadelphenses: Irenæi, lib. 2. cap. 57; Tertulliani, in *Apologetico*, cap. 30; Clementis Alexandrini, libro *Stromatum*, cap. 8; Origenis, *Contra Celsum*, lib. 8. quibus prætati Doctores significant neminem præter Deum invocandum esse. — **Verum respondeo** ex omnibus illis auctoritatibus, quas colligit et objicit Molinæus, in cap. 7. libri qui *Papismi novitas* inscribitur, nihil contra Catholicum dogma, et Sanctorum invocationem legitime interri posse. *Primo* namque ad auctoritatem Ignatii, quam his verbis conceptam profert: *Virgines solum Christum præ oculis habere, et ejus Patrem in animabus vestris illuminatæ a Spiritu sancto:* dico istam sententiam, in germana epistolarum illarum editione, quæ nuper e Florentino codice est typis exarata, non occurrere, sicut nec in veteri editione latina. *Deinde*, etiamsi præfata verba sint Ignatii, nihil hinc præsidii hæreticis affulget; solum enim monet Ignatius inter orandum, Deum habere præsentem: quod utique fit, cum etiam ad ipsum per Sanctos intercessiones dirigimus: nec particula, *solum*, ibi vim habet exclusionis, alioqui inter orandum non oporteret ullatenus cogitare de Spiritu sancto; siquidem solum Christum, ejusque Patrem præ oculis habere monet Ignatius. *Ad S. Irenæum* dico, illum ibi exagitare hæreticos Valentinianos, qui Æonas suos, et falsos Angelos invocabant, atque incantationibus operam dabant, quod execratur Ecclesia; *Quæ*, inquit, *munde, et pure, et manifeste orationes dirigit ad Deum, qui omnia facit, et nomen Domini nostri Jesu Christi invocat.* Nihil autem simile profanum quid admittit qui Sanctos vel Angelos colit et in-

vocat. *Ad Tertullianum* dico, illum ibi redarguere Gentiles criminantes Christianos, quod pro salute Imperatorum Diis non supplicabant, eosque irridet, quod illam salutem postulent a Diis, qui dare nequeunt. Tum ista subjicit: *Hæc ab alio orare non possum, quam a quo scio me consecuturum: quoniam et ipse est, qui solus præstat.* Itaque ibi Tertullianus opponit dæmonibus omnium bonorum vacuis principalem bonorum omnium largitorem; non vero excludit intercessionem Sanctorum Angelorum, aut virorum. *Ad Origenem* dicentem soli supremo Deo esse supplicandum, dico illum dumtaxat excludere supplicationem faciendam idolis ac dæmonibus; cum enim Celsus dixisset: *Non soli Deo, sed etiam dæmonibus, propterea quod Dii sint, credendum esse, ac litandum.* Respondet Origenes: *Apage consilium illud Celsi dicentis, supplicandum esse dæmonibus. Non enim ullo modo ei auscultandum est. Quippe solus est orandus supremus Deus: sed et Unigenitus ejus orandus, ac primogenitus omnis creaturæ, hoc est Verbum Dei: et postulandum ut ipse, tamquam Pontifex, orationem nostram, quæ ad ipsum pervenerit, ad Deum suum, Deumque nostrum perferre velit.* Manifestum est igitur illum supremum honorem, quem Celsus dæmonibus adhiberi volebat, Origenem asseruisse soli Deo esse deferendum. Non excludit ergo intercessionem Sanctorum, qui inferiores Christo mediatores existunt. *Denique* ad Clementem Alexandrinum dico, eum reprehendere Gentiles, quod ab illis, qui non sunt Dii, tamquam a Diis aliquid petant, *Extrema*, inquit, *est insciția, ab iis, qui non sunt Dii, tamquam a Diis petere, vel ea petere, quæ non conducunt: dum per bonorum speciem nobis mala postulamus. Unde merito cum unus sit bonus Deus, ab ipso solo bonorum alia dari, alia conservari, orantes petimus tam nos, quam Angeli.* Culpat ergo dumtaxat eos, qui ab alio, quam a Deo bonorum omnium largitore aliquid obtinere posse existimabant: at dum Sanctos interpellamus, non ab alio expectamus postulationis nostræ effectum, quam ab ipso Deo, quem Sanctorum suffragante beneficio convenimus, et exoramus: igitur non est cur tantopere in præfatis testimoniis sui erroris apertum patrocinium habere glorientur hæretici.

Objiciunt 4. Christus non solum sua morte, verum etiam suis precibus nobis promeruit omnes gratias, omniaque dona nobis a Deo conferenda: et insuper semper vivit ad interpellandum pro nobis: igitur superfluæ sunt Sanctorum preces, et vana eorum interpellatio.— **Nego consequentiam**, sicut enim Christus quamquam omnem gratiam nobis per suam mortem fuerit promeritus, nihilominus voluit illam per sacramenta potissimum nobis conferri, ita pariter licet suis precibus omnia dona nobis necessaria meruerit, tamen plurima dumtaxat ad instantiam et preces Sanctorum tam vivorum, quam mortuorum, nobis conferre decrevit. — *Adde quod* si hac ratione illicitæ forent Sanctorum preces et invocationes, sequeretur etiam culpandas nostras ad Deum postulationes, nec nos posse quidpiam a Deo postulare citra injuriam Christi orationis merito irrogatam.

Objiciunt 5. Ex illa Sanctorum invocatione sequi nos illos tamquam Patronos et protectores venerari: at illud derogat gloriæ Dei, quem ut unicum protectorem et auxiliatorem tenemur invocare: igitur, etc. — **Distinguo majorem**: ut Patronos et protectores, qui au-

ctoritate ac potestate sua absoluta nos tueantur, nego : qui suis precibus Dei protectionem et auxilium nobis obtineant, concedo. Et similiter distincta *minore* nego *consequentiam*. Nulla enim inde Deo irrogatur injuria, quod apud ipsum eos intercessores habeamus, quos tamquam amantissimos filios æterna felicitate donavit. Hinc omnes SS. Patres supra laudati non dubitant Sanctos, ut protectores, et patronos interpellare. Sic maxime S. Basilius Oratione 40. *De Martyribus*, ait : « O sanctum chorum ! o sacrum ordinem ! o cuneum impugnabi-« lem ! o communes humani generis custodes ! optimi curarum socii, « precum, ac votorum invicem suffragatores legati apud Deum poten-« tissimi » !

Objiciunt 6. Sancti non possunt attendere ad tot orationes, quæ ubique terrarum ad eos simul diriguntur : igitur earum plurimæ sunt frustraneæ. — **Distinguo antecedens:** si vim naturalem eorum intellectus dumtaxat spectes, transeat : si attendas divinam illustrationem, quæ fit per lumen gloriæ ad claram et intuitivam visionem Dei, eorum intellectum promoventis ac sublimantis, nego. Quemadmodum enim non obstante illa naturali humanæ mentis debilitate in tantum roborari potest intellectiva facultas, ut ad intuitivum Dei conspectum assurgat, poterit longe majori facilitate percipere omnia prorsus humana, quæ ad eorum statum spectant.

SECTIO TERTIA.

DE EXIMIA DEIPARÆ VIRGINIS DIGNITATE AC VENERATIONE.

Quod peculiarem de præcellentibus Deiparæ Virginis dotibus, ac speciali cultu ei debito, disputationem ordine præpostero ad hujus Tractatus calcem adjiciendam esse duxerim, non absre tactum est ; congruum namque censui, ut quæ ineffabilis Incarnati Verbi Œconomiæ principium extitit, ejusdem mysterii Tractatui coronidem imponeret. Postquam igitur de Christi Dei et hominis eximiis præcellentiis et dotibus, quantum pro modulo nostro licuit, hucusque disputatum est ; ne aliqua ex parte hic Tractatus deficiens et vacuus appareret, rationi consentaneum duxi, nonnulla de sacratissima ejusdem Incarnati Verbi Genitricis commendatione disputare. Verum *cum omni laudum lege, o Virgo, gloriæ tuæ major sit excellentia*, ajebat S. Damascenus ; eadem animum meum subit cogitatio, qua percitus fuit S. Basilius Seleucus, dum orationem de Annuntiatione faciens, sic scribit : *Copiosam encomiorum materiam comperiet, qui sacram Deiparam Virginem laudibus efferre instituerit. Ego vero cum non ignorem infirmitatem meam, tantarum rerum ponderi haudquaquam parem esse, mole exterritus multum, diuque me continui. Nec enim quorumlibet est promeritas Virgini laudes persolvere, sed eorum, qui divinæ gratiæ lumine insigniter illustrati sunt.* Non etiam is mihi est animus per singulas ejusdem nusquam satis celebrandæ Virginis præcellentias excurrere, sed dumtaxat referre ac resolvere eas omnes controversias, quæ tum ab hæreticis, tum etiam a nonnullis viris Catholicis proponi solent, et agitari. — Sex itaque maxime occurrunt hic determinanda : *Primum*, utrum Deipara ab omni prorsus originali peccato immunis fuerit, et

ejus Conceptio omnino immaculata. *Secundum*, an expers fuerit omnis omnino peccati tam mortalis, quam venialis. *Tertium*, an illibata Virginitate semper fuerit illustris. *Quartum*, an dignitate Matris Dei, et appellatione sit honoranda. *Quintum*, utrum non solum anima, sed et corpore in cælo recepta sit. *Sextum* tandem, quis et qualis sit specialis cultus ei debitus.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM VIRGO DEIPARA AB OMNI ORIGINALIS PECCATI CONTAGIONE ET MACULA IMMUNIS FUERIT, EJUSQUE CONCEPTIO DICENDA SIT OMNINO IMMACULATA.

Notandum 1. Triplicem distingui posse Deiparæ Virginis Conceptionem: nimirum corpoream, spiritualem, et divinam. *Prima* est, qua ipsius sanctissimi Parentes opere maritali invicem convenientes præstiterunt ea quæ maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem, et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam, quam utique conceptionem Doctores *activam* appellare solent. *Secunda* est ipsa animæ infusio et unio cum corpore debite organizato, quæ vulgo nominatur *conceptio passiva*, quæ scilicet fit illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori omnibus membris ac suis organis constanti unitur. *Tertia* tandem est ea, qua ipsa Virgo B. per singularem Spiritus sancti in ea operationem, purissimum suum subministravit sanguinem ad Christi Domini corpus formandum, et organizandum. Hic autem non est sermo de hac posteriori conceptione, quam utique sanctissimam ac omnino immaculatam esse nullus Catholicorum ambigit. Quamquam autem præsens moveri posset controversia de conceptione corporea, utrum videlicet ante animæ rationalis infusionem corpus B. Virginis omni prorsus labe caruerit, fueritque munditia ac puritate conspicuum, quo decentius ac perfectius sanctissimæ ipsius animæ sacrarium fieret, præcipue tamen præsentis controversiæ cardo vertitur de Conceptione spirituali, seu passive sumpta; utrum videlicet eo instanti, quo anima ipsius B. Virginis unita fuit corpori, omnino expers fuerit illa hæreditaria macula, qua ex vitiata propagine et origine labefactari solent omnes omnino homines, qui opera maritali concipiuntur et nascuntur.

Notandum 2. Varias ac gravissimas pridem agitatas fuisse controversias de illibata et omnino immaculata Conceptione spiritali ac passiva Deiparæ Virginis, maxime vero circa annum 1142; cum enim Lugdunensis Ecclesia statuisset celebrandum esse festivum diem octavum mensis Decembris in honorem immaculatæ Conceptionis beatissimæ Virginis, hoc audiens S. Bernardus ægre tulit, et ad ejusdem Ecclesiæ Canonicos scripsit illam celebrem epistolam (si tamen revera genuinus illius sit fœtus) in qua inter cætera sic eos carpit: *Miramur satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum mutare colorem optimum, novam inducendo solemnitatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus?* Cum autem non obstante hac S. Bernardi reprehensione, invaluisset ardentissimus zelus erga Deiparæ Virginis illibatam Conceptionem, et eam denuo impugnare cœpissent

viri aliunde religiosi et pia in Virginem Deiparam devotione celebres, ejus tutelam, ac patrocinium suscepit Subtilis Doctor. Is enim in 3. d. 3. q. 1. u. 1. ubi primum de Immaculata Conceptione sermonem facit, non ita quidem assertive eam ibi propugnat, sed dumtaxat solvit omnes rationes, quibus illibata Virginis Conceptio impugnari videbatur. Nam cum dixisset, *Quod Deus potuit facere, quod ipsa* beata Virgo *numquam fuisset in peccato originali : potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, et in ultimo instanti illius temporis purgaretur.* Demum cum omni submissione, pro solita sua modestia ac humilitate, suam sententiam non assertive, sed dubitative profert, his verbis : *Quid autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit : si auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Mariæ :* nempe quod Deus illam ab originali peccato illæsam servaverit. Verum postmodum animosior tactus dist. 18. n. 13. absolute, et aperte pronuntiat, quod *B. Virgo mater Dei nunquam fuit inimica actualiter, ratione peccati actualis, nec ratione originalis: fuisset tamen, nisi fuisset præservata.* Quam utique sententiam solemnibus disputationibus et concertationibus assiduis ita feliciter propugnavit, ut in eam omnes celebriores doctores, maxime vero Parisienses pellexerit. — « Nam (ut refert Cavellus in Rosario sæculo 14.) jussu « summi Pontificis habita solemni disputatione coram Facultate Pa- « risiensi, præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis, de Immaculata Con- « ceptione tanta ingenii subtilitate, tanta solutionum facilitate et perspi- « cuitate, omnia adversa argumenta mira dexteritate confregit et « retellit, suamque piam sententiam de Conceptione Mariana, ipsius « Mariæ fretus auxilio, argumentorum pondere, tot tamque urgentibus « rationibus comprobavit et munivit, quod celeberrimam illam facul- « tatem matrem Universitatum in suam piam traxerit sententiam : « quæ in gratificationem nomine *Doctoris Subtilis* ipsum condecoravit : « et acerrimis ejus disputationibus inducta, sacrum illud et celebre « Marianum decretum condidit, ne scilicet imposterum quisquam ad « magisterii gradum admitteretur, qui tota vita se propugnaturum « Immaculatam Conceptionem jure-jurando non adstringeret. Postea « Scotus Coloniam profectus victoriam pro Immaculata Conceptione « ex discipulis *Alberti Magni* reportavit : et nomen *Doctoris Subtilis* « ibi denuo est solemniter acclamatum. Fertur etiam a Pontifice in « præmium eidem datum ». Hactenus Cavellus. Illud ipsum confirmat Bosius *De signis Ecclesiæ*, tom. 1. fig. 38. lib. 9. cap. 8. ubi ait : *Conceptionis porro festum Scoti acutissimi Theologi doctrina maxime confirmatum, etc.* Salazar, cap. 42. sæculo 14. *Joannes Duns Scotus præcipuus ac maximus puræ Conceptionis vindex, qui tantam huic doctrinæ suæ auctoritate fidem comparavit, quantam nullus alius ante, vel post ipsum.* Et cap. 13. n. 1. *Subtilissimus Doctor, quemadmodum omnibus Theologis Immaculatæ Conceptionis propugnandæ auctor extitit, ita etiam nihil prætermisit, quod in hac re ad majorem Virginis gloriam facere possit.* De Parisiensi autem disputatione ita scribit Bernardinus de Bustis in officio Immaculatæ Conceptionis a Sixto IV. approbato lectione 1. *Dominus noster Jesus Christus ad protegendam dilectæ Matris dignitatem, Scotum Ordinis Minorum Doctorem eximium*

ad civitatem illam protinus destinavit, qui adversariorum fundamentis, argumentisque omnibus inconvincibili sermone confutatis, ita Conceptionis Dominæ innocentiam clarissime comprobavit, quod omnes illi Fratres sublimitatem ejus plurimum admirati, obmutescentes in disputando defecere. Quapropter opinio Minorum a Parisiensi studio illico approbatur. Neque mirum videri debet, quod piam de Immaculata Conceptione sententiam appellaverit *opinionem Minorum*; hoc enim nomine primitus vulgabatur, ut patet ex Abbate Panormitano, cap. *conquestus de feriis*, et Joanne Varsone in 3. dist. 3. et Salazar, cap. 42. sect. 15. Unde Hieronymus Hormachea in Cantic. Proleg. 3. cap. 180. *Jure optimo Religionem Seraphicam appellare possumus vexilliferam in hac pia sententia de Immaculata Conceptione, etc.* Quoniam post Doctorem Subtilem, totus Ordo Seraphicus in eam sententiam propugnandam conspiravit, donec accedente totius sacræ Facultatis Parisiensis auctoritate, studio ac indefesso labore factum est, ut hæc pia sententia per omnes Christiani orbis plagas propagaretur, et ita invalesceret, ut non jam solius Ordinis Minorum opinio, sed omnium Christi fidelium esse videatur. Hic non refero alias hac de re postmodum subortas controversias, quas in hujus Quæstionis decursu aperiemus.

Notandum 3. Immaculatæ Conceptionis nomine nihil aliud (ex sententia omnium Doctorum, qui ab exorta circa eam in scholis controversia scripserunt) intelligi debere, quam carentiam maculæ peccati originalis in ipsa B. Virgine illo primo instanti, quo ipsius anima corpori fuit unita, ac vere potuit affirmari, *concepta est Maria*; ita ut omnes hæ propositiones, quas passim reperies apud Auctores, qui de ista Immaculata Conceptione scripserunt, sint omnino æquivalentes, et eamdem prorsus significationem obtineant, puta, Conceptio B. Virginis est immaculata: *aut* B. Virgo in primo instanti suæ animationis fuit munda et immunis ab originali peccato: *aut* Beata Virgo, præveniente et operante divina gratia, numquam actualiter subjacuit peccato originali: *vel* B. Virgo peccatum originale non contraxit: *vel* B. Virgo in primo instanti sui esse habuit gratiam sanctificantem: *vel* Beata Virgo a peccato originali fuit præservata: et plures aliæ similes propositiones, quæ indiscriminatim a Doctoribus, verbis dumtaxat variatis, sed eodem vigente sensu, ad explicandam hanc piam sententiam usurpantur; adeo ut qui quamlibet illarum proferret, ita aperte Conceptionem immaculatam enuntiaret, ac si prædictis omnibus propositionibus et loquendi modis simul uteretur. Cujus ratio est, quod etsi vox *immaculata* latius pateat, quam puritas ab originali peccato; attamen dum additur Conceptioni, determinatur et restringitur ad solam culpæ originalis carentiam significandam; nam in instanti Conceptionis, nec alia contrahi potest macula, nec formaliter per gratiam præservantem impediri ac eliminari, quam quæ hæreditaria propagine a vitiata humani generis stirpe, in omnes homines grassatur. His ita prælibatis, sit

Conclusio unica. — Virgo Deipara revera immunis fuit ab originali peccato, et ab eo præservata per gratiam sanctificantem ipsi divinitus infusam in primo suæ Conceptionis aut animationis instanti. Hæc Conclusio firmari potest gravissimis mo-

mentis, quæ, majoris claritatis et methodicæ disputationis gratia, proponemus et expendemus sequentibus in paragraphis.

§ I. — Deiparæ Virginis Immaculata Conceptio et animatio ex Scriptura sacra non obscure colligitur. — Merito Christus Dominus dicebat Joan. 5. *Scrutamini scripturas... et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me,* ut Judæorum ignorantiam, et cæcitatem oblique perstringeret, quod cum se in sacris litteris peritissimos esse putarent, eum esse verum Messiam tot oraculis repromissum non deprehenderent: quamquam enim ejusmodi verba de seipso dumtaxat pronuntiaverit adorandus ille Salvator, attamen per sensum accommodatitium eadem usurpare potest B. Virgo. Quamquam enim, ut docet S. Thomas 3. part. q. 27. art. 1. *Quod de sanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica tradatur,* attamen quia inquit S.Paulus 2. ad Timoth. 3. *Omnis sacra Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo, ad omne opus bonum instructus.* Et ut egregie docet Subtilis Doctor quæst. 2. Prologi ad 1. argumentum principale: *Nulla scientia omnia scienda* (in ipsa scilicet) *explicavit; sed illa, ex quibus possunt alia sufficienter elici: unde multæ veritates necessariæ, non exprimuntur in sacra Scriptura, et ibi virtualiter continentur: sicut conclusiones in principiis, circa quarum investigationem utilis fuit labor Expositorum, et Doctorum:* hinc est quod si divina Scripturarum oracula scrutemur, idest, profunda mentis attentione perpendamus et consideremus maxime secundum interpretationem SS. Patrum, et celebriorum Ecclesiæ Doctorum, reperiemus plurima, quæ Virginis Deiparæ, immaculatæ ac purissimæ Conceptioni patrocinantur. Ex innumeris autem ejusmodi Oraculis, quæ huic veritati testimonium perhibent, selectiora quædam proponam.

Primum sit illud Genes. 3. ubi Deus serpentem mulieris expugnatorem alloquens ait v. 15. *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Quibus verbis significabat *Non istam Evam,* inquit Lyranus noster, *sed aliam ab ea descendentem, scilicet Virginem Mariam, quæ est infesta dæmonibus; unde Canticorum 3. dicitur: terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cujus rei perspicuam rationem reddit S. Hieronymus, vel quisquis est auctor epistolæ ad Amicum ægrotum de viro perfecto: *Mater Domini,* inquit, *in illa jam muliere promissa est: hæc inimicitiis opposita est serpentis. Et ne hoc ad Evam pertinere videretur, non dixit, pono, sed ponam, illam indicans mulierem, quæ Salvatorem pariat, non quæ generet fratricidam.* Cui præluserat S. Cyprianus lib 2. *Testimon. adversus Judæos,* cap. 9. *Verbum promissionis est,* inquit, *quod transmittitur in futura. Non dixit pono, ne ad Evam pertinere videretur; sed ponam, idest, suscitabo contra te mulierem.* Alteram ejusdem significationis rationem profert S. Epiphanius lib. 3. *adversus hæresos,* quam colligit ex his verbis, inter semen tuum, et semen illius: *Nusquam autem,* inquit, *reperitur semen solius mulieris, nisi in Maria; proinde non potest totum in Eva impleri.* Cui subscribit Rupertus lib. 3. *De Trinit.* cap. 19. cum ait: *Ita est semen, seu filius mulieris* (Christus), *ut non etiam sit semen viri,* et propterea non absque mysterio ab ea sola denominationem accepit. —

Ex hoc autem Oraculo triplex deprimi potest argumentum, quo probetur Virginis Deiparæ immaculata Conceptio: *Primum* quidem, perpetua fuit inimicitia, eaque intensissima inter Mariam et dæmonem serpentem: at si etiam per aliquod instans inquinata fuisset originali peccato, pro eo instanti non fuisset ipsius inimica, sed amica, utpote ei consentiens et subdita, et Deo minitanti, inimicitias ponam inter te, et Mariam, respondere posset serpens: sed ego prius per originalis culpæ vinculum amicitias cum ea jungam, arctiorem necessitudinem cum illa inibo, eam superabo, dejiciam, et in meorum captivorum numerum recensebo, similes iniquitate erimus, stabimus contra te infensi, et injurii, etc.; quæ omnia directe militant non solum in Dei gloriam, sed etiam in illius divini oraculi veritatem: igitur cum hostiles inimicitias Maria semper cum dæmone serpente habuerit, nullus sanæ mentis judicabit illam cum ipso per originale peccatum amicitias et fœdus iniisse. *Confirmatur:* Sicut enim amicitia vel supponit, vel efficit similitudinem et paritatem, sic et inimicitia dissimilitudinem et contrarietatem: *Hoc enim,* (inquit Rupertus mox laudatus) *a fraudibus inimicitiæ differunt, quod fraudes pacatum sermonis cujuslibet rei prætendunt superficiem: inimicitiæ vero manifestam contrarietatis habent intentionem:* igitur eatenus Maria dicitur inimica serpenti, quatenus ei dissimilis est: at nisi in primo instanti conceptionis suæ fuisset a Deo præservata a labe originalis culpæ, non potuisset dici absolute dissimilis serpenti: igitur ut illius divini Oraculi stet veritas, nec aliquod unquam vestigium similitudinis et amoris intercessisse existimetur, necessum est, quod etiam in primo instanti suæ conceptionis ipsa serpenti fuerit dissimilis, et adversaria. — *Secundum argumentum* petitur ex illis verbis, *Ipsa conteret caput tuum; nam,* (inquit S. Augustinus, vel quisquis est auctor Commentarii in Genes.) *cum subjectio peccati originalis caput sit diaboli: tale caput Maria contrivit, quia nulla peccati subjectio ingressum habuit in animam Virginis, et ideo ab omni macula immunis fuit.* Ex quibus hæc formari potest ratiocinatio: originale peccatum omnium peccatorum caput est, et initium, quod serpentini capitis more in omnia alia suum corpus, et influxum derivat, et sensim inducit: sed istud serpentinum caput Maria contrivit: igitur a pestilenti ejus afflatu et morsu omnino immunis fuit et libera. — *Tertium denique argumentum* colligi potest ex illis verbis, *Insidiaberis calcaneo ejus,* hoc est, illius vitæ exordium frustra labefactare ac infestare tentabis; ex quibus sic argumentor: si beatæ Virginis Conceptionem, et primum illius animationis instans suis insidiis ac fraudibus per originale peccatum surripuisset ac deturpasset dæmon, illius calcaneus dici posset fœdatus, nec exinde aliquam sibi pulchritudinem ac dignitatem Virgo Deipara vindicaret: at illa maxime commendatur ex calceamentis, appropriatur enim ei istud Cantic. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* quasi diceret: gressuum tuorum pulchritudo, ac rectitudo viarum, ex quo primum movisti pedem, inde maxime celebratur, quia semper es filia Principis, primogenita dilectionis ejus, et electa genitrix. Eva peccati quidem ancilla, cæteri filii vindictæ, filii gehennæ, dum formantur, et primum gressum ad vitam faciunt, ruunt in mortem: tu vero in tuæ Conceptionis transcensu, non minus

pulchre quam confidenter gressum facis. — Quam utique interpretationem sic egregie explicat Rupertus, cum ait: *De calceamentis hic agitur non corporis, sed spiritus, in quo discalceatum esse, summa est ignobilitas, et plusquam servilis egestas: idcirco ancillæ calcaneum serpens momordit, tu autem, filia Principis, bene calceata, caput serpentis contrivisti. Tu maxime, o Princeps, et Domina singularis dilecta, etc.*

Secundum Testimonium, Deiparæ Virginis immaculatam Conceptionem demonstrans, petitur ex illis verbis Numer. 24. *Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israël: et percuties duces Moab, etc.* Ex quibus verbis triplex colligitur argumentum ad illam Deiparæ Conceptionis puritatem evincendam. *Primum* quidem, Maria dicitur stella, nam, ut præclare ait S. Bernardinus Senensis, Sermone de glorioso nomine Virginis art. 1. cap. 3. *Ante adventum hujus Virginis, peccati nebula totum mundum occupaverat, ut non esset, qui verum lumen videre posset: erant enim Gentes omnes nebulæ turbinibus agitatæ, ut dicitur* 2. Petri 2. *Proinde in tenebris morabantur, unde merito de talibus.* Nahum 1. *Scriptum est: inimicos ejus prosequentur tenebræ. Tandem processit B. Virgo sicut fulgida stella, ut de ea dici possit illud* Eccles. 50. *Quasi stella matutina in medio nebulæ, etc.* at stella nusquam tenebris, ac caligine infuscatur: concludendum ergo cum nostro Mayronio Serm. de Concept. B. Mariæ, *quod sicut lux Auroræ oriente sole, mane absque nubibus rutilat, ita anima Virginis semper resplenduit absque nubibus peccatorum.* Omnes quidem Adæ posteri originario piaculo obnubilati concipiuntur, sola Maria inter omnes innocens et immaculata eminus promicabat. De cæteris quidem Job ait, cap. 3. *Obtenebrentur stellæ caligine ejus. Expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Quæ verba sic expendit Lyranus noster, ut refert Pelbartus lib. 4. part. 1. art. 3. *Ibi Job loquitur de reatu originalis peccati: et ideo dicit:* obtenebrentur stellæ, *idest, Sancti, caligine ejus: expectet lucem, idest, Christum: et hunc non videat: eo quod Christus supernaturaliter ex Virgine conceptus, originale peccatum contrahere non potuit. Sequitur:* nec ortum surgentis Auroræ, *idest, Conceptum Mariæ, quæ figuratur per auroram.* Cantic. 6. His adde quod beatissima Virgo non solum stellæ, sed et lunæ ac solis nomine celebretur; ipsi namque Ecclesia attribuere solet Cant. 6. verba *Progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol:* quibus significat omnem omnino innocentiæ splendorem, ac puritatis et virtutis lumen, quod alicui creaturæ conferre Deus potuit, ubertim in eam derivasse. Quocirca non abs re sentire possumus Deum idem in ordine gratiæ fuisse auspicatum, quod in ordine naturæ prius molitus fuerat: quemadmodum enim tria corporum genera, nempe solem, lunam, ac stellas, splendore micantia formavit, ita quod in primo eorum formationis exordio lumine circumfusa fuerint ac supervestita, sic et Christum Dominum verum justitiæ solem, Virginem ejus genitricem, lunam istam mirabilem, necnon et Angelos veluti tot stellas in æternæ beatitudinis firmamento fulgentes, gratiæ divinæ luce coruscantes, ac illustratos in primo eorum formationis instanti producere voluit. Ex his itaque constat beatissimam Virginem nullis unquam peccati tenebris infuscatam fuisse, ac subinde originalis labis prorsus expertem. — *Secundum argumentum* deducitur ex sequentibus ejusdem

Oraculi verbis: *Et consurget virga de Israël;* nam Isaias vaticinatus fuerat cap. 11. *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet:* quæ verba sic expendit S. Hieronymus ibidem: *Nos autem virgam de radice Jesse sanctam Virginem Mariam intelligamus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem:* at si beata Virgo maculata fuisset aliquo peccato, haud dubie non solum fruticem, sed et nodositatem cohærentem habuisset: concludendum ergo cum S. Anselmo lib. 2. *De Conceptu Virginali,* cap. 9. *Ego piissima Domina, qualiscumque servulus credo, et fateor, quod ex radice Jesse pulcherrima, ac per hoc ab omni, quod te decoloret, peccati vulnere aliena, integerrima permanens, florem pretiosissimum protulisti, non qualemcumque, sed super quem septiformis Spiritus requiescit.* Vel ut clarius habet S. Ambrosius in Sermone *De Gabaonitis* explicans eadem Isaiæ verba: *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* Nec refert, quod iste sermo non inveniatur inter opera sancti Ambrosii typis excusa; nam plurimi quos laudat noster de Aula in *Trituratione* pag. 133. cum Michaële de Carchano in Sermone *De Pœnitentia* impresso anno 1496. fidem faciunt se sermonem istum inter sancti Ambrosii opera legisse: unde etiam præfata verba inserta sunt in Officio Conceptionis, quod ab Ordine Seraphico ex approbatione Apostolica recitatur. — *Tertium denique argumentum* peti potest ex illis verbis ejusdem vaticinii: *Et percuties duces Moab:* notum est enim dæmones nomine *Moab* non obscure designari: quemadmodum enim *Moabitæ* semper Israëlitis fuerunt infensi, sic et dæmones hominibus, maxime fidelibus ac virtute præditis, perpetuum et infestum bellum denuntiant. At eos omnes Virgo Dei genitrix illa mystica virga non solum integerrimæ suæ vitæ tempore percussit, ac eorum fraudes dissolvit, et tentationes irritavit; sed et in suæ Conceptionis ac Nativitatis exordio eorum potentiam fregit. Quod egregie explicat Rupertus lib. 1. *In Cantica,* cap. 1. ubi conferens hanc mysticam virgam cum Virga Moysis, ait: *Sicut virga illa virgas maleficorum et incantatorum devoravit, et omnem superbiam Ægyptiacam obtrivit, ac deinde germinavit, floruit, fronduit, et fructum protulit, non plantata, non succo terræ animata, sed virtute cœlesti supra usum naturæ provecta: sic tu, pulcherrima mulierum, amica mea, cunctam pravitatem hæreticam interemisti, superbiam diaboli dejecisti, conceptu florida, partu fructifera, etc.* Eamdem veritatem præclare illustrat S. Bernardus tom. 1. *In deprecatione ad gloriam Virginis,* postquam dixerat: *Tu terribilis ut castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt, præter morem, armatura omni fortiore instructam, contra se procedere fœminam fortem, ad bella doctissimam, cujus ensis super fœmur suum propter timores nocturnos? In circuitu ejus acies valida spiritualium virtutum, suo se invicem ordine tuentium, etc.* Sic processit in sua Conceptione Maria. Satis indicat hoc id quod sequitur: *utpote qui* (Angeli scilicet) *custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes invaderet.*

Plurima eamdem veritatem comprobantia oracula nobis subministrat Psalmista Regius: at ne longior sim, unum aut alterum dumtaxat profero. *Primum* sit illud Psal. 45. *Sanctificavit tabernaculum*

suum Altissimus: Deus in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo. Nemo namque negare potest Virginem Deiparam esse revera Altissimi tabernaculum, quia quem cæli capere non poterant suo gremio complexa est. Quod utique tabernaculum sanctificavit Altissimus ineffabili prorsus ac longe præstantiori modo, quam quaslibet alias animas sanctitate præcellentes, in quibus etiam habitare dicitur. Sunt enim plurimi, quos dumtaxat *in vespere* mortis sanctificat, ut latro pœnitens: alii quos in ætate provecta, et velut in vitæ *meridie* a vitiis ad sanctimoniæ statum evocat, ut sanctus Paulus, Magdalena, etc. Sunt etiam quos *mane* prævenit in benedictionibus dulcedinis, eos videlicet prius sanctificando, quam in lucem apertam per nativitatem prodeant, ut de Jeremia, ac Joanne Baptista vaticinatum fuerat Jeremiæ 1. *Antequam exires de vulva sanctificavi te.* Verum beatissimam Virginem adjuvit et protexit Deus *mane diluculo*, hoc est, a primo illius vitæ exordio, eam videlicet ab omni prorsus peccati inquinatione præservando, utpote cum illam in suum tabernaculum selegisset: qualiter enim Deus illam adjuvisset mane diluculo, si prius in dæmonis tyrannidem per originale peccatum illam ablegasset? — Id ipsum exactius et apertius insinuat Psal. 86. dum ait: *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob... homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Quibus verbis significat beatissimæ Virginis sanctitatem orientem longe illum celsitudinis ac dignitatis verticem obtinuisse, quem consummata cæterorum sanctitas posset assequi. Hinc sanctus Gregorius expositione 1. in librum Reg. ait: « *Montis Ephraim* « nomine, beatissima semper Virgo Maria Dei genitrix designari potest. « Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis « suæ dignitate transcendit. An non Mons sublimis Maria, quæ ut ad « conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra « omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit? Hujus « enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: « erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice « montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ « supra omnes Sanctos effulsit: » At nulla ratione dici posset in suæ sanctitatis exordio quamlibet aliorum Sanctorum adæquasse, imo superasse dignitatem, nisi revera fuisset ab omni peccato immunis in primo vitæ suæ instanti; si enim dumtaxat fuisset prius sanctificata quam nata, id commune haberet cum iis, qui sanctificati fuerunt in utero, ut mox diximus. Concludendum igitur cum S. Anselm. Hom. de Concept. Virg. *Si Jeremias,* inquit, *qui in gemitibus erat prophetaturus, in vulva est sanctificatus, et Præcursor Domini Joannes, Spiritu sancto ex utero Matris est repletus, quis disserere audeat, totius sæculi propitiatorium, mox in suæ Conceptionis exordio, Spiritus sancti illuminatione destitutum? — Confirmatur* ex sequentibus verbis: *Homo natus est in ea, etc.* Per illum enim *hominem,* Christum significabat, de quo vaticinatus fuerat Isaias scribens: *Mulier circumdabit virum:* at (inquit S. Anselmus lib. *De Conceptu Virginali*) decebat ut Christi conceptio de Matre purissima fieret: nempe decens erat ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret: cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tam-

quam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus, idemque communis Dei Patris, et Virginis filius. Hinc præclare ait S. Petrus Damianus Serm. 2. *De Nativitate: Caro Virginis ex Adam concepta maculas Adæ non admisit, at singularis ejus continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conversa est,* ut videlicet Christus, qui est candor lucis æternæ, speculum sine macula, et purissima paternæ bonitatis imago, ex purissima carne corpus sibi efformatum assumeret: *Non enim credendum est* (inquit sanctus Bernardinus tom. 3. Serm. 49.) *quod ipse Filius Dei voluerit nasci ex Virgine, et sumere ejus carnem, quæ esset maculata aliquo originali peccato, imo credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissima, et quod ejus Mater fuerit plusquam Eva, et Adam, qui creati fuerunt sine peccato originali.* — Quod utique facile in mentem inducet quisquis audierit Ecclesiasticum monentem cap. 3. *Quod gloria hominis ex honore Patris sui sit, et dedecus filii pater sine honore.* Et ibidem: *Maledictio matris eradicat fundamenta.* Unde si unquam aliquid dedecoris, et maledictionis ratione originalis peccati suscepisset Virgo Deipara, ab hac certe propudiosa ignominia non esset immunis Christus ejus filius, et si non culparetur, devenustaretur tamen parentis dedecore: nam ut sententiose dixit Tertullianus, *Christus ex stirpe Jesse deputatus, per Mariam scilicet, et inde censendus,* quasi Christi Dei honos censeatur ex Virgine, unde si Deipara infamissimæ prævaricationis fuisset rea, et tartareo tyranno tributaria, non tam gloria, quam filii aliquod dedecus inde censeretur: siquidem, ut præclare dixit Arnoldus Carnotensis in Tractatu *De Laudibus Mariæ: Quod Maria prædicatur gratia plena, manifestum est individuam esse Matris, et Filii gloriam, commune esse utriusque præconium: nam,* ut ibidem ait, *una est Mariæ, et Christi caro, unus spiritus, ex quo dictum est ei: Dominus tecum.* Quo innotescat, gloriam utriusque individuam esse, et fore quodammodo communem ignominiam, quæ a Matris dedecore derivaretur in Filium: Christus enim ex Virgine censetur. Missa facio varia ejusmodi testimonia, quæ tum in libris Salomonis, maxime in *Canticis Canticorum,* ubi Deiparæ Virginis eximiæ puritatis ac sanctitatis pulchritudo egregie celebratur ac commendatur, tum in Prophetarum oraculis, quæ in ejusdem purissimæ Conceptionis Deiparæ assertionem collineant, ut nonnulla ex Novo Testamento proferam, in quibus hæc veritas perspicacius delineatur.

Prodit imprimis illa salutatio Angelica, qua nimirum Angelus, ut nuntiaret Incarnationis sacramentum, Orator a Deo destinatus ad Virginem, sic eam peroravit: *Ave gratia plena:* signanter dixit: *Ave,* hoc est, *sine væ,* ut egregie explicat Angelicus Doctor in elucidatione salutationis Angelicæ, (ut videre est in prima ejusdem operum editione, et antiquioribus manuscriptis.) *Ex peccato,* inquit, *secutum est triplex væ: væ culpæ: væ pœnæ: væ ignorantiæ. Væ culpæ triplex: originalis, actualis, et venialis. Sine omni isto triplici væ fuit beata Virgo.* — Ipsi concinit Seraphicus Doctor in *Speculo Virginis,* cap. 2. ubi ait: *Ave Maria absque væ. Triplex est væ, a quo immunissima fuit Maria: væ culpæ actualis, væ miseriæ originalis, et væ pœnæ gehennalis.* — Idipsum præclare commendat S. Bernardinus Tom. 4. Sermone 1. *De Annuntiatione,* art. 1. cap. 1. *Ave,* inquit, *beata Virgo,*

sine primo væ, *idest, sine peccato tyranno peccati originalis, quia sine eo concepta es.* Ea autem salutationis formula usus est, ut inverso nomine *Evæ* significaret, ait S. Hieronymus: *Quod quidquid maledictionis ingestum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariæ.* Unde etiam præclare canit Ecclesia: *Sumens illud* ave, *Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans* Evæ *nomen.* Nec nomen dumtaxat, sed et sortem feliciter immutavit; quia ut egregie scribit S. August. Serm. 2. *De Annunt., Autrix peccati Eva, auctrix meriti Maria; Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit: illa percussit, ista sanavit, etc.* Qualiter autem hæc omnia recte in Virginem Deiparam quadrarent, si ipsa eodem, quo Evæ posteri, originalis peccati miseriæ maledicto subjacuisset? — Eamdem veritatem plenius confirmat Angelus, cum ait: *Gratia plena.* Enimvero qua ratione dignissima Mater Dei *plena gratia* diceretur, si peccato originali locus in ea relictus fuisset, et gratia præservationis, quæ concessa fuit Angelis, ne cum perduellibus ruerent, ipsi defuisset? Dicendum igitur cum Seraphico Doctore Sermone 2. *De Virgine, quod Domina nostra fuit plena gratia præveniente in sua sanctificatione: gratia scilicet* præservativa, *contra fœditatem peccati originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratiæ privilegio fuisset præservata.* Hanc veritatem nullus inficiabitur, qui cum sacris Doctoribus sentiet illis verbis, *gratia plena,* significari Virginem Deiparam omnis gratiæ plenitudine et perfectione fuisse decoratam. *Bene plena,* (inquit auctor sermonis nomine S. Hieronymi ad Eustochium) *quia cæteris per partes præstatur, Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ.* Unde Richardus a S. Laurentio lib. 1. *De Laudibus Virginis,* cap. 4. sic ait: *Omnis alia creatura aliquid habet vacuitatis, quia majorem gratiam recipere potuit; ipsa autem sic usquequaque gratia plena fuit, quia majorem gratiam habere non potuit: nisi ipsa Divinitati uniretur, hoc est, nisi ipse Deus esset. Hæc est plenitudo, de qua hic specialiter dicit Angelus: Ave gratia plena.* — Eadem est Theologiæ Principum sententia: siquidem Alensis noster 1. p. suæ Summæ diserte pronuntiat: *Beata Virgo tantam habuit gratiam, quod de facto non poterat plus recipere, et quantam pura creatura recipere potuit.* Cui concinit B. Albertus Magnus in suo *Mariali,* cap. 177. *In beata Virgine Maria,* inquit, *respectu omnium creaturarum non unitarum fuit gratia summa, fuit gratia in summo: ergo appropinquat ad primam lucem in summo; ergo puritas in summo: puritas enim sequitur naturam luminis, et luminosi.* Quibus significat, quod ex summitate suæ gratiæ Maria nedum habuerit totius puritatis culmen et excellentiam, sed et ultro proximius ac perspicacius æterni divinæ essentiæ luminis ac visionis particeps fuerit. Quam veritatem non minus pie quam eleganter sic explicat noster S. Bernar. Senensis, Tom. 4. Serm. 13. *De Exalt. B.,* art. 1. cap. 10. ubi inquit: *Secundum Bernardum Virgo Maria divinæ sapientiæ ultra, quam credi valeat, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Et ne putares, solummodo de sapientia Virginis sermonem facere, addit: *Tanta gratia Virgini a Domino data est, quanta uni puræ creaturæ dari possibile esset.* Tanta igitur gratiæ ubertas et sublimitas nullum in Deipara Virgine peccato locum relinquere debuit, ac su-

binde ex hac plenitudine gratiæ illius ab originali labe immunitas recte colligitur. — Addit Angelus ejusdem comprobandæ veritatis novum argumentum, cum ait : *Dominus tecum.* Quis enim Domini ad Virginem præsentiam, assistentiam, et protectionem singularissimam ad illud dumtaxat tempus post eam conceptam limitare præsumet? Cum absolute Angelus pronuntiet: *Dominus tecum,* quo significet eam non solum omni tempore, sed etiam ab æternitate a Domino nedum peculiariter electam, ut sui unigeniti Filii Mater fieret, sed et ab eo gratia præveniente perpetuo possessam ; unde merito ei tribuit Ecclesia hoc Sapientis Oraculum Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret: nondum erant abyssi* (peccati) *et ego jam conceptam eram.* — Evidentius hoc indicant sequentia salutationis Angelicæ verba: *Benedicta tu in mulieribus.* Benedictio enim ista non solum inter mulieres (hoc enim dixit Elisabeth) sed in mulieribus, tempora indicat præcedentia, in quibus beneficia omnia cunctis mulieribus (imo et viris etiam) e Cælis collata, Mariæ interventu elapsa sunt. Pulchre sane Elisabeth ad Virginem sibi cognatam ait: *Benedicta tu inter mulieres,* ac si diceret: plus benedicta, quam omnes mulieres; sed scite magis, ac sententiose Gabriel Angelus dixit : *Benedicta tu in mulieribus,* exprimit namque ipsam fuisse in omnibus mulieribus benedictam ; imo, inquit Eusebius Emissenus : *Per ipsam mulieribus benedictio datur, et mundus a maledictione liberatur:* nam ut pie addit peritissimus Idiota lib. *Contemplationis De Virgine,* cap. 4. *Per te, o superbenedicta Maria, vita angelica recucitur, innocentia reparatur, diabolus vincitur, et conteritur, etc.* Concludendum ergo cum S. Laurentio Justiniano Serm. *De Annunt.,* quod beatissima Virgo *ab ipsa Conceptione fuit in benedictionibus prævenia dulcedinis, et a damnationis aliena chirographo.* Vel ut clarius explicat Richardus a S. Laurentio c. 1065. *Constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evæ soluta est, verum etiam et benedictio omnibus condonatur.* — *Confirmat* eamdem veritatem Angelus cum ait: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum :* nam ut idem sapientissimus Idiota ait cap. 6. *Gratiam apud Deum singularem, o dulcissima Virgo, invenisti, quia fuerunt in te ab originali labe præservatio, Angelica salutatio, et Spiritus sancti superventio.* Cui præierat Andreas Hierosolymitanus ad hæc verba, *Ne timeas Maria,* dicens: *Nacta est enim gratiam apud Deum, quam Eva perdiderat.* Addit Hugo Cardinalis in 8. Canticorum: *Invenisti pacem, quam perdiderant primi parentes:* ac subinde gratiam illam integritatis, et pacis beatissima Virgo reperit, eaque ditata fuit, quam primi parentes sua in Deum perduellione perdiderant. — *Denique* hujus probationis appendicem, et supremum robur subministrat Angelus, cum ait: *Ecce concipies in utero, et paries Filium, etc.* Nam ut supra dix mus, pag. 775. tanta est, tamque arcta Incarnati Verbi cum Matre integritatis, ac gloriæ societas, ut Christus ipse, inquit Tertullianus, ex Virgine censendus.

Secundum testimonium ex Novo Testamento, illudque, ut mihi videtur, Conceptionis Deiparæ Virginis veritatem satis aperte significans, peti potest ex illo ad Rom. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita et donum :*

si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Ex quibus sic argumentari libet: Christi Domini gratia in plures abundavit, quam Adæ delictum; ac subinde necessum est, ut Christi Domini gratia ad aliquos derivata fuerit, quos Adami delictum non inquinaverat: alioqui non apparet qualiter inconcussa staret Apostolici Oraculi veritas: sed si ad aliquem Adamici delicti expertem, derivari debuit hæc Christi Domini Mediatoris gratia, maxime ad dilectissimam ejus Genitricem, ut præclare significat Doctor in 3. dist. 3. qu. 1. cum ait: *Perfectissimus Mediator habet perfectissimum actum mediandi respectu alicujus personæ, pro qua mediat: sed Christus est perfectissimus Mediator: igitur Christus habuit perfectissimum gradum mediandi possibilem, respectu alicujus creaturæ, sive personæ, respectu cujus erat mediator: sed respectu nullius personæ habuit excellentiorem gradum, quam respectu Mariæ:* igitur, etc. — Huc facit argumentum, quod ex hoc eodem capite desumit Franciscus Mayron. in 3. dist. 3. ubi postquam dixit: *Si Mater Domini contraxisset peccatum originale per quantumcumque tempus, vel per unicum instans, pejus ei fuisset, quam si fuisset æternaliter damnata, quantum ad pœnam damni, et sensus;* statim addit: *Privilegia Novi Testamenti excendunt vetusta, juxta doctrinam Pauli ad Rom.* 5. cap. *Ibi autem fuit una mulier sine peccato in statu innocentiæ.* Item, *Sicut Christus comparatur ad Adam secundum humanitatem* 1. *ad Cor.* 15. *sic Mater Christi ad Evam in ratione excedentis simpliciter, quantum ad omnem innocentiam.* Missa facio varia ejusmodi divina Oracula, quæ ex Novo Testamento ad illibatæ Virginis purissimam Conceptionem comprobandam elici possent, ut paucis faciam satis nonnullis e Scriptura depromptis sententiis, quæ adversus eam veritatem solent objici.

Objicitur 1. Illud Matthæi 19. *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus:* sed (inquiunt adversarii) Christus fuit medicus animarum Virgini necessarius: igitur ipsa peccati maxime originalis infirmitate laboravit. *Confirmant* ex illo Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat:* sed venit quærere beatam Virginem; absit enim, ut eam non quæsierit: igitur ipsa sicut et alii, quos quæsivit, perierat per peccatum originale. *Addunt* insuper illud 1. ad Timoth. 1. *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere:* sed venit salvam facere Virginem Mariam: igitur ipsa originali labe inquinata, et peccatrix censebatur. — **Respondeo**, peccatum quidem eluendum, et stabiliendam peccatorum salutem fuisse unum ex præcipuis motivis Incarnationis prout facta est; quamquam, ut diximus, non minus venisset Christus, etsi nullum tam actuale, quam originale peccatum extitisset; ac subinde illius adventus non fuit dumtaxat, ut peccatores salvos faceret, sed etiam ut ampliori sanctitate, et gratiarum ubertate justos donaret et ditaret: igitur quamquam Virgo Deipara immunis fuerit ab omni originali labe, nihilominus propterea in ejus, sicut et cæterorum hominum gratiam Christus in hunc mundum advenisse censendus est. *His adde,* quod Christus non minus dici possit et quæsitor et medicus respectu beatissimæ Virginis, quod eam a peccati lapsu et infirmitate per uberiorem et efficaciorem gratiæ medicinam præservaverit: nec enim medicus dum-

taxat peritus ille censendus est, qui deperditam sanitatem restituit, sed etiam qui jam adeptam conservat.

Objiciunt 2. Omnia sacræ Scripturæ oracula, quibus asseritur omnes homines peccato labefactari, et Christi Mediatoris gratia ad opitulationem et emundationem egere. Sic illud Psal. 13. et 52. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Sic etiam 2. ad Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* Unde sic arguunt adversarii: pro quocumque Christus corporalem mortem subiit, ipse spiritalem mortem incurrerat: sed Christus mortuus est corporaliter pro beata Virgine, alioqui non pro omnibus mortuus esset: igitur beata Virgo spiritualiter fuit mortua: ac proinde peccatum saltem originale incurrit. Similiter illud 1. ad Timoth. 2. *Unus est mediator Dei, et hominum Christus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Ex quo sic arguunt: Christus non est Mediator, nisi eorum, qui per peccatum aliquando fuerunt divisi a Deo: sed Christus est Mediator omnium hominum: igitur omnes homines (etiam beata Virgo) divisi sunt a Deo. Item illud ad Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt.* Ex quo sic inferunt: omnes homines ab Adam propagati via seminali in ipso peccaverunt: sed beata Virgo fuit ab Adamo propagata via seminali: igitur in ipso peccavit. — **Respondeo** *primo*, propositiones universales in Scriptura sacra non ita rerum generalitatem complecti, quin plerumque limitationem et exceptionem patiantur: cujusmodi plurima proferri possunt exempla; sic enim legimus Genes. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam suam:* et tamen illius universalis dicti ibidem exceptio legitur his verbis: *Noe vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis.* Similiter *Exodi* 11. dum omnis Ægyptiacæ gentis primogenitus ab Angelo vastatore trucidaretur, Scriptura, ait: *Neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus;* quæ propositio huic generali æquivalet: nulla domus erat, in qua aliquis mortuus ex primogenitis non jaceret: attamen ut observat S. Augustinus in hunc locum, *potuit esse aliqua domus, quæ primogenitum non haberet:* igitur universalis propositionis veritas stat cum debita exceptione. Idem observat S. Augustinus in illa verba Judic. 9. *Et occidit fratres suos filius Jeroboal septuaginta viros super lapidem unum; remansitque Joathan filios Jeroboal minimus:* vera est propositio universalis, inquit S. Augustinus, scilicet quod occiderit omnes filios Jeroboal, licet duo ex ipsis non fuerint occisi. — Celebrior omnibus locus est ex libro *Esther*, cap. 15. ubi Assuerus eam alloquens ait: *Quid habes Esther? ego sum frater tuus, noli metuere non morieris, non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Ubi ejusdem particulæ universalis adjicitur exceptio. — Idipsum plurimis exemplis confirmari potest ex Novo Testamento. Sic Joan. 10. *Ego sum ostium ovium: omnes quotquot venerunt fures sunt, et latrones.* Quæ verba nisi exceptione limitentur, consequens erit, quod omnes Prophetæ latrones fuerint: unde, ut ex Cyrillo et Leontio observat Maldonatus, sic illa verba sunt accipienda: omnes quotquot venerunt, et per ostium ingressi non sunt, fures sunt et latrones. Etenim Prophetas ante il-

lum quidem venisse, sed per ipsum tamquam per ostium ingressos fuisse, concludit. Traditque nobis regulam sæpe hujusmodi generales propositiones in Scripturis sacris, ex circumstantiis loci, temporis, et rerum, de quibus agitur, restringi oportere. Constat igitur ex his universalibus propositionibus, quibus asseritur omnes homines peccato detineri, et in Adam peccavisse, non ita universim esse accipiendas, quin exceptionem patiantur. Nec enim arbitror ex eo, quod Jeremias dicat c. 15. *Omnes avaritiæ student;* et S. Jacobus c. 13. *In multis offendimus omnes,* aliquis recte concluderet, omnes prorsus nomine *hominis* significatos, nullo dempto, avaritiæ studere, et in multis offendere, alioqui Christus Dominus qui verus est homo, avaritiæ studuisset, et offendisset in multis. Igitur si ex eo, quod dixit S. Paulus: *Omnes in Adam peccaverunt*, consequens esset, quod etiam beata Virgo in ipso peccaverit, et peccatum originale contraxerit, pariter stante harum propositionum generalium veritate: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; et omnes avaritiæ student: et in multis offendimus omnes*, inferendum esset, quod beata Virgo declinaverit simul cum aliis, inutilis facta sit, nec bonum fecerit: similiter, quod studuerit avaritiæ, et quod in multis Deum offenderit: sed hanc absurdam, ne dicam impiam, illationem catholicæ aures non ferunt: igitur nec ferre debent præfatam adversariorum conclusionem. Si ergo beata Virgo excipienda sit ab illis generalibus propositionibus, quidni pariter censebitur libera ab illa, *in quo omnes peccaverunt?* an illud signum, *omnes*, minus est Canonicum, minusque universale in una propositione, quam in alia? Cum ergo in istis locis particula, *omnes*, non pro omnibus prorsus distributive debeat accipi, sed pro plerisque, multo magis testimonia illa S. Pauli erga Virginem temperanda et limitanda sunt, quatenus non de ipsa, sed de omnibus aliis Adæ posteris legem ferunt. — *Respondeo secundo,* quod non aliter debeant accipi Scripturarum oracula, quam Ecclesia usurpanda esse censuit: at Ecclesia universalis in Concilio Tridentino congregata, post allegatos omnes præfatos Scripturæ textus, ex quibus deducit Catholicum dogma, nempe quod omnes prorsus ab Adamo propagati illius peccato inficiantur, et efficiantur rei, Sessionem quintam, et definitionem de peccato originali sic concludit: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem: sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* Ex quibus mirum videri debet, quod etiam aliqui Doctores Catholici tam asseveranter dicant, omnium Patrum doctrinam fuisse, beatam Virginem Mariam in peccato conceptam esse. Ut enim pulchre adnotavit Jacobus Granad. in lib. *De Immacul. Concept.*, disp. 3. cap. 8. num. 6. si omnes fere Patres ita sensissent, id certe perspexisset Œcumenica Synodus in Spiritu sancto congregata; et si perspexisset, conformaretur illis, sicut in aliis decretis conformatur; nunquam enim Concilia generalia non approbant, quod a communi sententia Patrum vident approbatum. Vix ergo satis mirari possum, aliquem esse ex Catholicis, qui vel suo, vel cujuscumque alterius auctoris judicio plus deferat, quam sacro-sancti Concilii Tridentini auctoritati:

ut quod Concilium asserere non vult, ipse plenis buccis (nescio, qua facultate, aut permissu) affirmare non formidet. — *Confirmatur* ex eodem Apostolo, quod cum dixit, *in Adam omnes peccaverunt*, terminus ille *omnes* idem omnino denotet, quod *multi*, cum ait ibidem, *unius delicto multi mortui sunt*. Vel ergo unus terminus per alium restringendus est, vel alius per alterum ampliandus. Cum igitur prius Paulus usus fuerit illo termino *omnes*, et statim illo termino *multi*, primum per secundum potius limitari debet, quam e converso : signum ergo universale, *omnes*, modificatur per terminum *multi*, per quem quasi ex industria Apostolus totaliter se in hac sententia declarat ; ut satis videatur exceptioni Beatæ Virginis locum dare ; cum enim iterato non dixerit *omnes*, sed *multi*, utcumque aliquem ex omnibus excipiendum esse designavit : quæ sane exceptio in nullum majori titulo, quam in Deiparam Virginem quadrare potest : merito igitur Turrianus in Epist. ad Episcopum Antisiodor. ait : *Rogabo ergo istos, cur ex eo, quod Paulus dixerit*, In quo omnes peccaverunt, *ipsi potius putent, nulli datam esse exceptionem ; quam ex eo, quod idem postea in eodem capite, parvo intervallo, dixit :* Unius delicto multi mortui sunt ; *existimemus nos datam esse.*

§ II. — Probatur immaculata Deiparæ Virginis Conceptio ex Conciliis. — Illibatam B. Mariæ Virginis Conceptionem aperte satis declarant ac significant Concilia, dum eam omnino immaculatam absolute pronuntiant. Hoc autem honoris et gloriæ titulo illam celebrat sexta Synodus Actione 11. et 13. dum approbat Epistolam Sophronii, in qua Maria Virgo dicitur *sancta, et ab omni contagione liberata, et corporis, et animæ, et intellectus.* Eadem illam appellatione illustrat septima Synodus Act. 3. approbando Epistolam Synodicam Tharasii, in qua hæc habentur: *Veneramur etiam, et adoramus imaginem Deiparæ, et dominæ nostræ irreprehensibilis, immaculatæ*, etc. Et in definitione fidei ejusdem Concilii, inter cætera hæc habentur : *Duas naturas incarnati propter nos ex immaculata Virgine Maria confitemur.* Illud autem epitheton excludit omnem prorsus maculam proprie loquendo, idque pro quovis tempore. Alioquin considerando præsentem statum beatitudinis, quilibet Sanctus pariter dici posset immaculatus, quod est alienum a mente Conciliorum, quæ titulum istum velut Deiparæ proprium statuunt. — Hanc veritatem evidentissime declarat Concilium Basileense Sess. 36. ubi post plurimam hac de re controversiam, ita statuit. « Hactenus vero difficilis quæstio in « diversis partibus, et coram hac sancta Synodo super Conceptione « ipsius gloriosæ Virginis Mariæ Matris Dei, et exordio sanctificationis « ejus facta est, quibusdam dicentibus ipsam Virginem, et ejus animam « per aliquod tempus, aut instans temporis subjacuisse actualiter ori« ginali culpæ ; aliis autem e converso dicentibus, a principio creationis suæ Deum ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per « quam a macula originali illam beatissimam personam liberans, et « præservans, sublimiori sanctificationis genere redemit, cum fundaret « eam Altissimus ipse, et ipsam fabricaret Filius Dei Patris, ut esset « Mater ejus in terris. Nos vero diligenter inspectis auctoritatibus, et « rationibus, quæ jam a pluribus annis in publicis relationibus ex « parte utriusque doctrinæ coram hac sancta Synodo allegatæ sunt.

« aliisque etiam plurimis super hac re visis, et matura consideratione « pensatis; doctrinam illam asserentem gloriosam Virginem Dei ge- « nitricem Mariam præveniente et operante divini Numinis gratia « singulari, nunquam actualiter subjacuisse peccato originali, sed « immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, san- « ctamque et immaculatam, tamquam piam et consonam cultui Ec- « clesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, et sacræ Scripturæ, ab « omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, amplectendam, et « definimus, et declaramus, nullique de cætero licitum esse in con- « trarium prædicare, seu docere. Renovantes præterea constitutionem « de celebranda sancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, « quam per alias Ecclesias sexto idus Decembris antiqua et lauda- « bili consuetudine celebratur, statuimus et ordinamus eamdem cele- « britatem præfata die in omnibus Ecclesiis, Monasteriis, et Conven- « tibus Christianæ religionis sub nomine Conceptionis, festivis laudibus « colendam esse, cunctisque fidelibus vere pœnitentibus et confessis, « ea die Missarum solemniis centum; primis autem, vel secundis ve- « speris totidem, sermoni vero Verbi divini de ea festivitate interes- « sentibus 150. dies concessione perpetuis temporibus duratura, de « injunctis sibi pœnitentiis hæc sancta Synodus elargitur. Datum Ba- « sileæ in sessione nostra publica in majori Ecclesia Basileensi solem- « niter celebrata 15. Kalendas Octobris anno a nativitate Domini 1439 ». Quæ utique sanctio eo majoris auctoritatis esse debet, quod in ea Synodo sanctissimi aderant Præsules, maxime vero Ludovicus Alemannus Cardinalis et Arelatensis Archiepiscopus istius Synodi præses, plurimis post mortem miraculis clarus, ut refert Æneas Sylvius, qui postmodum fuit summus Pontifex nomine Pius II. quique plerosque annos in Basileensi cœtu consederat, ipsumque acriter adversus Eugenium IV. summum Pontificem Synodo adversantem propugnaverat, et postmodum mutata sententia summo studio impugnaverat. Sic autem loquitur in libro *Descriptionis Europæ*, c. 42. quem cum esset Pontifex edidit: *in Arelate*, inquit, *ad sepulcrum Ludovici Cardinalis sanctæ Cæciliæ ejus Urbis Episcopi: quem Basilœæ in consessu Patrum præsidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta est, et invalidorum frequens undique concursus spe sanitatis factus.* Quapropter Clemens Papa VII. ipsum in Beatorum album retulit, ut refert Spondanus ad annum 1438. *Adde quod* non absque maturo consilio, et nonnisi præhabito gravium illius temporis Theologorum et Canonistarum judicio, decretum istud sit editum; plurimos namque eo tempore conscriptos habemus tractatus de celebri hac controversia, illius Concilii sanctione editos, maxime vero ingens volumen Joannis de Segovia tunc temporis Ecclesiæ Toletanæ Canonici demum Episcopi Cæsarini, necnon (ut ferunt aliqui) S. Ecclesiæ Rom. Cardinalis, qui mandantibus ejusdem Synodi Patribus, maxime vero Ludovico Alemanno, ut ipse testatur in præfatione sua ad Patres Concilii, scripsit *septem allegationes, et totidem avisamenta,* pro informatione Patrum Concilii Basileensis circa sacratissimæ Virginis Mariæ Immaculatam Conceptionem, ejus præservationem a peccato originali in primo suæ animationis instanti, quibus omnibus respondet libro edito a Magistro Joanne de Monte nigro Ordinis Prædicatorum Provinciali Lombardiæ illius

temporis celeberrimi Theologi. Hoc autem maxime notandum est, quod illius Synodi Patres testantur festum Immaculatæ Conceptionis sexto idus Decembris per Ecclesias antiqua et laudabili consuetudine celebrari; quod utique cum tanta certitudine non affirmarent, maxime cum tunc temporis adhuc vigeret gravis hac de re controversia, et opposita sententia plurimos celebres propugnatores haberet, nisi id constantissimum ac compertissimum omnibus fuisset; ex quibus colligere est festum Immaculatæ Conceptionis non his postremis temporibus (ut volunt aliqui), sed ab antiqua et laudabili consuetudine in Ecclesia fuisse celebratum, ut Synodus affirmat.

Repones forsan cum Bandello, idcirco Concilium hæc decrevisse, quod infensum esset Patribus Dominicanis oppositam sententiam propugnantibus, eo quod totus eorum Ordo illi Concilio adversaretur, nec ullatenus ei interesse, aut adhærere vellet. — **Verum** hæc figmenta ridebit, quisquis legerit Æneam Sylvium, qui omnium pene gestorum in Concilio Basileensi testis oculatus, hæc inter cætera refert: *Et per ipsas etiam reliquias approbarunt, studio maxime, ac diligentia fratris Nicolai Gallici, ex Ordine Prædicatorum, vi, et ingenio, et sollicitudine admodum præstantis, cui nimirum hujusce rei expeditionem attribuo.* Cui concinit S. Antoninus in 3. part. *Histor.*, tit. 22. cap. 10. fol. 525. col. 1. loquens de Concilio Basileensi, et Felice Antipapa: *Amedeum* (inquit) *Felicem nuncupaverunt. Qui intronizatus non in sede Petri, sed Luciferi, qui sedem suam posuit ad Aquilonem, aliquos Cardinales instituit, et inter eos Magistrum Joannem, sacræ Theologiæ Professorem Ordinis Prædicatorum, qui multum laboraverat in sermonibus et disputationibus, in fovendo Conciliabulo, sed cito morte substratus est,* etc.

His adde decretum Concilii Provincialis Avenione celebrati an. 1457. per D. Petrum de Fluxu seniorem Gallum Ordinis Minorum a Martino V. Cardinalitio honore insignitum, qui interfuit Concilio Constantiensi. Inter cætera enim decreta illius Synodi Provincilias, hoc habet: *Decretum in Concilio Basileensi factum de Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ statuimus inviolabiliter servari, districte omnibus inhibendo sub excommunicationis pœna, ne quisquam aliquid in contrarium prædicare, vel publice disputare præsumat: quod si secus aliquis fecerit, dictam sententiam eum incurrere volumus ipso facto, et in prima Synodo per Diœceses per quemlibet celebranda, prædictam statuimus prædicari, et Curatis Ecclesiarum injungi, ut hæc populo manifestent. Datum in Ecclesia Cathedrali Avenionensi die 7. Mensis Septembris anni Incarnationis Dominicæ* 1457. *Pontificatus D. N. Calixti Papæ III. anno* 3. Subscripserunt huic statuto non solum ipse Petrus, qui illi Synodo præerat, sed etiam Alanus Cœtinus S. R. E. Cardinalis, Robertus Aquensium Episcopus, Petrus Episcopus Aptensis, Georgius Cenecensis, Gaveherius Vapiensis, Nicolaus Massiliensis, Petrus Digniensis, Petrus Glandavensis, Pontius Vasionensis, Joannes Regiensis, Stephanus Tricastinensis, Michaël Carpenctoratensis, et Joannes Aurasiensis.

At etsi cætera Concilia deficerent, ad eamdem veritatem comprobandam, sufficeret Trident. Concilii decretum Sess. 5. ubi postquam statuisset de fide omnes omnino Adami posteros illius peccato, ac originali macula inquinatos in lucem prodire; in fine decretorum ac canonum declarat non esse suæ intentionis Beatam et

Immaculatam Virginem sub hoc decreto comprehendere: et insuper jubet observandas esse constitutiones felicis record. Sixti IV. Tres autem hac de controversia constitutiones dedit hic summus Pontifex, quas § sequenti referemus, in quibus licet controversiam præcipuam de beatæ Virginis immunitate ab originali peccato indefinitam reliquerit, attamen censuram opinionis piæ, ac celebrationis festi Conceptionis expresse damnavit. — Quod autem Concilium tres memorandas constitutiones probaverit, non autem duntaxat unicam, ut volunt aliqui, satis aperte colligitur ex his verbis, *Observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV.* ubi non *constitutionem*, sed *constitutiones* dicit, quo designet non unicam, sed omnes de hac controversia ab eodem Pontifice constitutiones editas approbare et innovare, quia quotiescumque Concilium allegat, vel refert diploma aliquod Pontificium plura capita, vel partes continens, semper illud vocat numero singulari *constitutionem*, ut patet Sess. 24. *de reformat.*, et Sess. 25. *tam de Reform. quam de Regularibus*, et in multis aliis sessionibus, ubi de Reformatione agit; quæ loca, quia obvia sunt, et res difficultate caret, indicasse sit satis; non ergo potest Concilium de unica Sixti IV. extravaganti explicari, cum in plurali nominet ejus *constitutiones*.

Objiciunt adversarii varia Concilia, maxime vero Africana, in quibus determinatum fuit contra Pelagianos, omnes omnino homines Adami peccato infici; imo idipsum probant ex Florentino, sub Eugenio IV. in quo inter cætera (inquiunt) pro instructione, et unione Jacobitarum decernitur: *Firmissime credit, profitetur, et docet sacrosancta Romana Ecclesia, neminem unquam ex utero, fœminaque conceptum, a diaboli dominatu fuisse liberum, nisi per fidem Mediatoris Jesu Christi Domini nostri, qui sine peccato conceptus, natus, et mortuus, humani generis peccata delendo, solus sua morte prostravit, et regni cœlestis introitum, quod primus homo peccato proprio, cum omni sua successione perdiderat, reseravit.* Hinc Cajetanus cap. 5. loquendo de Concilio Basileensi, sic inquit: *Tam quoniam dicto Conciliabulo e regione opponitur, verum, ac venerandum Concilium ex Ferraria in Florentiam translatum, Græcorum, et Latinorum, sub prædicto Eugenio IV., ubi inter dogma fidei traduntur hæc verba: firmiter credit, et profitetur*, etc. — Verum respondeo, ad decreta Conciliorum Africanorum idem esse reponendum, quod reposuimus ad auctoritates Scripturæ sacræ, nempe enuntiationes universales, et propositiones illas generales non ita universim omnes omnino homines comprehendere, quin aliquam exceptionem patiantur; ac subinde quamquam Concilia statuerint omnes prorsus homines Adami peccato inquinari, facile colligere licet eamdem illis Patribus fuisse mentem, quam habuerunt Tridentini Patres, qui licet absolute statuerint omnes omnino homines Adami peccato infici, nihilominus declarant non esse suæ intentionis in hoc decreto comprehendere beatam, et immaculatam Virginem Mariam. *Nec obstat*, quod Africani Patres similem modificationem, et exceptionem non præscripserint; id enim mirum videri non debet, cum tunc temporis de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione nulla moveretur controversia. *Ad Concilium Florentinum* dici posset decretum illud omnino fictitium esse, ut facile probari potest: *Primo*, quia inter

acta ejusmodi Concilii nulla ipsius fit mentio, quamquam tria ibidem decreta inserta habemus quorum primum incipit: *Magna profecto sunt nobis,* datum Ferrariæ 9. Aprilis anno 1438. et est pro translatione Concilii ad Florentiam. Secundum incipit: *Consentiente ad infrascripta,* sive: *Lætentur cœli,* etc. datum pridie Nonas Julii ann. 1439. et est concordia cum Græcis de processione Spiritus sancti a Patre et Filio. Tertium incipit *Exultate Deo,* etc. datum 10. Kalendas Decembris eodem anno 1439. et agit de sacramentis Ecclesiæ, et festivitatibus observandis ab Armenis: sed de Jacobitis nec verbum extat, nec decretum hoc est in Regesto Vaticano, ubi Bullarum hujus summi Pontificis sunt 210. libri manu scripti. Nec etiam extat in collectione Bullarum et decretorum ejusdem Pontificis primæ impressionis anni 1579. nec secundæ, nec tertiæ Romanæ, quamquam post duo integra sæcula illud in suo Bullario inseruerit Laertius Cherubinus tom. 1. Constitutione 23. Eugenii IV. — *Secundo,* illud decretum suppositium esse apparet ex ejusdem Conclusione; habet enim: *datum Florentiæ in publica Sessione Synodali solemniter in Ecclesia domus S. Mariæ Novellæ, apud quam nunc residemus, celebrata anno Incarnationis Dominicæ* 1441. *pridie Nonas Februarii, Pontificatus nostri anno XI.* In qua subscriptione notare debet lector, quod in illo Concilio nulla sessio fuit habita *in Ecclesia domus S. Mariæ Novellæ,* quæ est Fratrum Prædicatorum, sed omnes in Ecclesia majori, ut ex ipsis constat; item quod illa clausula, *apud quam nunc residemus,* in nulla Bulla, seu summi Pontificis decreto a diebus S. Petri usque ad præsens posita fuit. Forte desiderabat quisquis fuit ille Pseudo-Datarius, quod universus orbis resciret incolatum summi Pontificis Eugenii in domo Patrum Prædicatorum. — *Tertio* illud: *anno Incarnationis Dominicæ* 1441. *pridie Nonas Februarii Pontificatus nostri anno undecimo,* non cohærent: nam Eugenius fuit creatus anno 1431. quinto nonas Martii, nullo dissentiente Chronologo; anno vero 1441. usque ad 5. Martii fuit annus decimus Pontificatus Eugenii: quomodo ergo pridie nonas Februarii poterat esse annus undecimus? Anno undecimo fuerunt bullæ expeditæ anno 1441. a die 5. Martii usque ac deinceps: illæ vero expeditæ mense Februario non erant anni undecimi: ac subinde Datarius ille nec Curialis erat, nec Arithmeticus, inquit de Alva. — *Quarto* tandem falsum est, quod decretum istud fuerit editum a Concilio Florentino: quia Concilium Florentinum absolutum fuit anno 1439. pridie nonas Julii, ut ex ejusdem actis constat; quomodo ergo anno 1441. poterat esse illa sessio Synodalis solemnis in S. Maria Novella, ut illud decretum ederet? — *His adde,* quod etsi verum foret illud decretum, nihil quidquam adversariis patrocinaretur; nam inquit P. de Alva num. 292. *Prima* determinatio est hæc: nemo liberatur a diaboli dominatione, nisi per meritum Mediatoris: *ergo omnes homines,* inquiunt Adversarii, *excepto Christo, contraxerunt originale peccatum:* at quis judicabit hanc consequentiam esse legitimam? *Secunda* determinatio: Christus sine peccato est conceptus, natus, et mortuus: ergo, inquiunt, omnes homines, excepto Christo, contraxerunt originale peccatum. Si consequentia hæc esset legitima: igitur et ista: ergo omnes homines, excepto Christo nati, et mortui sunt cum peccato. *Tertia* determinatio: hostem humani generis solus Christus sua morte pro-

stravit: ergo, inquiunt, omnes homines, excepto Christo, contraxerunt originale peccatum: qualis illatio! *Quarta* est hæc: primus homo peccato proprio regni cælestis introitum, cum omni sua successione perdiderat: ergo omnes homines, excepto Christo, contraxerunt originale peccatum. Hæc equidem verisimilis apparet propter illud, *cum omni sua successione*. Verum nihil aliud significare potest, quam quod etiamsi in tota successione Adami nullum esset peccatum originale; nihilominus ex solo illo proprio peccato primi hominis clausus fuit regni cælestis introitus, non tantum ipsi Adamo, sed etiam omni suæ successioni; nam qui claudit ostium, non solum pro se claudit, sed etiam pro omnibus aliis ingredi volentibus, sive sint illius domus, sive alterius, amici, vel inimici. Igitur illa determinatio, cujuscumque sit, non patrocinatur adversariis, nec legitima est illatio, quam inferunt adversarii: *ergo omnes homines, excepto Christo, contraxerunt originale peccatum*. Quinimo inferre debuissent: ergo quamvis nullum aliud esset peccatum nisi primum, et proprium Adami, neque ipse, nec aliquis ex ejus posteris regnum cælorum intraret, nisi prius illud reseratum fuisset per mortem Christi mediatoris.

§ III. — Tertia probatio petitur ex decretis summorum Ecclesiæ Pontificum. — Imprimis namque Sixtus IV. qui sedere cœpit anno 1471. die 9. Augusti animadvertens controversiam de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione maximos inter fideles tumultus ac varias animorum commotiones excitare, accitis Romam doctissimis viris, ex quovis sæcularium, et Regularium ordine anno 1475. celeberrimam, ac publicam disputationem edixit, quam per plures dies agitatam ipse sæpe sua præsentia, ac auctoritate Pontificali cohonestabat. In ea excelluit inter omnes R. P. F. Franciscus Insuber Brixianus ex familia nostra Minorum, cujus etiam generalem præfecturam gessit: quem validissime pro Virginis præservatione decertantem, et plane victorem honorifice Pontifex appellans: *Tu es*, inquit, *verus Samson:* quod illi deinceps cognomen adhæsit, nec aliter ore et scriptis hominum, quam Franciscus Samson vocatur. Hujus autem concertationis ac disputationis exitus fuit Bulla, quæ incipit, *Cum præexcelsa, etc.* quam edidit idem summus Pontifex anno Domini 1476. Kalendas Maji sui Pontificatus anno 6. in qua hæc statuit: *quod omnes, et singuli Christi fideles, utriusque sexus, qui Missam et Officium Conceptionis ejusdem Virginis gloriosæ, juxta piam, devotam, et laudabilem ordinationem dilecti filii Magistri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronensis Notarii Nostri, et quæ desuper a Nobis emanavit Missæ, et officii hujusmodi institutionem in die festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis Mariæ, et per octavas ejus devote celebraverint et dixerint, aut illis horis Canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eamdem prorsus indulgentiam, et peccatorum remissionem exinde consequantur, quam juxta felicis recordationis Urbani IV. in Concilio Viennensi, approbatas, et Martini V. et aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum constitutiones, consequuntur illi, qui Missam, et officium, et horas Canonicas in festo Corporis Christi, et sanguinis Domini nostri Jesu Christi a primis Vesperis, et per illius octavas, juxta Romanæ Ecclesiæ institutionem celebrant, aut dicunt, aut Missæ, et officio, et horis hujusmodi intersunt, ac præsentibus, futuris temporis valituris.* Quæ uti-

que Constitutio, et Bulla inserta est in Conciliis editionis Surianæ Coloniensis 1567. et in ultima Severini Binii Tom. 4. p. 1. fol. 743. imo et in jure Canonico inter *communes De reliquiis, et veneratione Sanctorum.* — Verum cum huic æquissimo Apostolicæ sedis judicio non recte acquiescerent Immaculatæ Conceptionis adversarii; imo eorum plurimi damnarent hæresis, illius illibatæ Conceptionis assertores, maxime in Lombardia, aliam constitutionem edidit idem Pontifex anno 1482. et sui Pontificatus anno 11. quæ incipit, *Grave nimis gerimus,* in qua sub pœna excommunicationis reservatæ summo Pontifici statuit, quod *qui affirmare præsument sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali dumtaxat Conceptione et sanctificatione ejusdem Virginis gloriosæ festum celebrare, et eos qui crederent, et tenerent eamdem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, utpote falsas, et erroneas, ac a veritate alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, auctoritate Apostolica præsentium tenore reprobamus et damnamus, ac motu, et auctoritate prædictis statuimus, et ordinamus, quod Prædicatores verbi Dei, et quicumque alii cujuscumque gradus, ordinis, et conditionis fuerint, de cætero ausu temerario præsumpserint, in eorum prædicationibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare, hujusmodi per Nos sic reprobatas et damnatas assertiones et opiniones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam, et æternam maledictionis pœnam eo ipso incurrant, etc.* — Cum autem non obstante hac Apostolica constitutione, nonnulli ejusdem Immaculatæ Conceptionis impugnatores, existimantes hanc Bullam perstringere dumtaxat eos, qui degebant in Lombardia, et ejusmodi accusationes, et declamationes adversus assertores Immaculatæ Conceptionis aliis in regnis innovarent, idem Pontifex biennio post editam supra dictam Constitutionem, eamdem vel alteram ei similem, quæ itidem incipit, *Grave nimis, etc.* edidit, in qua sub eadem interminatione generaliter prohibet ejusmodi accusationes. Hæc autem Constitutio etiam inserta est prædictis Conciliis, et juri Canonico, eamque cum duabus prioribus constitutionibus proprobavit Concilium Tridentinum Sessione 5. ut supra dictum est. Probaverunt pariter Alexander VI. Bulla, quæ incipit, *Illius qui, etc.* et Pius V. in Bulla *Super specula,* in qua insuper gravissimis pœnis hic Pontifex prohibet, ne ullus in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum et mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare rationibus, vel autoritate Doctorum, asserendo propriam sententiam, et contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac quæstione cujusvis pietatis prætextu, vulgari sermone scribere vel dictare præsumat. Ubi subintellige eamdem clausulam, *contrariam refellendo, aut impugnando sententiam.* Alioquin simpliciter persuadere veritatem, etiam scribendo lingua vulgari non fuit prohibitum. — Insuper Paulus V. anno 1617. die 31. Augusti considerans, quod *occasione assertionis affirmativæ,* scilicet quod beata Virgo fuerit concepta cum peccato, orirentur in populo Christiano, signanter in Hispania, gravia scandala et dissensiones, eamdem sententiam sub iisdem pœnis interdixit *publicis concionibus, lectionibus,*

conclusionibus, et aliis quibuscumque actibus publicis: volens tamen sub iisdem pœnis, *quod* piam sententiam *in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent.* Quamvis idcirco (ut docet consuetudo optima legum interpres, litteræ, et fini consona) non sit illicitum in libris argumentis alterius opinionis facile præsertim occurrere, sive illa proponere, ut solvantur: hoc enim non est in actibus publicis impugnare sententiam contrariam, aut de ea agere; sed potius extra similes actus agere de sententia pia, ut ejusdem veritas contrariis argumentis solutis clarius elucescat. — Postea Gregorius XV. anno 1622. die 24. Maji, confirmans Constitutiones Prædecessorum suorum, *et eisdem causis evitandi scandala atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, et, ut accepit, in aliquibus regionibus jam ortæ sunt ex sermonibus privatis,* occasione assertionis affirmativæ *extendit* decretum Pauli V. *etiam ad colloquia et scripta privata, mandans omnibus et singulis, ne etiam in sermonibus et scriptis privatis audeant asserere, quod eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, aut tractare. Exceptis tamen quibus a Sancta Sede Apostolica fuerit super, et specialiter indultum,* idque sub interminatione pœnarum in constitutionibus Prædecessorum suorum contentarum. — Porro idem Pontifex eodem anno die 28. Julii indulsit Patribus Prædicatoribus, *ut in privatis colloquiis, inter se dumtaxat possint de opinione affirmativa disserere, et tractare.* An autem etiam ibi concedatur iisdem opinionem affirmativam asserere privatim inter se, ex verbis istis non satis probatur: cum aliud sit disserere et tractare, aliud asserere. Paulus V. enim loquens de iis, qui asserunt sententiam negativam, prohibet iisdem ne disserant vel tractent in disputationibus publicis de affirmativa, utique supponens prædicta duo esse distincta. — Declarant præterea Paulus V. et Gregorius XV. se per suas constitutiones nolle præjudicium inferre opinioni affirmativæ, *præterquam quoad supra disposita.*

Confirmatur primo ex eo, quod summi Pontifices approbaverunt, et confirmaverunt ordinem religiosum Monialium sub titulo *Immaculatæ Conceptionis,* qui idem ordo usque in hunc diem non solum perseverat, sed etiam per varias mundi regiones propagatur: hunc autem Ordinem imprimis Innocentius VIII. (qui creatus est anno Domini 1484.) approbavit anno 5. sui Pontificatus pridie Kalendas Maji, per Bullam, quæ incipit: *Inter innumera, etc.* in qua inter cætera concedit, *Quod Abbatissæ pro tempore existentes, et Moniales præfatæ, vestem albam cum scapulari etiam albo, et desuper mantellum coloris cœlestis, in quibus quidem mantello, et scapulari imago ejusdem beatæ Mariæ affigatur, deferre, ac cingulo cannabis ad instar Fratrum Minorum cingi debeant, ac in horis canonicis juxta morem Romanæ Ecclesiæ dicendis in hunc modum; videlicet quod Dominicis, in quibus aliqua historia inchoari, sive officium Dominicæ de necessitate dici debet, et quibus festa duplicia, et semiduplicia, et solemnia celebrantur, diebus etiam ferialibus, quibus officium feriale omitti non potest, ac Octavis ipsorum festivitatum dumtaxat, exceptis omnibus aliis diebus, per totum annum horas Canonicas majores, et officium divinum de ejusmodi Conceptione dicere, et in præfatis (exceptis diebus, in quibus*

horæ majores de Dominica, vel feria, aut festo duplici debent; horas minores, et officium parvum ejusdem beatæ Mariæ cum Antiphonis, versiculis, capitulis, et orationibus de eadem Conceptione dicere debeant, etc. Hujus autem Bullæ originale servatur in Monasterio Monialium Toleti in honorem Conceptionis Deiparæ Virginis earum virtute electo: servatur inquam, eo majori pietate, quod, ut narrant Franciscus Bibarius Cisterciensis in historia Conceptionis p. 1. ss. 4. Torres, cap. 14. Ægidius de præsentatione l. 4. q. 6. art. 3. etc., Bulla hæc grandi miraculo servata fuerit. Accidit enim navim, in qua hæ litteræ Apostolicæ Roma Toletum deferebantur, vi tempestatis in maris profundum, una cum cæteris omnibus, quæ in ea erant, demergi, cum ipsis Apostolicis litteris, quæ nihilominus post duos menses illæsæ repertæ sunt, et a venerabili Domina *Beatrice de Sylva*, quæ eas litteras expostulaverat, fuerunt receptæ. — Eumdem ordinem una cum regula approbavit Julius II. qui ad Pontificatum assumptus est anno 1503. per Bullam, quæ incipit, *Ad statum prosperum*, ubi cap. 2. ejusdem regulæ habetur: *Quæcumque a Deo illustratæ et invocatæ, sæculi vanitatem deserere voluerint, et hujus regulæ habitum assumentes Jesu Christo Redemptori nostro desponsari voluerint, ejusdem Genitricis Immaculatam Conceptionem venerantes, voveant semper vivere sine proprio, et in castitate, cum perpetua clausura.* Postmodum vero subditur ibidem forma Professionis, quam Sorores emittere debent his verbis: *Ego Soror N. ob amorem, et servitium Domini nostri, et Immaculatæ Conceptionis ejusdem Genitricis, voveo, et promitto Deo, et Beatæ Mariæ Virgini, et beato Francisco, et omnibus Sanctis, et tibi Mater, toto tempore vitæ meæ vivere in obedientia, sine proprio, et in castitate, et in clausura perpetua sub regula per sanctissimum Papam Julium II. nostro Ordini concessa, et confirmata.* — Eumdem Ordinem approbavit Leo X. anno 7. sui Pontificatus per Bullam quæ incipit, *Quia nuper accepimus, etc.* qua eis Monialibus concedit easdem gratias spirituales, ac temporales per Sedem Apostolicam concessas omnibus Ordinibus S. Francisci. Quam subinde approbationem cæteri summi Pontifices ejus successores confirmaverunt, imprimis vero Alexander VII. qui ad instantiam Reginæ Christianissimæ Mariæ Theresiæ, concessit facultatem Monialibus sanctæ Claræ in suburbio vulgo dicto sancti Germani a pratis degentibus, quatenus regulam, ac vestem Ordinis sub titulo *Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ* induerent, ac susciperent.

Confirmatur iterum ex eo, quod summi Pontifices approbarunt varias confraternitates in orbe Christiano erectas sub titulo *Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis*, quarum insignem erexit noster eminentissimus, ac piissimus Franciscus Ximenius S. R. E. Cardinalis, in Ecclesia Toletana; quam institutionem sub eodem titulo approbavit Adrianus VI. per Bullam quæ incipit, *Sicut Salvatore nostro, etc.* in qua concedit plenariam indulgentiam iis omnibus, qui ejusmodi confraternitati adscriberentur, consequendam diebus Conceptionis, vel Nativitatis, aut Assumptionis ejusdem Virginis Deiparæ.

Confirmatur tertio ex omnibus favoribus spiritualibus ac indulgentiis, quas summi Pontifices concesserunt ob devotionem fidelium erga Immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem: cum enim spirituales

illæ gratiæ non concedantur nisi ob probatos, et ab Ecclesia receptos actus religionis ac devotionis, consequens est, inquit Valentia Tom. 4. dist.2. q. 1. puncto 2. quod summi Pontifices hoc in ipso, quod ad Immaculatæ hujus Conceptionis celebrationem fideles omnes invitaverunt, etiam censuerunt reipsa hanc de Immaculata Conceptione opinionem esse tenendam. Idem infert Joannes Serrarius lib. 2. cap. 8. ubi relatis indulgentiis Sixti IV. et aliis specialibus a Julio II. concessis deferentibus imaginem Conceptionis, subdit: *Quod nullatenus facerent, si de Conceptionis præservatione dubitassent. Nam piaculum esset pro re dubia, aut non pia, indulgentias aut gratias impertiri.* Et pag. 141. post commemoratas indulgentias Leonis X. *Tales certe, ac tantas concessiones nullo hic Pontifex modo fecisset, si dubium aliquod de Immaculata semper Virginis Conceptione haberet.* Has autem ab omnibus summis Pontificibus concessas indulgentias, et spirituales favores collectim habes in Regesto authentico pro tuendo titulo Immaculatæ Conceptionis pag. 599 et seqq.

Confirmatur denique ex eo, quod plurimi summi Pontifices approbarunt officium a Leonardo Nogarolo Protonotario Apostolico, ac sacræ Theologiæ Doctore celeberrimo, concinnatum in honorem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis: imprimis vero Sixtus IV. ad quem officium istud directum fuit, qui insuper concessit indulgentias plenarias recitantibus illud officium, ut constat ex supra dicta Bulla, *Cum præexcelsa, etc.* Qui etiam mandaverat istud officium inseri in Breviario Romano. — Nec obstat, quod Pius V. præceperit hoc Officium Nogaroli dispungi a Breviario Romano; non enim exinde sequitur eum improbasse Conceptionem illibatam Virginis, ut contendunt Adversarii. Enimvero idem summus Pontifex istud Officium quasi proprium depositum voluit semper servari in nostra Minorum familia, et ab omnibus Seraph. Ordinis Religiosis recitari, ut constat ex omnibus editionibus illius Breviarii Romani, ad cujus calcem inseruntur *Officia propria sanctorum Ordinis Minorum,* cum hac additione, *quæ Pius V. Pont. Max. tam pro fratribus, quam pro Monialibus ejusdem Ordinis viva voce concessit.* Habentur hæc verba in editionibus Antuerpiensibus an. 1622. 1627. 1634. 1636. 1641. 1643. Venetis, ann. 1615. et 1636. Matritensibus, an. 1611. 1619. 1623. 1631. Parisiensi, an. 1630. Romana, ann. 1644. typis Bernardini Tani, et aliis quamplurimis facultate et subscriptione P. Vincentii Martinelli socii R. P. F. Nicolai Radulphi Sac. Palat. Apost. Magistri comprobatis. — Gregorius XIII. etiam vivæ vocis oraculo approbavit officia Missarum Ordinis Minorum. Similiter Sixtus V. et Paulus V. eadem officia approbarunt, et recitanda concesserunt, absque ulla mentione prohibitionis Pii V. Signum est igitur Pium V. non prohibuisse, imo permisisse Ordini Minorum recitationem illius Officii, in quo beata Virgo pluries omnino immaculata, et ab omni peccato originali præservata asseritur.

Objiciunt adversarii prætensum decretum sanctæ Romanæ, et generalis Inquisitionis, quo prohibetur titulus *Immaculatæ Conceptionis,* emanatum feria 4. die 20. Januarii 1644. his verbis conceptum: *In congregatione Generali sanctæ Romanæ, et universalis Inquisitionis, habita in Conventu S. Mariæ super Minervam, coram Eminentissimis, et Reverendissimis Dominis Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem*

Inquisitoribus Generalibus, a sancta Sede Apostolica deputatis : Eminentissimi et Reverendissimi DD. Cardinales Inquisitionis Generalis prædictæ decreverunt, quod quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Conceptioni B. Virginis, nullo modo permittatur : sed solum dicatur, Conceptio Immaculatæ Virginis, et ita observari mandarunt. Loco sigilli. *Joannes Antonius Thomassinus sanctæ Romanæ Inquisitionis Notarius.* — **Verum** decretum istud fictitium esse, et ab Adversariis elaboratum apparet *Primo,* quia decreta Pontificia, ac S. Inquisitionis, statim ac fuerunt edita, promulgantur, ut constat ex praxi, hoc autem supponitur emanatum an. 1644. 20. Januarii, hoc est sex integros menses ante mortem Urbani VIII. nec tamen orbi innotuit nisi biennio post electionem Innocentii X; si autem verum fuit, ac legitimum decretum de re ita gravi, et quæ tot turbas ac tumultus propter repugnantes Adversarios excitaverat, quid necessum fuit, tamdiu occultari? *Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi,* ait Tertull. lib. *Contra Valentin.*, cap. 3. — *Secundo,* si verum fuisset illud decretum, cur fugienda esset summi Pontificis præsentia, ut eo in loco ederetur, nempe in Cœnobio S. Mariæ super Minervam? Quænam tam grandis fuit urgens necessitas intempestive elaborandi illius decreti, ut istius conditores præstolari non possent tempus celebrandæ Congregationis generalis Cardinalium in Palatio Apostolico, quæ singulis hebdomadibus fieri solet coram summo Pontifice? Certe negotium istud sufficientis erat ponderis, ut nil quidquam circa id decerneretur inconsulto summo Pontifice ; maxime cum isto decreto proscribi deberent non solum tot Pontificia decreta, sed etiam Bullæ authenticæ, in quibus titulus *Immaculatæ Conceptionis* diserte ac perspicue declaratur et firmatur. — *Tertio,* non est major defectus, quam potestatis : at illa Congregatio, in qua decretum istud supponitur confectum, nulla prorsus pollebat auctoritate ad statuendas et decernendas res tanti ponderis ; siquidem dumtaxat hæc Congregatio instituta ac deputata fuit, ad causas Ecclesiasticas et contentiosas dirimendas, ut constat ex Constitutione 34. Pauli III. incip. *licet* 12. Kal. Augusti ann. 1541. et Pii IV. 79. incip. *Cum nos* ann. 1564. non vero, quæ spectant ad materias religionis, et cultum divinum, ac mores fidelium probe, justeque informandos : certum est autem, quod titulus ille Conceptionis Immaculatæ, qui per ejusmodi decretum proscribitur, concernat morum sanctitatem, quippe cum aliqui status religiosi, variæque confraternitates sub hoc titulo *Immaculatæ Conceptionis* fuerint erectæ, et ab Ecclesia probatæ : unde necessum est sacra illa instituta nullius esse momenti, et eos omnes graviter delinquere, qui vel vota religiosa, vel sacros ritus Deo nuncuparent sub hoc titulo Immaculatæ Conceptionis, si ille auctoritate Ecclesiastica esset prohibitus ac proscriptus. — *Quarto,* ut vim aliquam prætensum illud decretum haberet, necessum esset, quod per id derogaretur speciatim omnibus Apostolicis Constitutionibus, quibus titulus ille *Immaculatæ Conceptionis* tribuitur, et approbatur, tamdiu siquidem vigent Apostolicæ Constitutiones, donec expresse, et nominatim revocentur: id autem fieri nullatenus apparet ex præfato decreto, ac subinde omnes illæ Constitutiones Apostolicæ Immaculatæ Conceptioni patrocinantes plenarium et integrum robur adhuc sortiuntur. — *Adde quod* Pontificiæ Constitutiones non-

nisi per alias oppositas Constitutiones revocentur, eadem enim auctoritas ac solemnitas desideratur in revocatione legis, quæ in ejus constitutione intervenit. Quis autem existimet Cardinales prudentissimos ac oculatissimos decretum edidisse, quod nullius fore roboris, nulliusque efficacitatis facile conjicere licebat, quodque in tot Pontificias Constitutiones aperte militabat? — *Quinto,* si motu proprio, et dumtaxat ad præcavendum aut amovendum abusum aliquem, decretum istud constituerit sacra Congregatio, quid necessum fuit adversariis duos publicos libellos supplices Eminentissimis Cardinalibus sanctæ Inquisitionis, pro tuendo præfato decreto offerre? Enimvero si a vera ac legitima auctoritate Ecclesiastica emanatum fuit, non egebat adversariorum ope, ut effectum sortiretur et mandaretur executioni: hos autem eorum duos libellos, unum quidem breviorem, alterum vero longiorem, habes in Armamentario Seraphico pag. 8. cum doctissima, ac eruditissima omnium, quæ perperam allegant, refutatione.

§ IV. — Quarta probatio ducta ex festo Conceptionis ab universali Ecclesia celebrato. — Enimvero Ecclesia non celebrat festum alicujus, nisi propter eximiam illius sanctitatem et dignitatem: sed jam a pluribus annis et sæculis Ecclesia celebrat festum Conceptionis Deiparæ Virginis: igitur censet Ecclesia illam Conceptionem sanctam esse et immaculatam. *Major* constat, et admittitur ab omnibus SS. Patribus, et Theologiæ principibus. Nam Angelicus Doctor 3. par. qu. 27. art. 1. ex hoc principio colligit Nativitatem B. Virginis esse eximia sanctitate fulgentem; postquam enim pro utraque parte, juxta morem solitum, propositam quæstionem ventilavit, et argumenta sanctificationem Virginis in utero materno oppugnantia proposuit, robustissimam, quam putavit pro stabilienda veritate in contrarium hanc objicit rationem: *Sed contra est,* inquit, *quod Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis: non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto: ergo beata Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta: fuit ergo in utero sanctificata.* Ipsi præiverat S. Bernardus Epist. 174. ubi de eodem argumento sic scribit: *Nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem: et omni anno cum exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens. Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius, non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini in natis quidem mulierum creditur esse donatum.* Similiter concinit et S. Augustinus Serm. 113. de S. Cypriano dicens: *Quando natus est* (Cyprianus) *ignoramus, et quia hodie passus est, natalem ejus hodie celebramus. Sed illum diem non celebraremus, etsi nossemus: illo enim die traxit originale peccatum: isto autem die vicit omne peccatum.* Et paulo infra concludit: *Unde nos celebraremus natalia ejus, nisi esset pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum?* Idem habet Serm. 95. qui est de S. Stephano. Cum igitur Ecclesia, ut mox probabimus, Conceptionis B. Virginis festivum diem jam a multis sæculis celebret, consequens est quod illam Conceptionem immaculatam ac sanctitate præcellentem fateatur et agnoscat. — *Probatur itaque minor,* nempe quod illius Conceptionis festum, non solum a tempore Sixti IV. sed etiam plurimis antea sæculis Ecclesia celebraverit: nam imprimis (ut multis argumentis probat

P. Ojeda in sua *Informatione Ecclesiastica*, cap. 2.) in Ecclesiis Ægypti semper celebrata est festivitas Conceptionis, quam institutionem acceperunt a S. Marco Evangelista. Et in Syriaco Novo Testamento translato a S. Marco (ut probant Burgensis tractatu 1. *De usu Chaldaicæ Paraphrasis*, Salmeron prolog. 35. etc.) ad caput 11. Lucæ v. 27. ponitur titulus *Pro Conceptione Deiparæ Virginis;* sicut et pro aliis quinque festivitatibus ejusdem. Hoc enim peculiare habet Novum *Testamentum Syriacum*, quod distribuatur in quosdam titulos designantes Evangelia, et Epistolas, quæ in singulis festivitatibus decantantur, quæ quidem distributio facta fuit ab antiquissimis S. Marci successoribus, ut affirmat Fabricius Boderianus in epistola proœmiali ante versionem Syriacam. — Eamdem festivitatem ab antiquo celebrari in Ecclesia Abyssinorum, probat idem Fabricius, qui refert eos asserere se suas festivitates ab Apostolis accepisse. — *Confirmari* potest ex S. Thesiphone discipulo S. Jacobi, qui ut habetur in uno ex libris *In monte sancto Granatensi* anno 1595. repertis, refert Apostolos in Concilio docuisse B. Virginem fuisse sine originali conceptam, per hæc verba: *Illa Virgo, illa Maria, illa sancta præservata fuit a peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, et libera ab omni culpa.* In alio libro ex prædictis S. Thesiphon ait: *Mariam non tetigit primum peccatum.* Et iterum: *Nequaquam Angelus Virgini diceret, Ave gratia plena, si in originali fuisset concepta.* De his libris, et laminis Granatensibus agit Doctor Luzerus discursu 2. *De Conceptione,* Jacobus de Granado *De Concept.*, d. 3. cap. 6, Madera in *Historia de eisdem libris,* Ægid. *De Præsentatione*, lib. 3. *De Concept.*, quæst. 3. art. 1. sect. 1. qui satisfaciunt difficultatibus contra dictos libros, et laminas, quibus includebantur, et Universitas Complutensis propositionem 11. Gasparis Ram. sacræ Theologiæ Doctoris, qua asseruit dictos libros nullius esse auctoritatis, sic notavit: *Hæc propositio manifeste falsa est, cum sint multæ rationes pugnantes et urgentes, quæ affirmant id, quod de sancto Monte Granatensi dicitur.* Refert etiam Ægyd. sup. et alii, librum illum, laminas, reliquias, et alia inventa in monte sacro Granatæ approbata fuisse a Concilio Provinciali. Hinc Galatinus noster lib. 7. cap. 5. cum Immaculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ assertores et propugnatores laudasset varios Patres Græcos, addit: *In cujus rei signum, festum de ipsa Immaculata Virginis Conceptione, per annos fere mille celebrarunt: Et in Martyrologio, quod in crastino ipsius festi legitur, quodque a S. Joanne Damasceno editum fuit, inter cætera, quæ de ipsa beatissima Virgine pronuntiantur,* dicitur: *Conceptio munda B. Annæ Dei, et Domini nostri Aviæ.* Quibus verbis significatur Conceptio activa, qua S. Anna beatissimam Virginem in utero concepit. In editione vero Monologii opera Henrici Canisii, sic habetur, *Commemoratio S. Annæ matris Deiparæ Virginis.* Addunt aliqui, ut Bivarius ad Chronicum dextri an. 308. comment. 1. *Conceptio munda B. Annæ.* Hinc omnes historiæ Græcæ periti fatentur festum Conceptionis passivæ B. Virginis celebratum fuisse a Græcis ante 500. et amplius annos, ut observat Baronius in *notis ad Martyrol. Rom. die 8. Decembris.* Quamvis apud Græcos postridie, idest, nona ejusdem mensis celebretur, quod utique aperte constat ex constitutione Emmanuelis Imperatoris inserta a Theodoro Balsamone commentario in Nomocanonem Photii,

tract. 7. cap. 1. ubi inter dies solemniter colendos ita legitur: *Nono Decembris, utpote quod in eo peragatur Conceptio castissimæ Matris Dei nostri.* Imperare autem cœpit Emmanuel anno 1143. De hac ergo festi Conceptionis in Ecclesiis Græcis antiquitate nulla est controversia; quin potius probalissime dici potest, circiter annum 900. jam festum Conceptionis apud Græcos celebre fuisse, cum idem Baronius testetur in Manuscripto Bibliothecæ Stortianæ n. 65. inveniri sermonem *Leonis Imperatoris de Conceptione B. Mariæ*, qui omnino est Leo VI. *sapiens* cognominatus, cujus alia ejusdem generis scripta recenset Baron. Tom. 10. *Annal.* an. 911. in quem incidit Leonis mors; imperii autem initium in annum 886. Inde mirum videri non debet, quod Bartholomæus Episcopus Brixiensis in suo Repertorio p. 2. in verbo *festum*, dicit, Ecclesiam celebrare solemne festum in die Conceptionis beatæ Virginis. Et narrat insuper, quod ipse tali die celebraverit solemniter in sacello summi Pontificis in ejus præsentia, et plurium Cardinalium, ut refert Bernardinus de Bustis Serm. 3. *De Conceptione:* vixit autem iste Bartholomæus circa annum 1227. Igitur duobus sæculis ante Sixtum IV. jam Ecclesia Romana agebat diem festum immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis. His adde quod anno 1263. die 20. Maji in festo Pentecostes celebrata fuerint Pisis Comitia generalia nostri Seraphici Ordinis, probante, ac præsidente S. Bonaventura tunc Generali ministro, ubi inter cætera, quæ pie, religioseque statuta, ac decreta fuerunt, ut narrant Wadingus Tom. 2. in *Urbano IV.* an. 2. n. 16. et Michaël Angelus in *Chronologia* n. 12. Capitulorum generalium, hoc decretum legitur: *Tunc ordinatum est, ut hac stropha Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine, etc. clauderentur Hymni omnes a nativitate Domini usque ad Epiphaniam, et similiter ad Primam diceretur: Qui natus es de Maria Virgine. Jussum item, ut hæ festivitates admitterentur in ordine, videlicet Conceptionis B. Mariæ, Visitationis ejusdem, B. Annæ illius Genitricis, et Marthæ Virginis, etc.* Igitur festum Conceptionis longe ante Sixtum IV. in Ecclesia sacrum erat.

Reponunt adversarii: si revera festum istud pridem celebratum fuisset in Ecclesia, illud non latuisset S. Bernardum: at hic Epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses eos acriter perstringit, quod festum Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ temere, et inconsulta sede Apostolica celebrarent, ibique plurimis rationibus demonstrat B. Virginis Conceptionem non fuisse ab originali peccato immunem: « Miramur, *inquit*, « satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum, voluisse « mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus « Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. » Unde post allatas quasdam rationes, quibus Immaculatam Conceptionem oppugnat, concludit: « Quamobrem etsi, quibus vel paucis « filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci; non tamen et « concipi: ut uni sane servaretur sancti prærogativa conceptus, qui « omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens, purgationem « faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Jesus de Spiritu sancto « conceptus, quia solus, et ante conceptum sanctus. Quo excepto, de « cætero universos respicit ex Adam natos, quod unus humiliter de « semetipso, ac veraciter confitetur. *In iniquitatibus*, inquiens, *conceptus « sum, et in peccatis concepit me Mater mea.* Cum hæc ita se habeant,

« quænam jam erit festivæ ratio Conceptionis? Quo pacto, inquam, aut « sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu sancto non est: ne dicam « de peccato, aut festus habebitur, qui minime sanctus est? Libenter « Gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa « induci videtur sanctitas. Alioquin nulla ei ratione placebit contra « Ecclesiæ ritum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis ». Hæc S. Bernardus. — **Respondeo** *primo* non improbabilem mihi videri eorum sententiam, qui existimant illam epistolam S. Bernardi suppositiam esse, non autem genuinum ipsius fœtum; quod utique plurimæ nec leves rationes insinuant: *Primo*, quia S. Bernardus pluribi diserte pronuntiat B. Virginis Conceptionem prorsus immaculatam fuisse. Sic Serm. 13. *De Cœna Domini: Non est in filiis hominum magnus, vel parvus, qui non in peccatis conceptus fuerit, præter Matrem Immaculati, peccatum non facientis, sed peccata mundi tollentis: da qua cum de peccatis agitur, nullam prorsus volo habere quæstionem.* Et Ser. 1. super Salve regina: *Innocens fuisti ab originalibus, et actualibus, nemo ita præter te.* Et adducitur dicta Aug. auctoritas, *cum de peccatis agitur, etc.* Licet autem dubitetur, an isti sermones sint S. Bernardi, et etiam inter suppositios illius melliflui Doctoris fœtus eos reposuerit Horstius, attamen eos genuinis accenset editio Lugdunensis operum S. Bernardi apud Joannem Clein anno 1515. in qua refertur illam editionem fieri post collationem factam ejusmodi operum a Religiosis Claravallensibus cum Archetypis ejusdem Monasterii. Utut sit, certum est illos esse editos a viro doctissimo illius temporis, qui etiam S. Augustinum hujus sententiæ assertorem laudat. Idem P. Ojeda in sua informatione cap. 14. ut refert Cavellus in *Rosario*, qui non leve etiam ducit argumentum hanc epistolam esse suppositiam, ex eo quod ipsemet S. Bernardus Epist. 284. ad Eugenium conqueratur de falsificatione suarum epistolarum. *Periclitati sumus*, inquit, *in falsis fratribus, et multæ litteræ nostræ falsatæ sub falsato sigillo nostro in manus multorum exierunt:* et Epistola 298. ad eumdem conqueritur de Nicolao, qui ipsius manum falsavit, et sigillum, quod antea mutare coactus est, propter falsificationes præcedentes: *Quis possit dicere* (inquit) *ad quam multas personas sub nomine meo, me ignorante, quæ voluit scripsit? quis mihi det, ut ipsa Curia vestra ad purum purgetur fœce mendaciorum ejus? quis mihi det, ut vel ipsorum innocentia, qui mecum sunt, satis valeat excusari apud circumventos impudentissimis ejus mendaciis? Vobis quoque aliquoties in eadem falsitate scripsisse, et non semel, partim convictus, partim confessus est.* Iste Nicolaus fuit Monachus, et Secretarius S. Bernardi ex Epistola 354. addita, novitque stylum ejus ad vivum imitari, ut ostendit Baronius ad an. 1146. n. 22. ex Epistola 34. lib. 6. Epistolarum Petri Cluniacensis, quæ est ipsius, et Bernardi more, ipsis Scripturæ verbis, fere tota conscripta. Supposito hoc fundamento, scilicet innumeras litteras falso S. Bernardi nomine datas esse, non videtur improbabile, quod dicta Epistola ad Lugdunenses Canonicos una sit ex falsatis. *Secundo*, quia Epistola dicit festum Conceptionis fuisse inauditum; sed Bernardus bene noverat illud haberi in Martyrologiis Adonis, Bedæ, et Usuardi. *Tertio*, celebrabatur tunc in Ecclesia Narbonensi, aliisque primariis Franciæ Ecclesiis, ut ostendit P. Ojeda cap. 11; quare ergo Epistola reprehendit

Lugdunenses, non vero alios? *Quarto* in vita S. Bernardi per Guliel. Bernardum, et Gofridum, nec verbum habetur de ista lite cum Lugdunensibus, cum tamen scribant longe minutiora, quæ Bernardus tractavit cum aliis Ecclesiis, et Epistolas ad eas datas. *Quinto,* nullibi habetur responsio Lugdunensium: et certum est, quod respondissent, si talem epistolam a S. Bernardo recepissent. Si dicas periisse responsum; quomodo nulla manet ejus memoria? Et ubi S. Bernardi replica? *Sexto,* floruerunt illo sæculo litteris, et sanctitate in Francia Algerius Cluniacensis Monachus, Hildebertus Archiepiscopus Turonensis, Petrus Cluniacensis, Hugo Victorinus (hi tres familiariter correspondentes S. Bernardo) Petrus Blesensis, et alii: quorum nullus vel apparenter festum Conceptionis impugnavit, vel reprehendit. Et si vidissent Bernardum illud impugnantem, vel sequerentur, vel resisterent, vel saltem aliquam hujus rei mentionem facerent: sed nihil horum contigit. Alias multas rationes, et conjecturas affert P. Ojeda supra, quibus dicta Epistola ad Lugdunenses Canonicos de falsificatione maxime suspecta redditur. Ex quibus constat, dictam epistolam non minus, sed forte magis dubiam esse, quam prædictos sermones, quos Adversarii negant esse Bernardi, quia declarant Virginem ab originali peccato fuisse immunem. Nec obstat nonnulla diversitas styli; quia forsan ipso loquente, alii ex ore ejus, sed suo stylo, exceperunt, quod utique plerumque fiebat, ut ipsemet notat Epist. 18. *Aliqui fratres,* inquit, *ex his qui me coram audiere loquentem, suo stylo exceperunt, et penes se retinent. — Respondeo secundo,* quod etsi hæc epistola sit genuina S. Bernardi, in ea tamen non improbat, nec impugnat mysterium et festum Immaculatæ Conceptionis, eo sensu quo utrumque celebre est nunc in Ecclesia? dum enim contendit beatam Virginem in peccato conceptam, ibi vocem *Conceptionis* non accipit pro animatione fœtus, seu unione animæ cum corpore, sed pro conceptione activa ipsorum parentum. Refellens enim rationes colendæ Conceptionis, quas proferebant Canonici Lugdunenses; maxime vero quod conceptus honorari debuerat, *qui honorandum præivit partum: quoniam si ille non præcessisset, nec iste esset, qui honoratur,* ait: « Quid consequentiæ habet: « ut quoniam sanctum præcessit natalem conceptus, propterea repu- « tetur, et iste sanctus? Numquid quoniam præcessit eum, fecit et « sanctum? Quia si præcessit ut esset, non tamen ut sanctus esset. « Unde etenim illa ipsi sanctitas, quam secuturo transmitteret? an « non potius quia præcessit absque sanctitate conceptus, oportuit ni- « mirum sanctificari conceptam, ut sanctus sequeretur jam partus? « An forte mutuatus sit sanctitatem a posteriori prior? Potuit sane « illa, quæ in utero jam concepta, facta est sanctificatio, ad ipsum, « qui sequebatur, transire natalem, redire vero retrorsum ad conce- « ptum, qui præcesserat, jam omnino non potuit. Unde ergo Conce- « ptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione prævenia, quatenus jam « sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit et conceptus, quemad- « modum sanctificata in utero jam dicitur ut sanctus consequeretur « et ortus? Sed non valuit ante sancta esse, quam esse. Siquidem non « erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales san- « ctitas se ipsi Conceptioni miscuit; ut simul et sanctificata fuerit « et concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque, aut

« sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas « cum peccato fuit, aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido « non defuit? Nisi forte quis dicat de Spiritu S. eam, et non de viro « conceptam fuisse. Sed hactenus inauditum. » *Ita S. Bernardus.* — Quibus aperte constat ipsum loqui dumtaxat de Conceptione activa et corporea, unde merito concludit (ut dictum est supra) solum Christum Dominum cum sanctitate fuisse conceptum, quia de Spiritu sancto conceptus est, et quia solus erat ante conceptum sanctus. — *Respondeo tertio* cum Horstio in annotationibus ad hanc epistolam, quod etsi S. Bernardus revera locutus fuerit de Conceptione passiva, cujus noluerit festum celebrari, nihilominus idcirco id præstitit, quoniam id nondum authentico decreto ab Ecclesia Romana præscriptum fuerat; unde ait: *Consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas.* Et epistolam claudit his verbis: *Quæ autem dixi, absque præjudicio sane dicta sunt sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini, totum hoc sicut et cætera, quæ ejusmodi sunt, universa reservo: ipsius si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.* At jam securus tenet S. Bernardus, quod optaverat; non enim aliam conditionem ponit, ut censeat festum Conceptionis esse celebrandum, nisi decretum, et auctoritatem Ecclesiæ Romanæ: hæc vero conditio jam a tempore Sixti IV. impleta est: igitur ab illo tempore Bernardus de festivitatis ac mysterii hujus sanctitate securus est, et pro ipsa stat, atque subscribit; et subinde perperam ab Adversariis in suæ opinionis tutelam profertur.

Reponunt alii Conceptionem B. Mariæ Virginis celebrari, non quidem quod sancta fuerit, sed quod fuerit initium nostræ sanctificationis et redemptionis, ita ut celebritas illa sit potius gratiarum actio, quod Deus eo die nobis Virginem concesserit, ex qua Christus nasceretur, quam commemoratio specialis alicujus sanctitatis, qua fuerit donata, et illustrata Deiparæ Virginis Conceptio. — **Verum**, inquit Vazquez, disp. 197. n. 63. ipso decreto Sixti IV hæc responsio facile refellitur, quia Pontifex non tantum in ea decrevit, ut festum Conceptionis B. Virginis in Ecclesia celebraretur; sed etiam officium Leonardi de Nogarolis Clerici Veronensis, et Protonotarii Apostolici, pro ejusdem festi celebratione approbavit; in eo autem Conceptio Virginis *Immaculata* passim dicebatur. *Præterea* idem Pontifex *ibidem* exhortatur fideles ad reddendas Deo gratias pro ipsius Immaculatæ Virginis mira Conceptione; atqui miram Conceptionem eam non vocaret, nisi præter morem consuetum in gratia et sanctitate Virgo concepta esset; nihil enim aliud mirum ejus Conceptio haberet, cum more aliorum hominum, quod attinet ad naturam, fuerit concepta.

Reponunt cæteri cum Cajetano in Opuscul. *De Concept.*, cap. 5. celebrari festum Conceptionis, non quidem respective ad instans animationis et Conceptionis passivæ, sed per respectum ad sanctificationem in utero, quæ paulo post animationem secuta est. — **Verum** hæc responsio præcluditur in bulla Sixti IV. quæ incipit, *Grave nimis, etc.* in qua ait: *Nonnulli diversorum ordinum Professores, ad prædicandum verbum Dei in diversis civitatibus, et locis, et partibus Lombardiæ deputati, publice affirmare hactenus non erubuerunt, et quotidie prædicare non cessant, Romanam Ecclesiam solam spiritualem Conceptio-*

nem, seu sanctificationem Virginis Mariæ celebrare. Et infra: *Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus, et perversis assertionibus obviare volentes, motu proprio, et de nostra mera deliberatione hujusmodi assertiones quorumlibet, qui affirmare præsumerent eamdem Romanam Ecclesiam de spirituali dumtaxat Conceptione, et sanctificatione ejusdem Virginis gloriosæ festum celebrare, etc. utpote falsas, et erroneas, et a veritate alienas auctoritate Apostolica reprobamus, et damnamus.* Hanc autem Constitutionem confirmavit Alexander VI in bulla quæ incipit, *Illius, qui se, etc.* in qua cum præmisisset præfatam bullam Sixti IV subdit: *Tenore præsentium decernimus et declaramus præinsertas litteras, ac omnia et singula in eis contenta, perpetuis, ac futuris temporibus, donec per Sedem Apostolicam aliter decisum et ordinatum fuerit, inviolabiliter observari debere.* Igitur sub interminatione Apostolica quisque fidelium tenetur celebrare festum Conceptionis naturalis B. Virginis, ac subinde illam Conceptionem ut sanctam et Immaculatam venerari.

Concludendum ergo cum Petro Burro, qui floruit circa annum 1500, *in Pœam de B. Virgine:*

Quis modo conceptum dubitet celebrare Mariæ?
Quis renuat festis annua thura dare?
Hanc Petri sedes, caput, et decus urbis, et orbis,
Et colit, et mandat per pia templa coli.
Nulla est religio, nulla ædes religiosa
Hic ubi conceptus, nunc taceatur honos.
Par mihi miraclo visum est hæc festa dicari
Christicolas inter climata quotquot habent.
Ambigo nempe nihil, hoc summo Numine factum,
Ut colat Argivus, quod colit Ausonius.
Quodque colit Gallus, Dacus colit, atque Bohemus,
Et Germanus, Hiber, Anglus, et Illyricus.

§ V. — Quinta probatio ducitur ab auctoritate SS. Patrum, qui constanti traditione hanc veritatem ad nos usque propagarunt. — Innumera sunt SS. Patrum ac Ecclesiæ Doctorum quovis sæculo existentium oracula, quæ Virginem *vel* absolute omnino immaculatam, *vel* ab omni peccato liberam, *vel* supra creaturas omnes puritate pollentem diserte pronuntiant. Quamquam enim pauci sint ante Augustini tempora (quod nondum de originali peccato gravis exarsisset controversia) qui eam originali labe non fuisse inquinatam distincte proferant; attamen id aperte satis significant, dum omnimodam ejus aut sanctitatem, aut puritatem, aut ab omni peccato defœcationem et immunitatem affirmant. Ex iis autem tot, tantisque oraculis, quæ etiam ad sex millia profert noster de *Alva,* et ex plurimis, quæ colligit et recenset noster Cavellus in suo Rosario, selectiora dumtaxat hic attexere mens est. — Prodit imprimis S. Andreas Apostolus, qui, ut referunt Presbyteri Achaiæ in ejus vita, ajebat: *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta; ita secundus Adam formatus fuit ex terra virginea numquam maledicta.* Hanc vitam S. Andreæ habet Surius, et de veritate ejus dubitandum non esse testatur Bellarminus, lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis;* unde

in *Breviario Romano* etiam auctoritate Pontificia recognito et approbato, inserta fuit, postquam de ea ab viris doctis acriter disputatum esset, et omnium consensu est approbata. — S. Jacobus idem insinuavit in sua *Liturgia*, in qua post consecrationem habetur: *Memento præcipue sanctissimæ, immaculatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ dominæ nostræ Deiparæ semper Virginis Mariæ.* Et Chorus respondet: *Dignum est, ut te vere beatam dicamus, Deiparam, omnibus modis irreprehensam:* at si fuisset originali peccato inquinata, dici non posset immaculata, nec omnibus modis irreprehensa: igitur oportet S. Jacobus censuerit, eam fuisse ab originali peccato immunem. Hinc est, quod Flavius Dexter præses Barchinonensis Imperatori Theodosio a Consiliis, in libro *Omnimodæ Historiæ*, de qua late scribit Marcus Castella in præfatione ad *Historiam S. Jacobi*, quem librum dedicavit S. Hieronymo, refert *a S. Jacobi prædicatione celebratur in Hispania festum Immaculatæ et Illibatæ Concept. Dei Genitricis.* His adde, quæ diximus de celebratione festi Conceptionis in Ecclesiis Ægypti, ex ordinatione S. Marci, ut inde intelligas sententiam propugnantem Immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem ab Apostolis ad nos usque fuisse derivatam. — Unde etiam huic veritati patrocinantur qui primo, secundo, et tertio sæculo scripserunt: nam S. Ignatius, Epist. ad S. Joannem: *In Maria humanæ naturæ*, inquit, *natura sanctitati Angelicæ sociatur:* qualiter autem natura sociaretur Angelicæ puritati ac sanctitati, si Maria originali culpa fuisset inquinata? Hinc Justinus Martyr q. 136. *ad Orthod.*, dixit Mariam esse *animæ puræ, quæ tota ad Deum spectat.* Qua vero ratione tota ad Deum spectaret, si prius per originale peccatum, sub diaboli tyrannide fuisset mancipata? His adstipulantur alii plurimi, maxime vero S. Hippolytus Martyr, oratione *De Consummatione mundi: Christus*, inquit, *advenit ex sancta et immaculata Virgine.* Similiter Origenes, Homil. 1. ex variis de Virgine faciens sermonem, ait: *Neque persuasu serpentis decepta, nec ejus venenosis afflatibus infecta est:* quomodo autem diaboli venenosis afflatibus non fuisset infecta, si revera peccatum originale contraxisset? Idem etiam præclare docet auctor Sermonis *De Nativitate Christi*, apud sanctum Cyprianum, ubi agens de Virgine Deipara ait: *Nihil in hac repetit ultio, nec præcedens delectatio aliquam petit pœnarum usuram. Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale extinctum est, ideoque innoxiam affligi non decuit: nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimum a cæteris differens, naturæ communicabat, non culpæ.* Quibus verbis, inquit Vazquez disp. 117. num. 33. quamvis ideo solum videatur asserere Mariam sine dolore peperisse, quia sine delectatione carnali concepit, ex quo id quod contendimus minime probari posset; tamen si recte expendantur, ideo potius sentit Mariam sine dolore peperisse, quia nullam culpam originalem contraxit, quando dicit: *Naturæ communicabat, non culpæ.* Nec enim mulieres, ideo in dolore pariunt filios, quia cum delectatione concipiunt; siquidem mulier, quæ in somnis, vel arte dæmonis aliunde semine humano delato, conciperet sine delectatione, in dolore nihilominus pareret: sed quia per originale peccatum maledictionis Evæ participes fiunt. Ad Evam enim propter peccatum dictum est Genes. 3. *In dolore paries filios:* quæ quidem ma-

ledictio ad posteros simul cum peccato originali transivit. — Tertium et quartum sæculum ejusdem veritatis assertores plures subministrat. Imprimis vero S. Ambrosium, qui Serm. 22. in Psal. 118. explicans illud *Erravi sicut ovis*, ita scribit: *Veni ergo, et quære ovem tuam, jam non per servulos, non per mercenarios, sed per temetipsum suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est: suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Integram dicit ab omni labe peccati, et proinde a labe originalis culpæ. Adde quod in officio Immaculatæ Conceptionis approbato per Pium V. ex eodem inserantur hæc verba: *In qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Quæ verba desumpta esse putantur ex Commentariis in Isaiam, vel ex Serm. *De Babaonitis.* Similiter S. Ephrem, cujus opera teste Hier. *De Scriptor. Eccles.*, in Ecclesiis post sacram Scripturam legi solebant, Orat. *Ad Dei Genitricem*, Tom. 5. *Immaculata, intemerata, incorrupta, et ab omni peccati labe alienissima.* — S. Hieronymus in Psalm. 77. explicans illud: *Et eduxit eos in nube diei*, inquit: *Aut certo nubem levem debemus sanctam Mariam accipere nullo semine humano prægravatam.* Quare autem dicatur nubes diei, his verbis exponit: *Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Quod si B. Virgo peccatum originale contraxisset, et justitia et sanctitate caruisset, procul dubio in nocte priusquam in die fuisset. — Eodem sæculo florebat S. Augustinus qui lib. *De Natura, et gratia*, cap. 36. cum Pelagius contenderet hominem posse vivere, non solum sine peccato, sed etiam juste; et plurimorum exempla memorasset, qui in sacris Litteris juste et sine peccato vixisse dicuntur: postquam verba illius Augustinus in eo cap. retulit, subjungit: *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: unde enim*, vel potius, *inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac igitur Virgine excepta, si omnes illos Sanctos et Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare, etc.* Quibus verbis etsi fortasse de solis peccatis actualibus sermonem instituat S. Augustinus, nihilominus sufficienter significat, se pariter originale peccatum a Virgine Deipara excludere. Ratio siquidem hæc generalis, quare noluerit B. Virginem complecti sub illa universali propositione, nempe propter honorem Domini, et quia concipere, et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum, æque concludit de exclusione peccati originalis, ac actualis. *Adde quod* carentia actualis peccati in ætate adulta sit infallibile signum immunitatis ab originali in vitæ primordio, secundum ejusdem sanctissimi Doctoris doctrinam: nam lib. 5. *Contra Julianum*, c. 15. ubi probans idem esse habere peccatum, ac fecisse, concludit de Christo: profecto peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset. — *Sexto, et septimo sæculo* prodeunt, imprimis Gregorius lib. 1. cap. 1. *Sublimis Maria, ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem, super omnes Angelorum choros, usque ad thronum Deitatis erexit.* Ergo cum Angeli boni numquam fuerint polluti, idem a fortiori dicendum est de Maria, ut ad conceptionem Verbi digne disponeretur. — Similiter Andreas Cre-

tensis, Homil. 1. *De Virg. Dormitione, quæ cum esset immaculata, impolluta, etc.* Et inferius: *Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, prima natura proxime accedens ad Deum.* Et Homil. 2. *Sola præter naturam fuit electa, sola servivit Opifici universæ naturæ.* Ergo aliter, quam alii in utero sanctificati, electa est. — In idem S. Eligius, Homil. 2. *De Purificat.: Numquam immunda judicatur, quæ Spiritu sancto obumbrante totius munditiæ auctorem genuisse comprobatur.* — Sophronius in Epist. de qua in 6. Synodo, Tom. 3. p. 307. ait: *Virginem ideo dici immaculatam, quia in nullo corrupta est.* Et Orat. in *Christi natalia: Christus in manifestissimum omnipotentis Divinitatis suæ judicium, Virginem ex qua prodiit, integram, incorruptamque conservavit.* — Idelphonsus Archiepiscopus Tolet. contra eos, qui disputant de virginitate et parturitione Mariæ (habetur propositum concernentia) sic enim ait: *Quomodo Spiritu Sancto eam replente, non sine peccato originali fuit?* Et infra: *Nec attraxit in utero sanctificata originale peccatum.* Et in eodem libro: *Constat eam ab originali peccato fuisse immunem.* Et ibidem: *Non contraxit in utero sanctificata originale peccatum.* Item: *In totum extranea a maledicto primæ damnationis.* — *Octavo sæculo* distincte hanc veritatem professus est S. Damascenus, Orat. 1. *De Nat. Mariæ*, post princ. ubi ait: *Natura gratiæ factum antevertere minime ausa est, verum tantisper expectavit dum gratia fructum suum produxisset.* Item: *O beatos Joachim lumbos, e quibus immaculatum semen effluxit! O præclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis formatus fuit sanctissimus fœtus!* Verba ultima videntur evidentia pro immaculata Conceptione, quia fœtus non est formatus sanctissimus, si fuit formatus Deo inimicus, peccato infectus. Et ibidem: *O sanctissima, quæ principatus, et potestates fefellisti, atque ignea maligni tela extinxisti, quæ in Spiritus thalamo versata, atque immaculata conservata in Dei sponsam!* Et Orat. 1. *De Assumpt.: Gratiæ abyssum invenit, quæ duplicis Virginitatis navem incolumem servaverat, animamque non minus quam corpus virgineum custodierat.* Et ibi Orat. 2. *Ad hunc paradisum* (Mariam) *serpens aditum non habuit.* — Sanctus Germanus Constantin., Serm. *De Fascis, et zona B. Mariæ*, ex Sur. 13. in id Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt, etc. Existimo manifeste, et sine contradictione, eam quæ est omnibus superior, divinarum et sublimium virtutum magnitudine et puritate omnibus excellentem, Mariam nulli culpæ affinem.* — *Sæculo nono, et decimo* vir doctissimus ac sanctissimus, qui propter insignem humilitatem Idiota voluit appellari, lib. *De Contemplatione Virginis*, cap. 2. *Tota pulchra, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, et macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit.* Et cap. 6. *Fuisti ab originali labe præservata.* Et cap. 3. *O præbenedicta, combenedicta, et postbenedicta Virgo Maria!* Haymo discipulus Alcuini Epist. *De Assumpt., In ipsa hæreditate Domini mortua est Maria, quæ non peccando, a possessione Domini non discessit.* Fulbertus, lib. 1. *De Maria*, cap. 7. Orat. in *Salutationem Angel., Immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem omnis sanctitatis.* Refertur a Canisio, lib. *De Deipara*, cap. 9. Coccino, et aliis. — *Undecimo sæculo* floruit S. Anselmus, et in libro

De Conceptu Virginali, inter cætera hæc habet: *Primordia Conceptionis tuæ, merito filii sanctæ Ecclesiæ debent venerari, si a peccati jugo credant esse discreta, quod cum aliter credere nulli fas sit, etc.* Et cap. 18. *Decebat ut illius hominis conceptio de Matre purissima fieret, decens enim erat, ut ea puritate, qua major sub cælo nequit intelligi, Virgo illa niteret, etc.* Idem Anselmus Epistola ad Episcopos Angliæ tria refert miracula, quibus sanctis apparitionibus, et revelationibus Conceptionis festum celebrari jubebatur. Cujus epistolæ, ut authenticæ meminit Gerso, Serm. *De Conceptione*, Bacconius Doctor Anglus, qui ante pene 400. annos floruit, in 4. dist. 2. quæst. 3. art. 1. et plures alii, quos citat Cavellus. Hinc S. Anselmus instituit festum Conceptionis celebrandum in Anglia, ut habetur in Concilio Cantuariensi, teste Bacconio quodlibeto 13. et pluribus aliis. Petrus Damianus, Serm. *De Assumpt. Virg.; Caro Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit.* Et Serm. *De Nativitate Virginis: Nihil vitii in ejus corpore, aut mente vindicare sibi potuit locum, quæ totius Trinitatis meruit esse sacrarium:* ergo sicut numquam corpus fuit corruptum, ita et mens numquam fuit maculata. S. Bruno, in Psal. 101. in id, *Dominus de cælo in terram aspexit*, ait: *Hæc est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vitæ viam agnovimus: quæ, quia digna fuit, Dominus de cælo in terram aspexit.* Ponderanda sunt illa verba *ab omni contagione peccati libera*, quæ tam de actuali, quam de originali intelliguntur, alioquin non posset dici Virgo terra incorrupta, quam Dominus de cælo respiceret. Et Serm. *De Nativit. Virg., Mors per Evam facta est, vita per Mariam reddita est: illa a diabolo victa est, hæc diabolum ligavit, et vicit.* Non vicit quoad mortem corporis: ergo animæ. Ivo Carnot. Episcopus, Serm. *De Nativitate Domini*, ex Coccio in Thesauro, Tom. 1. lib. 3. *Omnem quippe nævum, tam originalis, quam actualis culpæ in ea delerit: non tollendo, sed præservando, quia eodem modo utramque culpam in ea delevit, et certum est, actualem delevisse, præservando ab ea. — Eodem, et sequenti sæculo* pro Immaculata Conceptione aperte militarunt, non solum Canonici Lugdunenses, sed etiam Petrus Comestor, lib. *De Immaculata Conceptione; In omnibus requiem quæsivit Dei Mater, et invenit: in Conceptione quærit, et non inveniet?* Hujus libri meminit Trith. et Possevinus. Nicolaus Monachus et S. Albanus Anglus vir doctissimus, et in Scripturis versatissimus, S. Bernardo contemporaneus lib. 9. *Epistolarum*, Petri Cellensis, Epist. 9. (habetur Tom. 2. Bibl. PP.) respondens cuidam epistolæ ejusdem Petri, quæ est 23. lib. 6. qua eum acriter reprehendit, quod S. Bernardus, debita exuerit veneratione, cum dixit: *Virginis ipsius animam pertransivit gladius, non solum in Filii sui Passione; sed etiam nuper in Conceptionis suæ commendatione:* quod Petrus vocat lapidem offensionis, et petram scandali, sic ait: *Ad petram scandali de corde vestro tollendam, plusculum est immorandum, quia res exigit, ut palam faciam, quod celare proposueram. Sanctus ille Bernardus, quem me dicis debita exuere veneratione quondam catalogo SS. adscriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus, et ab humano judicio exemptus. Exemptus, inquam, est, ne de gloria ejus dubitemus, sed non ut minus de ejus dictis disputemus. De gloria B. Mar-*

Lyris Cypriani Aug. non dubitat; tamen in Spiritus sancti dictione eum errasse verissime comprobat, errorem martyrio deletum scribit, et sic docuit Ecclesiam venerari Martyris gloriam, ut tamen non imitaretur errorem. Ego autem etsi non simili scientia simili tamen conscientia, sic veneror B. Confessorem Bernardum, ut laudem, et amem ejus sanctitatem, quin nec laudem, nec amem ejus præsumptionem in Matris Dei Conceptionem. Hinc collige celebrationem festi Conceptionis tunc temporis fuisse communem, saltem in Anglia, quia non multum antea Anselmus floruit, qui illud introduxit, alioquin Nicolaus non tam audacter reprehenderet Bernardum. Richardus a S. Victore 39. in Cantica: *Maria supra homines est, in eo quod numquam peccatum commisit sicut homines, inter quos nullus inventus est, qui faciat bonum, et non peccet.* Et cap. 26. *Tota pulchra fuit, quam tota possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum.* Et intra: *Obtenebrantur stellæ, idest Sancti, caligine humanæ culpæ: sed B. Virgo tota pulchra fuit, quam totam illustravit sol justitiæ, ut nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ.* Et de Emmanuele, lib. 2. cap. 31. ait: *Quod in ea fuit corruptibilitas in his quæ pertinent ad pœnam, et incorruptibilitas in his quæ pertinent ad culpam.* Et serm. qui incipit, *Nedum erant abyssi*, ait: *Non decuit ut caro Mariæ qualicumque foret obnoxia culpæ.* Citatur a Busti, Serm. 4. *Conceptione.* — *Sæculo decimo tertio* floruit illustrissimus, ac sanctissimus Patriarcha Dominicus florentissimi, ac omni pietate et sapientia famosissimi Prædicatorum Ordinis fundator, qui in tractatu *De Corpore Christi*, quem scripsit contra hæret. Albigenses, ait: *Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, et numquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet Christo, cujus terra, idest, Mater Virgo, numquam fuit maledicta.* Hujus autem libri meminerunt plurimi Auctores, ut videre est apud Cavellum in sæculo 13. *Sui Rosarii*, et Alva, *in Sole veritatis*, num. 307. qui pariter asserunt prædictum librum ab hæret. Albigensibus semel et iterum in ignem projectum, illæsum et intactum resiliisse; quod etiam narrat Vincentius Bellovacensis, qui post suum sanctissimum Patriarcham Dominicum 35. annis obiit, lib. 29. cap. 96. sui *Historialis*. Idem habet sanctus Antoninus 3. part. tit. 19. cap. 2. § 4. et plures alii vitæ ac miraculorum sancti Dominici scriptores.

Reponunt Adversarii præfatum librum non fuisse editum a S. Dominico, sed a quodam Dominico de Pantaleonibus Florentino Ordinis Prædicatorum, qui ad annum 1262. dicitur scripsisse de corpore Christi, et contra Immaculatam Conceptionem. — **Verum**, ut egregie reponit De Alva in suæ trit. num. 2. hic auctor omnino fictitius videtur: *Primo*, quia nullus ipsius nomen a veteribus Scriptoribus, ac Nomenclatoribus scribit: sed ejus dumtaxat meminerunt aliqui Recentiores scriptores ex Ordine Prædicatorum. *Secundo*, tempore Concilii Basileensis PP. Prædicatores scrutati sunt omnes Bibliothecas, et auctores, qui in purissimam Conceptionem B. Virginis militabant, ut nempe subministrarent arma Turrecrematæ, quibus Conceptionem illam immaculatam oppugnaret: at inter 28. auctores ab eo pro sua opinione numeratos ex Ordine Prædicatorum, nullus reperitur Dominicus de Pantaleonibus, imo nec etiam aliquis eo nomine laudatur ab Anonymo, qui pro eadem sententia ex ipso Ordine numerat 52. auctores,

nec a Petro de Vincentia, qui refert 69. nec a Bandello, qui 72. nec ab aliis antiquioribus ejusdem Ordinis scriptoribus, qui ne minimam quidem de isto Auctore mentionem faciunt. *Tertio*, falsum est, quod anno 1262. quo S. Thomas erat natus 34. annos, et S. Bonaventura 40. ita gravis exarserit controversia inter PP. Dominicanos, et Minoritas, ut ipsi Dominico de Pantaleonibus opus fuerit scribere librum de temerata Conceptione Virginis contra Minoritas, ut refert Michael Poccianus Florentinus, in suo Cathalogo scriptorum Florentinorum fol. 47. ubi ait: *Dominicus Panthaleonus, ex Ordine S. Dominici Pater, Philosophiæ cultor perpetuus, etc. composuit de Conceptione per modum dialogi*, contra Fratres Minores. *Item alium tractatum de eadem materia, etc. Hæc autem omnia apud Bibliothecam Cœnobii S. Mariæ Novellæ, et cujus erat alumnus, commorantur: interiit Florentiæ* 1376. *die* 28. *Augusti*. Quæ omnia fictitia sunt: nam S. Antoninus Florentinus in eadem civitate, et conventu S. Mariæ Novellæ suum confecit catalogum omnium auctorum, qui in beatæ Virginis Conceptionem militabant, hujus auctoris non meminit. Noster quidem Lucas Wading. in Catalog. script. Seraph. Relig. pag. 104. istum Dominicum Pantaleonem Florentinum adducit inter Minoritas, cum eisdem tractatibus de Conceptione B. Mariæ, dialogo de eadem: de substantia Orbis; de forma consecrationis sanguinis Christi, etc. Aliud autem est scribere tractatum de Conceptione beatæ Mariæ Virginis, aliud vero in ipsam, et contra Minoritas invehere. Quare præfatus liber *De corpore Christi*, non alium, quam sanctissimum Patriarcham Dominicum auctorem agnoscit.

Eodem sæculo floruit noster Alexander Alensis, Angelici ac Seraphici Doctoris in Theologia Doctor et Magister, qui licet 3. part. quæst. 9. memb. 2. videatur asserere Conceptionem Deiparæ Virginis fuisse peccato originali vitiatam; nihilominus non ipsius ea mens fuit, loquitur enim dumtaxat de Conceptione activa, et ex parte parentum, non vero de passiva, et ex parte Virginis, ut egregie probat De Alva in Sole veritatis num. 12. *Adde quod* suam mentem, ac sententiam aperte significavit in libro, quem scripsit de vita B. Virginis sex libris distinctum, ubi circa finem tertii agit de Conceptione quam immaculatam, et ab originali peccato immunem docet: ut plurimi graves Auctores referunt, et ut videre est apud Cavellum, et De Alva mox laudatos; inter quos eminet Goschalcus Hollen Ordinis S. Augustini in sermone Conceptionis, ubi ex libro ab Alensi edito hæc refert: *Nondum erant abyssi, idest*, inquit, *profunditates originalis peccati, et ego jam concepta eram, nam abyssus dicitur ab*, ab. *quod est sine*, et byssus, *quod est quoddam luminosum subtile, et candidum factum textricio opere, quorum contraria sunt in peccato originali, quod est tenebrosum per privationem lucis gratiæ, et grossum per damnum perpetuum, atque turpe per carentiam dilectionis divinæ. Nondum ergo erant abyssi, id est, peccati originalis profunditates, et ego jam concepta eram, scilicet præveniente Dei gratia*, etc. Hinc Michaël de Carchano, Mediolanensis Doctor antiquus, ac probatissimæ vitæ, in suo quadragesimali de pœnitentia, sermone de Conceptione p. 3. loquens de Alexandro de Ales, ac de ejus liberatione a gravissima infirmitate meritis Virginis Mariæ, sic inquit: *Ipse vero non ingratus de tanto beneficio, reddit quod vo-*

verat, composuitque librum unum pulchrum, ubi continentur omnia facta istius mellifluæ Conceptionis Virginis, qui dividitur in sex libros, et in fine tertii libri cap. pen. quærit utrum Virgo benedicta sit in originali peccato concepta, et in corpore quæstionis ponit totum illud miraculum factum a Virgine in seipso, et ideo determinavit Virginem conceptam sine peccato originali: docet, et prædicat ejus conceptionem colendam, revocatque, et retractat quidquid 3. sententiarum dixerat, etc. Ei subscribunt plures e veteribus scriptoribus, maxime vero Daniel Agricola in sua corona de Conceptione, Joannes Vitalis Cardinalis in suo defensorio, et Alanus Parisiensis, qui scripsit ante annum 150. idem de Alensi narrantes: igitur quidquid hic senserit in sua Summa, certum est eum pro Immaculata Virginis Conceptione militasse.

Floruit eodem tempore Seraph. Bonaventura, qui licet in 3. dist. 3. art. 1. qu. 2. timide asseruit B. Virginem in originali peccato fuisse conceptam: attamen re maturius librata ac deliberata, quam haberet sententiam aperte significavit serm. 2. *De Assumptione*, ubi clarissime, et eruditissime Immaculatam Conceptionem adstruxit dicens: *Domina nostra fuit plena gratia præveniente in sua sanctificatione: gratia scilicet præservativa contra faditatem originalis culpæ, quam contraxisset corruptione naturæ, nisi speciali gratia prærenta, præservataque fuisset. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, et ipsa Mater ejus Virgo. Credendum est enim, quod novo sanctificationis genere in ejus Conceptionis primordio Spiritus sanctus eam a peccato originali (non quod infuit, sed quod infuisset) redemit, atque singulari gratia præservavit.* Et Sermone 1. inter veros inquit: *Domina nostra tota fuit purissima, omni carens penitus macula, tam in corpore quam in anima.* Nec valet reponere cum adversariis, sermonem illum non esse S. Bonaventuræ, vel quod prætata verba fuerint addita; nam constat ex antiquo libro typis mandato ante 150. annos hunc sermonem ex integro esse ejusdem Seraph. Doctoris; siquidem inter sermones ibi expressos totus legitur, et ad calcem ejus libri legitur: *Explicium sermones de communi Sanctorum generales, necnon de B. Virgine, de Angelis, et de triplici dedicatione S. Bonaventuræ Doctoris Seraphici, Cardinalis, Episcopi, ex Ordine Minorum, a devio erroris, quam diligentissime emendati, atque correcti, impensis, et opere providi viri Magistri Jacobi Pfortzbenii, civis Basileensis anno salutis* 1502. — Nec obstat quod Angelus Rocca Augustinianus Apostolici Palatii sacrista apposuerit ad marginem illius sermonis, illum non esse S. Bonaventura (si tamen illa additio ejus sit, quod inficiatur De Alva n. 19.) quia, inquit ibidem Rocca: multis aliis in locis contrariam opinionem sanctus Bonaventura docuit. Quasi vero Seraph. Doctor non potuerit emendare in ætate provectiori, et re melius comperta, quod adhuc junior scripserat in libris Sententiarum. — *Nec etiam refert*, quod eamdem sententiam propugnare videatur in opusculis, maxime vero p. 3. et 4. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 7. nam ibi constanter non defendit affirmativam sententiam, imo potius in negativam propendet. *His adde* quæ diximus supra, nempe quod eo agente statutum fuerit in Capitulo generali celebrato Pisis, festum Immaculatæ Conceptionis per universum Seraph. Ordinem esse celebrandum, sicut jam a plurimis celebrabatur, ut ipsemet testatur

in 3. dist. 3. art. 1. quæst. 1. *Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant Conceptionem B. Virginis; nec omnino laudare, nec simpliciter audeo reprehendere... Non audeo omnino reprehendere, quia ut quidam dicunt, hæc solemnitas celebrari non cœpit humana inventione, sed divina revelatione: quod si verum est, sine dubio bonum est solemnizare in ejus Conceptione: sed quia hoc authenticum non est, non compellimur credere: quia etiam contra fidem rectam non est, non compellimur negare*, etc. Quibus verbis patet eum etiam ibidem non ita constanter adhærere oppositæ sententiæ, sed dumtaxat timide, cum adhuc junior esset, in illam fuisse propensum.

Piæ etiam sententiæ adstipulatur Angelicus Doctor, qui licet 3. part. qu. 27. art. 2. significare videatur B. Virginem fuisse prius secundum carnem conceptam, et ut sic contraxisse peccatum originale, et postmodum sanctificatam in utero et mundatam ab ipso peccato originali, attamen, ut docte observat Pintus initio lib. *De Conceptione Virginis*, Angelicus Doctor ibidem subministrat validissima argumenta, quibus nunc, si viveret, aperte fateretur, et concluderet Virginem Deiparam ab omni prorsus originali macula fuisse immunem: nam ideirco concludit illam fuisse sanctificatam in utero, quod Ecclesia celebret illius Nativitatem: *Non autem*, inquit, *celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto, ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta: fuit ergo in utero sanctificata:* sed jampridem Ecclesia celebrat Conceptionem B. Virginis: igitur, secundum principia S. Thomæ, necessario concludendum est illam Conceptionem esse omnino sanctam, et immaculatam. Deinde ibidem ait: *Rationabiliter credimus, quod illa quæ genuit Unigenitum a Patre plenum gratiæ, et veritatis, præ omnibus aliis majora gratiæ beneficia acceperit:* sed, ut ibidem subdit, invenimus quibusdam aliis hoc privilegialiter esse concessum, ut utero sanctificarentur, sicut Jeremias, cui dictum est cap. 2. *Antequam exires de ventre sanctificavi te:* et sicut Joannes Baptista, de quo dictum est Lucæ 1. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ:* ex quibus concludit, *quod beata Virgo sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur:* at certe consequentia hæc non videtur legitima, debuerat enim inferre, ex eo quod Mariæ majora privilegia, quam omnibus aliis Sanctis concessa fuerint: ergo Maria non solum debuit sanctificari ante nativitatem, ut aliqui alii Sancti, sed etiam in Conceptione: illegitime enim concluderet quisquis diceret: Soli major debetur lux, quam stellis: at stellæ lucent ut quatuor: igitur Sol ut quatuor lucere debet; unde etiam Bromiardus Ordinis Prædicatorum, qui paulo post sanctum Thomam vixit, in Summa Prædicantium, agens de Corona Virginis, et duodecim stellis, seu donis singularibus vel privilegiis Mariæ, sic inquit: *Secundam in Corona habuit stellam, seu florem elevatum ad modum coronæ regalis, in hoc quod fuit cæteris eminentius et specialius sanctificata. De aliis enim bene legitur, quod fuerunt in utero sanctificati, sicut de Jeremia et Joanne Baptista. Non tamen illico ita fuerunt sanctificati, quin potuerint venialiter peccare. Ipsa vero tam eminenter sanctificata fuit, quod nec mortaliter, nec venialiter peccavit, sicut patet per S. Thomam in 3. part. de Christo,* quæst. 27. art. 6. *in eadem etiam quæstione*, art. 2. *ponit ejus sanctificationis excellentiam, quantum ad temporis prioritatem, in hoc quod*

sanctificata fuit in sua animatione, idest, in conjunctione animæ cum corpore in utero matris suæ, et non ante, quæ sanctificatio et mundatio fit per gratiam, cujus subjectum est anima, nihil enim est capax gratiæ, nisi anima rationalis: sic ergo sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, in Psalm. 45. etc. Ita Joannes Bromiardus. Unde Petrus a Valleclausa in suis Diatr. 6. agens de hac quæst. 27. et art. 2. tertiæ partis sic inquit: *Itaque textus ille fuit manu adulteratrice contactus, et apud Joan. Bromiardum, qui floruit anno* 1260. *ut habet Chronicon Ordinis Prædicatorum, locus ille legitur, ut par est. Vide Bromiardum, in summa Prædicantium, verbo Maria*, art. 2. *adducit enim Bromiardus S. Thomam eo loco dicentem B. Virginem fuisse sanctificatam non ante animationem, sed ipsa prima animatione, ex quo sequitur exclusio peccati originalis a Deipara: Fratres autem, nec ibi hoc S. Thomas diceret, et sibi contradiceret* 1. 2. *adulterato textu fecerunt*, etc. — Quod autem genuina fuerit sententia Angelici Doctoris, colligi potest ex plurimis illius locis, maxime vero in 1. Sententiarum dist. 44. quæst. 3. ad 3. ubi inquirens utrum Deus possit res nobiliores et præstantiores facere, quam fecit, sibi objiciens auctoritatem S. Anselmi, nempe quod B. Virgo ea puritate enituit, sic respondet: *Ad tertium dicendum, quod puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: et talis fuit puritas B. Virginis, quæ a peccato originali, et actuali immunis fuit: fuit autem sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Similiter super Epistolam ad Galatas cap. 3. lect. 6. proferens illud Ecclesiast. 7. *Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato: mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ omnino a peccato immunis esset, ad minus originali vel veniali: excipitur purissima, et omni laude dignissima Virgo.* Ita terunt omnia antiqua exemplaria manuscripta, ut videre est Parisiis in Bibliothecis tum Sorbonæ, tum S. Victoris, ut ego ipse propriis oculis legi: necnon in Editione Parisiensi facta anno 1541. at in editionibus posterioribus, puta Venetiana anni 1593. Immaculatæ Conceptionis osores exceptiones illas ex Angelico Doctore expunxerunt. — Insuper Nurembergius in exceptionibus Concilii Tridentini pro omnimoda puritate Deiparæ Virginis, refert quod Romæ in Bibliotheca Cardinalis Sforsæ ann. 1625. visum fuit exemplar perantiquum S. Thomæ in Epistolas Pauli, et in eo ad illud Rom. 5. *in quo omnes peccaverunt.* hoc commentarium: *Una excepta B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati:* additque mox fuisse ostensum Cardinali Treio, et per eum Urbano VIII. summo Pontifici. Idem ferendum judicium de expositione ejusdem Angelici Doctoris in salutationem Angelicam, ubi habebat hæc verba: *Maria purissima fuit quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Quæ sententiæ licet in modernis editionibus non reperiantur, adeo tamen authenticæ sunt, ut nequidem Joannes de Turrecremata immaculatæ Conceptionis ardentissimus impugnator ea negare ausus fuerit, ut referunt Catherinus, et Salmeron. Nihilominus non ita illibatæ Conceptionis osores furtivas manus injecere in pia Angelici Doctoris verba, quin adhuc hæc ibidem intacta reliquerint: *Excedit An-*

gelos quantum ad puritatem, quæ utique vera non essent, si beatissima Virgo originali peccato maculata fuisset, et fœdata. — Alios innumeros ab hoc sæculo ad nos usque illibatæ Conceptionis assertores et propugnatores non refero; siquidem hæc pia sententia, inquit Vazquez 3. p. d. 117. cap. 2. *a tempore Scoti non solum apud omnes Theologos Scholasticos, sed etiam apud omnes Christi fideles, ita percrebuit, et cum hominum sæculis inveterarit, ut nullus jam ab ea deduci, et dimoveri possit.* Dixerat antea: *Hoc tempore non solum apud omnes Theologiæ Professores, et Doctores, exceptis Dominicanis, qui in sua opinione semper perseverant: sed etiam omnes, qui Christi nomine fidem profitentur, in hanc sententiam uno animo et affectu ita conspirant, ut sine magno populi scandalo, ut recte notavit Corduba, jam nemo possit oppositam populo in concionibus opponere.* Quæ omnia verissime scripsit Vasquez, etiam longe antequam Paulus V. sub gravissimis pœnis imposuisset silentium adversariis, nec publicis conclusionibus, concionibus, lectionibus, ullisve actibus publicis oppositam sententiam docerent ac tuerentur. Excipienda sunt tamen ea verba, quibus Patres Dominicanos excludit a propugnatione Immaculatæ Conceptionis, nam Turrecremata solum ex eo Angelico Ordine pro adversa sententia numerat 28. Doctores. Anonymus qui post illum scripsit via 3. part. 2. illos ampliavit usque ad 52. Petrus de Vincentia alphabeto 6. numerat 69. Vincentius Bandellus cap. 23. recenset 72. Paulus Grysaldus in Catalogo 5. recenset 82. At noster De Alva ipsis omnibus oculatior in sua Triturationc computat 92. Quibus in suo Ventilabro totidem ex eodem Ordine opponit strenuissimos Immaculatæ Conceptionis Deiparæ propugnatores et assertores. His autem omnibus Immaculatæ Conceptionis B. Virginis patrociniis præclaram coronidem imponet *sacra Facultas Parisiensis*, quæ ferme a 300. annis illius propalationi ac propugnationi strenuissime ac fœlicissime incumbit, ut apparebit ex illius celebri decreto, et juramenti formula.

Statutum sacræ Theologiæ Facultatis studii Parisiensis super materia Conceptionis Immaculatæ, gloriosissimæque Virginis Mariæ Matris Domini nostri, et Redemptoris Jesu Christi.

« Cum multas Majores nostri, fortissimi, et strenuissimi Catholicæ « fidei milites, nascentes variis temporibus hæreses, nullis unquam « laboribus, nullis periculis deperditi sacris suis disputationibus op- « presserint; in illos tamen errores, qui Immaculatæ et gloriosissimæ « Dei Genitricis, perpetuæque Virginis Mariæ laudem et dignitatem « violare, nisi sunt, peculiari quodam sancto perfectoque odio vehe- « mentius insurgendum, acriusque sibi pugnandum semper judicave- « runt. Quandoquidem eam contumeliam ad Dominum nostrum Jesum « Christum, et utrumque Parentem piissimum maxime pertinere arbi- « trabantur. Quod enim Eccles. 3. capitulo de Patre scribit, de Matre « quoque verissimum, ac de utroque parente: ne glorieris, inquit, in « Contumelia Patris tui, non enim est tibi gloria ejus confusio, gloria « enim hominis est honor Patris sui, et dedecus filii Pater sine ho- « nore. Cum itaque proximo sæculo quæstio de puritate Conceptionis « felicissimæ Dei, et Domini nostri Jesu Christi Genitricis Mariæ so- « lito frequentius agitari cœpisset; Spiritu sancto scilicet ejus rei ve-

« ritatem aliquando propalari volente, diligentius utriusque partis li-
« bratis rationibus, primum pro tempore suum prudentissime suspen-
« derunt judicium : demum in eam partem inclinarunt, quæ Virginis
« gloriæ et puritati adstipulari videbatur, ita eorum vanissimam te-
« meritatem disputando confutarunt, qui citra efficacem probationem,
« Virginem in originali peccato fuisse conceptam obstinate contende-
« bant, ut contrariam quæstionis partem, quæ Virginem dum conci-
« peretur, speciali Dei munere ab originali macula fuisse immunem
« affirmat, pietati, fidei, et rectæ rationi, et Scripturis divinis valde
« quadrantem decernerent. Quæ sententia paucos post annos ita sacro
« Basileensi plenario Concilio, et post longam ejus quæstionis dispu-
« tationem, gravissimamque deliberationem Spiritu sancto inspirante,
« eam tandem doctrinam, quæ beatissimam Dei Genitricem Mariam,
« cum conciperetur ab omni prorsus peccati originalis labe speciali,
« singularique Dei gratia fuisse liberam asserit, et docet, tamquam
« piam, ecclesiastico cultui, fidei Catholicæ, rectæ rationi, et Scri-
» pturæ sacræ consonam, ab omnibus Catholicis approbandam, am-
« plectendam, et tenendam definierit ; contrariamque assertionem do-
« ceri deinceps, defendique sub interminatione divini judicii vetuerit.
« Quod sanctum Synodi decretum cum omnium Ecclesiarum, tum
« etiam totius populi Christiani judicio, consensu, ac religione com-
« probatum, confirmatumque videamus, non possumus quorumdam
« vanam, superbam, temerariam, insanamque obstinationem non ad-
« mirari, non indigne, molesteque ferre, qui hoc nostro adhuc tem-
« pore ejusmodi piam, et religiosam doctrinam universalis Synodi, et
« Ecclesiæ, quæ juxta promissionem errare non potest, judicio, au-
« ctoritateque probatam, aut expugnare, aut in dubitationem revocare
« non verentur, implacabile, impiissimumque bellum adversus piis-
« simæ Dei Genitricis eximiam dignitatem gerentes. Quorum furori
« ut alacrius, fortiusque occurramus, atque resistamus, pro nostra
« professione, ordine, et gradu, Majorum nostrorum vestigia sequen-
« tes, universi tertio congregati, post multam, gravem, et maturam
« deliberationem, in ejus piissimæ doctrinæ, quæ benedictissimam Dei
« Matrem ab originali peccato Dei singulari dono fuisse præservatam,
« affirmat, quamque jampridem veram credidimus, et credimus, de-
« fensionem ac propugnationem speciali sacramento conjuravimus,
« nosque devovimus.

« Statuentes, ut nemo deinceps sacro huic nostro collegio adseri-
« batur, nisi sese hujus religiosæ doctrinæ assertorem, strenuumque
« propugnatorem semper pro viribus futurum, simili juramento pro-
« fiteatur. Quod si quis ex nostris, quod absit, ad hostes Virginis trans-
« fuga, contrariæ assertionis, quam falsam, impiam, et erroneam ju-
« dicamus, spreta non nostra tantum, sed Synodi, et Ecclesiæ, quæ
« procul dubio summa est, auctoritate, patrocinium quacumque ratione
« suscipere ausus fuerit, hunc honoribus nostris omnibus privatum,
« atque exauctoratum a nobis, et consortio nostro velut ethnicum et
« publicanum, procul abjiciendum decrevimus. Vos ergo appellamus,
« et convenimus, sanctissimam Dei Matrem, et omni laude dignissi-
« mam ab originali peccato Dei singulari dono fuisse præservatam
« credite, prædicantesque vestra benedictione, opibusque prædicate,

« juvate, et per Jesu Christi misericordiæ viscera, ejusque Matris in-
« temeratæ Virginis charitatem obtestamur, ita pro vestro officio, et
« divina auctoritate, nostris, imo potius Divæ Mariæ hostibus fortiter
« resistite, vestris eos finibus abigite, et multatos expellite, ut religiosa
« populi Christiani in gloriosissimam Dei genitricem, unam humani
« generis spem paternam, et matrem devotio, pietas, et charitas in
« dies magis ac magis foveatur, augeatur, accendatur. Rem procul
« dubio pientissimo ejus Filio Domino nostro, et Redemptori Jesu
« Christo facturi gratissimam, atque jucundissimam, et huic quoque,
« cujus curam geritis, populo fructuosissimam.

« Datum Parisiis apud S. Mathurinum pro prima Congregatione 3.
« die mensis Martii anno Domini 1496. Secunda congregatione, die
« 6. ejusdem mensis; et pro tertia Congregatione apud Augustinum
« in loco Capitulari die Jovis 9. ejusdem mensis Martii post Missam
« de Conceptione per juramentum celebratam, publicatumque die 24.
« mensis Aug. 1497. apud S. Mathurinum in Congregatione per jura-
« mentum super hoc specialiter facta, ac disputatione Sorbonica ejus-
« dem mensis die 26. assistentibus Domino Rectore universitatis, Re-
« verendissimo in Christo Patre Archiepiscopo Bituricensi, Episcopis 7.
« cum pluribus Abbatibus, Consiliariis Regiis, et quampluribus Do-
« ctoribus tam in Decretis, quam Baccalaureis, cum maxima multi-
« tudine studentium. De mandato ejusdem Decani, per me Henricum
« Bertrandi Presbyterum in artibus Magistrum, Notarium publicum,
« et ejusdem Facultatis Bidellum, lectum, et pronuntiatum. Jurave-
« runtque tam in præcedentibus, quam in aliis Congregationibus ejus-
« dem Facultatis centum, et duodecim Doctores ejusdem Facultatis
« stantes in dicta determinatione, et statuto ».

Formula juramenti. — *Jurabitis quod tenebitis determinationem Facultatis de Conceptione Immaculatæ Virginis Mariæ, videlicet, quod in sua Conceptione præservata fuit ab originali culpa? R. Juramus.*

Cujus quidem statuti ac juramenti eadem sacra Facultas adeo fuit tenax et observatrix zelantissima, ut nullum unquam ex suis clientibus, et filiis audierit ab ea pia sententia tantillum declinare, quin illico ad ejurandum publice, quod in contrarium asserere præsumpserat, eum adegerit. Hinc pridem etiam ante præfatum decretum, anno videlicet 1387. celebrem edidit censuram adversus. 14. propositiones *Joannis de Montesono:* quæ censura postmodum auctoritate Apostolica fuit confirmata. Unde an. 1388. facta fuit revocatio contrariæ sententiæ coram Rege et deputatis universitatis per *D. Guillelmum Episcopum Ebroicensem.* Eodem anno die 21. Martii, similis revocatio facta est ante Ecclesiam S. Germani Antissiodorensis per F. Joannem Thomam Præd. Eodem an. die 16. Maji idem revocavit publice in cœmeterio SS. Innocentium, F. Adamus Suessioneus Præd. Anno sequenti, die sancti Joannis Baptistæ sacro idem publice in Ecclesiæ nostri majoris conventus Parisiensis revocavit Fr. Gaudefridus de S. Martino Præd. Eodem anno die 20. Augusti idem revocavit in Ecclesia sancti Bernardi P. Joannes Adea Præd. Eodem anno de 10. Octobris, idem etiam in nostra Ecclesia Parisiensi revocavit F. Petrus de Chancheyo Præd. Aliæ sunt plurimæ ejusmodi revocationes publicæ, quarum acta

integra apud me habeo, quæ perpetuam sacræ Facultatis Parisiensis in Illibatam B. Virginis Conceptionem observantiam præclare testantur : et ne longior sim, ab eis supersedeo. — Cum autem post Conc. Trident. circa an. 1575. hoc sacræ Facultatis et Academiæ Parisiensis decretum et juramentum stimulante ac facem præferente Maldonato, nonnulli acerbe terrent, post graves ultro, citroque lites et controversias ; tandem sacræ Facultatis patrocinium suscepit non solum Senatus Parisiensis, sed etiam summus Pontifex, ad quem a sententia Episcopi Parisiensis in Decanum et Syndicum lata, fuerat appellatum, præclara ad eum data epistola, necnon et doctissimo in publicum vulgato tractatu Theologico circa Immaculatam Virginis Matris a peccato originali præservationem ; ubi respondens rationibus et objectionibus Maldonati, inter cætera hæc habet : *Nec Facultas condidit articulum fidei de Conceptione, sed propositum a Concilio Basileensi, et Sixtinis credidit : quibus si auctoritatem talem Concilium Tridentinum detraxit, et Sedes Romana Tridentinorum sententiam Basileensibus præfert, ipsi Facultas se conformat, et assentitur jam secundum Concilium Tridentinum, affirmationem Conceptionis non esse articulum fidei Catholicæ, nec pro hæretico notandum, quisquis aliter opinabitur, etc.*

Objiciunt adversarii varias SS. Patrum ac Ecclesiæ Doctorum auctoritates, quibus nostram assertionem omnino convelli existimant, quas omnes cum longum esset ac tædiosum referre, hic dumtaxat eas proferemus et expendemus, quæ maxime adversæ sententiæ patrocinari videntur. *Primo* quidem in suas partes advocant Origenem Homil. 8. in Leviticum, ubi explicans illa verba : *Mulier quæcumque susceperit semen*, sic ait : *Mulier si conceperit semen, et peperit filium : sed esse exceptionem mysticam, quæ solam Mariam a reliquis mulieribus segregaret, cujus partus non ex Conceptione seminis, sed ex præsentia sancti Spiritus, et virtute Altissimi fuerit, etc.* Et paulo infra : *Sed et ipse qui nascitur, sive virilis, sive fœminei sexus sit, pronuntiat de eo Scriptura, quia non sit mundus a sorde, etiamsi unius diei sit vita ejus.* Et infra : *Quod si placet audire quid etiam alii Sancti de ista nativitate senserint, audi David dicentem : In iniquitatibus, inquit, conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea, ostendens, quod quæcumque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur, et propterea dictum esse illud, quod jam superius memoravimus, quia nemo mundus a sorde, nec si unius diei sit vita ejus.* Deinde Homil. 12. quæ est de magno Sacerdote, ait : *Omnis qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod et Scriptura dicit : Nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus. Hoc ipso ergo, quod in vulva matris est positus, et quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre, et in matre contaminatus dici potest. Aut nescis, quia cum 40. dierum factus fuerit puer masculus, offertur ad altare, ut purificetur ibi tamquam pollutus fuerit in ipsa conceptione, vel paterni seminis, vel materni? Omnis ergo homo in patre et matre pollutus est. Solus vero Jesus Dominus meus in hac generatione mundus ingressus est, in Matre non est pollutus : ingressus est enim corpus incontaminatum, etc.* Denique Homil. 5. super librum Numerorum, ait : *Quia enim solus* (Christus) *est sine peccato, qui peccatum non fecit, ideirco in ipso solo mansit, et*

permansit Spiritus. Si enim ipse est, de quo singulare aliquid et eximium dicitur, hoc quod supra diximus: Quia peccatum non fecit, constat reliquos omnes fuisse sub peccato: si omnes, necessario, et Prophetas, etc. — **Verum respondeo**, his et similibus sententiis nullatenus assertionem nostram impugnari. Non quidem per *primam*, quippe in ea Origenes agit de lege purificationis, cui subjiciebantur omnes fœminæ, quæ ex suscepto virili semine conceperant, et a qua omnino immunis fuit Virgo Deipara; quippe concepit ex operatione Spiritus S.; unde Origenes loquitur dumtaxat de Conceptione activa, non vero de passiva. *Ad secundam dico*, Origenem solum intendere, quod Christus Dominus non fuerit contaminatus per maternam conceptionem; quia cum ipse fuerit virtute Spiritus sancti conceptus ex Virgine, ille solus ex vi et modo suæ generationis mundus fuit ab omni sorde et iniquitate, qua inficiuntur alii ratione primæ generationis carnalis, seu conceptionis activæ parentum, de qua dumtaxat Origenes loquitur, non vero de conceptione proprie dicta, seu de animatione, de qua hic est sermo. — *Ad tertiam dico*, Origenem ibi agere de peccato actuali; non vero de originali, non enim dicit: qui peccatum non habuit, ut volunt adversarii, sed qui peccatum non fecit: at nullus, arbitror, adversariorum est, qui beatam Virginem actualiter peccasse affirmet, quippe cum velint eam ab omni peccato actuali liberam Concilium Tridentinum pronuntiasse, non vero de originali esse intelligendum.

Objiciunt 2. Varias auctoritates Sancti Ambrosii. Primo quidem Octonario 7. explicans illa verba: *Et ne auferas ex ore meo verbum veritatis usquequaque*, ait: *Omnes intra retia erant, imo adhuc intra retia sumus; quia nemo sine peccato, nisi solus Jesus, quem non cognoscentem peccatum, peccatum pro nobis fecit Pater. Etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus, mittens eum non in peccato, in quo erant omnes homines, sed in similitudine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne: peccatum erat caro secundum illud, quin hæreditaria erat damnata maledictio. Peccatum erat illecebra, et ministra peccati: venit Dominus Jesus, et in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit.* Deinde in Commentario super Lucam cap. 2. ait: *Non enim virilis coitus vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina, sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagio corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, et cœlesti Majestate depulerit.* Item super Isaiam, ut allegatur a B. Augustino lib. 1. contra Julianum, et in primo de Nuptiis et Concupisc.: *Omnis*, inquit, *homo mendax, et nemo sine peccato, nisi unus solus Deus. Servatum est igitur, ut ex viro, et muliere, per illam corporum mixtionem nemo conceptus, expers sit delicti, qui autem expers est delicti, expers est et hujusmodi conceptionis.* — **Respondeo**, his et similibus S. Ambrosii sententiis nihil contra nostram assertionem posse deduci; siquidem aperte constat in prima allata auctoritate sermonem dumtaxat fieri de peccatis actualibus, ad quæ caro per originale peccatum vitiata solet pellicere; quam quidem peccati illecebram Christus non habuit, sicut nec Deipara Mater, quoniam uterque ab originali labe fuit immunis. Interim moneo hanc auctoritatem ab adversariis obje-

etam caute esse excipiendam ; quippe illam in multis solent interpolare, nonnulla adjicientes, alia vero detrahentes, ut sanctum Ambrosium, etiam invitum, in suam sententiam pertrahant. — *Ad secundam* auctoritatem dico, vocabulum *solus* non significare exclusionem cujusque ; nam constat plurimos in utero matrum esse sanctificatos, et in partu terrenæ contagia corruptelæ non sensisse : sed solum indigitat Christum Dominum omnem illam corruptelam propria cælesti sua Majestate depulisse, quam cæteri eadem prærogativa donati, nonnisi divino sibi affulgente præsidio ac beneficio fuerunt assecuti. *Vel dico* præfatis verbis Sanctum Ambrosium solum intendere, quod Christus Dominus ex natis de fœmina solus sit, qui immaculati partus novitate terrenæ contagia corruptelæ non senserit, quoniam ex Virgine omnino illibata ac purissima natus est. Moneo insuper adversarios etiam hanc auctoritatem vitiare ; addunt enim (Sanctus *in Conceptione* fuit Dominus Jesus) vocabula enim illa, in Conceptione, nec apud S. Ambrosium, nec apud S. Augustinum, qui eamdem auctoritatem profert lib. 1. *Contra Julianum*, reperiuntur. — *Ad tertiam* auctoritatem dico, ex ejus verbis sufficienter apparere S. Ambrosium esse dumtaxat intelligendum de peccato actuali, non vero de originali ; vel de Conceptione activa, non vero de passiva. *Nec refert*, quod illam auctoritatem proferat S. Augustinus lib. 1. *Nuptiis, et concupisc.*, c. 35. ut ex ea probet peccatum originale ; nam primo certum est illam auctoritatem, ut a S. Augustino profertur, nunc non reperiri apud S. Ambrosium. *Insuper* illam etiam vitiare solent adversarii, primo namque addunt particulam *solus* loco particulæ *unus Deus. Secundo*, adjiciunt verbum *conceptus. Tertio*, omittunt vocabulum *videatur*, ut dubitativam propositionem, absolutam et affirmativam eliciant.

Objiciunt 3. Plurimas S. Augustini sententias, quibus significari videtur *primo* solum Christum fuisse immunem ab originali peccato. Sic lib. 2. *De Baptismo parvulorum*, cap. 24. *Non est*, inquit, *in filiis hominum, nec fuit, nec erit qui nullo unquam peccato fuerit obstrictus, aut ad justitiam non ex peccato pervenerit, excepto uno Mediatore, per quem finitis peccatorum inimicitiis reconciliamur Deo. Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum unquam habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Quod enim inde suscepit, illud profecto suscipiendo mundavit.* Hæc ille. Idem habet lib. 1. *De Nuptiis*, cap. 11. et lib. 2. *De peccatorum meritis, et remissione. Deinde* proferunt ex S. Doctore illas auctoritates, quibus significant B. Virginem fuisse mortuam propter Adæ peccatum. Sic Concione 2. in Psal. 34. *Maria ex Adam mortua est propter peccatum Adæ: Adam mortuus est propter peccatum: et caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata. Denique* varias congerunt ejusdem sententias, quibus S. Doctor significat *omnes ex commixtione maris et fœminæ natos trahere originale peccatum, eosque de parentibus quibuscumque nascantur tamdiu esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo, qui de eadem sexus utriusque commixtione nasci noluit, ut per ejus gratiam de potestate eruti tenebrarum in regnum illud transferantur:* sic loquitur lib. 2. *De Nuptiis et Concupisc.* — **Respondeo** *ad primum*, præfatam auctoritatem varie ab adversariis esse interpolatam : Sanctus enim Augustinus ibi opponit Christi sanctitatem hominum

corruptioni: cum enim dixisset: *Ut nos quidem nati essemus in carne peccati: ille autem in similitudine carnis peccati, nos non solum ex carne et sanguine, verum etiam ex voluntate viri et voluntate carnis: Ille autem tantum ex carne et sanguine, et non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est: et ideo nos in mortem ex peccato, ille propter nos in mortem sine peccato.* Subdit: *Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit unquam, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de natura carnis peccati, quod enim inde suscepit, id profecto, aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo mundavit. Ideo Virginem Matrem non lege carnis peccati, idest, non concupiscentiæ carnalis motu concipientem, sed pia fide sanctum germen se fieri promerentem, quam eligeret creavit, de qua crearetur, eligit, etc.* Ex quibus luculenter apparet præfatam Sancti Augustini auctoritatem non ex integro et sincere referri. Quatuor enim primas lineas ex propria mente confictas adjiciunt. *Deinde*, ubi S. Augustinus habet, *quamvis de natura carnis peccati*, isti interpolatores scribunt, quamvis de materna carne peccati. Adde quod S. Augustinus loquatur de Conceptione activa, non vero de passiva, seu de concupiscentia existente in voluntate viri, et ex voluptate carnis, quando homo generatur, a quo nullus præter Christum fuit immunis. Quapropter subdit S. Augustinus: *Ideo Virginem Matrem non lege carnis peccati, etc.* ut designaret Christum nec in se, nec in parente peccatum ullatenus supposuisse. Hic autem non est sermo de Conceptione activa, sed de passiva. *Ad secundum dico* S. Doctorem nihil aliud velle, quam quod Virgo Deipara mortua sit propter Adæ peccatum, quia videlicet moriuntur homines propter solum Adæ peccatum: ex eo nempe, quod parvi duxerit illam Dei comminationem, *in quacumque hora comederis, morte morieris:* unde etiamsi Deus plures homines seminali via propagatos ab originali peccato redderet immunes, non minus subjicerentur morti, quoniam ab Adamo propagantur. *Vel dico* S. Augustinum his verbis significare, quod B. Virgo ex modo suæ generationis fuerit peccato obnoxia, et sic debuisse mori ex necessitate, quamquam per Dei beneficium et privilegium ab actuali contractione peccati fuerit immunis. *Ad tertium* genus auctoritatis dico primo hujusmodi auctoritates in omnibus vitiatas ab adversariis solere objici, ut constat ex præfata, ubi plurima prætermittuntur, et distantia inter se connectuntur. Dico secundo S. Doctorem ibi dumtaxat sermonem instituere de Conceptione activa ex parte parentum, quæ cum semper habeat admixtam libidinem, inde est quod etiam peccatum aliquod conjunctum habeat, qua ratione Conceptio Virginis Deiparæ non fuit a peccato immunis.

Objiciunt 4. S. Leonem primum in Epistola ad Flavianum, ubi ait: aliter solvi captivitas humana non potuit, nisi causam nostram ille susciperet, sine Majestatis suæ damno, ut verus homo fieret, et solus peccati contagium non haberet. Deinde Serm. 1. *De Nativitate*, ait: *Nemo ab ejusmodi alacritatis participatione secernitur, una cunctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster peccati, mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Et Serm. 1. *De resurrectione: Quod in omnibus hominibus transfusio fuit damnationis, hoc in Christo sacramentum est pietatis.* Sed,

inquiunt adversarii, Christus suæ redemptionis sacramenti beatam Virginem fecit participem: igitur etiam erat particeps transfusæ damnationis. — **Respondeo** *ad primum*, auctoritatem illam omnino fictitiam esse ac suppositiam, ut aperte constabit cuique præfatam epistolam legenti. *Ad secundum* dico, eam auctoritatem non sic esse intelligendam, quasi revera existimasset S. Leo eos solum liberasse, quos reatu devictos reperit, dum in mundum advenit: invenit enim liberos omnes et solutos a nexibus peccati, qui jam gratia sanctificante illustrabantur: sed ejus mens est, quod nullus revera fuerit liber a captivitate peccati, nisi vel ipsius gratiæ beneficio præventus fuerit, ne laberetur, ut contigit in B. Virgine: vel jam peccati nexibus implexus eadem interveniente gratia liberaretur. *Ad tertium* dico S. Leonem non loqui de damnatione culpæ, sed pœnæ, ait enim: *Infirmitas sane, atque mortalitas, quæ non peccatum erant, sed pœna peccati, a Redemptore mundi recepta sunt ad supplicium, ut impenderetur ad pretium. Quod ergo in omnibus, etc.*

Objiciunt 5. Omnes illos SS. Patres, qui distincte ac præcise videntur asserere B. Virginem fuisse infectam originali culpa: in primis vero Rupertum lib. 1. *In Cantica*, ubi de B. Virgine ait: *Et tu quidem veraciter dicere potueras, ecce enim in iniquitatibus concepta sum, et in peccatis concepit me mater mea; cum enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas.* In eamdem sententiam referunt S. Anselmum lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 16. ubi ait: *Licet ipsa Christi conceptio munda sit, et absque carnalis delectationis peccato. Virgo tamen ipsa unde assumptus, in iniquitatibus concepta est, et in peccatis concepit eam mater ejus, et cum originali peccato nata est, quoniam et ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt.* Referunt etiam S. Antonium de Padua in Sermone quodam *De B. Virgine*, ubi ait: *Beata Virgo fuit in utero matris a peccato per gratiam sanctificata, et sine peccato nata. Imo* addunt S. Bernardinum Senensem Serm. de S. Joanne Baptista, qui incipit, *sicut Sol oriens mundo*, ubi triplicem distinguens sanctificationem, ait: *Tertia fuit sanctificatio maternalis, et ista removet culpam originalem, et confert gratiam, et removet pronitatem ad peccandum tam mortaliter, quam venialiter, et hæc fuit in Virgine Matre, etc.* — **Respondeo** ad *Rupertum*, eum dumtaxat velle, quod B. Virgo in eo instanti, quo Christum concepit, non fuerit inebriata vino luxuriæ, quo inebriantur cæteræ mulieres: *Non fueras*, inquit, *experta vitium hujus sæculi, vinum voluptatis carnalis, sine cujus ebrietate nulla unquam mulier præter te, concipere potuit, aut potuerit, et tamen dijudicare nosti, quam melior, aut vehementior, dulcior, atque fortior esset voluptas, sive amor Dei, in quo concepisti, sine dubio potata es illius torrente voluptatis.* Deinde subjicit verba in objectione laudata, post quæ subdit: *Sed ante faciem hujus amoris peccatum nec illud, nec aliud stare potuit, ante faciem hujus ignis stipula omnis interiit, ut totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis 9. mensibus habitaret.* Quibus verbis significat Rupertus se dumtaxat loqui de Conceptione activa B. Virginis, qua videlicet Christum concepit sine ulla voluptate, quam experiuntur cæteræ mulieres propter hæreditariam labem, quamque etiam B. Virgo fuisset experta, nisi divinitus præser-

vata extitisset. Unde fuit hoc unicum privilegium Virginis Deiparæ, quod solus ejus Filius dicere non potuerit, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum,* quia scilicet dumtaxat per supervenientem Spiritum S. et obumbrantem Altissimi virtutem Virgo eum concepit: quod utique hæc Virgo Deipara dicere non potuit, quia ejus Mater illud voluptatis vinum potavit, cum eam in utero concepit: unde hæc dicere poterat, *Ecce in iniquitatibus parentum concepta sum.* Quæ cum ita sint, etiam in illa voluptatis iniquitate Christum concepisset, utpote cum esset de massa, quæ in Adam corrupta est, nisi fuisset divinitus obumbrata, et ab ea voluptatis ebrietate præservata. Ex quibus apparet Rupertum loqui dumtaxat de Conceptione activa parentum Virginis, non vero de passiva, seu illius animatione. *Ad S. Anselmum* dico, verba in objectione posita non esse illius, sed dumtaxat Bosonis ejus discipuli interrogantis *qualiter de massa peccatrice,* idest, *de humano genere, quod totum erat infectum peccato, hominem sine peccato, quasi azimum de fermentato Deus assumpsit; nam licet ipsa ejusdem hominis conceptio sit munda, et absque delectationis carnalis peccato: Virgo tamen ipsa unde assumptus est, etc.* Quis autem dixerit verba discipuli interrogantis esse resolutionem Magistri? *Adde quod* si omnia quæ dicit Boson censenda essent genuina S. Anselmi sententia, plurimis absurdis laborare, enimvero plura interrogat, quæ quasi vera supponit, cum tamen sint absurdissima. — *Ad S. Antonium* de Padua, dico præfatum sermonem fictitium omnino esse, nec usquam inter ejus opera fuisse repertum: tantum enim abest, ut ille sanctissimus vir senserit Deiparam Virginem aliquo peccato fuisse fœdatam, quin imo contrarium aperte docet, ut videre est in sermone Parasceves, ubi dicit Christum fuisse indutum veste alba, *idest,* inquit, *carne ab omni peccati labe munda, a Virgine immaculata assumpta, etc.* Et Serm. 2. Dominicæ 5. post Pentecosten dicit Mariam fuisse thronum nubis, *quia a peccato immunis.* Alias habet ejusdem auctoritates De Alva in *militia Immaculatæ Conceptionis contra malitiam peccati originalis.* Hinc in Sole veritatis n. 28. observat prædicta verba non esse S. Antonii Paduani, sed S. Antonini Florentini p. 4. summæ, tit. 25. cap. 6. perperam ab adversariis S. Antonio Paduano afficta. — *Ad S. Bernardinum* dico, ipsius verba in objectione laudata non favere adversariis, nam *removere culpam originalem,* non est dumtaxat eam auferre et abstergere, cum jam existebat, sed etiam prævenire ne inficiat. Enimvero removere aliquem a legibus, idem est, quod eum non adigere ad servandas leges. Quod autem alia non sit ejus viri sanctissimi sententia, patet ex eodem sermone, nam in ejus initio sic ait: *Sacramentum gloriosæ Virginis Matris Dei sublimissimum ad reverendum, devotissimum ad tractandum, dulcissimum ad contemplandum. Hodie, dilectissimi, promitur nobis gloriosa equidem dies ista, quæ jubar solaris luminis nobis offert, dum conceptam pronuntiat Dei Matrem, etc.* Si ergo dies Conceptionis Mariæ fuit gloriosa, quæ splendore suo pias mentes inflammat, illuminat, et roborat, et sacramentum sublime, reverendum, devotissimum, dulcissimum: igitur non cum culpa, atque peccato fuit Conceptio illa. Item infra plus insinuat dicens: *In quibus verbis sapientia Dei describit triplicem gratiosum B. Virginis statum: Primum, Conceptionis: Secundum, Nativitatis: Tertium, Annuntiationis. Pri-*

mum, scilicet ejus Conceptionem dicit esse sicut Solem, etc. Si ergo Bernardinus commendat Conceptionem, sicut Nativitatem, et Annuntiationem, in quibus nulla fuit macula, aut culpa, et dicit Conceptionem fuisse sicut Solem, et gratiosam, hoc est, gratia, ac claritate sanctitatis illustrem; consequens est, quod tantum abest, ut ipsemet Immaculatæ Conceptioni adversetur, quinimo ei patrocinatur, si æqua lance ejus verba trutines ac perpendas. — *Respondeo* tandem cum Doctore in 3. dist. 3. q. 1. n. 14. omnes quotquot objici possunt Sanctorum auctoritates nihil aliud significare, quam quod beata Virgo via seminali ab Adamo propagata habebat debitum contrahendi peccatum originale, et ex vi suæ Conceptionis illud contraxisset, nisi speciali Dei privilegio ejus anima, eodem instanti quo formata fuit, gratia sanctificante fuisset illustrata. Nam ut præclare docet Pitigianus noster hic art. 5. B. Virgo tripliciter fuit obnoxia peccato: *Primo,* in lumbis Adæ, et aliorum parentum: *secundo,* in utero ante animationem, tunc enim jam existebat secundum corpus, et sic inficienda erat peccato, nisi præveniretur: *tertio,* in ipsomet instanti animationis, quia licet in illo eodem instanti reali temporis fuerit gratia donata, tamen prius natura ejus anima concipi potest sine gratia, et in statu indifferenti ad gratiam, vel ad peccatum.

Instant adversarii: Prius naturaliter B. Virgo fuit filia Adæ, quam sanctificata: sed in illo priori habuit debitum contrahendi peccatum originale: ergo de facto prius habuit originale peccatum, quam ab eo liberaretur. — **Distinguit minorem Doctor** ibidem num. 15: habuit illud debitum positive in illo priori instanti, negat; quod enim competit alicui positive prius natura, quam aliud, potest affirmari de ipso simpliciter pro instanti temporis in quo existit, et in quo illud instans naturæ includitur: et sic dici posset, quod beata Virgo habuit peccatum originale, et gratiam sanctificantem in eodem instanti temporis, quod est absurdum: in illo priori instanti habuit illud debitum negative, quatenus non concipitur habuisse aliquid pro illo instanti naturæ, ratione cujus non deberet contrahere peccatum originale, quia pro illo instanti nondum concipiebatur, ut habens gratiam sanctificantem, concedit. Quæ utique solutio legitima apparet etiam in sententia adversariorum, qui non negant Deum de potentia absoluta potuisse Virginem ab originali præservare.

Urgent: B. Virgo in illo priori naturæ, in quo præintelligitur ad gratiam, non habet justitiam, nec concipitur ut justa: ergo necessario concipi debet ut injusta, vel ut non justa, et proinde ut habens originale peccatum. — **Negat sequelam Doctor** num. 18. *Quia,* inquit, *abstrahentium non est mendacium.* 2. *Physic. non enim intellectus non intelligens hoc, intelligit non hoc; ut, non intelligens hominem esse animal, non intelligit ipsum non animal, quia tunc non posset esse abstractio sine mendacio, auferendo ab aliquo quod sibi essentialiter inest.*

Objiciunt 2. Si B. Virgo concepta fuisset sine peccato originali, opus non habuisset Christo Redemptore et Mediatore: sed hoc est absurdum: igitur, etc. — **Negat majorem Doctor** n. 15. *Ipsa enim,* inquit, *contraxisset originale peccatum ex ratione propagationis communis, nisi fuisset præventa per gratiam Mediatoris: unde sicut alii*

indiguerunt Christo, ut per ejus meritum remitteretur eis peccatum jam contractum, ita illa magis indiguit Mediatore præveniente peccatum, ne esset ab illa aliquando contrahendum, et reipsa contraheret.

INSTANT : *Nullus* (inquit S. Zosimus Papa Epist. 155. apud Augustinum) *nisi qui peccati servus est liber efficitur; nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus:* igitur si B. Virgo non contraxit originale peccatum, vere et proprie non egebat Christo Redemptore. *Confirmatur* a simili, quia licet Christus (ut multi Theologi docent) meruerit bonis Angelis gratiam, qua præservarentur a lapsu, non tamen propterea potest dici eorum Redemptor: ergo a simili non erit censendus proprie Redemptor respectu Virginis, si ipsam revera a peccato non liberavit. — **Distinguo antecedens**: nullus potest dici redemptus, nisi qui fuerit per peccatum ante captivus, debito, concedo: reipsa tantum, nego. Etenim proprie quis aliquem dicitur redimere a captivitate et carcere, dum cum jam propter debita detrudendum in carcerem, pro eo satisfacit creditori, et ejus debitum exsolvit: at beata Virgo, ut expresse docet Doctor, habebat debitum contrahendi captivitatem peccati originalis; et illud vi suæ conceptionis ac propagationis ab Adamo via seminali contraxisset, nisi divinitus fuisset præservata. Hinc est, quod illa præservatio vere et proprie dici possit redemptio: secus autem est de Angelis, qui nullum in se habebant debitum incurrendi lapsus, nisi prævenirentur; unde illorum præservatio non ita proprie vocari potest redemptio, ac præservatio B. Virginis.

OBJICIUNT 3: Beata Virgo subjecta fuit omnibus pœnis propter originale peccatum præscriptis, puta ærumnis, ac mœroribus, imo etiam et morti: igitur peccatum istud contraxit. — **Respondeo**, equidem hæc omnia Virginem Deiparam sustinuisse, non quidem in punitionem, et necessitatem, sed ad meritum, et ampliorem gratiam; expediebat enim, ut Filio assimilaretur, qui ærumnas et labores temporales, imo et mortem ipsam pati voluit, ut copiosa apud ipsum foret redemptio: « potest enim, inquit Doctor n. 8, Mediator reconciliare « aliquem, ut auferantur ab eo pœnæ sibi inutiles, et relinquatur in « pœnis sibi utilibus: originalis culpa fuisset inutilis Mariæ; pœnæ « temporales tamen fuerunt utiles, quia in eis meruit: igitur, etc. »

OBJICIUNT DENIQUE: Si B. Virgo peccatum originale non contraxisset, et mortua fuisset ante Ascensionem Christi, debuisset regnum cælorum intrare: at nullus hominum ante Christi Ascensionem potuit in cælum recipi; siquidem duntaxat per triumphalem Christi in cælum introitum solum patuit illius aditus hominibus: igitur, etc. — **Negat sequelam majoris Doctor**: non enim carentia peccati originalis necessario infert introitum in regnum cælorum; nam SS. Patribus pridem ante Christum natum vita functis dimissum erat originale peccatum, nec tamen clara Dei visione donabantur; id quippe hominibus reservatum erat in illa Christi Ascensione, ut videlicet ascendens in cælum captivam duceret captivitatem, et daret dona hominibus: *Ita enim determinaverat Deus,* inquit Doctor n. 19, *quod licet acceptaret Passionem Christi prævisam ad remittendum culpam originalem omni credenti et credituro illam Passionem; non tamen remittebat pœnam illi peccato debitam,* scilicet carentiam visionis divinæ, propter Pas-

sionem prævisam, sed propter ipsam exhibitam: et ideo sicut illis Patribus non patuit janua, quousque Passio Christi fuit exhibita, ita probabile est, quod nec B. Virgini reserata fuisset, si ante Christi Domini in cælum Ascensionem obiisset.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM B. VIRGO IMMUNIS FUERIT AB OMNI PECCATO ACTUALI.

Notandum 1. Peccatum actuale solito distingui duplex, mortale videlicet, et veniale. *Mortale* est deliberata transgressio legis divinæ graviter obligantis, ratione cujus solvitur amicitia hominis cum Deo, et ab homine removetur gratia et charitas, quarum præsentia vivebat anima, quarumve jactura et absentia spiritualem mortem incurrit. *Veniale* est transgressio præcepti levis, vel non perfecte deliberata et libera, quæ nec cum Deo amicitiam solvit, nec gratiam aut charitatem ab anima removet: sed ejus dumtaxat fervorem imminuit, nec ab ultimo fine removet, sed solum ab ejus consecutione remoratur. Veniale autem dicitur, vel quia levis est offensa comparatione peccati mortalis, vel maxime quia est venia dignum.

Notandum 2. Ex Seraphico Doctore in 2. dist. 29. art. 3. quæst. 2. triplex distingui posse genus peccati venialis; *quoddam* enim accidit homini ex surreptione sensualitatis: *alterum* ex subito aliquo et indeliberato rationis motu: *tertium* denique veniale dicitur ob imperfectionem actus, et levitatem materiæ, cujusmodi est verbum otiosum, et mendacium, aut jocosum, aut officiosum; quod utique peccati genus plerumque reperitur etiam in viris eximia pietate illustribus. Quærimus ergo, utrum Virgo Deipara aliquo ex his modis venialiter peccaverit.

Notandum 3. Ex Doctore Subtili in 2. dist. 20. quæst. 1. duplicem distingui confirmationem in gratia: unam qua tollitur posse peccare, etiam venialiter; aliam, qua tollitur de facto peccare. *Prima* solum comprehensoribus et Beatis convenit: *Non posse enim peccare*, inquit, *non potest competere viatori, alioquin esset contradictio, quia certitudo de beatitudine est maxima beatitudinis pars: non posse autem peccare fuisset tunc scibile a quolibet, sicut et modo posse peccare nobis est certum.* Hæc autem certitudo infallibilis de beatitudine soli comprehensori competere potest. Insuper, quamdiu in objecto voluntatis viatoris est defectus boni, potest voluntas viatoris deficere a rectitudine volendo illud, non secundum debitam circumstantiam; sed quamdiu homo est viator, ipsius voluntas non potest conjungi objecto, in quo est omnis boni ratio; igitur quamdiu viator est, potest deficere a rectitudine; et per consequens posset peccare, adeoque nullus viator ita confirmari potest in gratia, ut peccandi potentiam infallibilem excludat. *Secunda* autem confirmatio in gratia non excludit quidem potentiam peccandi, sed dumtaxat actum peccati, in quod homo non potest præceps ruere propter specialem Dei assistentiam, protectionem, et auxilia specialia, quæ ita contemperantur libero arbitrio, ut infallibiliter omnem peccaminosum actum removeant. Prior impeccantia dicitur intrinseca, et velut antecedens; posterior vero extrinseca, et consequens. Certum est autem quod B. Virgo, quamdiu vixit in hoc

mundo, non habuerit impeccabilitatem ab intrinseco, et antecedentem, quia nulla gratia habitualis hujus vitæ, quantumvis perfecta, sic determinat voluntatem, ut antecedenter non sit adhuc indifferens ad peccandum. Nec certe talis impeccabilitas antecedens conveniebat B. Virgini in hac vita: tum quia erat pure viatrix: tum quia, quamvis libertas ad peccandum sit defectus, tamen conducit ad meritum, juxta illud Ecclesiast. 31. *Qui potuit transgredi, et non est transgressus.* Quæritur autem utrum secundum genus impeccabilitatis habuerit.

Conclusio unica. — Beatissima Virgo immunis fuit ab omni prorsus peccato actuali. Hæc est communis apud omnes Christi fideles contra hæreticos Lutheranos, et Calvinistas.

Probari posset Conclusio plurimis sacræ Scripturæ textibus: illis videlicet, quibus supra probatum est, perpetuas simultates et inimicitias fuisse inter Mariam et dæmonem: talis autem non intercessisset pugna, si beata Virgo in aliquod peccatum lapsa fuisset: igitur, etc. — Probari similiter posset maxime ex libro Canticorum, ubi Virgo Deipara non solum tota pulchra et sine macula prædicatur, sed cap. 2. dicitur de ea: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Quod oraculum Sedulius lib. 2. *De Paschate* egregie sic expendit:

Et veluti spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens Matrem obscurat honore;
Sic Lux de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret.

Et Hugo de S. Victore:

Salve Verbi sacra parens,
Flos de spina, spina carens,
Flos spineti gloria:
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentatis,
Sed tu spinæ nescia.

Probatur secundo ex Concilio Tridentino sess. 6. Can. 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse: neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat, numquam vere justificatum fuisse, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Eamdem sententiam plurimi e SS. Patribus tuentur, imprimis vero S. Augustinus, qui in libro *De Natura et gratia*, cap. 36. ab actuali peccato penitus Dei Matrem Virginem liberat. Cum enim Pelagius, ut suum dogma probaret, nempe homines posse sine omni esse peccato, et multorum utriusque sexus exempla protulisset, qui in Scripturis *non modo non peccasse, sed etiam juste vixisse referuntur*, quales fuerunt Abel, Enoch, Melchisedech, Abraham, etc. *adjunxisset* etiam fœminas, Debboram, Annam matrem Samuelis, etc.. *ipsam etiam Domini ac Salvatoris nostri Matrem, quam dicit sine peccato confiteri necesse esse pietati:* cum hæc, inquam, de B. Virginis impeccantia Pelagius affirmasset, assentitur huic Augustinus, et ita loquitur: *Ex-*

cepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem; unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? utrum hoc quod iste dicit, an quod Joannes Apostolus? etc. Ex quibus apparet S. Augustinum aperte docere beatissimam Virginem nullo proprio et actuali peccato fuisse inquinatam. — Eamdem veritatem præ cæteris egregie docet S. Bernardus, in Serm. 2. *De Assumptione*, ubi sic scribit: *Absit enim, ut proprii quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæratur. Quod si originalem a parentibus maculam traxit, sed minus a Jeremia sanctificatam in utero, aut non magis a Joanne. Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas Christiana: hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremo cum omnimodo constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam, etc. ut omnino pium est credere, proprium Maria delictum non habuit.* Idem docet, et in Epist. 174. ubi etsi puram ab originis vitio haberi non patitur, in utero tamen sanctificatam esse non dubitat, et quidem *copiosiorem sanctificationis benedictionem in eam descendisse, quæ et ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.* — Merito itaque Proclus Constantinopolitanus Oratione 6. beatissimam Dei Matrem inter alia omnia, vocat *impeccantiæ sacrarium*. Jure item Ildephonsus in Serm. *De Assumptione*, cum arca Testamenti Veteris illam comparat. *Supra quam propitiatorium, et Cherubim hinc inde obumbrantia figurantur, quia Mariæ nullum intrinsecus obrepsit peccati contagium: sed intus omnis custodia Legis, et Manna fuit.* Qua etiam similitudine usus est Proclus addens illud, *hanc Arcam esse intus, et extra deauratam, hoc est corpore, ac spiritu sanctificatam.*

Hujus assertionis ac veritatis hanc egregiam rationem profert S. Thomas Opusc. 60. art. 3. ubi cum præmisisset præfatam auctoritatem S. Augustini pro innocentia B. Virginis, subdit: « Non enim « fuisset idonea Mater Christi, si aliquando peccasset: tum quia honor « parentum redundat in prolem, secundum illud Prov. 18. *Gloria « filiorum parentes eorum*, unde per oppositum, ignominia matris ad « filium redundasset: tum etiam quia singularem affinitatem habuit « ad Christum, quia ab ea carnem accepit: dicitur autem 1. ad Co- « rinth. 5. *Quæ conventio Christi ad Belial?* Tum etiam quia Christus, « qui est sapientia Patris, singulari modo habitavit, non solum in ejus « anima, sed etiam in ejus utero. Dicitur autem Sapientiæ 1. *In ma- « levolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore « subdito peccatis.* Et ideo simpliciter fatendum est, quod beata « Virgo nullum peccatum actuale commisit, nec mortale, nec ve- « niale, ut sic impleatur, quod dicitur Cantic. 4. *Tota pulchra es « amica mea, etc.* »

Objiciunt 1. Hæretici, B. Virginem peccasse peccato infidelitatis, dum Lucæ 1. Angelo Incarnationem nuntianti, quasi incredula dixit:

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Unde Lutherus in postilla Evangelii de Annunciatione: *Ipsa*, inquit, *profecto in se sensit incredulitatis sensum*. Et Calvinus in prætata verba Lucæ, dicit illam non minus fuisse dubiam de omnipotentia Dei, quam Zacharias: igitur aliquod peccatum actuale commisit. — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* dico cum S. Augustino Hom. 11. cap. 5. ex 50. *Dum interrogavit, non de promissione dubitavit*. Vel, ut præclare ait S. Bernardus Homil. 4. super Missus es.: *Non dubitat de facto, sed modum requirit, et ordinem: neque enim quærit, an fiet istud, sed quomodo?* Hæc omnia eximie confirmat S. Ambrosius in eadem verba, ubi notat non fuisse eamdem Mariæ, et Zachariæ mentis affectionem circa vaticinium Angelicum; Zacharias ob incredulitatem fuit reprehensus et punitus, non autem Virgo Deipara. *Quo ergo modo*, inquit, *fieri posset, ut Zacharias, qui non crediderat, silentio condemnaretur: Maria autem si non credidisset, Spiritus sancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere Maria: neque tamen temere debuit usurpare: non credere Angelo, usurpare divina: neque enim facile erat, scire mysterium absconditum a sæculis in Deo: quod nec superiores Potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem tenuit, non officium refutavit, sed accommodavit affectum, spopondit obsequium: etenim cum dixit: Quomodo fiet istud? non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quæsivit effectus. Quanto temperatior ista responsio, quam verba sunt Sacerdotis! Hæc ait: quomodo fiet istud? ille respondit: undè hoc sciam? Hæc jam de negotio tractat: ille adhuc de nuntio dubitat. Negat ille se credere, quod negatse scire, et quasi fidei adhuc alium quærit auctorem: ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, sed id quomodo fieri possit, inquirit.*

Objiciunt 2. Illam peccasse peccato negligentiæ, cum Filium amisit per triduum, et peccato impatientiæ cum eum objurgavit his verbis: *Fili quid fecisti nobis sic?* Igitur, etc. — **Nego antecedens**; et ad primum dico, quod cum Virgo Deipara, et sanctissimus ejus sponsus Joseph scirent Jesum esse verum Deum, reliquerunt illum suo arbitrio; unde facile induci potuerunt, ut crederent illum fuisse cum suis cognatis et notis, ac proinde nulla ibi eorum apparet negligentia; quippe cum novissent eum non egere illorum manuductione et præsentia, ut domum incolumis reverteretur. Nulla pariter fuit impatientia; prætata enim Mariæ verba non sunt indicia reprehensionis, sed doloris, testanturque solum ingentem Virginis amorem, et dolorem de absentia amantissimi sui Filii.

Objiciunt 3. Videtur peccasse peccato ambitionis, dum in nuptiis miraculum requisivit a Filio dicendo: *Vinum non habent*. His enim verbis, inquit Lutherus ad caput 2. Joannis, videtur ex ambitione, et vana gloria quæsivisse miraculum ad ostentationem. — **Verum respondeo** cum S. Augustino tr. 8. in Joan. illa verba non fuisse indicium inanis gloriæ, sed eximiæ fidei B. Virginis circa divinitatem, et omnipotentiam Filii sui, necnon et signum ardentissimæ charitatis, qua ipsa flagrabat erga pauperes, quos nolebat pudore suffundi propter vini defectum. Nec quando Christus dixit: *Quid mihi et tibi mulier? Nondum venit hora mea*: petitionem matris, ut nimis importunam reprobavit, sed sapientiæ et potestatis plenitudinem pro libito

sese communicantem ostendit. *Non repellens* (inquit S. Augustinus lib. 4. *De Consensu Evangelistarum*, cap. 10.) *de qua suscepit carnem, sed suam tunc maxime insinuans Divinitatem: aquam conversurus in vinum, quæ Divinitas illam etiam fœminam fecerat, non in illa facta erat.* Quod autem subjungit Christus: *Nondum venit hora mea*, sic idem S. Augustinus explicat tr. 19. in Joan. *Hanc itaque horam prædixerat*, inquit, *quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere Matrem moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non Divinitatis, sed infirmitatis Matrem, velut incognitam repellebat: tunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Tunc enim qui Mariam creaverat, innotescebat in virtute: nunc vero quem Maria peperierat, pendebat in Cruce.*

Objiciunt 1. S. Chrysostomum, qui illud etiam peccatum *inanis gloriæ*, ac superbiæ cujusdam in ea vult deprehendi: nam exponens illud Matth. 27. ubi cum Christo renuntiasset quidam: *Ecce mater tua, et fratres foris stant quærentes te*, quibus Christus respondet: *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?* hujus responsi rationem sic edisserit: *Hujusmodi*, ait, *verba locutus est, non quod eum Matris puderet, aut illam, e qua genitus erat, abdicaret (si enim puderet ejus, neutiquam per uterum illum prodisset in lucem); sed ut ostenderet, nihil illud eam juvare, nisi quod officii sui erat in omnibus præstaret. Nam quod illa facere instituerat, supervacaneæ cujusdam ambitionis erat, quippe volebat ostentare populo, se Filio dominari, et in eum auctoritatem exercere, cum nondum de ipso magnum aliquid imaginatione sua sibi proponeret. Ideo intempestive accessit. Ac vide, quæso, tam ipsius, quam illorum superbiam. Cum enim par esset ingressos ipsos audire cum turba, aut si hoc nollent, expectare dum finem dicendi faceret, ac tunc adire, illi contra foras ipsum evocant.* Unde inquit Calvinus in hunc locum, non dubium est quin his verbis carpat Mariæ importunitatem, quod præpostere cursum doctrinæ ejus abrumpere tentabat. — **Respondeo cum S. Ambrosio** in hunc locum, Christum sic respondisse, ut doceret auditores, quod religiosior sit copula mentium, quam corporum: *Neque*, inquit, *injuriose refutantur parentes, sed religiosiores copulæ mentium docentur esse, quam corporum. Ergo hic non (ut quidam tendiculas aucupantur) Mater negatur, quæ de cruce etiam agnoscitur; sed necessitudini corporali præscriptorum cœlestium forma præfertur. Illud quoque non intelligere abhorret, quia per figuram parentum, demonstrat Judæis, ex quibus est Christus secundum carnem, Ecclesiamque credidit præferendam.* Ad S. Chrysostomum dico, vel eum oratorio more hac in expressione excessisse, vel in hoc tantillum a vero exorbitasse, ut ingenue fatetur S. Thomas.

Objiciunt denique aliquos ex SS. Patribus asserentibus B. Virginem tempore passionis nutasse in fide. Sic imprimis Basilius Epist. 318. asserit illam dubitatione quadam fluctuasse, ac scandalo jactatam, quando supplicio vidit Filium suum affici: *Anima*, inquit, *passionis tempore, dubitationi cuidam fuit subjecta, secundum Domini vocem, qui dixerat: Omnes vos scandalum patiemini in me.* Sic pariter S. Cyrillus Alexandrinus idem aperte tradit in Commentariis ad Joan. dicens Beatam illam Virginem in passione sui Filii, non solum scandalum passam fuisse, *sed et propemodum de statu mentis suæ dejectam.* At minus toleranda

sunt quæ subinde narrat, Christum Matrem Joanni discipulo commendasse, *quod cum ea in scandalum incidisset, et cogitationum perturbationibus implicata esset, providendum illi fuerit... Itaque cum sciret quibus tum cogitationibus agitaretur, hanc egregio mystagogo commisisse discipulo suo, qui mysterii illius altitudinem recte et idonee explicare posset.* Idem docet Origenes Hom. 17. in Lucam, ubi inter cætera ait: *Quid putamus quod scandalizatis Apostolis, Mater Domini a scandalo fuerit immunis? Si scandalum in Domini passione non passa est, non est mortuus Jesus pro peccatis ejus. Si autem omnes peccaverunt, et egent gloria, justificati gratia ejus et redempti, utique et Maria illo tempore scandalizata est.* — **Respondeo primo** ad Origenem, illum hac in re sicut in aliis plurimis graviter lapsum fuisse, ac proinde nullatenus esse audiendum. *Ad cæteros Patres dico,* illos more concionatorio nonnihil excessisse: vel per dubitationem intelligunt magnam admirationem, et quasi stuporem B. Virginis tempore passionis Christi. Nam eximiam illius patientiam et invictam animi constantiam in illo immenso mœrore, quo premebatur, declarat S. Ambrosius Epist. 25. ubi ita scribit: *Maria Mater Domini ante crucem Filii stabat: nullus me hoc docuit, nisi S. Evangelista...* Et paulo infra: *Fugientibus Apostolis, ante crucem stabat, et piis spectabat oculis Christi vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem: aut fortasse quia cognoverat per Filii mortem, mundi redemptionem, etc.* Et in Concione in obitu Valentiniani: *Stabat,* inquit, *et S. Maria juxta crucem Filii, et spectabat Virgo sui Unigeniti passionem, spectantem illam lego, stantem eam lego: flentem non lego.*

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM BEATA VIRGO VERE ET PROPRIE DICENDA SIT MATER CHRISTI.

Notandum 1. Hæresim Nestorianam antecessisse, ac ei veluti præluxisse Theodorum Mopsuestenum Diodori Tarsensis discipulum, ac condiscipulum S. Joannis Chrysostomi, ut narrat Theodoretus lib. 5. *Historiæ* cap. 39. quem insuper amplissimo genere, et in summis opibus natum, Antiochiæ ab eodem illo Joanne Chrysostomo ad Monachorum institutum illectum esse, refert Hesichius Presbyter Hierosolymitanus in Ecclesiastica Historia. Quin etiam idem asserit cum Nicephoro lib. 13. c. 2. illum fuisse Theodorum, ad quem S. Chrysostomus scripsit duos libros, ut eum in communem vitam ab sacratiore vivendi proposito relapsum revocaret: atque hic demum Mopsuestiæ, quæ est urbs Ciliciæ, Episcopatum obtinuit, quem totis 36. annis feliciter rexit indefesso labore contra quoslibet Hæreticos, maxime Arianos et Eunomianos, necnon Origenistas et Apolinaristas decertans, ut referunt Facundus lib. 3. cap. 3. et Theodoretus lib. 5. cap. 39. qui idcirco hunc Theodorum mirifice collaudat; imo et a Cyrillo honorificum de illo testimonium memorat Facundus lib 8. cap. 6, tametsi postea scriptis eum suis notasse perhibeatur, quod post damnatum in Ephesina Synodo Nestorium cum hæresi sua, ac libris ejus Imperatorum edicto proscriptis, tautores illius, ac discipuli quorumdam Episcoporum scripta, quibus Nestoriani erroris venena erant in-

spersa, in vulgus disseminabant, præsertim Diodori Tarsensis et Theodori Mopsuesteni, qui omnium pestilentissimus habebatur, quique Nestorio infandi dogmatis auctor fuisse perhibebatur. Quocirca Proclus Constantinopolitanus ejusmodi libros a fidelibus legi prohibuit, et Cyrillus ipse contra Theodorum libros edidit, qui in quinta Synodo referuntur coll. 5. et quorum meminit Liberatus Diaconus in Breviario his verbis: *Quatuor*, inquit, *ab illo* (Cyrillo) *scripti sunt, tres adversus Theodorum, et Diodorum quasi Nestoriani dogmatis auctores, et alium de Incarnatione librum*, in quibus inter cæteros Dionysii Areopagitæ testimonia posita esse demonstrat. Nec refert, quod Catholici quidam responderint Acephalis, qui libris istis utebantur, eos non esse Cyrilli: siquidem pro genuinis Cyrilli libris quinta Synodus mox laudata habuit. — Utut sit, certum est Theodorum illum Nestorio auctorem fuisse illius nefariæ hæresis, qua negabat S. Virginem Dei genitricem fuisse et appellari debere, ut plurimis docet Rabbulla Edessenus Episcopus in Epistola ad Cyrillum, ubi Theodori hæreticas opiniones recenset, easdem plane quas in Nestorio Synodus Ephesina damnaverat: *Primum exposuit*, inquit, *non esse vere Dei genitricem S. Virginem; tamquam Deo Verbo non suscipiente secundum nos nativitatem*. Illius nihilominus partes suscepit Joannes Antiochenus, nam congregata Synodo, qua compesceret nonnullos instantes, ut damnaretur Theodorus ob prava quædam et hæretica capita, quæ in excerptis notata circumferebantur, scripsit ad Cyrillum multis rationibus suadens, ne permittat illustrem virum, ac gloriosis pro Ecclesia functum laboribus, ut hæreticum damnari; ad quem rescribens Cyrillus hæc habet: *Diodori*, inquit, *et Theodori pravas et illaudatas opiniones, vel aliorum quorumdam, quos non laudari satius erat, ne quid acerbum dixerim, eo quod plenis quodam modo velis contra Christi gloriam feruntur, nemo obsecro, sanctis et orthodoxis Patribus adscribat*. Unde idem Cyrillus Epist. ad Acatium Melitenes Episcopum scripsit, hunc Theodorum *habuisse linguam blasphemam, et huic ministrantem calamum*. Quapropter queritur eum tanti ab Orientalibus existimari, *ut acclamationes a populo tales de eo factæ sint in Ecclesiis: Augeatur fides Theodori: Ita nos credimus quemadmodum Theodorus: cum tamen eumdem ausum alias in Ecclesia exiguum quiddam perperam loqui, lapidibus appetierint. Verum sicut pastori libet, ita sentit grex*, addit Cyrillus Joannem tacite vellicans. Vix ergo satis mirari possum quod Facundus lib. 3. cap. 3. asserat Theodorum a Cyrillo laudatum fuisse, nec a nemine culpatum; nam a S. Cyrillo hæc scripta fuisse refert: *Scripti sunt a magno Theodoro adversus Arianorum et Eunomianorum hæreses viginti forte, et adhuc amplius libri, et alia præter hæc Evangelica et Apostolica scripta interpretatus est. Et hos quidam labores nullus ausus est increpare, sed dextro decreto honorare studium rectorum dogmatum, quod in eis est*. Hæc tamen cum S. Cyrilli scriptis mox laudatis minime cohærent.

Notandum 2. Convenisse Nestorianos cum Catholicis, Verbum revera carnem sive hominem esse factum: utrum vero assumptio hæc humanæ naturæ, sive incarnatio dicenda esset proprie ac vere generatio, non ita consentiebant Nestoriani: siquidem Nestorius Dei Filium ac Verbum fatebatur quidem per Virginem transiisse; verum

præfracte negabat ipsum ex B. Virgine fuisse genitum, ut refert S. Cyrillus lib 1. *Contra Nestorium:* veritus enim ne *transitum* illum de vera generatione populus intelligeret, coram quo dixerat: *Non se invidere vocem illam Christi genitrici Virgini, sed eam scire esse venerandam, quæ Deum suscepit, et per quam transitum fecit omnium Dominus*, statim dictum suum sic castigavit: *Quo tandem modo transeundi Verbum illud intellexistis?* inquit: *Non dixi* transivit, *pro eo quod est*, genitus est: *non enim tam cito sententiæ meæ obliviscar: transivisse Deum ex Christi genitrice Virgine, e sacris Litteris sum edoctus: Deum vero ex ipsa genitum esse, nusquam didici.* Verum adversus impiam ac netariam hæresiarchæ sententiam conclamatum est ad universis Catholicis, et blasphemus illius error non solum a coævis et posterioribus, sed etiam a primævis et anterioribus SS. Patribus proscriptus est. Hi namque omnes una voce contestantur Verbum divinum ex B. Virgine vere fuisse genitum, ac eam proprie Dei genitricem esse appellandam, ut apparebit infra.

Notandum 3. Quosdam Nestorianos, quo facilius suum netarium dogma sub larvata Catholicæ doctrinæ specie ac verborum similitudine tegerent, non recusasse B. Virginem θεοτόκον appellare. Cum enim viderent se in invidiam traduci, et pro hæreticis haberi, quod voculam illam admittere recusarent, quasi hoc unum vocabulum eos a Catholicis sejungeret: omnis namque fere de fide contentio inter Catholicos, et Nestorianos in hoc uno constituendo vocabulo sita erat, ut testatur S. Cyrillus Epist. *Ad Joannem Antiochenum*, et Ephræmius Antiochenus Patriarcha apud Photium scribens, *ad certam Catholicæ pietatis suæ omnino faciendam fidem, Dei genitricem esse sentire, profiterique sanctissimam Virginem:* hanc a se hæresis notam ut propulsarent Nestoriani, hac vafritie vocabulum istud admiserunt, ut significarent prius ac separatim in utero Virginis fuisse hominem, deinde assumptum esse a Verbo in ejusdem dignitatis ac nominis communionem: sicque ea ratione admittebant Virginem esse Dei genitricem, quod genuisset eum, qui ad societatem et consortium cum Deo subvectus est, ut luculenter explicat Vincentius Lirinensis his verbis: *Est singulari quodam Domini, ac Dei nostri, filii autem sui munere, verissime, ac beatissime* θεοτόκος *confitenda: sed non eo modo* θεοτόκος, *quo impia quædam hæresis suspicatur, quæ asserit eam Dei Matrem sola appellatione dicendam, quæ eum scilicet peperit hominem, qui postea factus est Deus: sicut dicimus Presbyteri matrem, aut Episcopi matrem, non jam Presbyterum, aut Episcopum parendo, sed cum generando hominem, qui postea Presbyter, vel Episcopus factus est.*

His ita præmissis, duo maxime supersunt hac in Quæstione determinanda: *Primum*, quod revera Virgo dicenda sit Dei genitrix; *Secundum*, qualiter concurrerit ad illam generationem, an per sanguinem purissimum, an per suæ virgineæ carnis decisam aliquam portiunculam.

Conclusio prima. — Beatissima Virgo revera dicenda est Deipara. Hæc est de fide determinata in variis Conciliis, maxime vero Ephesino, in quo contra Nestorium B. Virgo θεοτόκος, hoc est, Dei genitrix est proclamata. Eamdem significaverat Angelus Gabriel my-

sterium Incarnationis Mariæ denuntians his verbis: *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*, Lucæ 2. Hinc ibidem B. Elisabeth ad Mariæ visitationem exclamavit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?*

Eodem divinæ dignitatis ac gloriæ titulo eam celebrarunt omnes SS. Patres ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis, qui vel Deum revera ex Virgine genitum, vel ipsam Virginem Dei genitricem appellaverunt. Sic enim, ut ex plurimis aliquos commemorem, loquitur *Justinus Martyr* in dialogo cum Tryphone, ubi dicit: *Christum prius extitisse filium Conditoris omnium, ac Deum, qui genitus est homo per Virginem, etc.* Unde Tryphoni Judæo objicienti *rem incredibilem, et prope impossibilem demonstrare illum velle, Deum gigni, et hominem fieri sustinuisse:* respondet ipsum gigni voluisse, et in crucem tolli pro humano genere. Subscribit *Ignatius Martyr*, non quidem in Epistola ad Rom. ut refert Theodoretus Dialogo 1. sed in ea, quæ est ad Smyrnenses, ait: *Persuasos penitus de Domino nostro, qui est ex genere Davidis secundum carnem, Filius Dei secundum Deitatem, vere genitus ex Virgine.* Ita ex apographo Florentini codicis in Bibliotheca Magni Ducis refert Petavius lib. 5. cap. 11. *Adstipulatur* Irenæus lib. 3. *Adversus Hæreses*, cap. 31. ubi inter cætera hæc habet: *Si Adam de terra quidem sumptus est Virgine, et Verbo Dei plasmatus est: oportebat idipsum Verbum recapitulationem Adæ, in semetipso faciens, ejusdem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem, ut non alia plasmatio fieret, neque alia esset plasmatio, quæ salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur, servata similitudine.* Idem habet Dionysius Alexandrinus in epistola contra Paulum Samosatenum: *Jam olim*, inquit, *habitabat* (Verbum) *in iis, in quibus plures inventæ sunt matres: sed una sola Virgo filia vitæ genuit vivens Verbum.* — Subscribit etiam S. Athanasius in lib. *De Salutari Adventu Jesu Christi: Qui existit ante sæcula Deus*, inquit, *ex Nazareth homo conspectus est, genitus ex Maria Virgine, et Spiritu sancto.* Ac subinde, *Deum*, ait, *unigenitum decrevisse, plenitudine Divinitatis suæ, primi illius, et exemplaris hominis formationem, ac novum opus ex utero virgineo excitari sibi naturali generatione.* Distinctius hanc veritatem declarat Oratione 4. ubi sermonem faciens de Verbo, splendore ac sapientia Patris, ait: *Tum postea propter nos eumdem illum assumpta carne de Virgine Dei genitrice Maria hominem esse factum.* S. Basilius idem docet lib. *De Spiritu Sancto*, cap. 5. et Hom 25. de humana Christi generatione, in qua beatissimam Virginem distincte *Dei genitricem* appellat. Consentit etiam Gregorius Nazianzenus Orat. 5. necnon et in Epistola priore ad Cledonium, ubi pariter beatam Mariam *Dei genitricem* constanter affirmat.

Eadem est unanimis veterum Theologorum ac Patrum Latinorum sententia: nam Tertullianus in Apologetico capit. 21. *De Christo*, scribit: *Iste igitur Dei radius, ut retro semper prædicabatur, delapsus in Virginem quamdam, et in utero ejus caro figuratus nascitur homo Deo mistus.* Et lib. *De Carne Christi*, cap 17. *Ante omnia autem commendanda erit ratio, quæ præfuit, ut Dei Filius de Virgine nasceretur.* Subscribit S. Cyprianus lib. 12. adversus Judæos: *Hoc*, inquit, *futu-*

rum erat signum nativitatis ejus, ut de Virgine nasceretur homo et Deus, hominis et Dei Filius. — Hilarius lib. 9. *Natus igitur Deus ex Virgine homo, et secundum plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem.* Ambrosius lib. *De Incarnat.* cap. 5. *Non alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine generatio generationi non præjudicat.* Hieronymus lib. *Contra Helvidium: Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus.* Augustinus totus est in hac veritate explicanda, maxime Sermone 15. *De Tempore: Quomodo,* inquit, *in regula fidei confiteremur, credere nos in Filium Dei, qui natus est ex Virgine Maria, si non Filius Dei, sed filius hominis natus est ex Virgine Maria? Quis enim Christianus neget ex illa fœmina filium hominis natum, sed tamen Deum hominem factum, et ita hominem Deum factum?* Unde merito S. Cyrillus lib. *De Recta Fide,* concludit: *Ecce,* inquit, *omnes optimi, et sapientes, qui diversis temporibus ante nos extitere Patres, Dei genitricem nominant Virginem sanctam: et cum naturali unitione copulatum esse carni divinum Verbum asseverant, idem et in utero Virginis genitum esse docent, et ex eo secundum carnem processisse: quamvis initio carentem, et omni anteriorem sæculo, ac tempore generationem habuerit ex Patre.* — Hinc etiam apparet minus vere scripsisse Ephræmium Antiochenum Patriarcham in opere, quod adversus Monophysitas pro Chalcedonensis Synodi, et Leonis Papæ auctoritate scripsit, cum ait primum e Patribus *Leonem magnum, nominatim Dei Matrem appellasse sanctam Virginem, cum antecedentes omnes Patres non tam claris ac disertis vocibus istud elocuti fuerint.* Nam testis est Joannes Antiochenus in Epistola ad Nestorium, qua hunc hortatur, ut posita contentione, nomen illud impugnare desinat, *quod a permultis Patribus compositum, scriptum et pronuntiatum est.* Tum ita pertexit: *Hoc enim nomen nemo Doctorum Ecclesiasticorum repudiavit. Nam et plures eo sunt usi, iique celebres: et qui usi non sunt, utentes non reprehenderunt.* Theodoretus item in hæresi Nestoriana scribit, *antiquissimos Catholicæ fidei præcones, ex Apostolica traditione, docuisse Matrem Domini nominandam, credendamque esse Dei genitricem.* Dei ecce genitricem, ex Apostolica traditione, nuncupatam olim fuisse B. Mariam, Theodoretus affirmat.

Objiciebant Nestoriani: Beata Virgo non potest dici Mater Dei, nisi Divinitatem genuerit: at falsum est illam Divinitatem genuisse; quippe hæc est ingenerabilis et improducibilis: ergo falsum pariter eam esse Dei genitricem. Probabant *majorem,* ut refert S. Cyrillus lib. 1. *Contra Nestorium* hoc exemplo: *Quemadmodum mulier corpus quidem gignit: Deus autem animam infundit: neque potest dici mulier animæ genitrix, quod animatum genuerit: sed potius dicenda erit hominis genitrix: ita B. Virgo etsi hominem pepererit, transeunte una cum illo hac enim voce est usus Deo Verbo: non propterea Dei genitrix appellanda venit.* Hinc eorum vox erat, ut refert Maxentius Tomo 4. Biblioth. PP. *Si Deum natura genuit B. Virgo Maria, jam non carnis, sed est genitrix Divinitatis: et quomodo non Deum Verbum secundum Divinitatem, quæ illi cum Patre communis est: secundum carnem, eum natum ex Virgine prædicatis.* — **Distinguo minorem:** B. Maria non genuit Divinitatem, quasi Divinitas per illius generationem novum acceperit esse, novamque existentiam sortita fuerit, con-

cedo : ita quod homo ille, qui a beatissima Virgine genitus fuit, non fuerit vere et proprie Deus, nego. Quemadmodum enim matres eorum proprie dicuntur genitrices, quos corpore, animaque constantes in uteris suis genuerunt, et in lucem ediderunt, quamquam solus Deus animam produxerit, quia homo genitus corpore et anima constat, sic Virgo sanctissima etiamsi non genuerit Divinitatem, nec ei initium dederit, non minus propterea dicenda est Dei genitrix; siquidem illum hominem genuit, qui non prius homo, quam Deus extitit, hoc est, cujus anima et corpus non prius in rerum natura fuerint, quam inter se conjuncta, ac cum Verbo hypostatice copulata. Quam utique distinctionem ac solutionem præclare expendit S. Cyrillus lib. 1. *Contra Nestorium*, necnon et in Epistola ad Monachos de vera B. Virginis maternitate, ubi hæc habet : « Simile est humano partui incarnati « Verbi mysterium. Etenim terrenorum hominum matres naturæ ad « gignendum servientes, carnem habent in utero, quæ paulatim com- « pacta, et inexplicabilibus quibusdam Dei efficientiis progressa in hu- « manam speciem absolvitur. Deus porro spiritum animali, quibus scit « modis infundit. Fingit enim spiritum hominis in eo, ut Propheta « loquitur : Est autem alia carnis, alia item animæ ratio. Verum etsi « mulieres istæ nonnisi terrenorum sint corporum matres ; nihilominus « cum totum animal pepererint, ex anima et corpore compositum, non « solum ejus partem peperisse dicuntur. Nec aliquis dixerit, exempli « causa, Elisabetham matrem Joannis, carnis esse genitricem, non « autem animæ. Peperit enim animatum Baptistam, ac sic tamquam « unum aliquid ex ambobus, hominem, anima videlicet ac corpore. « Hujusmodi quippiam actum esse fatebimur et in Emmanuelis gene- « ratione. Quippe natum est, ut dixi, ex Dei Patris substantia unige- « nitum ipsius Verbum. Cum autem carnem suscepit, eamque propriam « sibi fecit, ut filius hominis esset, ac similis nostri fieret, tunc mi- « nime est absurdum dictu, immo necessario profitendum, illum ex « muliere secundum carnem esse genitum : quemadmodum et hominis « anima una cum proprio corpore gignitur, et unum cum eo reputatur : « tametsi natura intelligatur, et sit ab eo diversa secundum propriam « rationem. »

Instabant : Illius dumtaxat B. Virgo dicenda est genitrix, quem vere ac proprie genuit : at vere et proprie dumtaxat genuit hominem, qui fuit unitus Deo : igitur solius hominis dicenda est genitrix. — **Distinguo majorem:** quem vere ac proprie genuit tam secundum naturam, quam secundum personam, nego : quem proprie genuit secundum naturam per divinam personam subsistentem, concedo. Similiter *distinguo minorem :* vere ac proprie solum hominem genuit, hoc est, genuit eum, qui erat dumtaxat homo tam secundum naturam, quam secundum personam, nego : qui erat homo secundum naturam humanam, Deus vero ratione Divinitatis sibi unitæ hypostatice per ipsam Verbi personalitatem, quæ sustentabat naturam humanam, non secus ac si esset illius propria personalitas, concedo. Cum igitur generatio per se ac proprie in personam, sive in hypostasim, tamquam in terminum desinat, hoc est, in naturam subsistentem ; inde proprie B. Virgo dicenda est Dei genitrix, quippe genuit naturam, quæ subsistebat subsistentia divina Verbi : nam, ut præclare docet Ferrandus. Epist. *Ad*

Anatolium: Proprie est nata de Patre Divinitas pura, proprie est nata de matre eadem Incarnata Divinitas. Et hoc distat inter unius Filii Dei duas generationes, quod in divina generatione nulla fuit humanitas, in humana generatione adunata fuit humanitati proprie nascenti Divinitas. Si enim dixero, vel dicere voluero, Maria semper Virgo proprie genuit humanitatem, non proprie genuit Divinitatem, videbitur sub aliquo modo hominem purum genuisse, quem nullo modo ita genuit, quia Verbum caro factum proprie genuit. — Hac igitur ratione B. Virgo Dei genitrix censenda est, quod ex decisa sua substantia, et virtute formativa ac nutritiva fœtus contulerit ad compaginationem et organizationem corporis Christi, quod eo instanti, quo anima rationali fuit informatum ac vivens, tam ipsum corpus, quam anima unita fuerint Divinitati unione hypostatica per Verbi personam; ita quod ipsa natura humana, ut personata ac subsistens Verbi subsistentia, fuerit terminus totalis et adæquatus istius B. Virginis fœcunditatis. Utrum autem Deipara Virgo contulerit ad corporis Christi formationem subministrando aliquam suæ carnis, aut sanguinis, vel seminis decisam particulam, jam determinandum est.

Conclusio secunda. — Quamquam plurimi Patres contestari videantur Christi Domini corpus ex ipsa Beatissimæ Virginis carne formatum fuisse, verisimilius tamen apparet ipsum ex illius sanguine purissimo fuisse concinnatum. Hæc duabus partibus constat, quarum

Prima suadetur. *Primo* quidem auctoritate S. Hieronymi (si tamen ille sit auctor Epistolæ *De Viro perfecto*, quam plurimi Thesiphoni tribuunt), ubi ait: *Nullum prorsus semen accipio, nisi illud quod Apostolus ait: factus ex muliere, factus ex carne:* quibus verbis ad formationem corporis Christi sanguinem non admittit, seminis non recordatur, expresse carnem Virginis compaginandi sacratissimi illius corporis materiam fuisse significat. Consentit S. August., Psalm. 98. ubi sermonem faciens de utroque mysterio Incarnationis et Eucharistiæ, ait: *De carne Mariæ carnem accepit, et ipsam carnem Mariæ nobis manducandam ad salutem dedit.* Quam utique sententiam roborat Serm. 30. dicens: *Propterea Maria electa est omnibus gratiis fœcundata, omni virtute et sanctitate in utero repleta, ut de mundissima carne mundissimus Filius nasceretur.* — Eodem modo loquitur S. Bernardus, Homilia 4. super *Missus est*, nam exponens illa verba, *Fiat mihi secundum Verbum tuum*, ait: *Fiat mihi de Verbo secundum verbum tuum: Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundum verbum tuum.* Et circa medium declarans nullum intellectum posse capere qualiter divini Verbi splendor sese Virginis visceribus infuderit, ait: *Ut illam inaccessibilem lucem accedere ad se Maria ferre potuisset, de portiuncula ejusdem corporis, cui se animate contemperavit, reliquo massæ umbraculum* fieret. Subscribit Sanctus Anselmus, lib. *De Excellentia Virginis*, cap. 12. ubi Virginem alloquens ait: *Utique Deus, qui hominem assumpsit, ex tua castissima carne, hoc fecit pro tua et nostri omnium salute.* — Eodem modo loquitur S. Ildephonsus, lib. *De Perpetua virginitate, et parturitione Virginis*, ubi inter cætera ait: *Gloriosissima Virgo Maria non*

dico, quod non ex communi lege naturæ: verum etiam neque ex naturæ primæ origine, Filium, neque ex semine viri, sed de Spiritu sancto ex sua carne divinitus procreatum, sine ulla vitiorum collutione Deum et hominem profudit. — Eadem habet venerabilis Beda, lib. 1. cap. 19. *in Lucam*, ubi de Verbo incarnato scribit: *Conceptus ex utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne.* Similia scribit Rupertus, lib. 7. *De Divinis officiis*, cap. 25. ubi expendens gaudium B. Virginis de resurrectione Christi, inter cætera ait: *Dulcia carnis suæ vulnera, quam illa veram de carne sua carnem conceptam peperit, deosculanda præbuit.* — At omnium clarissime hanc veritatem explicant posteriores Doctores, imprimis S. Bernardinus, Serm. 61. art. 1. cap. 10. *In parte*, inquit, *Virginei corporis excisa consistit, perficitur et terminatur totum decus, ac pondus Sacramentorum Ecclesiæ.* Consentit Richardus a S. Laurentio, lib. 1. *De Laud. Virg.*, cap. 2. *De Virginis carne*, inquit, *sumpta est particula, de qua, artificio Spiritus sancti, formatum est corpus Christi.* — At omnium clarissime id docet Alensis noster 2. par. qu. 87. memb. 3. art. 7. ubi ait: *Cum dicitur, quod Christus factus est secundum corpus ex purissimis sanguinibus B. Virginis, sicut dicit Damascenus, et recitat* Magister, (in 3. d. 3.) *non intelligitur de sanguine, qui est unus de quatuor humoribus, sed sanguis ibi sumitur pro carne.* Favere etiam videtur communis Ecclesiæ consensus, dum in Collecta festi Incarnationis, seu Annuntiationis sic præcatur: *Deus qui de B. Mariæ Virginis utero, Verbum tuum Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti, etc.* Non dicit *sanguinem*, sed *carnem*, ut significare videatur corpus Christi non esse sumptum de semine aut sanguine, sed de ipsius Virginis carne. — His accedit noster Galatinus, qui lib. 7. c. 3. refert veterum Hebræorum sententiam fuisse, particulam carnis in Adamo adhuc innocente servatam fuisse illæsam a contagione peccati, et ad Virginem derivatam, ut ex purissima illius carne Christi Domini corpus formaretur. Quam utique sententiam in 3. dist. 3. q. 2. refert etiam Doctor his verbis: *Dicitur secundum Magistrum*, (in 2. d. 30.) *quod aliqua portio erat in Adam, de qua omnes filii ejus propagati sunt: et aliqui ponunt quod aliquid illius portionis non fuerit infectum in Adam, sed servatum mundum usque ad generationem Christi.* Quam opinionem licet non approbet Doctor, nihilominus, pro sua solita modestia, noluit eam censura notare. Hinc nonnulli ex ejus discipulis, maxime illustrissimus Joannes Baptista a Campanea totius nostri Seraphici Ordinis olim Generalis Minister, postmodum Puteolanæ Ecclesiæ Episcopus, pro certo habuit Christi Domini corpus non ex Virginis sanguine, sed carne fuisse formatum, eamque sententiam in disput. publicis validissime propugnavit, ut refert illustrissimus Franciscus Belligerus ex nostro Ordine Episcopus Gadicensis in encomio B. Mariæ Virginis, Tom. 1. disc. 13. fragm. 2. punct. 2. qui pariter huic sententiæ adstipulatur, eamque plurimis auctoritatibus et nonnullis rationibus firmat.

Nihilominus malim subscribere tum Subtili Doctori, cum aliis Theologis affirmantibus Christi Domini corpus non ex ipsamet carne beatissimæ Virginis, sed ex sanguine purissimo fuisse formatum. Id enim tamquam indubitatum supponit Doctor loco mox laudato, dicens: *San-*

gaines B. Virginis, de quibus formabatur corpus Christi secundum Damascenum, cap. 18. *cum numquam fuerint animati anima alicujus hominis, per consequens numquam ab anima peccatrice contraxerunt maculam.* — Unde ad SS. Patres, et laudatos auctores respondeo cum S. Thoma, in 3. d. 3. q. 4. art. 5. ad 1. *Ideo dicitur Christum carnem de Virgine sumpsisse, non quod materia corporis ejus fuerit acta caro, sed sanguis, qui est potentia caro: quod autem est potentia tale, potest dici absolute tale.*

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM B. MARIA DEIPARA SEMPER VIRGO STETERIT ANTE PARTUM, IN PARTU, ET POST PARTUM.

Notandum 1. Quod etsi beatissima Dei Mater singulari puritatis prærogativa sole clarius effulserit, ita ut tanta fuerit ejus Virginitatis puritas, ut usu omnium vocabulo *Virginis* appelletur, et innotescat, quo sufficienter eam fuisse purissimam, et ab omni corruptela remotissimam inferre licet; *Quis enim unquam* ait S. Epiphanius, Hæresi 78. § 6.) *aut in qua generatione, sanctæ Mariæ nomen ausus est appellare, qui non sciscitanti statim vocabulum Virginis adjunxit? Nam ex epithetis istis statim lucent argumenta virtutis:* attamen varii fuerunt hæretici, qui illibatam ejus Virginitatem impugnavere. Nam imprimis Carpocrates, Cerinthus, et Ebionitæ, aliique similes in eo sunt errore versati, ut Christum ex integra et experte viri femina genitum fuisse negarent, sed ejus Matrem virili opere eum genuisse idcirco astruebant, quod ipsa in sacris Scripturis vocetur *mulier*, ut refert Tertullianus, in libro *De Virginibus velandis*, cap. 5. *Ita mulieris nomen usurpant*, inquit, *ut non putent competere, nisi ei soli, quæ virum passa sit.* Unde fuerunt etiam qui negarent etiam stetisse Virginem postea quam Dominum peperit. Ita præ cæteris docuit *Apollinaris* aliique, quos *Antidicomarianitas* Epiphanius nominat Hæresi 78. Idque etiam inter varios errores asseruerunt Eunomius, Helvidius, Jovinianus, Bonosus, qui omnes Josephum post divinum a conjuge sua partum editum, cum eadem esse congressum, netando errore jactitarunt, et exinde filios esse progenitos, qui *Domini fratres* in Evangelio sæpius appellantur. Cujus erroris etiam insimulatur Tertullianus, ut legere est lib. *De Monogamia*, cap. 8. et lib. *De Carne Christi*, cap. 7. ubi quos Evangelium fratres Domini vocat, revera fratres uterinos fuisse, et ex Josepho ac beata Maria genitos affirmare videtur: hinc cum Helvidius Tertullianum in suæ opinionis vindicem proferret, ita respondet S. Hieronymus: *De Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse.* At hæc sententia, quæ perpetuæ Virginitati sanctissimæ Dei Parentis detrahit, ab omnibus Christi fidelibus, ut execranda et sacrilega semper est repudiata, ut infra constabit.

Notandum 2. Virginitatem solito sic definiri, ut sit *ab omni vacua libidine, carnis, animi, et corporis integritas:* quod ut percipiatur, perdocte observat Petavius, lib. 4. c. 5. ex S. Thoma, 2. 2. q. 152. tria in Virginitatis temeratione esse distinguenda: *Primum* est, inquit, quod in corpore accidit *Virginei sigilli violatio.* Inest enim in Virgi-

nibus membrorum integritas quædam, quæ nuptiali opere delibatur, et carpitur. De qua re paulo post disseram. *Secundum* est, in quod animæ simul, et corporis functio concurrit: nempe *resolutio seminis delectationem sensibilem causans*. ut S. Thomæ verbis utar. *Tertium* est, quod animæ solius actione constat: *propositum perveniendi ad talem delectationem*. Horum primum ad moralem actionem ex accidenti pertinet: potest enim sine voluntaria corruptela Virginis accidere. Secundum est actionis illius, quæ moralis dicitur, materia, cujusmodi sunt passiones, quæ sensum afficiunt. Postremum est velut forma moralem complens actionem. Ex quibus ita colligit S. Thomas: ad Virginitatis naturam et essentiam non illam spectare qualemcumque corporis integritatem: quæ nisi tertium accesserit, nullum sui dispendium patitur, et intacta perseverat. Hinc S. Augustinus, lib. 1. *De Civitate Dei*, cap. 18. probat virtutem Virginitatis, et pudicitiæ posse servari illibatam, etiamsi corpus invite per alienam libidinem polluatur. Unde concludit: *Quocirca animi proposito permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiæ suæ*. Imo addit Guillelmus Parisiensis, libr. *De Virtutibus*, cap. 13. Virginitatem posse non amitti, quatenus virtus est, cum nubit Virgo, et carnis integritatem amittit, si nempe servandæ virginitatis propositum et desiderium semper conservet. Hæc tamen paulo liberius dicta existimarem.

Notandum 3. Non levem esse controversiam inter medicæ artis Professores circa virginitatis sigillum, sunt enim qui contendunt membranulam quamdam superinduci in ore ventriculi corporis Virginei, quæ quamdiu integra perseverat, virginitas stet illibata, ubi vero per actum libidinis frangitur, omnino corporea mulieris virginitas pereat. Aliqui vero cum Francisco Vallesio, lib. *De Sacra Philosophia*, c. 25. cujus sententia plerisque Medicis recentioribus maxime probatur, pernegant aliquam esse membranam illam, quæ sit virginitatis sigillum, quod utique maxime confirmant ex Galeno, qui in humani corporis sectionibus diligentissimus, nullibi talis membranulæ mentionem facit. Sunt etiam, qui medium inter utrosque extreme pugnantes doceant, nempe non in omnibus hoc sigillum esse virginibus, sed in quibusdam solum, in aliis vero nullum reperiri. Verum longe complures, Anatomices præsertim scientissimi, hujusmodi signum ac characterem virginitatis adstruunt, ut Andreas Vesalius, Falopius, Picolominus, et plures alii, quos laudat Riolanus Parisiensis Academiæ Medicus eruditissimus, qui testatur se id animadvertisse in multis virginibus, post obitum dissectis. Cui sententiæ suffragatur etiam S. Augustinus, lib. 1. *De Civitate Dei*, cap. 18. ubi probat sanctitatem, et virginitatem corporis non in sola membrorum integritate consistere: *Obstetrix enim*, inquit, *virginis cujusdam integritatem manu velut explorans sine malevolentia, sine inscitia, sine casu, dum inspicit, perdidit*. Imo etiam signum aliquod extare, quo integra, vel oblæsa virginitas deprehendi possit, sacra Scriptura docet Deuteronomii, v. 15. ubi statuitur, quod si quis uxorem ducens ingressus ad eam, dicat ipsam Virginem non invenisse. *Tollent eam Pater et Mater ejus, et ferent secum signa Virginitatis ejus, ad seniores urbis, qui in porta sunt: et dicet Pater: Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, at*

dicat: Non inveni filiam tuam virginem: et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ, expandens vestimentum coram senioribus civitatis; nempe pannum, seu linteum tinctum sanguine emisso e virgineo corpore, ex primo virili congressu; quem utique pannum, ut refert Abulensis in illud quæst. 4. sic tinctum virgineo sanguine tradi consueverat parentibus puellæ coram testibus, et tabellione, alioqui nulla ei fides esset habenda.

His itaque perspectis ac notatis, quæritur impræsentiarum, utrum Virgo, antequam pareret Christum, vel in ipso partu, vel etiam post partum illud Virginitatis sigillum, claustrumque illibatum servaverit, uno verbo, utrum non solum Virgo, sed etiam perpetua Virgo constanter fuerit.

Conclusio prima. — Deipara Maria Virgo purissima erat ante partum. Hæc est determinata in Concilio quinto Constantinopolitano consultatione 8. Canone 6. ubi *B. Maria semper Virgo* dicitur: quali etiam nomine appellatur a Tharasio Patriarcha in Epistola, quæ est in VI Synodo. Actione 3. *in Confessione fidei*, quam ipse ibidem profert. Necnon et in Concilio Lateranensi sub Martino V, consultatione 5. Can. 3. ubi generatim definitur Mariam Deiparam non solum in conceptione Christi, et partu, sed etiam post partum Virginem illibatam fuisse, his verbis: *Si quis secundum SS. Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem, Dei genitricem sanctam, semperque Virginem, et Immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter, et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia sæcula natus est, in ultimis sæculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto, et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit.* Ubi non solum hæc veritas definitur illis verbis: *semperque Virginem*, sed etiam illis, *indissolubili, etc.* nam si in ipso partu virginitatem amisisset, post partum indissolubilis ea non maneret, siquidem virginitas semel amissa restitui et instaurari non potest.

Probatur etiam e Scriptura sacra, maxime vero ex illo Isaiæ vaticinio c. 7. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quod utique Oraculum non modo veteres Ecclesiæ Patres, verum etiam sanctus Matthæus cap. 1. de Maria prædictum fuisse testatur; nam postquam Angelus suasit Josepho, ne dimitteret uxorem prægnantem, affirmando id quod in ea natum erat de Spiritu sancto esse, et qualiter Filius ille, quem utero continebat, redempturus esset populum suum a peccatis, subjungit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpletur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium et vocabunt nomen ejus Emmanuel.*

Reponunt Judæi, *primo* non esse credibile datum fuisse signum Regi Achaz ab Isaia, quod ipse videre non posset: sed Achaz non poterat videre Virginem concipientem et parientem, quippe nonnisi diuturno tempore post mortuum Achaz Virgo Maria Christum peperit: igitur illud vaticinium non erat intelligendum de beata Virgine Maria.— **Verum respondeo** turpiter hallucinari Judæos: quippe signum istud non fuit datum Achaz, sed domui David, cum enim Achaz renuisset

petere signum a Domino juxta Prophetæ monitum, dixissetque: *Non petam, et non tentabo Dominum*, subjungit: *Audite ergo domus David... propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, etc.* Unde vaticinium istud non dirigebatur ad Achaz, sed ad domum David, quæ usque ad Christum erat permansura.

Probatur insuper ex communi SS. Patrum ac Doctorum sententia, existimantium B. Virginem virginitatis votum juvenculam emisisse, quod utique inferre licet ex responso illius Virginis ad Angelum; nam cum Angelus Lucæ 1. renuntiasset ei, quod filium esset conceptura, respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ubi verbum *cognosco*, non actum significat, sed consuetudinem, et propositum non cognoscendi; manifestum enim erat tunc, cum hoc diceret, quod virum non cognoscebat: denotat igitur consuetudinem; veluti si quis abstemius diceret, *Non bibo vinum*, et Cartusianus, *Non manduco carnes*, actum nedum, sed etiam consuetudinem non bibendi vinum, et manducandi carnes designarent; et hoc modo verba illa interpretatur S. Gregor. Nyssenus oratione in Christi Nativitatem post medium: *Interdixit mihi* (inquit) *consuetudinem viri, quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco?* Deinde carnem Virginis *Deo consecratam* appellat, et tandem de ea subdit, *ne virum cognoscere nefas*. Nysseno concinunt Augustinus lib. *De sancta virginitate*, cap. 4. Beda in eum Lucæ textum. Bernardus Homil. 4. super *Missus est*. Anselmus lib. *De excellentia B. Virginis*, cap. 4. etc. Idemque fatentur, et affirmant omnes Scholastici cum S. Thoma 3. p. q. 28. art. 4. et Doctore Subtili in 4. d. 30. q. 2. art. 2. — ✻ " Idipsum probat Tertullianus in libro *De carne Christi*, ex oraculo Ezechielis prophetæ, quod tamen in libro qui superest prophetiarum ejus non invenitur. *Legimus*, inquit, *apud Ezechielem de vacca illa quæ peperit et non peperit: sed videte ne vos jam tunc providens Spiritus Sanctus, notarit, hac voce disceptaturos super uterum Mariæ*. Idem locus exstat apud Epiphanium hæresi xxx, num. xxx. *Quis enim facile non intelligit Josephum illius minime esse parentem, sed parentis loco habitum fuisse? Ecce enim, inquit, virgo concipiet et pariet filium. Non dixit esse mulier. Ac iterum alio loco, et pariet vitula et dicent, non peperit. Nam cum Manichæorum et Marcionistarum quidam negent illum partu in lucem editum, ob id, inquit, pariet, et dicent non peperit. At furiosi illi de viri semine falso illam peperisse dictitant. Igitur vitula hominem eumdem ac Deum vere illa quidem peperit.* Ante Epiphanium duobus sæculis idem observaverat Clemens Alexandrinus Stromat. l. 7. p. 756, edit. Heins. *Sed sicut multis videtur in hodiernum diem Maria esse puerpera, propter ortum Filii, cum non sit puerpera: quidam enim dicunt eam postquam peperisset inspectam fuisse ab obstetrice, et inventam fuisse Virginem, sic tales nobis sunt Scripturæ Dominicæ, veritatem parientes et manentes virgines, cum occultatione mysteriorum. Peperit et non peperit, inquit Scriptura, ut quæ ex se non ex conjunctione peperit. Quamobrem iis qui sunt cognitione præditi, conceperunt Scripturæ, quod quia non intellexere hæreses, quasi quæ non conceperunt, eas removent et ablegant.* — Unde vero prædicti Patres istam Ezechieli prophetæ adscriptam sententiam hauserint, difficile est aperire, quippe cum illa non extat inter ejusdem prophetæ oracula quæ supersunt. Existimant aliqui

verba ista exscripta esse ex secundo libro vaticiniorum Ezechielis, nam duos libros Ezechielis disertis verbis memorat Josephus lib. 10. antiquitatum, cap. 6. *Jeremias*, inquit, *propheta instantem urbi captivitatem Babylonicam et nostri etiam sæculi clades prædictas mandarit litteris. Nec solus ille hæc vaticinatus est multitudini, sed et propheta Ezechiel qui primus duos libros hoc argumento scriptis reliquit.* His concinit Donaras qui etiam Ezechieli duos libros tribuere non veretur. Quod quidam sic conciliant, dicendo, Ezechielem revera duos libros conscripsisse, quorum unus sit deperditus, alter vero omnium manibus in sacra Scriptura teratur: et certe quædam a Patribus citata videntur propheta Ezechiele, quæ cum illo libro qui superest nunc non inveniantur, posset aliquis existimare illa petita fuisse ex secundo libro Ezechielis, qui hominum incuria et temporum iniquitate aliquando perierit. — Citatur etiam in hanc rem S. Athanasius, circa finem *synopsis* ubi referendo plures libros sacros quos dicit per amentiam et incuriam impiorum Judæorum periisse, inter eos memorat secundum librum Ezechielis. — Verum probabilius existimarem ego verba ista deprompta fuisse ex libro quem Judæi appellant *pirchæ Abot*, idest *capitula patrum* seu sententiæ et proverbia viva voce prolata a prophetis tempore captivitatis Babylonicæ quæ inter torsan legebatur etiam iste locus de vacca quæ peperit et non peperit. " ✻

Dices: Vovere non potuit se servaturam quod lege Mosayca prohibebatur: at Virginitas prohibebatur lege Mosayca. *Probatur* tum ex *Genes.* 1. ubi Deus prolem generandam jubet his verbis: *Crescite, et multiplicamini:* tum Deuteronomii 25. ubi præcipitur ducenda uxor fratris mortui, et suscitandum semen a fratre superstite, quod si nollet, ipsa coram senioribus tollebat calceamentum ejus, et spuebat in faciem ejus, et dicebat: sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. Quem locum objiciebat Faustus Manichæus Augustino lib. 14. cap. 3. *adversus Faustum* sub his verbis: *Maledictus omnis, qui non suscitaverit semen in Israël.* Tum Exodi 23. *Non erit apud te sterilis utriusve sexus:* at Virginitatis votum sterilitatem quamdam inferebat. Ergo prohibetur. At perperam, quia nullibi talia verba reperiuntur in Scriptura. — **Nego minorem**: imo Virginitas magno in pretio fuit apud Judæos, ut probat sanctus Hieronymus lib. 1. *Contra Jovinianum*, num. 30, post exempla Eliæ, Elisæi, et Joannis Baptistæ; imo et Danielis, et trium puerorum, quos certum est virgines fuisse. Idipsum affirmant Ambrosius lib. 1. *De Virginibus*, Damascenus lib. 4. *De Fide*, cap. 24. Constat pariter ex Essenis, qui ut testatur Josephus lib. 2. *De bello Judaico*, cap. 7. et lib. 18. *Antiquitatum Judaicarum*, cap. 2. absque mulieribus, omnique Venere abdicata, in societate summa cum laude et veneratione vitam agebant. Idipsum probant oracula 1. Sapientiæ cap. 3. *Quoniam felix est sterilis, et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum: et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem.* Secundum est Isaiæ 56. *Quia hoc dicit Dominus Eunuchis: qui custodierint Sabbata mea, et elegerint, quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis, et filiabus: dabo nomen sempiternum illis, etc.* Quem utrumque locum sanctus Hieronymus interpretatur de Eunuchis, qui voluntarie

sese castraverunt, idest, omnem Venerem abdicaverunt propter regnum cælorum. *Ad confirmationem minoris* dico, nihil ex prædictis textibus posse evinci. Non ex primo, quia non præceptum, sed benedictionem illa verba indicant, præmisit enim sacer textus, *Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini.* Eo enim modo præcedentia verba sunt intelligenda, quomodo sequentia: at hæc sunt intelligenda tantum de benedictione, non de præcepto. *Insuper* eo modo loquitur piscibus ibidem: *Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris, quosque, etc.* At præceptum eis non imposuit: ergo nec hominibus. *Denique*, licet fuerit præceptum, non tamen absolute fuit ab omnibus servandum; cessante enim fine legis, cessat illius obligatio: at id concernebat multiplicationem hominum: ergo ubi erat sufficiens multiplicatio, ibi desinebat nuptiarum obligatio. — Non etiam quidpiam evincitur ex secundo, quippe cum non præcipiatur neque viduæ ut nubat, neque fratri ut uxorem demortui fratris accipiat. Non quidem viduæ, quia Judith in castitate summa cum laude perseveravit, etsi nullos habuerit filios saltem superstites, cum nullibi eos Scriptura referat, quos tamen non est probabile tanto in triumpho non nominasse. Non etiam fratri, quia poterat juri suo cedere. *Denique* ex tertio nihil concluditur. Illa namque verba non impositum præceptum, sed repromissam benedictionem servantibus mandata, divinamque legem, inferunt, ubi enim præmisit sacer textus: *Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea, et feceris, custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi, benedicetque fructum ventris tui, et fructum terræ tuæ, non erit apud te sterilis utriusque sexus tam in hominibus, quam in gregibus.*

Conclusio secunda. — Revera Deipara Maria illæsa sua virginitate Christum Dominum peperit. Hæc sequitur ex præcedenti, et

Probatur eadem auctoritate Conciliorum; maxime vero Concilii Calcedonensis in allocutione ad Martianum Imperatorem, ubi nomine Concilii hæc efferuntur: *Deus Patres excitavit velut luminaria in errore degentibus, qui fidei intelligentiam omnibus exposuerunt, et Incarnationis beneficium accurate prædicarunt: quemadmodum ab initio illius ex utero perfectum sit Mysterium. Quomodo sit Dei genitrix, propter eum, qui Virginitatem ipsi etiam post conceptum largitus est, atque ut Deo dignum erat, uterum obsignavit.* Quod autem obsignatum, et sigillo munitum ajunt Patres uterum Virginis post conceptum, aperte significant in ipso partu obligationem illam perstitisse. *Confirmatur* pariter ex præfato Isaiæ vaticinio: *Non enim* (inquit S. Ambrosius Epist. 7.) *concepturam tantummodo Virginem, sed et parituram dixit.*

Unde concors est SS. PP. sententia Christum illæso ac illibato Matris utero prodiisse. Sic S. Gregorius Nyss. Oratione *De natali Domini: Puer*, inquit, *pannis involutus, et in præsepe requiescens: et illa post partum Virgo incorrupta Mater foret Filium.* Et Oratione *De Occursu: Solus*, inquit, *ipse inexplicabili modo conceptus, et ineffabiliter natus, haud ante patefactam nuptiis virginalem aperuit vulvam, Virginitatis signacula inviolata servans, etiam post admirabilem processionem.* Idem docent Amphilochius pag. 26. S. Ephrem Oratione *De*

Margarita pretiosa, Sophronius in Epistola *Synodica:* Damascenus lib. 4. cap. 15. et plures alii Græci Patres. — Eis pariter subscribunt omnes Latini, imprimis S. Ambrosius Epist. 7. *Ad Siricium Papam*, quod probat mysticæ portæ, cujus meminit Ezechiel cap. 44. vaticinio. *Hæc porta est B. Maria*, inquit, *de qua scriptum est, quia Dominus pertransibit per eam: et erit clausa post partum: quia Virgo concepit, et genuit. Quid autem incredibile, si contra originis naturalis modum peperit Maria et Virgo permanet, quando contra usum naturæ, mare vidit et fugit, etc.* Idem docet, et eadem utitur propheticæ portæ similitudine in lib. *De institutione Virginis*, cap. 7. concludit: *Quæ est hæc porta, nisi Maria? Ideo clausa, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, et genitalia Virginis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine, cujus altitudinem mundus sustinere non posset.* — Hieronymus in cap. 44. Ezechielis mysterium illud explicans propheticæ portæ, per quam Deus Israël ingressus dicitur, hæc adnotat: *Pulchre quidem portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israël ingreditur, et dux cui porta clausa est, Mariam Virginem intelligunt, quæ et ante partum, et post partum Virgo permansit.* — Augustinus plerisque in locis id etiam affirmat: ut in Sermone 21. *Virgo genuit, quia Virgo concepit, inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum: et sine corruptione gravida, et in partu Virgo puerpera.* Item in Sermone 23. *Videte miraculum Matris Dominicæ. Virgo concepit, Virgo parturit, Virgo post partum permansit, etc. Dignum enim erat, ut Deo nascente meritum cresceret castitatis: nec per ejus adventum violaretur integra, qui venerat sanare corrupta, nec per eum pudicitia corporalis læderetur, per quem donatur castitas spiritualis.* Ipsi subscribit Gaudentius Episcopus Brixianus ejusdem ævi Tractatu 9. ubi inter cætera hæc habet: *Qui sine corruptela Matris conceptus creditur, cur non etiam sine corruptela editus præsumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit: integritatem nascendo violare non potuit, qui venerat integrare naturam.* Consentit S. Leo Papa in Sermone 1. *De Nativitate*, cap. 2. *Merito igitur*, inquit, *virgineæ integritati nihil corruptionis partus intulit: quia custodia fuit pudoris, editio veritatis.* Idem fusius explicat S. Fulgentius, qui secundo Sermone *De natali Domini* idem asseverat. *De cœlis*, inquit, *medicus transiens per Virginem, post transitum suum illam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua Matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit ejus partu integritas corporis potius, quam decrevit: et Virginitas ampliata est potius quam fugata.* — Facerem nusquam si omnes alios SS. Patres hujus veritatis assertores vellem commemorare. Idipsum diserte docent *Chrysologus* Serm. 142. Eucherius Homil. *De Virginis Conceptione*. Ildephonsus quinarios edidit tractatus et sermones de illibata B. Mariæ Virginitate, cujus strenuissimus fuit assertor et propugnator, Bernardus Serm. 33. *In Cantica*. Petrus Damianus Opusc. 36. c. 10. etc. Quibus aperte constat universalem esse Ecclesiæ doctrinam, quod beatissima Maria Deipara Virgo nedum ante partum, sed etiam in partu fuerit.

Objiciunt hæretici nonnullos SS. Patrum et veterum Theologorum textus, quibus significare videntur B. Virginem in suo partu nil peculiare a cæteris fœminis parientibus habuisse, et ideo non fuisse Virginem in partu. Sic Origenes Hom. 14. in Lucam: *Quemcumque de utero effusum matrum dixeris, non sic aperit vulvam matris suæ, ut Dominus Jesus, quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat: Matris vero Domini eo tempore vulva reserata est, quo et partus editus: quia sanctum uterum, et omni dignatione (venerationis) venerandum ante Nativitatem masculus omnino non tetigit.* Eis subscribere videntur plurimi Patres tam Græci, quam Latini, qui Virginis uterum in partu fuisse patefactum dicunt. Sic Athanasius Epist. ad Epictetum, Ambrosius in caput 2. Lucæ: *Hic*, inquit, *qui aperuit Matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret.* Et Basilius, qui in oratione de Natali Domini, ait Christum appellari *primogenitum, qui primus aperit vulvam, non qui post se alios fratres habeat*, etc. At omnium apertissime Tertullianus lib. *De carne Christi*, c. 23. perspicue asserit B. Virginem in partu virginitatem amisisse, et in mulierem transiisse: nam inter cætera ait: *quis proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam patefecit? Cæterum omnibus nuptis patefaciunt: itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa: utique magis non Virgo dicenda est, quam Virgo, saltu mater ante, quam nupta. Et quid ultra retractandum est? cum hac ratione Apostolus, non ex Virgine, sed ex muliere editum filium pronuntiavit: agnovit adapertæ vulvæ nuptialem passionem.* Similia habet pluribi, quibus quadrat illud Lucæ 2. quo significatur convenire Christo istud desumptum ex c. 13. Exodi: *Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur.* — **Respondeo**, omnes illos SS. Patres, aut veteres Theologos per aperitionem vulvæ, non significare perfractum, interruptumque fuisse in Virgine Deipara integritatis sigillum, sed dumtaxat, quod revera ex Virginis utero processerit. Nec certe alia fuit eorum mens, si Tertullianum, et Origenem excipias, qui cum hæretico spiritu laboraverint in plurimis, etiam hoc in capite a veritate Catholica exorbitasse mirum videri non debet. Quantum ad S. Lucam dico eum circumlocutione primogeniti adaperientis vulvam, voluisse dumtaxat significare Christum ex Virgine ortum duxisse, sive interim exierit ab ea more consueto cum reseratione claustri, sive non. Quamobrem *aperire vulvam* nihil aliud proprie significat, quam nasci et ex materno utero prodire, quo certe loquendi modo idcirco usi sunt præfati SS. Patres, quod ita fert communis et naturalis fœtus profundendi modus, ut aperto utero in lucem exeat.

Objiciunt 2. Illud Lucæ 2. quo significatur B. Mariam indiguisse purificatione, ac proinde legi naturæ cum cæteris mulieribus in pariendo fuisse subditam, ac illam fœtum emisisse per aperitionem uteri cum alluvione sanguinis et dolore. — **Verum respondet** S. Ildephonsus lib. *contra eos, qui disputant de perpetua Virginitate Mariæ*, idcirco Evangelistam dicere, *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus*, Mariæ; non quia illa purgatione ullius delicti aut maculæ indigeret, sed quia ipsa morem gerere voluit Filio, qui eo ipso, quod de muliere factus est, legem Præsentationis implere voluit. *Et hæc est*, inquit, *completio dierum secundum consuetudinem legis, et non secundum ne-*

cessitatem Purificationis: quia beata et intemerata et incorrupta permansit, nullis coinquinata sordibus, nullis vexata Evæ cruciatibus; ex quibus infert diversam fuisse purgationem Mariæ, et aliarum mulierum, nam cæteræ mulieres idcirco purificationis ritus ac cæremonias observabant, ut corporis et animæ sordes eluerent; Virgo autem beatissima non ex ulla necessitate, sed dumtaxat ex humilitate et peculiari sua in Deum observantia sese purificationis legi subjecit.

Conclusio tertia. — MARIA DEIPARA SEMPER ILLIBATA VIRGO POST PARTUM PERMANSIT. Hæc est pariter de fide, ut constat ex Conciliis in priori Conclusione laudatis, quæ beatissimam Mariam semper fuisse Virginem aperte pronuntiant. Patet similiter ac firmatur, non solum ex laudatis SS. Patrum auctoritatibus, necnon ex voto de servanda perpetuo Virginitate a beatissima Virgine emisso; verum etiam ex eo, quod plurimi a SS. Patribus indubitatum existiment, S. Josephum etiam votum Virginitatis emisisse, ac fuisse virginem cum Mariæ nupsit. Licet enim quamplures auctores Græci in ea fuerint sententia, ut assererent Josephum ex priori uxore alios procreasse filios, quos idcirco volunt in Evangelio *Fratres, et sorores Domini* nuncupari, eo quod a Josepho, qui Pater Christi putabatur, procreati fuerant antequam B. Virginem in uxorem duceret; ut affirmaverunt Origenes in illud Matth. 12. *Nonne mater ejus dicitur Maria?* Chrysostomus Homil. *De Annuntiatione* apud Lipomanum. Eusebius lib. 2. cap. 1. Epiphanius hæresi 5. 28. 78. Nicephorus lib. 1. cap. 21. Theophilactus in Matth. 13. Euthimius in Matth. 11. etc. quibus consentire videntur quidam Latini Hilarius, Can. 1. in Matth. Ambrosius lib. *De institutione Virg.*, cap. etc.; nihilominus Josephum virginem fuisse acerrime probant Hieronymus ※ " qui in tractatu contra Helvidium ait: *Tu dicis Mariam virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo Filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam cum uxorem habuisse non scribit: Mariæ autem quam putatus est habuisse, custos potius fuit quam maritus: relinquitur virginem eum mansisse cum Maria, qui Pater Domini meruit appellari.* Similia habet in illud Matth. 12. v. 49: " ※ *Ecce mater mea, et fratres mei.* Augustinus Serm. 11. *in Nativitate Domini: Habe Joseph cum Mariæ conjuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum*, etc. Huic sententiæ cæteri omnes qui vixerunt Latini Patres, consenserunt, adeo ut Petrus Damianus Epist. 11. ad Nicolaum summum Pontificem, magna fiducia dicat, Ecclesiæ fidem in eo esse, ut non modo Deipara, verum etiam putativus Pater, atque nutritius Virgo haberetur. Certe quidem quantum probabilitate, et conjecturis agere licet: quomodo non homini Virgini Deus Virginem, ex qua carnem suscepturus erat, tradidisset, si factus homo ex hoc mundo migraturus ad Patrem, eamdem jam senescentem, nonnisi Virgini commendavit? Quomodo Christus verus Agnus, qui solos virgines suum in consortium admittit, Patrem putativum tot filiis jam effœtum admisisset? Quomodo Christus, qui pascitur inter lilia, inter Mariam et Josephum Virgines non fuisset deliciatus?

Hæc autem Latinorum Patrum sententia in universum confirmari hac unica ratione potest, qua sola nituntur Græci. Nam si Josephus aliam uxorem duxisset, fuisset itaque Maria, quæ dicitur Jacobi, et Joseph, quia fuit Mater eorum; hi enim inter alios sæpe fratres Domini vocantur: at eam non potuit habere uxorem, ea enim prius emori debuisset, quam Josepho licuisset cum alia contrahere: at illa non erat mortua, dum Josephus cum Virgine matrimonium iniit: nam quo tempore Christus mortuus est, erant aspicientes a longe mulieres, inter quas erat Maria Jacobi, et Joseph, etc. Matth. 27. et Marci 15. Hoc unicum reponi posset a Græcis, aut Josephum duas simul habuisse uxores; aut cum Chrysostomo asserere illum priori uxore repudiata, Virginem duxisse. *Verum* neutrum dici potest. Non quidem primum, quomodo enim illius uxoris nullam mentionem Evangelistæ fecissent? Quomodo non aliquando cum ea, utpote domestica et familiari, nullum Christus sermonem habuisset? Non etiam secundum; quis enim credat ipsam a Josepho repudiatam, cum ea juxta crucem stare voluisse? non ægre tulisset præsentiam illius, quæ suum in thorum successisset.

Objiciunt hæretici quædam Scripturæ testimonia, ex quibus inferri videtur Josephum ex Maria alios filios post Christum natum genuisse. *Primo* quidem illud significari videtur per hæc verba Matthæi: *Cum esset desponsata mater ejus,* (scilicet Christi) *Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Ex quibus inferebat Helvidius, teste S. Hieronymo, nisi foret ut aliquando convenire deberent, non diceret Evangelista, *antequam convenirent:* nam de non conventuris, hæc verba nequaquam dici poterant, sicut de non pransuro dici non potest, antequam pranderet: consequens est ergo, quod eam aliquando cognoverit. *Secundo* ibidem de Josepho Mariæ sponso dicitur: *Non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum. Tertio*, Christus ibidem dicitur *filius primogenitus Mariæ:* sed primogenitus non dicitur nisi comparatione facta cum aliis postea genitis: cum igitur Maria dicatur peperisse primogenitum, oportet quod alios deinde pepererit. — **Verum respondeo**, præfatos Scripturæ textus nullatenus hæreticis patrocinari. Non quidem primum: nam, ut egregie reponit B. Hieronymus in Opuscolo adversus Helvidium, et in commentario super 1. c. Matthæi: *Quod dicitur antequam convenirent, non sequitur, ut postea convenerint, sed Scriptura quod factum non sit ostendit:* illa enim particula, *antequam*, non semper infert aliquid postea faciendum; nam ex eo, quod Helvidius dicatur morte præventus antequam pœnitentiam ageret, non sequitur, quod postea egerit: sic dicitur navis periisse antequam ad portum appulisset, cum tamen eo postea non pervenerit. *Ad secundum* dico, adverbium *donec* solum exprimere id quod dubium esse potuisset, relinquendo id quod certum est, velut a fortiori inferendum. Voluit igitur Evangelista significare, quod Joseph non cognoverit Mariam ante partum, de quo maxime poterat esse dubitatio, insinuans multo minus postea virum justum voluisse tangere, ac veluti contaminare templum Dei, Spiritus sancti sacrarium, Dei ac Domini sui Matrem. Frequentes autem similes sunt in Scriptura sacra locutiones: sic Genes. 8. dicitur de Corvo in arca Noe: *Non revertebatur donec siccarentur aquæ*, ex

quo non licet inferre eum post inductam siccitatem fuisse reversum in arcam. Sic Danielis 6. de accusatoribus hujus Prophetæ in lacum Leonum projectis dicitur: *Non pervenerunt usque ad pavimentum, donec arriperent eos leones*, ubi non significatur quod postea ad pavimentum pervenerint. Sic pariter Psal. 109. dicitur: *Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos, etc.* Et 1. ad Cor. 15. *Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos, etc.* Quis autem exinde inferat Christum a dextris Dei non amplius sessurum, et regnaturum cum expugnati fuerint omnes illius nominis et religionis impugnatores? *Ad tertium* dico *primogenitum* idem ibi significare, quod primo natum, seu ante quem nullus alius natus est, licet sit unigenitus, ut explicat S. Hieronymus in Opusculo contra Helvidium n. 8. ita quod omnis unigenitus sit primogenitus; non tamen omnis primogenitus sit unigenitus. Quam explicationem probat ex illo Numerorum 18. *Quidquid primum erumpit e vulva carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erunt, ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias.* Argumentatur autem pulchre in hunc modum: si primogenitus hominis is tantum est, quem sequuntur fratres alii, tamdiu Sacerdotibus primogenitus hominis non debeatur, quamdiu alius frater non fuisset procreatus.

Objiciunt 2. Omnes illos Scripturæ textus, quibus aliqui dicuntur *fratres Domini:* sic Matthæi 12. *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te.* Et Joan. 2. *Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater ejus, et fratres ejus, etc.* — ✻ " **Respondeo** cum S. Hieronymo lib. contra Helvidium " ✻ aliquos quidem fratres Domini appellari, non quod ex eadem cum eo matre sint geniti, sed quia erant consanguinei. Quatuor enim modis aliqui fratres dicuntur in Scriptura sacra: Primo quidem *natura*, quia sunt ex eodem parente, ut Jacob. et Esau. Secundo, *gente*, et natione, sic Israëlitæ omnes dicuntur fratres, ut Deut. 15. *Si autem emeris fratrem tuum, qui est Hebræus*, etc. Rom. 9. *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Tertio, *cognatione*, qui sunt oriundi ex eadem familia, qua ratione Abraham, et Loth dicuntur fratres Gen. 13. sicut Jacob. et Laban, Gen. 29. Quarto denique, *affectu:* sic Christus Dominus Joann. 20. Apostolos suos *fratres* appellavit. Certum est autem illos in objectione commemoratos non appellari fratres Domini prima ratione fraternitatis, neque etiam tantum secunda, et quarta: alias quicumque discipulus, imo et quilibet de populo Judaico, frater Domini posset appellari. Restat igitur eos dici Domini fratres ratione cognationis.

Petes: *quinam, et quo gradu consanguinitatis dicti fuerint fratres Domini?* — **Respondeo** *ad primum*, quatuor dumtaxat homines in sacra Scriptura ita fuisse appellatos, puta Jacobum, Josephum, Simonem, et Judam, ut legimus Matth. 18. *Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas? Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Iterum ad Gal. 1. Jacobus *frater Domini* vocatur. Et Actor. 1. memorantur iterum Jacobus, Simon, et Judas, ibi tamen non dicuntur fratres Domini, sed solum dicuntur perseverasse in oratione cum

Maria Matre Jesu, et fratribus ejus, puta discipulis, qui erant fratres affectu; unde continuo subditur: *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit: Viri fratres, etc.* Nec refert, quod S. Chrysostomus homil. 5. in Matth. affirmet Joannem Evangelistam etiam dictum fuisse fratrem Domini: non enim video, quo fundamento illud possit asserere, cum nusquam in Scriptura sic nominatus inveniatur, tametsi nominari potuerit. — Respondeo *ad secundum*, communem sacrorum Interpretum esse sententiam cum S. Hieronymo, omnes illos fratres et sorores Christi nominatos, ex eodem thoro, iidemque genitoribus oriundos esse; quod sic contra Baronium in *apparatu* n. 6. evinco: si diverso patre, matreque diversa geniti dicerentur, maxime quia, inquit Baronius, Jacobus, frater Domini cognominatus, dicitur *Filius Alphæi* Matth. 10. Marci 3. et Act. 1. Constat autem Joseph fuisse fratrem Jacobi, nam Marci 15. dicitur Maria Jacobi Minoris, et Josephi mater: ac proinde uterque erat filius Alphæi: solet enim Scriptura filios nomine Patris nominare, sic v. g. alter Jacobus dici solet filius Zebedæi: unde sequitur, ait Baronius, Simonem et Judam non fuisse fratres Jacobi, quia non referuntur cum duobus Mariæ filiis. — *Confirmatur* ex Egesippo, qui apud Eusebium lib. 3. cap. 10. et 16. affirmat Simonem, et Judam filios fuisse Cleophæ, non autem Alphæi: Cleophæ autem, et Alphæi conjuges nomine Mariæ appellabantur, et una a viro dicta Maria Cleophæ, alia a filiis Maria Jacobi et Salomæ nominabatur: Mariam autem Jacobi, et Cleophæ omnino diversas esse inferri videtur, ex eo quod Joan. 19. Maria Cleophæ dicitur stetisse juxta crucem Jesu; Maria vero Jacobi dicitur Matth. 17 et Marci 15. a longe stetisse una cum aliis mulieribus; quæ duo in eandem mulierem cadere non possunt; ac proinde, inquit Baronius, certum est quatuor illos, qui fratres Domini appellantur, diverso patre, diversaque matre esse oriundos, Jacobum quidem, et Joseph ex Alphæo, et Maria Jacobi: Judam autem et Simonem ex Cleopha, et Maria Cleophæ. Hæc Baronius. *Verum* hæc ratiocinatio nulla est: nullumque istud fundamentum Baronii: igitur, etc. *Probatur minor:* constat enim Judam et Simonem esse fratres germanos Jacobi, Judas enim initio suæ epistolæ canonicæ se nominat fratrem Jacobi, *Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi,* non quidem Jacobi Zebedæi: ergo Alphæi. *Nec valet dicere* eum se fratrem nominare generali tantum ratione, propter familiæ cognationem, hoc, inquam, non valet: *Primo,* quia sine fundamento id dicitur. *Secundo,* quia nulla videbatur peculiaris ratio, ob quam silentio debito naturali fratre suo Simone, alterius sola generali ratione fratris cognomen usurpasset. *Tertio,* hac ratione potius dici debuisset frater Petri, utpote Apostolorum Principis: ergo cum se Jacobi fratrem nominat, fatendum est ipsum de fratre suo germano intelligendum. Ideo autem solius Jacobi meminisse arbitror, quod Jacobus Major natu esset, ideoque honoris causa nomen illius expressit, non secus, ac cum quis vult se cognosci ex aliquo fratre suo, eum nominat, qui est primus, et caput in familia. — *Ad confirmationem* dico, nullam fidem deberi Egesippo: si enim hac in re audiendus esset Egesippus, cur non audiendus pariter, cum ibidem dicit Josephum ex alia uxore filios genuisse? sicut enim ipsi in utroque fidem fecit Eusebius, utrique pariter, aut neutri facere deberet Baronius: at fidem

ei denegat circa duo connubia Josephi: igitur denegare debet circa Alphæum et Cleopham ut diversos homines. Quid enim officit si Cleopham et Alphæum unicum hominem proferamus, sed binominem? — Nec etiam movere debet, quod videatur diversa a Maria Jacobi dicta Alphæi conjuge, propterea quod una juxta crucem, alia a longe stetisse legitur: Hæc enim ratio nulla prorsus est. Enimvero dicendum esset pariter duas fuisse Marias Magdalenas: nam Matth. et Marc. de ea dixerunt: *Inter quas erat Maria Magdalene, etc.* nempe inter eas mulieres, quæ a longe aspiciebant: Joannes autem ait: *Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene.* Quomodo autem hæc de eadem dici potuerint, arbitror ita conciliandum, ut primo illæ mulieres una cum Virgine juxta crucem steterint, audituræ ultima Christi morientis verba: cum autem Matrem suam Joanni commendasset, animamque exhalasset, inde aut urgente nimia tristitia, aut impellentibus militibus aliquantum recessisse, et inde spectasse, quæ contingerent. Qualiter vellem etiam intelligi, quod scribit Lucas: *Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres, quæ secutæ eum erant a Galilæa hæc videntes.* Non quod omnia a longe viderint, sed ea solum quæ post earum recessum contigerunt. Dicendum ergo Mariam Cleophæ sic nominatam, vel quia a Patre Cleopha genita, vel quia marito Alphæo et Cleopha binomine tradita, vel quia Cleophas proprio nomine, Alphæus autem subnomine diceretur. Hinc mihi probatur magis S. Hieronymi lib. *Contra Helvidium*, et in cap. 12. Matthæi, quam Baronii, sententia. Inferendum ergo eos fratres Domini dici, quasi subcognati, nempe geniti a Maria Cleophæ filia, et B. Virginis sorore, seu potius consobrina, ut refert Hipolytus Martyr, qui apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. hæc profert: *Tres fuere sorores Bethleemiticæ, filiæ Mathan sacerdotis, et Mariæ conjugis ejus, sub Cleopatra, et Casoparis Persæ regno, et ante Herodis Antipatris filii regnum. Primæ Mariæ: Secundæ Sobæ: Tertiæ Annæ nomen erat. Nupsit prima in Bethleem Maria, et peperit Salomnem obstetricem: nupsit quoque secunda itidem in Bethleem Sobæ, et genuit Elisabeth: nupsit postremo tertia Anna in terra Galileæ, et protulit Mariam Dei genitricem.* Ut autem hæc debito ordine pandantur, hanc genealogiam sic arbitror esse texendam. Maria nupsit Cleophæ, ex quo genuit alteram Mariam, quæ Joan. cap. 19. dicitur Maria Cleophæ, et soror, idest, consobrina B. Virginis; ex hac et Alphæo viro ejus prodierunt Jacobus Minor, Joseph, et Simon, et Judas, qui dicuntur fratres Domini; et sorores ejus, Maria, et Salome. Aperte enim Maria declaratur mater Jacobi, Josephi, et Salomæ, Matth. 17. v. 56. et Marci 15. v. 4. ubi legimus ad crucem Domini adstitisse mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi Minoris, et Joseph mater, et Salome. *Sobe* autem ex uno e sacerdotibus sibi in matrimonium copulato, genuit Elisabeth, quæ propterea Lucæ cap. 1. v. 5. dicitur de filiabus Aaron: hæc autem ex Zacharia genuit Joannem Baptistam. Anna autem ex tribu Davidica secundum lineam maternam, ut conjicio ex S. Damasceno Orat. 2. *De Nativitate B. Mariæ*, ubi S. Annam alloquens, ait: *Quam beata domus David, de qua prodiisti!* non secundum lineam paternam, ut supra dixi: ergo secundum maternam: ea, inquam, ex S. Joachim genuit B. Virginem

Mariam. Ex quibus refellitur eorum sententia, qui dicunt S. Annam tribus maritis nuptam, tres ex iis suscepisse filias, quis enim ex tertio nupta, ac proinde minus casta, purissimam Virginem prodiisse existimaret?

QUÆSTIO QUINTA.

UTRUM B. VIRGO NON SOLUM IN ANIMA, SED IN CORPORE EVECTA FUERIT IN CÆLUM.

Notandum 1. Nemini Catholicorum esse dubium Virginem Deiparam æterna beatitudine donari, et sanctissimam ejus animam super omnes beatarum Mentium Ordines esse sublimatam, eam quippe veritatem publice confitetur sancta mater Ecclesia, quæ solemnem Virginis in cælum assumptæ non solum festivum diem celebrat, sed etiam in officio divino, quod eo ipso die in Dei gloriam, et assumptæ Virginis honorem religiose persolvit, inter cætera illius triumphalis Assumptionis encomia, hoc effert: *Exaltata est sancta Dei Genitrix super Choros Angelorum ad cælestia regna.* Quam itidem veritatem SS. Patres, quotquot assumptæ Virginis Deiparæ laudes celebrarunt, apertissime testantur, ut legere est in eorum Oraculis ac sermonibus, maxime apud Bernardum in sermonibus de Assumptione B. Mariæ; hic enim, ut cætera sileam Serm. 1. diserte pronuntiat: *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cælis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius sublimavit, etc.* Unde Epist. 174. quæ est ad Canonicos Lugdunenses pie non minus, quam eleganter admonet: *Exalta denique exaltatam super Choros Angelorum, ad cælestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, et me eadem docuit decantare. Ego vero, quod accepi, securus, et teneo et trado; quod non, scrupulosius, fateor, admiserim. Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta de sæculo nequam, cælis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum.* Unde sola superest aperienda, ac declaranda veritas, utrum Virgo Deipara non anima solum, sed et corpore in cælum sit assumpta, ac super omnes Angelorum Ordines sublimata.

Notandum 2. Cum Duvallio qu. *De Immacul. Concept. Virginis.* art. 6. varios esse, sed potissimum tres certitudinis gradus in materia fidei. *Primus* est, quando res absolute fide credenda est, ut Deum esse Creatorem Cæli et Terræ, etc. *Secundus*, quando res proxime accedit ad fidem, ut quod ab omnibus fidelibus creditur. *Tertius* vero, quando fidei est consentanea. Communior autem sententia est corpoream Deiparæ Virginis Assumptionem non esse certam certitudine fidei primi generis. An autem aliquem ex duobus aliis certitudinis gradum obtineat, prudens ex dicendis judicabit lector.

Notandum 3. Discrimen esse inter credere aliquid *pia fide*, et credere *fide catholica:* fides enim Catholica omnimodam habet certitudinem: pia autem fides tantam certitudinem non obtinet, sed habet ita probabilem, ut formidinem in contrarium expellat, et longe sit major, quam quæ haberi potest per cognitionem cujuslibet scientiæ naturalis. Ut autem hanc certitudinem sibi vindicet pia fides, tres conditiones exigit, ut docet Gerson Tract. *De Puella Aurelianensi: Prima,*

quod res illa ad pietatem et devotionem spectet, qualia sunt, quæ in commendationem Dei, et Sanctorum proponuntur. *Secunda*, quod sit valde probabilis, ex communi fidelium narratione aut attestatione. *Tertia*, quod Ecclesiæ Prælatis hæc relatio et obtestatio nota sit, nec ab eis improbetur, sed potius toleretur. Certum est autem sententiam de Assumptione corporea Deiparæ Virginis his tribus conditionibus affici, et insuper habere non solum plurimos Patres, et SS. Doctores in sui patrocinium et assertionem, sed etiam communi Ecclesiæ sensu ac consensu firmari, ut docet Petrus Aurelius in assertione Epistolæ Antistitum Galliæ, ubi cum dixisset: *Quidquid Ecclesiæ consensui adversatur, semper erroneum, aut Dei verbo contrarium est, quia omnis Ecclesiæ consensus certo Dei verbo, Scripturaque continetur, aut fidem prorsus Catholicam continet: etsi certitudinem habeat omni humana majorem, ideoque illi obstrepere, sit erroneum;* statim subdit: *Beatam Virginem Deiparam corpore, et anima in Cœlum ivisse, verissima doctrina est, Ecclesiæ consensu fulta; nec qui eam neget ut erroris reus, sic hæreseos erit, aut Dei verbo refragatur, in quo de ea nihil extat.* Quibus verbis significat doctrinam de Assumptione corporea illum certitudinis gradum obtinere, qui non solum major sit omni humana fide, sed etiam ipsi non possit quis refragari absque erroris nota. His ita prælibatis, sit

Conclusio unica. — Corporea Deiparæ Virginis in Cælum Assumptio pie ac religiose a fidelibus creditur et asseritur. Hæc Conclusio receptissima est apud omnes Catholicos, firmaturque validissimis rationibus et momentis, quæ majoris claritatis ac facilitatis gratia, sub distinctis sequentibus paragraphis proponere ac expendere juvat.

§ 1. — Probatur Assumptio corporea Virginis Deiparæ ex institutione annui diei festivi in istius honorem et sub illius titulo. — Ecclesia festivum diem non celebrat in assertionem alicujus Mysterii, aut venerationem sanctitatis, quin mysterium istud, aut illius sanctitatem, in cujus honorem festum agit, pro confesso et indubitato habeat: at jam a plurimis retro sæculis Ecclesia festivum diem egit in honorem Assumptionis animæ et corporis Deiparæ Virginis: igitur Ecclesiæ sententia est Virginem Deiparam anima simul et corpore in Cælum esse assumptam et receptam. *Major* patet ex S. Bernardo Ep. 174. ubi ex festo Nativitatis Virginis Deiparæ colligit eam in utero fuisse sanctificatam: *Ortum Virginis didici,* inquit, *in Ecclesia, et ab Ecclesia indubitanter habere festivum, et sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens utero eam accepisse, ut sancta prodiret, etc.* Et infra: *Nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, et omni anno cum exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens.* Constat etiam ex eis, quæ diximus pag. 792. *Minor* vero, in qua maxime difficultatis cardo vertitur, *probatur* primo auctoritate SS. Patrum, qui ab ipsis Apostolis ad nos usque fidei traditione solemnitatem illam in Deiparæ Virginis assumptionem ab Ecclesia celebrari solitam derivarunt, nam, ut præclare ait S. Augustinus lib 4. *De Baptismo*, cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate*

Apostolica traditum rectissime creditur : at festum Assumptionis Deiparæ Virginis ab Ecclesia solito celebrari, significat S. Bernardus Epistola mox laudata, ubi ait : *Accepi ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta de sæculo nequam cœlis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum ;* ac si diceret : sunt dies festi, qui quo tempore inceperint compertum habemus : de festo autem Assumptionis B. Mariæ, non aliud nobis apparet, quam ipsius Ecclesiæ nascentis exordium, qualiter Marius Victorinus Episcopus Reatinus in Scholiis in Hieronymum S. Bernardi verba expendit ; sic enim scribit : *Assumptam fuisse Virginem una cum corpore e monumento, in quo deposita fuerat, omnis Ecclesia credit et celebrat : ejus autem diei festum ubique celebrandum Apostoli, ut auctor est Bernardus, statuerunt.* Fateor tamen festum istud nonnisi diuturno temporis successu ab universa prorsus Ecclesia esse celebratum, nam Andreas Cretensis Orat. 2. *De Dormit. B. Virginis*, ait : *Mysterium est, hactenus quidem paucis celebratum, quod tamen omnibus jam amori ac desiderio habeatur.* Porro ipsis Apostolorum temporibus celebratam fuisse Assumptionis Deiparæ solemnitatem, non leve nobis est indicium, quod ab ejus obitu coli cœpit, et illius quotidiana in Missæ sacrificio commemoratio fieri, ut docet Liturgia S. Jacobi, in qua hæc leguntur ; *Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram Matrem Dei et semper Virginem Mariam cum omnibus Sanctis et Justis.* Si autem ex tunc ortum habuit illius cultus, facile in animum inducere licet die festo ac solemni ejus Assumptionem fuisse celebratam. Si enim apud Clementem lib. 8. *Constitutionum Apostolicarum* cap. 39. præcipitur fidelibus, ut in festis Apostolorum, et in die S. Stephani Protomartyris quiescant ab operibus servilibus, quis dubitet idem ab iis sancitum ac constitutum in ipso die transmigrationis beatæ Virginis, quam tanto affectu, tantaque veneratione, dum in terris ageret, fideles omnes coluerant ? *Adde quod* ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio celebrata sit Sanctorum, præsertim, Martyrum solemnis memoria eo ipso die, quo e vivis excesserant, ut apparet ex Epistola Ecclesiæ Smirnensis apud Eusebium lib. 4. *Historiæ* c. 15. ubi de S. Policardo Apostolorum discipulo sic scribitur : *Quo in loco, et jam nunc præstante Domino solemnes agimus, celebresque Conventus, maxime quidem in die Passionis ejus, sed et cum eo eorum memorias, qui prius passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi per prædecessorum viam exemplis suscitentur.* Quis autem neget idem præstitum in celebranda memoria mortis et Assumptionis B. Mariæ ? quæ forte quoniam singulis hominibus erant pervia, ideirco a nullis eorum, quorum scripta ad nostra tempora devenere, litteris fuerunt consignata. Nihilominus festum Assumptionis Deiparæ Virginis temporibus S. Hieronymi et Augustini celebratum fuisse, asserit Jacobus Pamelius in Liturgicis, idque constat imprimis ex Comite, seu Lectionario Hieronymi, in quo celebrandum Missæ officium hoc ordine describitur : *In Assumptione Mariæ. Lectio libri Sapientiæ. In omnibus requiem quæsivi. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Intravit Jesus in quoddam Castellum.* Quæ in odiernum usque diem eodem modo in Ecclesia leguntur. — Constat etiam ex Officio, et Præfationibus Ambrosianis, tum in Vigilia, tum in festo Assumptionis. Et quidem in

testo hæc est Præfatio. *Æquum, et salutare: nos te in tuis sacratissimis Virginibus exultantibus animis laudare, benedicere, et prædicare. Inter quas beata Dei Genitrix intemerata Virgo Maria gloriosissime fulget, cujus Assumptionis diem omni devotione colendum, præsenti sacrificio celebremus. Per Christum.* — Hoc ipsum maxime apparet ex Martyrologio Eusebii nomine S. Hieron. evulgato, eo quod ipse illud ex Græco Latinum fecisse credatur: in eo namque legimus 18. *Kalend. Septembris. Assumptio sanctæ Matris Domini nostri.* Constat ex Nicephoro, qui scribit a Mauricio Imperatore latam esse legem de Assumptionis festo. Vixit autem Mauricius anno 583. Cæterum quanta solemnitate celebratum fuerit idem festum primis Ecclesiæ temporibus, apparet non solum ex statuto Leonis IV. quo præcepit, ut Octavæ festi Assumptionis per universam Ecclesiam celebrarentur: Octavæ namque assignari non solent nisi solemnioribus festis. Idem constat ex responsione Nicolai 1. ad consulta Bulgarorum, ibi enim inter jejunia antiquitus a fidelibus servari solita recenset jejunum, *Ante solemnitatem Assumptionis sanctæ Dei genitricis, et semper Virginis, et Dominæ nostræ.*

Repones, non esse verisimile festum Assumptionis fuisse ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio per universam Ecclesiam celebratum, ac fidelibus notissimum: siquidem tempore Caroli Magni hoc revocabatur in dubium, num festum istud celebrandum esset, ut patet ex ejus Capit. lib. 1. c. 161. ubi agens de festis celebrandis ait: *De Assumptione sanctæ Mariæ interrogandum reliquimus*. hoc est, utrum sit celebrandum, necne: igitur tunc temporis festum ubique, maxime in Galliis, non erat celebre. — **Verum respondeo**, illum non esse Caroli verborum sensum: aperte namque constat ante ipsius Imperatoris tempora diem festivum Assumptionis sanctæ Mariæ non solum in Galliis fuisse celebrem, sed et in eo feriandum ab omni prorsus opere servili, et forensi, idque ex præcepto Ecclesiastico; nam id jam decretum fuerat a Codegrando Episcopo Metensi in regulis ab ipso editis, quas ipse suæ Ecclesiæ præscripsit, regnante patre Caroli Magni Pipino, qui vixit ante annum 750; legimus enim cap. 36. *Illud intimare complacuit, ut nos, et Clerus noster, festivitatibus Dei, et sanctæ Mariæ, vel* 12. *Apostolorum, quorum usus est in ista Provincia, celebrare: in quantum Deus possibilitatem dederit, Officium divinum diu, noctuque procuremus.* Et cap. 74. festum ipsum Assumptionis inter præcipuas solemnitates celebrari solitas commemorat. Scribit enim: *In solemnitatibus præcipuis, idest, in Natali, et octava, et in Epiphania Domini, et Pascha, et in Ascensione Domini, et in Pentecoste, et in Sanctorum festivitatibus, idest, S. Stephani, et S. Joannis Evangelistæ, et in solemnitate Infantium, et in Purificatione, et in Assumptione sanctæ Mariæ: Similiter in beatorum Apostolorum festis, et S. Joannis Baptistæ, et S. Laurentii, et S. Martini, sive in Natali cujuslibet Sancti, cujus honor in qualibet Parrochia specialiter celebratur, plenarium Officium celebretur, et his reficiatur.* Quin et antiquior probatur esse eadem solemnitas ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Rhemensis per Dominum Sonnatium Archiepiscopum Rhemensem anno 633. Nam cap. 20. hæc habentur: *Festa ab omni opere forensi excolenda, et cum debita veneratione celebranda, hæc sunt: Natiritas Do-*

mini, Circumcisio, Epiphania, etc., Assumptio B. Mariæ ejusdemque Nativitas, etc. Idipsum apparet ex eo, quod ante Pipinum Regem Galliæ, Ecclesiæ Gallicanæ divina persolverent officia secundum morem, formam, et ritum Romanæ Ecclesiæ, ut refert Hugo Menardus in prælatione libri Sacramentorum S. Gregorii; in cujus rei confirmationem hæc adducit, ex epistola Caroli Calvi ad Clerum Ravennatem, ubi sic Carolus loquitur: *Nam et usque ad tempora abavi nostri Pipini, Gallicanæ Ecclesiæ non aliter, quam Romana et Mediolanensis Ecclesiæ, celebrant.* Atque illud idem tum Hilduinus in Areopagiticis, tum etiam Valfridus Strabo, ac Sigibertus in Chronico, aliique multi testantur. Quæ cum ita sint, consequens est, quod non alio Missali utebantur Ecclesiæ Gallicanæ, quam illo ipso Romano, nimirum Sacramentario S. Gregorii, quod utique pluribus probari potest; maxime vero auctoritate Concilii Rhemensis, ut legitur apud Burchardum cap. 97. libri tertii, ubi ita habetur: *Expleta Missa, Calix cum patena, et Sacramentorum liber cum vestibus Sacerdotalibus, in mundo loco sub sera recondantur.* Patet etiam ex Amalario, qui Legationem Constantinopoli agens, ibidem obiisse dicitur circa annum 813; is enim de Sacramentario, et Antiphonariis sæpe mentionem facit, etc. At in libro illo Sacramentorum S. Gregorii apertissime declaratur Assumptio corporea beatissimæ Virginis: igitur ex tunc apud Ecclesias Gallicanas festum istud agebatur. — Unde ad præfata verba ex Capitularibus Caroli Magni, dico ipsi nil aliud significari, quam quod consulendi essent Episcopi utrum, sicut fieri solebat, solemni ritu celebrandum esset Deiparæ Virginis Assumptionis corporalis festum. Cum enim illo tempore suborta fuisset de assumpto in Cœlum Virginis corpore quæstio, noluit in recensendis anni celebritatibus, quas in tota sua ditione observari præcipiebat, pro sua auctoritate notam controversiam de Assumptione corporali B. Virginis definire, statuendo celebrandum esse festum illius Assumptionis; sed cum probe nosset istiusmodi causas ad Episcopale judicium pertinere, Episcopos hac de re consulendos, atque interrogandos censuit; ait enim: *Hæ sunt festivitates in anno, quæ per omnia venerari debent, Natalis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, Innocentium, Octava Domini, Epiphania, Octava Epiphaniæ, Purificatio, sanctæ Paschæ dies octo, Litania major, Ascensio Domini, Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, SS. Petri et Pauli, S. Martini, S. Andreæ: De Assumptione S. Mariæ interrogandum relinquimus.* Hoc est, consulendi sunt Episcopi num quadam populi inscitia, aut superstitione festum Assumptionis inductum rejici debere existimarent; an vero sedata ista controversia, et dissipatis istis dubitationum nubeculis censerent (ad quos forte tunc temporis in Synodo, ut moris erat, congregatos, ista capitula, ac sanctiones approbandas transmittebat) festum Assumptionis celebri ritu, ut fieri solebat, servari debere. Porro huic excitatæ controversiæ de assumpto Virginis corpore ansam subministrasse videtur quidam Episcopus Gallus nomine Arculphus, qui pietatis ac devotionis causa, cum Palestinam addiisset, ut sacra Loca salutaret, nec Græcam aut Latinam linguam calleret, usus est opera ac interpretatione cujusdam Monachi, a quo plurima sibi imponi passus est. Cum autem patriam repetens suborta tempestate, navis qua vehebatur ad Britannicum littus appulisset, sese re-

cepit apud Presbyterum nomine Adomnanum, virum utique de litteris bene meritum, qui nacta occasione referente Arculpho totam illius peregrinationem, et sacrorum Locorum delineationem tribus libris exaravit, ut testatur Beda lib. *De Locis Sanctis*, ubi hæc habet: *Hæc locis sanctis*, inquit, *prout potui, fidem historicam secutus posui, maxime Arculphi dictatus, Galliarum Episcopi quos eruditissimus in Scripturis Presbyter Adomnanus, lancinoso sermone describens, tribus libellis comprehendit. Siquidem memoratus Antistes, desiderio locorum sanctorum patriam deserens, Terram promissionis adiit: aliquot mensibus Hierosolymis demoratus veterano Monacho nomine Petro duce pariter, atque interprete usus est cuncta in circuitu, quæ desideraverat virida intentione lustravit, necnon Alexandriam, Damascum, Constantinopolim, Siliciamque percurrit. Sed cum patriam revisere vellet, navis qua vehebatur, post multos anfractus vento contrario in nostram, idest Britannorum insulam portata est. Tandemque ipse, post nonnulla pericula ad præfatum virum venerabilem Adomnanum veniens, iter pariter suum, et ea quæ viderat, explicando pulcherrimæ illum historiæ docuit esse Scriptorem, ex qua nos aliqua decerpentes, veterumque libris comparantes, tibi legenda transmittimus.* Cum autem Beda agens in eodem libro cap. 6. *De Sepulchro Virginis*, similia proferat iis, quæ narrantur in Sermone Pseudo-Hieronymi, nempe nesciri, a quo, vel quomodo Virginis corpus fuerit ablatum, nec ubi resurrectionem expectet, constat id esse mutuatum ex falsa illa narratione Arculphi ab illo Monacho recepta. Quam utique eamdem narrationem cum ipse Arculphus repetita jam Gallia cum aliis, quæ audiverat et viderat, recitaret, inde apud Gallos in disceptationem vocata est Assumptio corporalis Deiparæ Virginis, quæ utique finita est in Concilio Moguntino celebrato anno 813, et paucis mensibus ante obitum Caroli Magni, cui aderant plurimi Episcopi et Abbates Galliæ et Germaniæ; in eo namque Concilio decretum est celebrandum esse festum Assumptionis B. Virginis; ac subinde id, quod inquirendum circa illud festum determinaverat Carolus, in eo Concilio statutum fuit ac definitum.

Repones 2. Quod etsi festivus dies in honorem beatæ Virginis ex hac mortali vita ad Cælum migrantis ab Ecclesia fuerit institutus et celebratus, inde tamen non est consequens Ecclesiæ sensum ac sententiam esse, Virginem Deiparam in corpore simul et anima in Cælum esse receptam; alioqui pari ratione inferendum esset, omnes illos, quorum ad beatam æternitatem migrationem et natalitia celebrat, etiam anima et corpore in Cælum esse evectos, quod quam absurdum sit, nemo est qui non videat. — **Verum contra**, non potuit perspicacius ac distinctius suam de evecta in anima et corpore Deipara Virgine Ecclesia sententiam aperire, quam celebrando diem festivum ipsius migrationis ex hac vita sub titulo *Assumptionis;* cur enim, precor, cum Ecclesia de Sanctis loquitur, et eorum festivum diem agit, quorum animæ æterna beatitudine fruuntur, corporibus interim in terra jacentibus, et resurrectionem præstolantibus, eorum appellat vel *natalem*, vel *dormitionem*, vel *transitum*, vel *passionem:* dum vero de morte Virginis Deiparæ mentionem instituit, præclaro ac peculiari *Assumptionis* nomine eam indigitat? Nulla certe alia causa proferri

potest, quam quod Ecclesia cum unicam Virginem cum corpore simul et anima in Cælum esse evectam semper agnoverit, eo voluerit uti nomine, quo speciale hoc donum ac privilegium designaret: *assumi* enim res illæ vulgo dicuntur, quæ cum mole aliqua sive corpore constent, ab uno loco in alterum deportantur. Sic Matthæi 4. dicitur quod diabolus Christum assumpsit, primo in sanctam civitatem, deinde in montem excelsum valde. Quod utique confirmatur ex triumphali Christi a terris in Cælum migratione, cujus festivus dies a Latinis dicitur quidem *Ascensio*, ut denotetur Christum propria virtute, non autem alieno subsidio anima et corpore Cælos penetrasse: at a Græcis dicitur *Assumptio*: quod quidem nomen mutuati sunt ex sacra Scriptura: nam Marci ultimo v. 19. legimus: *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in Cœlum.* Et Lucæ 9. *Factum esse autem, dum complerentur dies Assumptionis ejus.* Similiter Actor. 1. et 1. ad Timoth. 3. Christus dicitur *assumptus.* Quam utique loquendi formulam usurpavit Scriptura sacra, ut expressius significaret Christum, utpote verum hominem, vero esse indutum, non autem phantastico corpore, et cum ipso simul et anima evectum esse in Cælum, divina quæ ipsi inerat virtute. Hinc S. Chrysostomus, Homil. 1. in Acta Apostolorum exponens hæc verba: *Præcipiens assumptus est*, ait: *Non dixit ascendit; nam adhuc tamquam de homine loquitur.* Et Homil. 2. explicans hæc verba: *Quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum*, ait: *Non dictum est, quem vidistis assumptum, sed euntem in Cœlum, nimirum ut intelligas hanc Assumptionem esse Ascensionem; carnis enim est assumi.* Hæc omnia præclare confirmat Joannes Belethus Theologus Parisiensis in explicatione divinorum officiorum, cap. 41. *Scire*, inquit, *oportet quod Sanctorum transitus appellatur multis modis. Dicitur enim exitus, transitus, obitus, natale, natalitas, natalitium, dormitio, depositio, quemadmodum et Joannis Evangelistæ passio, et assumptio: sed hoc nomen quasi per antonomasiam solummodo de Beata Maria dicitur.* — Nolim tamen hæc omnia vocabula accipias quasi synonima, hoc est solo syllabarum sono discrepantia, sensu autem et significatu eadem: quamvis enim ad eamdem e vivis migrationem significandam usurpentur, nihilominus peculiaris significandi vis hæc eis inest, quod *obitus* Martyris v. g. præcise dumtaxat innuat ipsius animæ a corpore solutionem: *passio* vero non solum a corpore separationem, sed illam vi tormentorum factam declarat: *depositio* autem sacra Martyris pignora, terræ quidem mandata, sed aliquando reddenda significat; *transitus* generatim ab hac mortali et temporali vita ad beatam et æternam migrationem denotat: *dormitio* vero Sanctorum instar somni, a quo aliquando evigilaturi sint, mortem repræsentat: *Assumptio* autem, seu ad se sumptio, significat non solum animæ, sed et corporis in Cælum evectionem, quam mors seu dormitio præcesserit.

Instabis: *Assumptionis* vocabulum plerumque usurpatur a SS. Patribus et Scriptoribus ac Oratoribus Ecclesiasticis ad significandum non quidem corporis, sed dumtaxat animæ Sanctorum in cælum migrationem: igitur quamquam hoc vocabulum Ecclesia usurpaverit ad denotandam beatæ Virginis felicitatem, inde non est consequens, quod eam in anima simul et corpore in cælum receptam credat. *Probatur*

antecedens ex S. Cypriano Epist. 9. ad Martyres, ubi referens verba S. Pauli Epist. 2. ad Timoth. *Ego enim jam delibor*, ea sic effert: *Jam delibor, et tempus instat Assumptionis meæ*. Sic Gregorius Nazianzenus in oratione funebri pro Gorgonia sorore sua, hanc assumptam fuisse affirmat. S. Augustinus in libro *De Pastoribus*, capite 11. *Jam assumptus est*, inquit, *Petrus in requiem Apostolorum et Martyrum*. Paulinus Epistola ad Amandum Episcopum: *Quem* (fratrem meum) *etiamsi temporaliter sciamus assumptum, in illo nobis cito consequendum, tamen ea verius causa obiisse lugemus*. Maximus Taurinensis Episcopus in Homil. 1. *De S. Laurentio: Ergo ut comperit ore Sacerdotis et Martyris, se quoque omnimodis assumendum, congregatis inopum turbis, Ecclesiasticum censum religiosa liberalitate divisit*. Remigius Rhemensis Episcopus in Epistola consolatoria ad Clodoveum: *Angit me et satagit vestræ causæ tristitia, quod gloriosæ memoriæ germana vestra transiit Albostedis, sed consolari possumus, quia talis de hac luce discessit, ut recordatione magis inspici debeat, quam lugeri. Illius enim vita fuit, quod assumpta credatur a Domino, quæ a Deo electa migravit ad cœlos*. Bonifacius Moguntinus Episcopus in vita sancti Livini Martyris, seu potius Livinus ipse in oratione, quam sic habet: *Et maxime, Domine, qui diem Assumptionis meæ cum devote habuerint memoria, habeant totum annum mihi præsentia gratiæ tuæ securum*. S. Bernardus in vita S. Malachiæ Episcopi: *Anno ætatis* 54. *loco et tempore, quo prædixit Malachias Episcopus, et Legatus Sedis Apostolicæ, velut e nostris manibus assumptus ab Angelis, feliciter obdormivit in Domino*. Similiter Ecclesia Senonensis in festo S. Augustini in antiphona ad Magnificat ait: *Adest dies celebris, quo solutus nexu carnis S. Præsul Augustinus assumptus est cum Angelis*. — **Respondeo** his et similibus loquendi formulis non convelli nec elevari publicam Ecclesiæ fidem de corporea Deiparæ Virginis in cælum assumptione; quamquam enim nonnulli Scriptores et Oratores Ecclesiastici *Assumptionis* vocem interdum usurpent ad significandam animarum sanctarum ex hac mortali vita in cælum migrationem, nil inde detrimenti ac præjudicii quidpiam accidit Ecclesiæ judicio, quæ Assumptionis vocabulum constanter usurpat, et sub ea voce festivum diem celebrat in honorem illius corporeæ migrationis beatissimæ Virginis. Quis enim nescit Oratores, et historicos Christianos voces non eo semper usurpare sensu, quo illas usurpat Ecclesia? Sic ipsis non est infrequens vocem *Ascensionis* ab Ecclesia consecratam ad designandum triumphale Christi in cælum migrantis mysterium, traducere ad indigitandum Sanctorum ex hac vita in cælum transitum: eam nempe S. Bernardus loquendi rationem frequenter usurpat Serm. 1. *De Assumptione B. Virginis: Virgo*, inquit, *gloriosa cœlos ascendens, supernorum gaudia Civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis*. Et intra: *Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, unde data optima et dona perfecta descendunt: ascendens ergo in altum Virgo B. dabit ipsa quoque dona hominibus, etc*. Quis autem existimabit S. Bernardum vocem *Ascensionis* ibi usurpare in ea proprietate, qua ex usu Ecclesiæ significat Christi Domini propria virtute cælos penetrantis mysterium? Igitur ratione pari concludendum est, quod etsi interdum Scriptores, et Oratores Ecclesiastici *Assumptionis* voce sanctarum animarum ex

hac vita migrationem explicent, inde non est consequens illos in ea propria significatione vocem illam usurpare, qua usurpat Ecclesia, cum triumphalem ac corpoream Deiparæ Virginis in cælum receptionem, sub speciali Assumptionis titulo celebrat et sanctificat.

Reponeo 3. Cum de morte B. Virginis agit Ecclesia, non solum *assumptionis*, sed etiam *dormitionis* voce utitur: itaque non aliud *assumptionis* vocabulo significare ei mens est, quam B. Virginem revera fuisse vita functam, et ejus animam, cæterorum Sanctorum instar, quorum mors frequentissime etiam in Scriptura dicitur *dormitio*, ad æternam felicitatem evolasse; cum interim sanctissimum illius corpus in tumulo quiesceret ac velut obdormiret. Patet *antecedentis* veritas ex omnium Scriptorum Ecclesiasticorum, maxime vero Græcorum Patrum loquendi formula: vix enim eorum unus est, qui cum de Virginis Deiparæ morte sermonem instituit, illam dormitionis vocabulo non designaverit, eo scilicet, quo mors fidelium non mors, sed dormitio et somnus appellatur. Hinc omnes, quas SS. Patres conciones ad populum habuerunt, de Virginis Deiparæ morte, et beatitudine, habemus in eorum scriptis hoc titulo consignatas: *Sermo*, vel *oratio de dormitione Deiparæ*. Sic præ cæteris S. Damascenus, S. Andreas Hierosolymitanus Archiepiscopus Cretensis, Sanctus Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus, etc. Hoc ipsum confirmant omnia prorsus acta, seu monumenta Ecclesiæ vetera, nempe Martyrologia, Calendaria, et officia Ecclesiastica. *Martyrologia* quidem, nam vetus Martyrologium Romanum a Cardinale Baronio desideratum, et tandem ab Heriberto Rosweydo Ultrajectano Societatis Jesu Theologo inventum et publicatum, ac Paulo V. Pontifici Maximo inscriptum, sic habet 18. *Kal. S. Mariæ dormitio*. Insuper *Calendarium Romanum* nongentis annis antiquius, et aureis characteribus exaratum, necnon a Joanne Frontone Canonico Regulari S. Augustini, ex Monasterio S. Genovefæ Parisiensis editum anno 1652. 15. *die Augusti. Solemni de Pausatione sanctæ Mariæ*. Similiter *Usuardi* Martyrologium, quo Romana Ecclesia, ac permultæ aliæ utuntur, jussu Caroli Magni conscriptum, opera Joannis Molani, Lovanii sacræ Theologiæ Professoris editum. 18. Kalend. Septembris, *Dormitio sanctæ Dei Genitricis Mariæ*. Idem habet Adonis Viennensis Archiepiscopi Martyrologium: igitur nomine *Assumptionis* nihil aliud, quam Deiparæ mors, et migratio e vivis designatur. — **Respondeo** negando *antecedens*, cujus falsitas apparet ex unanimi ac constanti Ecclesiæ Romanæ, et SS. Patrum Latinorum sententia, quibus pervium fuit vocabulum *Assumptionis*, non vero *dormitionis*, quoties de Virginis Deiparæ in cælum transitu sermonem instituunt, ut evidenter apparebit ex sequentibus paragraphis. *Consequentiam* autem falsam esse non ibit inficias quisquis animo catholico SS. Patrum Græcorum sensum de migratione beatissimæ Virginis, quam *dormitionis* voce indigitant, penetraverit; nil enim aliud hoc vocabulo, quam quod Assumptionis declaratur, significare intendunt: quod utique apertissime constat, non solum ex S. Joanne Damasceno, sed ex aliis, qui de B. Virginis dormitione sermones aut orationes instituerunt; illi namque constanter affirmant ipsam cum corpore in cælum esse assumptam. Hinc S. Damascenus non solum *dormitionis*, sed et *assumptionis* vocem usurpat ad eamdem veritatem testandam.

Non abs re tamen Græci Patres potius dormitionis quam assumptionis vocem usurparunt, ut proscriberent Collyridianorum errorem, verius dicam delirium, necnon et Antidicomarianitarum commentum: quorum illi putabant Deiparam Virginem non similem nobis hum næ fuisse naturæ consortem, sed divinæ, sicque ut Deum fuisse penitus mortis expertem: quos refutat abundantius S. Epiphanius hæresi 79. Antidicomarianitæ vero, quos similiter hæresi 78. impugnat, ut netariæ voluptati eo audacius facerent satis devotas aliquas Virgines domi secum habebant, abutentes in occasionem peccati, exemplo sanctissimæ Dei Genitricis, quam Joanni a Christo commendatam, apud eum semper mansisse, et cum eo in Asiam profectam esse volebant: quod utique commentum impugnat Epiphanius, declarando B. Joannem cum in Asiam profectionem instituerit, S. Virginem non secum adduxisse, sed illam Jerosolymis obdormisse. His adde, quod forte ideirco Græci Patres *Dormitionis, Quietis, Pausationis, Depositionis* nomina usurpaverint aliquando, nempe quia diversis diebus festum mortis, et Assumptionis sanctæ Mariæ celebrare solebant. Quod maniteste colligitur ex probatissimis Codicibus Eusebii Martyrologii, de quo mox agemus. Nam ut in eo leguntur hæc verba. 15. *Kal. Februarii Depositio sanctæ ac gloriosæ B. Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi:* ita et hæc alia: 18. *Kalend. Septembris: Assumptio sanctæ Mariæ matris Domini nostri;* quæ haud dubie diversos dies assignatos celebrandæ morti, et Assumptioni Virginis Mariæ non obscure significant: igitur vocabulum *dormitionis* non aliter acceptum fuit a Græcis Patribus, quam pro brevi somno, a quo paulo post Deipara Virgo evigilaverit. — *Ad confirmationem* autem petitam ex prætenso *Martyrologio Romano*, respondeo, hujus Martyrologii mentionem primo factam fuisse ab Adone Viennensi Archiepiscopo, qui vixit sub finem 9. sæculi, de quo sic Baronius tractatu *De Martyrologio Romano*, cap. 8. « Hoc ipsum simplex, absque alio additamento, Romanum Martyro-« logium, idemque per breve, in quo tantum nomen, et Martyrum « locus, et dies passionis positi haberentur, est illud ipsum, cujus me-« minit Ado, in sui Martyrologii prætatione, his verbis: Huic operi « ut dies Martyrum verissime notarentur, qui contusi in Calendariis « satis inveniuntur, adjuvit nos venerabile et perantiquum Martyro-« logium, ab urbe Aquilejam cuidam sancto Episcopo a Pontifice « Romano directum, et mihi postmodum a quodam Religioso Fratre « aliquot diebus præstitum; quod ego diligenti cura transcriptum, po-« situs apud Ravennam, in capite hujus operis ponendum putavi. Hæc « Ado. *Subdit Baronius:* Porro in omnibus, quæ viderim, Martyrolo-« giis Adonis impressis, illud ipsum Roma acceptum desideratur. « Egregiam certe, ac viris eruditis dignam, optatamque navasset opera « ram Monsander, si ejusmodi illustre vetustatis monumentum, quod « in suo manuscripto Ado se haberi testatur, una cum ipso Martyro-« logio Adonis edidisset. » *Verum* Martyrologium istud, de quo meminit Ado, neutiquam Romanum Martyrologium censeri, et in eo graviter lapsum, ac deceptum Adonem, per Monachum, qui Martyrologium istud ipsi tradiderat, affirmando illud esse Romanum, plurima eaque gravissima momenta persuadent. *Primum* quidem, quia qui de Martyrologiorum auctoribus scripserunt eorum Antesignanum referunt

Eusebium Cæsariensem, qui primus omnium in conscribendo Martyrologio operam navasse, nulla facta mentione Romani Martyrologii, asseritur: ita Valfridus Strabo lib. *De Rebus Ecclesiasticis*. cap. 28. Beda in retractationibus in Acta cap. 1. hoc idem Recentiores affirmant, maxime Molanus in dissertatione Martyrologio Usuardi præfixa. *Secundo,* Usuardus ipse, omnium Martyrologiorum indicem texens, nullatenus de Martyrologio Romano meminit, de quo tamen propter Ecclesiæ Romanæ auctoritatem non siluisset, si revera Martyrologium aliquod Romanum extitisset. *Tertio,* qui Martyrologium aliquod peculiare veteris Ecclesiæ Romanæ contendunt, nituntur maxime auctoritate S. Gregorii Magni, qui in Epistola ad Eulogium Alexandrinum Episcopum, sic habet: *Nos quippe omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus, indicatur; sed tantummodo locus passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis terris, atque provinciis per dies singulos cognoscantur Martyrio coronati; sed hæc habere vos credimus.* At præterquam quod S. Gregorius Magnus in suo Sacramentorum libro, voce usitata *Assumptionis* usus est, quod utique non fecisset, si tunc temporis aliter Ecclesia Romana in suo Martyrologio esset locuta, vocemque Dormitionis frequentare consuevisset, omnem certe, quæ ex illis verbis suboriri posset, difficultatem, ita explicat Valesius, ut ipsius verba hic exscribere non pigeat. Sic igitur ait: *Ex quibus verbis loqui S. Gregorium liquet, non de particulari Ecclesia Romana, vel de aliquo Martyrologio Romano, quod ne nominat quidem; sed de Martyrologio, quod toti Latinæ Ecclesiæ commune tunc esset: istud autem fuisse Martyrologium, quod diri Hieronymi nomine inscriptum est, ex eo liquet, quod illud ipsum in Italia, atque Occidentis partibus in usu fuisse, docet Cassiodorus* lib. *De Divinis lectionibus,* cap. 23. Ita Valesius, cujus conjectura eo fit verisimilior, quod S. Gregorius non ad aliquem Episcopum Ecclesiæ Latinæ, sed ad Patriarcham Ecclesiæ Alexandrinæ epistolam hanc scripserit; sicque signanter hæc inseruerit verba, *Non omnium Martyrum nomina habemus,* nempe in omnibus Occidentis Ecclesiis, *sed hæc habere vos credimus,* in Ecclesia videlicet Orientali: quippe cum Eusebii hominis Græci Martyrologium Græce conscriptum apud Orientales debebat esse non minus familiare, quam latinitate per S. Hieronymum donatum tritum erat apud Occidentales Ecclesias. *Adde quod* S. Gregorius testatur singulis diebus plures sanctos in Martyrologio, cujus mentionem facit, esse ascriptos, ait enim: *Ut multi ex diversis terris, atque provinciis per singulos dies cognoscantur Martyrio coronati:* at hæc Martyrologio a Rosweydo in lucem edito quadrare non possunt: siquidem singulis diebus unius Sancti dumtaxat nomen in eo Martyrologio inscribitur: igitur Martyrologium istud Rosweydi non istud est, cujus meminit S. Gregorius. Simili ratione dico Calendarium a Joanne Frontone editum, nullatenus censeri posse Romanum: quod utique plurima demonstrant. *Primo* quidem quod multorum Sanctorum nec nomina, nec festivitatem referat; quos tamen Romana semper Ecclesia coluit; nam in eo nec SS. Matthæi, et Lucæ, nec S. Thomæ Apostoli nomina, ac festivi dies inscribuntur: quis autem existimabit

Ecclesiam Romanam Apostolorum atque Evangelistarum solemnitates non egisse, cum interim magna celebritate ageret festum SS. Apii, Chrysanthi, Eupli, Feliculi, et Feliculæ, et aliorum complurium, qui in Calendario isto referuntur? *Secundo* S. Gregorius mox laudatus affirmat in Ecclesia Romana diebus singulis plurium Sanctorum memoriam celebrari, in quorum honorem Missarum solemnia peragerentur: at in isto opusculo maxima dierum pars absque ullius Martyris aut Sancti nomine incelebris et innotata apparet. *Tertio* denique, ipsemet Joannes Fronto opusculum supposititio Calendarii Romani nomine editum, satis aperte significat in præfatione ad Lectorem, cum ait: *Porro vocavi* Calendarium *hoc opusculum, cum tamen dies per Kal. non recenseat; quia tamen non erat vocabulum mihi commodum eo sum usus.* His adde, quod etsi revera opusculum istud pro Romano Calendario haberetur, tamen nostræ sententiæ nil quidquam præjudicii ex ejus testimonio accrederet: siquidem illud vocabulum *Pausatio* non obscure Mysterium assumptæ Virginis in cælum significat; *Pausarius* enim Latine dicitur, qui pausam voce designat: sic qui symphoniæ præest, ac signo pausas indicit, quo musicus concentus ad artis regulas citiori vel tardiori modulatione edatur, Pausarius potest appellari: unde pausatio, in præsenti materia, non incongrue designaret exigui temporis moram, qua inter amissam, receptamque vitam, Beatissima Virgo in sepulcro jacuerit, ac veluti pausam quamdam fecerit: adeo ut cæteri Sancti in Domino dormire, ipsa vero (ut Beda loquitur) tantum in sepulcro pausasse dicatur. — Quantum autem attinet ad Martyrologia Usuardi et Adonis non satis probandam esse eorum auctoritatem manifestabitur infra.

§ II. — Probatur secundo B. Virginem corpore et anima in cælum subvectam ex Ecclesiastica Traditione. — Traditionem *Ecclesiasticam* appello, quæ licet ab Apostolis dimanarit, non est tamen eis divinitus immediate revelata: duplicis enim generis traditionum distinguunt Theologi, quarum aliæ *divinæ* sunt, quæ immediate revelatæ sunt Apostolis, inspirante Spiritu sancto, quæ subinde fidei divinæ certitudinem obtinent, puta puerorum baptismus, qui licet expresse in Scriptura non tradatur, eum tamen qui negaverit, revera in hæresis notam incurret. Aliæ vero dicuntur *Ecclesiasticæ*, et Apostolicæ simul, quæ ab Apostolis quidem dimanarunt; verum ab eis processerunt tamquam Episcopis, seu Rectoribus Ecclesiarum, quibus incumbebat plurima statuere in Ecclesiæ regimen, ac fidem Christianorum illustrandam et confirmandam, quæ a Christo immediate vel dictata vel inspirata non acceperunt. Apostoli namque, ut narrat Tertullianus, lib. *De Corona Militis*, cap. 3. plurima statuerunt auctoritate propria in commune Ecclesiæ bonum ac regimen, quæ Christus Dominus non expresse eis dictaverat: *Aquam adituri*, inquit ibidem, *sed et aliquando prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompæ, et Angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus. Exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ sacramentum, et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsi-*

dentium, suminus. Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis, annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate die Paschæ in Pentecostem usque gaudemus. Calicis, aut panis etiam nostri, aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides asservatrix. Hujus generis traditionis est ista, quam Ecclesia ut ab Apostolis acceptam fidelibus populis ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio, ad nos usque felici successu derivavit, nempe B. Virginem in corpore simul et anima in cælum esse receptam. Quam utique traditionem præclare sic delineat, et a majoribus traditam expendit S. Damascenus, Orat. 2. *De Dormitione B. Virginis*, ubi cum narrasset qualiter Deipara Virgo diem extremam clauserit et ab Apostolis fuerit tumulata, ac triduo post in cælum evecta, sic ait: « Videtis ergo, Charissimi Patres ac Fratres, « quibus verbis celeberrimum illud sepulcrum ad nos utatur? Quod « autem hæc ita habeant, liquet ex *Euthymiaca Historia*, in qua lib. 3. « cap. 10. ita diserte scriptum est: Superius commemoratus est, que- « madmodum sancta Pulcheria Christo in urbe Constantinopolitana « plures construxit Ecclesias. Harum autem una est ea, quæ in Bla- « chernis ædificata est, primis annis Imperii Marciani divæ memoriæ. — « Cum igitur celeberrimæ, ac sanctissimæ Dei Genitrici, perpetuæque « Virgini Mariæ venerandam ædem illic extruxissent, atque omnibus « ornamentis illustrassent, sanctissimum, quodque Deum suscepisset, « corpus conquirebant: accitoque Juvenali Hierosolymorum Archiepi- « scopo, ac Palestinæ Episcopis, qui tum ob Concilium Chalcedone « coactum in Imperiali urbe versabantur, his alloquitur: Hierosolymis « principem et eximiam Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis Mariæ « Ecclesiam esse audivimus, in eo loco, qui Gethsemane vocatur, ubi « corpus ipsius, quod vitam tulit, in loculo conditum est. Placet itaque « illinc reliquias huc afferri, ut imperatrici huic urbi præsidio sint. « Excipiens autem hunc sermonem Juvenalis in hæc verba respondit: « Etsi quæ in sanctæ Dei Genitricis Mariæ morte contigerunt sacræ « divinitus inspiratæ Scripturæ monumentis minime prodita sunt, ta- « men ex prisca ac vetustissima traditione hoc accepimus, quod glo- « riosi ipsius obitus tempore, sancti omnes Apostoli, qui Gentilium « salutis causa terrarum orbem peragrabant, temporis momento per « altum abrepti in Hierusalem convenerunt. Ibique cum essent, An- « gelica ipsis visio contigit, divinusque præstantiorum virtutum cantus « auditus est: sicque cum divina ac cælesti gloria in manus Dei ani- « mam sanctam commendavit: ejus autem corpus, quod Deum susce- « perat, cum Angelico et Apostolico cantu funere elatum apud Gethse- « mane in loculo conditum est: quo quidem in loco Angeli totos tres « dies choros agere atque canere non destiterunt. Cum autem ipsi « exactis tribus diebus canendi finem fecissent, Apostoli qui aderant, « propterea quod unus ex ipsis, Thomas nimirum, qui funeri non in- « terfuerat, adorare cupiebat, tumulum aperuerunt. At sacratissimum

« quidem illius corpus haudquaquam invenire potuerunt: cum autem « jacentia tantum ipsius lintea reperissent, atque ex iis inenarrabili « quadam suavitate perfusi fuissent, loculum clauserunt. Atque my- « sterii illius admiratione perculsi, hoc solum secum reputare pote- « rant, quod Deus Verbum ac gloriæ Dominus, qui in persona pro- « pria carnem ex ea induere, ac fieri homo voluerat, idem etiam post « discessum e vita immaculatum, ac omnis spurcitiei expers ejus corpus, « incorruptibilitate ac translatione ante communem et generalem re- « surrectionem honestare voluisset. Aderant porro tum una cum Apo- « stolis sanctissimus Apostolus ac primus Ephesiorum Episcopus Ti- « motheus, et Dionysius Areopagita, quemadmodum ipsemet Magnus « Dionysius de beato Hierotheo, qui ipse tunc aderat, libris quos ad « prædictum Apostolum Timotheum elaboravit, in hæc verba testatur: « Quandoquidem etiam apud ipsos divino nomine afflatos sacros no- « stros Antistites, quo tempore nos quoque, ut noti, ac plerique e sa- « cris nostris fratribus, ad corpus illud, quod vitam inchoaverat, ac « Deum susceperat, intuendum convenimus (aderat autem etiam frater « Dei Jacobus, et Petrus, summus ac præstantissimus Apostolorum « vertex), ubi post spectaculum placuit, ut sacri omnes Antistites pro « suis quisque viribus, infinitæ virtutis divinæ imbecillitatis bonitatem « laudibus efferrent, Theologis exceptis, sacros omnes alios Præcones, « ut te non fugit, superabat, totus videlicet excedens, totus extra se « raptus, atque ita esse videretur: et ab omnibus, qui ipsum audie- « bant, ac cernebant, et agnoscebant, numine divino correptus, ac di- « vinus plane laudator censeretur. Quid autem de iis, quæ divine illic « dicta sunt, sermonem ad te habere opus est? quippe cum, nisi me « quoque mei ipsius oblivio cepit, nonnullas etiam divinorum illorum « canticorum partes persæpe abs te audivisse me noverim. Quæ cum « Imperatores audiissent, ab Archiepiscopo Juvenali contenderunt, ut « sanctus ille loculus una cum gloriosæ ac sanctissimæ Dei Geni- « tricis, quæ in eo posita erant, ad se tuto mitteretur. Quod cum con- « tigisset eum in veneranda æde sanctæ Dei Matris, quæ in Blachernis « extructa erat, condiderunt. Atque hæc ad hunc modum se habue- « runt ». Hæc S. Damascenus. — *Confirmatur* autem hæc narratio et Ecclesiastica traditio, non solum laudato testimonio S. Dionysii, et Juvenalis, sed etiam S. Sabbæ Hierosolymitani, ac in Laura celeberrimo tum Monasterio Monachi, et Abb. Juvenali æqualis, qui in *Menæis*, (de quibus dicemus sequenti §) quorum ipse vel auctor, vel restaurator fuit, sicut *typici*, seu *ritualis* Hierosolymitani, aperte patrocinatur huic narrationi; nam ex Men. 15. Augusti Sermonem faciens *De Dormitione, et Assumptione Virginis: Ad rationem decori pertinebat*, inquit, *ut qui Ministri, ac Spectatores Verbi divini fuissent, etiam Matris, e qua illud incarnatum erat, obdormitionem præsentes inspicerent, vel ut ultimum, quod ipsi peragendum erat Mysterium: quo scilicet non modo Servatorem de terra in cœlum ascendentem, coram spectarent; verum etiam de Genitrice illius ad superos translata oculati testes existerent. Quapropter omnibus e locis in quadam divina per tot terrarum spatia transportati, convenerunt in Sion, et deduxerunt quodam modo Virginem ad cœlum ingrediendum properantem.* Falsum est igitur, quod aliqui obtrudunt, nullos Scriptores esse Juvenali æquales, et Damasceno su-

periores, qui eamdem Hierosolymitanæ Ecclesiæ traditionem de assumpto corpore Virginis aperte commemoraverint. Subscribit Gregorius Turonensis, qui 6. sæculo vixit, nam libro 1. *De Miraculis*, in narranda morte Virginis, eadem pene quæ Juvenalis refert: *Impleto*, inquit, *a B. Maria hujus vitæ cursu, cum jam vocaretur a sæculo, congregati sunt omnes Apostoli de singulis regionibus ad domum ejus. Cumque audiissent, quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul: et ecce Dominus Jesus advenit cum Angelis suis, et accipiens animam ejus tradidit Michaëli Angelo, et recessit: diluculo autem levarunt Apostoli cum lectulo corpus ejus, posueruntque illud in monumento, et custodiebant ipsum, adventum Domini præstolantes: et ecce iterum adstitit eis Dominus, susceptumque corpus sanctum in nubem deferri jussit in Paradisum, ubi nunc resumpta anima cum Electis ejus exultans, æternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur. Universi etiam Græci aperte docent funeri B. Virginis interfuisse Apostolos, etc.* Hanc Gregorii narrationem sic confirmat *Notkerus* in Martyrologio ad 18. Kalendas Septembris, ubi cum præmisisset: *Quid venerabilis Pater Gregorius Turonicus Episcopus in libro Miraculorum de eadem Assumptione sentiat, libet ad utilitatem Gentium commemorando proferre.* Nondum his quisquam confictam Gregorii narrationem dixerit, quam se ad utilitatem Gentium referre testatur Notkerus. Quibus ita ab illo prætermissis verbis, ipsa Gregorii integra excribit, tandemque hæc subjungit: *Quod si quem movet quomodo idem Gregorius in occasu Solis positus, ea quæ in Oriente gesta sunt compererat, ex aliis ejus scriptis agnoscat, quia de toto orbe ad sanctum Martinum, sicut ad Philosophos concurrebatur, et de occidui mundi partibus loca sancta in Judæa frequentabantur, quod etiam ad hæc Normanorum tempora jugiter actitari solebat. Sed ne idem Catholicus et venerabilis Pater contra Apostolum sensisse videatur, ubi ait: Christus resurrexit usque in adventum ejus: sciendum, quia vel hæc specialis Assumptio corporis venerandæ Dei Genitricis Mariæ, vel eorum, qui cum Domino surrexisse leguntur, Apostolicam auctoritatem adjuvat potius, quam impugnat, quoniam et corpus illius, de qua Deus incorporari voluit, citius in cœlum sublevari decuit, et illos veræ Resurrectionis et Ascensionis nostræ testes præisse procul dubio constat.* Ex quibus apparet falsissimum a quibusdam scribi, Gregorii narrationem a Notkero emendatam, ac reprehensam fuisse. — Adstipulatur etiam S. Andreas Cretensis Archiepiscopus, qui vixit sæculo 5. ut referunt Genebrardus, et Gualterius, *In Chron.*, licet alii eum faciant anteriorem. Hic, inquam, in prima Oratione, quam in laudem assumptæ Virginis edidit, ubi narravit B. Virginem revera mortuam fuisse, ejusque mortem in modum somni extatici ac soporis Adamici contigisse, demum ab Apostolis fuisse tumulatam refert, probatque verbis supra laudatis S. Dionysii; postque concludit: *Ostendit igitur vir ille divinus, quibus loquitur, totum fere Apostolorum sacrum Senatum ad venerabile illud, magnumque Dei-parentis spectaculum coactum esse, ac qui toto orbe dispersi erant, discipulos una tunc convenisse: e quorum ipse etiam numero fuerit, una cum religiosissimis, sapientissimisque Timotheo, ac Hierotheo, etc.* Triumphalem autem corporis Deiparæ Virginis resurrectionem, et in cælum receptionem, sic eleganter expendit Oratione 2. ubi ait: « Erat itaque novum reipsa

« spectaculum, animique rationibus inaccessum; mulierem cælorum « naturam munditie supergressam, cælestium adytorum sancta corpore « penetrare: Virginem, divini partus miraculo ipsa Seraphim superan- « tem, primæ illi naturæ, Deo universorum Creatori, propius accedere; « Matrem, vitæ ipsius partu claram, Proli consimilem vitæ exitum na- « ctam, Deoque, ac fide dignum miraculum. Quemadmodum enim pa- « rientis incorruptus uterus, ita nec morientis disperdita caro. O res « mira! partus incorruptionis expers, nec sepulcrum corruptionem « admisit. Nec enim illa Sanctos attigerit: vultis rei probationem di- « cam? At quæso, nemo auditorum irrideat. Quomodo vacuum monu- « mentum? Quæram enim abunde. Quomodo defunctæ corpus obscu- « rum? Quomodo desunt locula sepulcralia, nisi tumulo depositum « cadaver corruptionem effugit? nisi translatus thesaurus est? Sin « autem se hoc ita habet, qui non vera translatio, quando etiam alia « extitere? animæ scilicet a corpore separatio, carnis depositio, com- « positionis solutio, partium disjunctio, resolutio, conjunctio, compa- « ctio, atque in obscurum secessio: hactenus namque vacuum sepul- « crum manet, tum ipsum testimonium habens, tum testis eam « translatam esse ». — *Nec obstat* quod subdit: *Haud mihi exploratum, an partibus in unam compositionis concretionem de uno coeuntibus, sic fortasse rerum auctorem arcano propensioris suæ voluntatis consilio Matrem honorare volente: aut certe altera alteri eminente, atque ita ut a mutuo illa disjunctione altera mundo superiorem, altera confinem nacta sit sedem; sive denique nova aliqua, ac diversa ordinis ratio in ea extitit, ut essent in ea cuncta reipsa nova, eximiam convenienter rationem recipientia, seu rationem omnem, ac scientiam excedentia.* Hæc, inquam, non obsunt, quippe facile conciliari possunt cum præcedentibus, si dixerimus Andream Cretensem voluisse Deiparæ Virginis corpus, paulo post ipsius mortem in cælestem aliquem locum translatum fuisse, ibique depositum, donec juxta Dei ordinationem paulo post animæ rursus unitum fuerit. Quæ utique videtur etiam mens Leonis Imperatoris in Oratione *De Dormitione Virginis*, qui hanc ab Andrea Cretensi sententiam mutuatus est, cum ait: *Animam Virginis in cælum receptam fuisse, corpus vero fuisse repositum.* Nec ab ea sententia recessisse videtur Petrus Abailardus in Sermone unico *De Assumptione*, ubi ait: *Triduo Dominicum corpus in sepulcro jacuit, et a die resurrectionis 40. diebus Ascensionem suam distulit, quam quidem dilationem, nequaquam, ut dictum est, in Matre pertulit. Denique et sacrum corpus etiam prius in Paradisum sustulit, quam resuscitavit, quo mirabilior exanimis corporis Assumptio fieret, ac resurrectio, nullatenus jam ipsum suscitavit terreno contactu judicans dignum.* — Alius etiam nobis adest ejusdem narrationis et traditionis testis non ignobilis. S. Cosmas patria Hierosolymitanus, quem Joannes ejusdem urbis Patriarcha in vita S. Damasceni ait, Damasceno extimulatorem ad labores fuisse, ac in litteris et religiosa educatione et exercitatione socium, necnon Majumæ Episcopum. Hic autem, ut refert Guido Sandionysiacus Abbas in Sanctilogio ad 18. Kalend. Septembris, quod manuscriptum extat in Biblioth. Victoriana, scribit: *Dixitque Dominus Petro: Corpus Matris meæ cum reverentia sepelite, et tribus diebus illud cum diligentia custodite. Ego quippe tunc veniam,*

et illud ad incorruptionem transferam, et simili mecum claritate induam, ut id quod acceptum est, quod accepit, pariter conveniant, et concordent. Refert quoque et Cosmas terribile et mirabile mysterium, quod non indiget naturali discussione, nec curiosa investigatione, cum omnia quæ de Dei Genitrice dicuntur, sunt supernaturalia, admiranda, et tremenda potius, quam investiganda. Egressa, ut ait, de corpore ejus anima, hæc verba protulit corpus: Gratias tibi ago, Domine, quod tua sum dignum gloria, memento mei, quoniam tuum sum figmentum, et tuum servari depositum. Expergefacti igitur cæteri videntes corpus Virginis exanime, contristari plurimum ac gemere cœperunt. Tollentes igitur sanctum corpus ad monumentum ferebant, incipiente Petro Psalmum, In exitu Israël de Ægypto. Chori quoque Angelorum Virginem laudant, ita quod Jerusalem ad tantam gloriam concussa, tunc summi Sacerdotes cum gladiis et fustibus multitudinem mittunt. Unus autem impetu furens ad grabatum accessit, cupiens ad terram trahere corpus Genitricis Mariæ: qui quia indigne trahere nititur, ejus tactu merito privatur: utraque namque manus a cubitis avulsa abscinditur, illis ad grabatum pendentibus, dolore horribili cruciatur. Implorat autem veniam, et promittit emendam. Cui Petrus: Nullatenus veniam consequi poteris, nisi corpus perpetuæ Virginis osculeris, et Christum ex ea propagatum Dei Filium esse confitearis. Quod cum fecisset, manus unde avulsæ fuerant, cubitis sunt adjunctæ. Quæ si vera sint, ut refert Guido, non levi testimonio præfatam Ecclesiasticam traditionem confirmant. Sic tamen hæc a Guidone renuntiata, velim accipias, ut quæ de gratiis Deo a Virginis corpore exhibitis, non ipsum corpus, sed a Virginis anima referenda judices; ita quod sit sensus, animam Virginis jam a corpore solutam in gratiarum actionem pro suo corpore erupisse: in quo sane nil prorsus absurdi, nec ludicri observari licet, ut nonnulli prætendunt. Nec etiam movere debent, quæ addit de præcisa illius manu, qui corpus beatæ Virginis a feretro disturbare ac dejicere tentatus fuerat. Similia namque narrat S. Germanus Constantinopolitanus Oratione supra laudata, ubi ait: « Fugax porro, quis tum « etiam ex incredulis Hebræis, vanusque (sunt enim illi vanitas va- « nitatum, ut qui semper scandalo sunt, nec contentiosius commen- « tari, ac nugas dare unquam desinant), extenta scelerata manu sua « (in eorum enim manibus, inquit, semper iniquitas) lectuli ferculum « quatit, intemeratæ corpus incessere ausus, nec Altissimi carneum « solium conterere veritus, ac allidere: isque adeo confestim manuum « excisione mulctatur, exemplum, ac tremor Judæis in Christum semper « procacibus, factus. Jam tumulo prope inferendum sanctum cadaver « erat. Haud vero ausi Apostoli (qua reverentia, religiosiorique metu « tenebantur) Virginis corpus attingere. Ac quidem discipuli, quo præ- « cellenti honore habebant, quodque castissimæ corpus Dei vas esse « non ignorabant, omni dignam laude formidinem, ne illius sibi con- « tactum indulgerent, præferebant. Qui autem ex plebe fideles erant, « etiam feralium aliquid, quo sibi sanctificationem conciliarent diri- « pere connitebantur: nemo tamen in eam misit manus: cum seve- « riori exemplo puniti Hebræi, vel maxime petulantiam ob oculos « haberent ». Hæc S. Andreas. Ex his igitur apparet, quam hallucinentur nonnulli Recentiores cum narrationem illam ac traditionem

a SS. Juvenali et Damasceno memoratam, inter aniles fabulas, et ludicra computandam volunt, eamque pro viribus impugnant.

Reponunt enim *primo*, illam ipsam narrationem de B. Virginis Dormitione, et collectis ad ejus funus Apostolis pro apocryphis a Baronio deputari, qui itidem, inquiunt, ridet hac de re testimonium S. Dionysii. — **Verum** hæc responsio omni sua parte cadit, Baronius enim ad annum 48. n. 14. refert equidem aliquas hujus narrationis circumstantias ex apocrypho libello de transitu et Assumptione Virginis sub ementito nomine Melitonis Sardensis Episcopi evulgato, et non solum a Beda in retract. in Act. cap. 8. refutato; sed etiam auctoritate Concilii Romani, cui Gelasius Papa præfuit, inter apocrypha annumerato: at Baronius non improbat ea, quæ Damascenus et Juvenalis referunt de resurrectione et Assumptione Virginis. Ait enim Baronius: « Quæ autem ab ipso (Nicephoro lib. 2. c. 21. et lib. 15. « c. 14.) et olim, ut ipse refert a Juvenali Episcopo Jerosolymorum « traduntur de Apostolis eodem momento collectis e diversis Orbis « regionibus Jerosolymam ad obitum ejus per aera in sublime de- « latis, eodem Melitonis apocrypho contineri certissimum est; quod « etiam Beda cognovit: rursus etiam, quæ habentur de miraculo facto « in Judæum, qui feretrum quo illa ad sepulturam ferebatur, est co- « natus evertere, in eodem item apocrypho leguntur. Sed hæc cum « dicimus, non sic impugnamus, quasi minime vera esse potuerint, « quandoquidem non sit impossibile apud Deum omne verbum: sicut « nec ob eam causam, quod ibidem feratur eadem resurrexisse, et una « cum corpore esse assumpta in cælum, id negamus, vel in dubium « revocamus accidisse, quæ præsertim Juvenalis Jerosolymorum Epi- « scopus non ex scripto aliquo commentario, sed potius ex antiqua « et veneranda Majorum traditione se accepisse testatus sit ». Quibus verbis aperte constat Baronium historiam illam et narrationem non improbare, sed referre dumtaxat nonnullas hujus narrationis circumstantias etiam haberi in apocrypho libello evulgato sub nomine Melitonis. — Idem dicendum de testimonio S. Dionysii, quo subnixa est hæc historia: nec enim, ut communiscuntur quidam, de auctore librorum istorum dubitavit Baronius, aut scripta illa revera Dionysii esse negavit, sed dumtaxat asserit non posse eorum sententiam stare, qui sentiunt B. Virginem obiisse ante annum Christi 59. alioquin Dionysius a Paulo conversus anno Domini 52. non venisset Jerosolymam cum Apostolis, nec funeri Deiparæ Virginis interfuisset. Scribit enim Baronius: « Si igitur aliquo antedictorum anno Dei Genitricem esse « defunctam dixerimus, nequaquam potuit Dionysius ejus funeri in- « terfuisse: ipse enim nedum hoc anno, vel sequenti, sed nec ad 52. « annum Domini (ut ex his, quæ diximus, et quæ suo loco dicturi « sumus, habita exacta temporum ratione, constabit) cum Paulus Athenas « venit, est conversus ad fidem: imo ex Luca, qui mira diligentia ex eo « tempore cuncta loca, ad quæ Paulus accessit, et tempora quibus in « eis permansit, usque ad ejus Jerosolymam adventum relegit, liquido « apparet ipsum non ante annum Domini 57. Jerosolymam venire po- « tuisse, cui ætati si 14. vel 15. addas annos, quibus (ut dictum est) « sanctissima Virgo vixit, cum peperit Salvatorem, manifeste colliges « ipsam eo anno, quo Paulus novissime Jerosolymam venit, egisse

« ætatis annum 72. quo ipsam ex hac vita migrasse Epiphanius Pre-
« sbyter, et Cedrenus, quos retulimus, affirmarunt: quibus si consen-
« serimus, eisdem æque aptari possunt, quæ scribit Dionysius, ut de
« sacrosancto Dei Genitricis corpore voluerit intellexisse, quo quidem
« sensu accepisse noscuntur verba illa Græci omnes ». Hæc Baronius; quibus momentis constat eum prætatam narrationem non impugnare, nec assumptæ Virginis veritatem in dubium revocare; quamquam nonnullas illius narrationis particulas respuat, quas proscriptus liber de transitu Virginis memorat.

Reponunt 2. Narrationem istam nutare in plurimis: *Primo* namque si hæc omnia ut referuntur contigissent, haud dubie S. Lucas in Apostolorum Acta eorum aliquid retulisset: at nihil illorum memorat: igitur minus esse vera judicanda sunt. *Secundo*, plurima in hac narratione referuntur, quæ ex proscripto et apocrypho libro de transitu Virginis irrepserunt, quæque idcirco venerabilis Beda respuit et impugnat: igitur nullam fidem merentur. *Tertio*, non constat B. Virginem Jerosolymis fuisse vita functam et sepultam: imo probabile est illam cum Joanne Evangelista Ephesum protectam, ibi pariter diem clausisse ultimam, ac fuisse tumulatam: nam Ephesina Synodus ad Clerum, Populumque Constantinopolitanum ita scribit: *Quare et Nestorius cum in Ephesiorum civitatem pervenisset, in qua Joannes Theologus, et Virgo Deipara sancta Maria, a SS. Patrum, et Episcoporum cœtu, ultro seipsum abalienans... condemnatus est.* Nam verba hæc *in qua* significant, ut Joannem, ita et Deiparam Ephesi obdormivisse, quod etiam confirmat Modestus Hierosolymorum Episcopus in Homilia de unguentiferis Virginibus. *Quarto*, minus vera apparent ea, quæ narrantur de Pulcheria, et Marciano, quippe cum nullus historiæ Græcæ Scriptorum illa commemoret, sicut nec ullus meminit historiæ Euthimiacæ, ex qua dumtaxat hanc narrationem deprompsit S. Damascenus. *Quinto*, non constat secundam illam orationem de Assumptione, ubi legitur hæc narratio, et Euthimiaca laudatur historia, esse genuinum S. Damasceni fœtum, quippe cum Billius, qui has Damasceni Orationes Latinas fecit et edidit, huic textum auctoris Græcum versioni Latinæ non adjunxerit: quod tamen in aliis orationibus ab eo factum fuerat. *His adde*, quod Damascenus non videatur accuratus Scriptor, sed plerumque incerta pro veris scribat, ut constat de illa narratione, qua refert Trajani animam Gregorii Magni precibus liberatam fuisse ab interis. Igitur his omnibus momentis apparet prætatam narrationem de Assumptione Virginis nullam apud cordatos fidem promereri. — **Verum nego antecedens** simul et *consequentiam*, et ad *primam dubitandi rationem* dico occulto Dei judicio, et ex speciali divinæ providentiæ ordinatione contigisse, omnia quæ ad vitam sacratissimæ Virginis, post Christi in cælum ascensum, in ipso nascentis Ecclesiæ exordio, proximoque secutis sæculis obscuriora, ac silentio veluti sepulta remansisse: quod utique pridem notavit S. Andreas Cretensis Oratione prima de dormitione Virginis, ubi ita scribit: *Non desint vero*, inquit, *ex his merito, qui discendi studiosiores sint, quique dubitent, ac quærant, quid causæ sit cur Theologorum* (id est Apostolorum, ac Evangelistarum) *neminem sciamus, inspectantia ad intemeratum, ac quam venerabilem sanctæ Dei Geni-*

tricis transitum scripserit, ullamve hoc argumento commentationem reliquerit, uti sane ii divina composuere Evangeliorum volumina, ac Theologicas Expositiones nobis tradidere. Cujus utique silentii hanc rationem profert: *Porro dicimus id in causa esse, quod diu post, longisque retro temporibus Deo afflata dormitio illa contingerit: ajunt enim illam cum ad extremam venisset senectutem ab humanis migrasse. Vel quia nec dum ea tempora harum rerum explicationem permitterent, ubi primum conscribi Evangelium cœpit, quo disseminaretur dispensationis sermo, hæc confestim exponendo assumere.* Futuri namque erant hæretici, qui B. Virginem non humanæ naturæ, sed divinæ fuisse participem, erant asserturi; unde si quæ contingerunt circa ejus triumphalem Assumptionem, narrasset Apostolorum aut Evangelistarum aliquis, inde fortassis illi hæretici suo errori causam prætexuissent. *Adde quod*, nec etiam ipsi Canonici Scriptores referant B. Virginem esse vita functam, nec illud constanti ac universali traditione propagandum evulgaverint; illam quippe traditionem ignorasse videtur Epiphanius, cum hæc scribit hæresi 78. *Præterea postquam illud ita gestum est, et ad se illam accepit* (agit de S. Joanne) *non amplius apud ipsum permansit* (B. Virgo), *quod si falso jactari quispiam a nobis existimet, licet sacrarum Scripturarum vestigia consectari, in quibus nullam de Mariæ obitu mentionem reperiet, mortua sit, necne, sepulta an non sepulta fuerit.* Et paulo infra: *igitur mortua sit Maria nescimus, sive consepulta.* Illud idem non modo dubium relinquit Timotheus Presbyter Jerosolymitanus, qui inter Patres 4. sæculi in Bibliotheca SS. Patrum Græcorum collocatur; imo etiam innuere videtur beatam Virginem non esse mortuam; scribit enim: *Hinc accidit ut nonnulli putarent Matrem Domini gladio interfectam, atque cruenta morte affectam, quales Martyres vitæ exitum habuisse, propterea, quod dixit Simeon.* quia tuam ipsius animam pertransibit gladius: *sed non ita se res habet; ensis enim a fabro excussus corpus dividit, animam non dissecat: unde etiam supra omnes inculpata, et omnibus modis sancta Virgo per illum, qui eam in superna loca assumptam traduxit, usque adhuc immortalis est.* Ea pariter in sententia videtur fuisse S. Isidorus, qui circa finem sexti sæculi florebat, scribit quippe: *Specialiter nulla docet historia Mariam gladii animadversione peremptam fuisse, quia nec ejus obitus uspiam legitur, dum tamen nec reperiatur sepultura.* Nil igitur de morte Virginis tunc temporis ex Scriptura, aut traditione illa, quæ semper et apud omnes et ubique viget, exploratum erat: unde si in dubium revocare liceat ea, quæ referunt de ejus funere, quod nullus Apostolorum id scriptis mandaverit, aut generali traditione evulgandum narraverit, licebit pariter in dubium vertere, utrum B. Virgo mortua sit necne. Similiter quis licite dubitare posset utrum illa ab omni actuali peccato per totam vitam immunis fuerit, et plurima alia ejusmodi, quæ ab Apostolis nec scripta, nec ab alio scribenda dictata sunt? — *Ad secundum* dico omnia quæ in libro apocrypho referuntur non esse falsa; enimvero in 3. lib. Esdræ utique apocrypho v. g. scribitur nihil fortius esse veritate: quis autem id existimabit falsum, quia in libro apocrypho scriptum est? Similiter ne longius excurram, in eodem Canone Gelasii, quo proscribitur liber de transitu Virginis sub mentito no-

mine Melitonis Episcopi Sardensis evulgatus, etiam inter apocryphos libros referuntur opera Tertulliani, necnon et liber historiarum Eusebii Cæsariensis; an ideireo asserere licet omnia in istis libris esse commentitia, et meras fabulas? Et ut rem proximius tangam, liber ipse *De transitu B. Mariæ*, asserit eam fuisse mortuam, ac sepulcro mandatam; quis autem id falsum asseret? Igitur quamquam prætata narratio nonnulla referat, quæ pariter memorat apocryphus liber de transitu Virginis, inde non est consequens illa ideireo falsa esse, aut incerta. *Nec obstat*, quod Beda narrationem illam proscribat in iis, in quibus militat adversus Acta Apostolica, puta, quod Apostoli secundo a morte Christi anno jam per orbem annuntiandi Evangelii gratia dispersi, iterum Jerosolymam convolaverint, nubibus subvecti, ad celebrandum funus B. Virginis; hoc enim manifeste pugnat cum Actibus Apostolorum, ex quibus certissimum est toto biennio a morte Christi nondum per orbem peregrinatos esse Apostolos. Certissimum quoque ex iisdem Actibus Paulum Apostolum et Barnabam, longe post elapsum biennium a morte Christi, ad disseminandum Gentibus Evangelium fuisse dimissos. Quæ certe non cohærent cum apocrypho libro *De transitu Virginis*, in quo asseritur Apostolos secundo post Ascensionem Domini anno, ex remotis orbis partibus Jerosolymam ad funus Virginis advolavisse. Merito igitur Beda damnat narrationem illius libri in iis, quæ manifeste pugnant cum Scriptura sacra: at non in eam pugnat Assumptio corporea Virginis, et subinde illam Beda non impugnat. Quod autem non alia sit Bedæ sententia, apparet ex ejus verbis: scribit enim cap. 8. retract. in Acta: « Si dispersa, *in-*« *quit*, Ecclesia, Apostoli remanserunt in Jerusalem, ut Lucas ait, « constat quia mendacium scripsit ille, qui ex persona Melitonis Epi-« scopi Asiæ librum exponens de obitu B. Genitricis Dei, dicit quod « secundo post Ascensionem Domini anno, Apostoli fuerint omnes « toto orbe ad predicandum in suam quisque Provinciam divisi, qui « universi appropinquante obitu B. Mariæ, de locis, in quibus præ-« dicabant verbum Dei, elevati in nubibus, rapti sunt Jerosolymam, « et depositi ante ostium domus ejus... quæ verbis B. Lucæ aperte « contradicunt, quibus narrat Apostolos, cæteris fidelibus ab Jeroso-« lymis propulsis, remansisse ibidem, et prædicasse per omnia, donec « Ecclesia per totam Judæam, et Samariam, et Galilæam pacem ha-« beret, quod in uno anno perfici non potuisse nulli dubium est ». — *Ad tertium* dico, certum esse Virginem Deiparam non obiisse Ephesi, sed Jerosolymis: id namque aperte testantur S. Sabba, Juvenalis, S. Germanus, S. Damascenus, necnon et S. Andreas Cretensis, qui Oratione 2. *De dormitione Virginis*, ait: *Sacratæ Sionis facta est mentio, quod in ea magnum hoc S. Dei Genitricis mysterium peractum sit: in ea stratæ parimento tabulæ sacrorum castissimi corporis genuum flexus, clara voce clamant: quamdiu enim ejus productus incolatus est, eam domicilium hoc habuit, atque illic naturæ obsecuta legibus vitæ finem accepit.* Nec Modestus huic veritati adversatur, si recte quis ejus verba ponderet, ait enim: *Historiæ tradunt Magdalenam, de qua Dominus* 7. *dæmonia ejecit, hanc Virginem fuisse. Post obdormitionem sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ profecta est Ephesum ad dilectum discipulum, ubi cursum Apostolicum per Martyrium varia unguentifera*

perfecit. Quibus patet contrarium, quod intenditur Modestum asserere; enimvero si B. Virgo Ephesi fuisset mortua, quid necessum esset Magdalenæ, quæ ut creditur B. Virgini comes individua adhæserat, post ejus obitum Ephesum pergere? Quis non videat Modestum non de Virgine Deipara, sed de Magdalena sermonem facere, cum ait illam Ephesum fuisse profectam? Sed neque Patres Ephesini ea de re quidquam significant, sed dumtaxat, quod præcipuo cultu, sicut Joannem, ita et Mariam Ephesi honorarent, unde particula *(in qua)* denotat, quod Deipara Virgo, et Joannes imprimis ibi colerentur. *His adde*, quod Polycrates Ephesinæ civitatis Episcopus, non longe a tempore Apostolorum scripsit, ut refert sanctus Hieronymus in Catalogo Virorum illustrium: *In Asia*, inquit, *elementa maxima dormierunt, quæ resurgent in die Domini, quando venturus est de Cœlis in Majestate sua resuscitaturus omnes Sanctos: Philippum loquor de 12. Apostolis, qui dormivit Hierapoli, et duas filias ejus, quæ Virgines senuerunt, et aliam ejus filiam, quæ Spiritu sancto plena in Epheso occubuit: sed et Joannes, qui supra pectus Domini recubuit, et Pontifex ejus auream laminam in fronte portans, Martyr, et Doctor in Epheso dormivit.* Ubi, ut apparet, nullam Virginis facit mentionem non prætermissurus certe, si revera Ephesi jacuisset. — *Ad quartum* dico, quæ narrantur a Juvenale nullatenus a veritate deflectere; quis enim neget Marcianum Imperatorem, et Pulcheriam in Blachernis ædificasse? Quis in dubium revocet eos in urbe Imperiali adfuisse tempore Concilii Chalcedonensis? An non Juvenalis eidem Concilio interfuit? Nec obstat, quod acta Chalcedonensis Concilii de ea re nil prodant, nec quisquam de istis referat ex Græcis Scriptoribus; enimvero Conciliorum Acta dumtaxat referunt ea, quæ ad finem congregati Concilii collimant, qualis non erat illa Juvenalis a Marciano, et Pulcheria interpellatio: plerumque etiam accidit, ut res notissimæ, et per vulgus decantatæ Scriptorum nullus colligat, quasi ingratum foret litteris consignare, quæ omnium ore feruntur: sic forte tum Philo, tum Josephus, quamvis rerum suarum, ac Gentis suæ studiosissimi essent, nil scripserunt de jugi miraculo probaticæ piscinæ, quod tamen absque errore gravi nullus negaverit, cum illud ferat S. Joannes cap. 5. — *Ad quintum dico*, certissimum esse secundam illam Orationem tam esse genuinum S. Damasceni fœtum, quam cæteras omnes, nam omnino ipsius stylum redolet, et profitetur Billius se Græcas has orationes a Cardinale Sirleto accepisse, quas jampridem verterat, sed male, Volaterranus. Nec refert, quod Græcum Auctoris non addiderit Billius versioni suæ, id enim non præstitit, forte quia noluit Cardinalis Sirletus, qui Græcum textum ipsi vertendum commodaverat; forte etiam quia in textu Græco desiderabatur aliquid. *Adde quod* Billius in plurimis aliis sancti Damasceni opusculis a se editis Græcum Damasceni textum non adjunxerit; siquid nullibi Græca apposuit nisi Orationi *De Transfiguratione*, et tribus Orationibus *De Nativitate B. Virginis:* quia, ut ibidem dicit, tum Græcus textus cum Latina versione primum in lucem prodirent; attamen nemo cordatorum est, qui propterea hæc Opuscula S. Damasceno detrahat.

Nec minori fide dignus est S. Damascenus, quod forte scripserit Trajani animam Gregorii Magni precibus ab inferis liberatam fuisse.

Demus enim eum hæc scripsisse, et in eis erravisse, num propterea indignus est, cui in aliis credatur? Quod si ita est, vix alicui e SS. Patribus credendum esset, cum, S. Augustino teste, nulli præter Scriptores Canonicos aliquando sit datum, ut non in aliquo erraverit.

§ III. — Probatur Assumptio corporea Deiparæ Virginis ex Officio divino ejusdem diei. — Luculenter ac perspicue apparet quis sit Ecclesiæ sensus de assumpta Virgine in anima et corpore, ex precibus, ac ritibus in ejusdem assumptæ Virginis gloriam concinnatis; unde enim evidentius quis colligere potest, quis fuerit Ecclesiæ sensus de morte Virginis, ejusque corporea in Cælum receptione, quam ex ejusmodi precibus? Id quippe aperte credit Ecclesia quod suis in publicis precibus se credere palam profitetur: at ex ejusmodi Ecclesiæ precibus et divinis officiis in honorem assumptæ Virginis celebrari solitis, Ecclesia jamdudum testata est Virginem assumptam esse anima simul et corpore; quod utique evinco: *Primo* ex libro Sacramentorum sancti Gregorii, ex quo tria hæc aperte colliguntur: *Primum* quidem Gregorii tempore, hoc est sæculo 6. apud fideles receptum ac vulgatum fuisse B. Virginem anima simul et corpore esse assumptam; siquidem Assumptionis nomen non semel sed iterum usurpat S. Gregorius. *Secundum*, vigiliam quoque festi Assumptionis tunc temporis fuisse celebratam, ac proinde festum fuisse institutum. *Tertium* denique, quod Deipara Virgo anima simul et corpore in Cælum sit recepta. Primum quidem ac secundum innotescit ex his verbis ejusdem libri Sacramentorum, quibus designatur *Vigilia* simul ac *festum* assumptæ Virginis: legimus enim 19. Kal. Septembris. *Nat. S. Eusebii Sacerdotis, etc.* Eadem die *Vigilia Assumptionis S. Mariæ*, 18. Kal. Septembris. *Assumptio sanctæ Mariæ Virginis.* Idipsum constat ex præfatione Missæ ejusdem diei, in qua hæc habentur: *Vere dignum, et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et te in veneratione sacrarum Virginum exultantibus animis laudare, benedicere, et prædicare. Inter quas intemerata Dei Genitrix Virgo Maria, cujus Assumptionis diem celebramus, gloriosa effulsit, etc.* Quod autem tunc temporis notum esset in Ecclesia B. Virginem corpore simul et anima fuisse in Cælum assumptam, patet ex Oratione, seu collecta, quæ in eodem Sacramentario hoc ipso die recitabatur his verbis: *Veneranda nobis, Domine, hujus diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem: nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit Incarnatum.* Hæc enim verba, *nec tamen mortis nexibus deprimi potuit*, nil aliud significant, quam quod corpus B. Virginis non potuit subjacere mortis legibus, nempe detineri sepulcro, nec corruptioni, aut resolutioni subjici. Quod enim aliqui Neoterici verba ista interpretantur de *nexibus peccati*, absurdissimum apparet, ex eo quod Deipara Virgo nusquam morti animæ, quod est peccatum, subjacuerit. Nec alia sane ratione verba istius Collectæ intellexit Petrus Abailardus, qui in Sermone *De Assumptione*, jam ab annis fere quingentis sic scribebat: « Cui quidem atte-
« statur sepulcrum vacuum penitus repertum, sicuti et antea fuerat
« Dominicum, ut ipsa quoque B. Virgo resurrectionis gloriam, et ge-
« minam stolam adepta credatur, sicut manifeste festiva hujus diei

« Oratio continet his verbis: in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit « temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit: cum enim « præmissum sit mortem temporalem, patenter ostenditur, id quod « subjectum est, de vinculis mortis, ad mortem illam referendum esse, « non ad mortem animæ, cujus vinculis non detineri, commune est « omnibus Electis ». Similiter hæc verba, *nec tamen nexibus mortis deprimi potuit*, explicat Albertus Magnus in q. 130. super *Missus est*, ubi ait: « Modo quæritur, quid appellatur nexus mortis. Vel est bo- « num, vel malum. Non malum, quia omnis boni capax fuit. Item « bonum non deprimit, sed elevat: ergo *nexus* non nominat ibi ali- « quid boni. Si autem est malum, aut est malum culpæ, aut malum « pœnæ, quia mors non est nexus ad culpam, quia post mortem non « est status culpæ, sed pœnæ. Item nihil dictum esset, quod post « mortem non posset peccare, quia esset Mater Dei, cum post mortem « nullus peccet. Si autem est malum pœnæ, quæro quam pœnam « importat? Non gehennæ, quia ad illam non nectit mors, quia mo- « riuntur multi, qui non vadunt ad gehennam. Eadem ratione nec ad « purgatorium: quia multi moriuntur, qui non vadunt ad purgato- « rium: nec etiam potest dicere pœnam temporalem, quia ad illam « non nectit mors, sed absolvit ab illa. Nam non potest dicere pœnam « mortis, quia B. Virgo vere mortua fuit; ergo relinquitur, quod non « potest significare, nisi incinerationem; ergo ait sensus, non potuit « nexibus mortis deprimi, idest, non potuit incinerari; et nisi statim « resurrexisset, fuisset incinerata, ut alia corpora ». Iis subscribit Dominicus Sotus in 4. d. 43. q. 2. art. 1. *De sacratissima Virgine*, inquit: « si resurrexit, non est dubium, quin in vitam sempiternam resurre- « xerit, qua in Cælis cum Filio fruitur. Hoc autem Hieronymus, eodem « sermone sub dubio reliquit. Jam vero temporum curriculo opinio « hæc, seu credulitas, quod in corpore et anima fuerit in Cælum as- « sumpta, plurimum inolevit. Nondum tamen inter fidei articulos cre- « ditu necessarios relata est, quamvis sit pientissime credendum, nam « in Collecta illius festi ait Ecclesia, quod nexibus mortis deprimi non « potuit ». Nec valet reponere Sacramentarium Romanum non videri genuinum opus S. Gregorii, sed dumtaxat forte ab illo approbatum. Hæc enim responsio nullo prorsus fundamento nititur, quippe contrarium affirmant Cassiodorus, Joannes Diaconus, Berno Augiensis, et omnes qui de divinis Officiis scripserunt. Hoc imprimis Walefridus Strabo affirmans Sacramentarium a Gregorio collectum ex præcedentibus libris, qui peragendorum Sacrorum ritus complectebantur, quos ipse S. Gregorius in meliorem formam et ordinem redegit. Idipsum confirmant Patres Francofordienses. Cum enim Elipandus, et alii Hispaniæ Episcopi edito libello ad eos scripsissent, in divinis Officiis, et ad Missas Orationibus, quas ex Eugenii, Ildephonsi, Juliani Toletanæ Urbis Episcoporum traditione acceperant, Christum Dei Filium adoptivum nominari; in hunc modum responderunt: *Melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Ildephonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in Missarum solemniis, quales universalis, et sancta Dei non habet Ecclesia, nec vos in illis exaudiri putamus. Etsi Ildephonsus vester in orationibus Christum adoptivum nominavit, noster vero Gregorius Pontifex Romanæ Sedis, et clarissimus*

toto orbe Doctor in Orationibus suis semper eum unigenitum nominare non dubitavit. Quibus verbis haud dubie significant Sacramentarium sancti Gregorii; nam ad finem plurimarum Orationum, seu Collectarum ejusdem Sacramentarii Christus dicitur *Unigenitus Dei Filius.* — Hæc eadem veritas apparet ex cæteris divini Officii in die festo Assumptionis Deiparæ Virginis partibus; siquidem Antiphonæ resonant, Versus canunt, clamant responsoria, Lectiones efferunt B. Virginem in Cælos esse assumptam. Id constat tum ex Breviario, tum ex Missali: assumptio autem, ut diximus in primo §, non solum animæ, sed et corporis Deiparæ in Cælum receptionem significat. Neque vero hic solius Ecclesiæ Occidentalis usus est: nam et Orientalis eumdem ritum in suis precibus ac ritibus observat, qui *Menologia*, seu potius *Menæa* appellantur. Sunt autem Menæa 12. codices Ecclesiæ Græcæ, quibus continentur per singulos dies variæ laudes in Dei sanctissimæ Virginis ac Sanctorum honorem decantandæ: horum Menæorum primus Collector dicitur S. Sabbas Monasterii Lauræ Archimandrita, ut testatur Simeon Thessalonicensis apud Leonem Allatium, dissertatione 1. *De libris Ecclesiasticis Græcorum:* at temporum injuria, necnon et Barbarorum irruptione cum pæne Menæa interiissent, a Sophronio primum, deinde a Joanne Damasceno pristino nitori reddita sunt, additis ab utroque plurimis Odis in laudem Sanctorum, qui post sancti Sabbæ tempora claruerunt, ut idem Simeon testatur. In ipsis autem Menæis apertissime declaratur Virgo Deipara anima et corpore in Cælum assumpta: nam *Men.* 15. Augusti in Majoribus Vesperis, hæc habentur: « Ad rationem decori pertinebat, ut qui Ministri, ac Spectatores Verbi divini fuissent, etiam Matris, e qua illud incarnatum « erat, obdormitionem præsentes inspicerent: velut ultimum, quod « ipsi peragendum erat Mysteriorum, quo scilicet non modo Servatorem de terra in Cælum ascendentem coram spectarent, verum « etiam de Genitrice illius ad superos translata oculati testes existerent. Quapropter omnibus e locis, vi quadam divina per tot terrarum « spatia transportati convenerunt in Sion, et deduxerunt quodam « modo Virginem ad Cælum ingrediendum properantem ». Similiter ex *Men.* 18. « O prodigium horrore sacratissimo plenum! Illa quæ « incomprehensum omnibus Regem portavit in utero, jam modo ad « sepulcrum portatur, et Angelorum multitudo cum Apostolis observant venerabundi sanctum ejus corpus, quod Deum in se recipit, « et istud corpus sublevavit in Cælum Jesus Filius ejus, et Servator « animarum nostrarum ». Similiter ex *Men.* 17. Augusti, « Filius tuus, « Deusque noster, ut fidem duarum, quas habet naturarum stabiliret, « mortuus est quidem, ut homo, sed resurrexit ut Deus. Te quoque » mori, o Genitrix Dei, ad præscriptum naturæ perplacuit Deo; ne « a fide alienis Incarnatio Christi, tamquam phantasma videretur, ut « cujus mater mortalis non esset. Migrasti autem a terra in Cælos, « veluti sponsa de thalamo tuo, seu tabernaculo quodam progressa. « Et quemadmodum terram illuminasti pariendo, sic æthera sanctificasti ascendendo. Interim Apostoli intaminatissimum funus tuum « curarunt: atque inter exequias viderunt, et corpus tuum sublime « abiisse, hæc omnino verba cum metu prætati: hæc est mutatio dextera Excelsi ». Quantum autem valeat argumentum petitum ex

sacris Ecclesiæ precibus ad alicujus rei fidem stabiliendam, luculenter explicat Cœlestinus summus Pontifex in 11. capite Epistolæ pro Prospero, et Hilario, ubi inter cætera hæc habet: *Præter Beatissimæ*, inquit, *et Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres, pestiferæ novitatis elatione dejecta, et bonæ voluntatis exordia, et incrementa probabilium studiorum, et in eis usque in finem perseverantiam, ad Christi gratiam referre debuerunt: obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi.*

§ IV. — Probatur Assumptio corporea Virginis Deiparæ auctoritate SS. Patrum. — Præter laudatas SS. Patrum auctoritates in præcedentibus §§, aliæ plurimæ, vel eorumdem, vel aliorum huic veritati suffragantur: imprimis vero S. Joannes Damascenus præter laudatam Orationem secundam, de qua superius, etiam in priori Oratione *De Dormitione B. Virginis* sic loquitur: *Cujus in partu incolumis virginitas mansit, eadem e vita migrante, corpus ita conservatum est, ut non dissolutum, sed ad præstantiorem, et diviniorem mortem, quæque non jam morte interrumpatur, verum in infinita sæculorum sæcula perduret, translatum sit.* Et infra: *Nec corpus illud tuum immaculatum, ac labis omnis expers in terra relictum est, verum in Cœlo, ac regiis sedibus, tu Regina, Domina, hera, ac vere mater, et genitrix translata es.* Et postea: *Quemadmodum si quis ingentis pretii unguentum vestibus, aut loco alicui imponat, ac rursus eximat, suavitatis reliquiæ obstructo etiam unguento, restant: eadem modo, nunc quoque divinum tuum, et sanctum, ac omnis prorsus maculæ expers, divinaque fragrantia refertum corpus: finis, inquam, ille gratiæ perennis, in sepulcro collocatum, ac deinde rursus ad præstantiorem et sublimiorem regionem abreptum, haudquaquam ita sepulcrum reliquit, ut honoris expers esset, verum tum divinam benedictionem, et gratiam impertit, tum sanctionum, ac bonorum omnium fontem iis, qui cum fide accedunt, monumentum reliquit.* — Adstipulatur Petrus Damianus, qui Sermone *De Assumpt.* ita loquitur: *Hæc est illa dies, quæ Cœlorum officinas sublimiori gaudio cumulavit, annua mundo, Angelis continua, homines Angelis, et Angelos hominibus felici fœderatione conjungens. Intuere mentalibus oculis Filium ascendentem, et Matrem assumptam: videbis aliquid excellentius in Ascensione Filii exhiberi, et aliquid gloriosius in Assumptione Virginis demonstrari. Ascendit enim Salvator in Cœlum potestativæ virtutis imperio sicut Dominus, et Creator Angelorum comitatus obsequio, non auxilio fultus: Assumpta est Maria in Cœlum, sed gratiæ sublevantis indicio, comitantibus et auxiliantibus Angelis, quam sublevabat gratia, non natura. Ideo dies hæc Assumptio, illa Ascensio vocatur: cum aliud sit potentia, aliud misericordia, solumque sibi sit privilegium Creatori naturam rerum propria potestate supergredi.* — Nec dicas Petrum Damianum in his verbis corporalem Mariæ in Cœlum Assumptionem non dicere, facile dicturus si Assumptionem fuisse hujusmodi credidisset. Hæc enim responsio falsitatis arguitur, non solum ex præfatis verbis, sed etiam ex his, quæ ibidem habet Petrus Damianus: *Tota conglomeratur Angelorum frequentia, ut videt Reginam sedentem a dextris Domini*

virtutum, in vestitu deaurato, in corpore semper immaculato, circumdata varietate, virtutum multiplicitate distinctam. — S. Bernardus apertissime huic veritati suffragatur, nam præter laudata in 1. § Sermone 1. *De Assumptione Virginis*, hæc habet: *Quis cogitare sufficiat, quam gloriosa hodie mundi Regina processerit, et quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium regionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ Canticis sit deducta, quam placido vultu, quam serena facie, quam divinis amplexibus suscepta a Filio, et super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium? Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo Mater applaudebat in gremio. Verum, nunquid non feliciora censebimus, quæ ab ore Sedentis in dextra Patris hodie in beata solutione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ? etc.* Et Sermone 1. *Tempus loquendi est omni carni, cum assumitur incorrupti Verbi Mater in Cœlum, nec cessare debet a laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales Spiritus exaltatur in Virgine.* Quorsum autem diceret Bernardus tempus esse loquendi omni carni, nisi carnem Matris Domini assumptam in Cælum crederet? Cur assereret solam hominis naturam exaltatam in Virgine, nisi quia prius in Christo non sola hominis natura, sed quatenus juncta hypostatice cum divina in Cælum fuerat sublimata? At de mente S. Bernardi aliquod esse dubium non potest, ex eo quod Petri Abailardi omnes ad minimum usque errores notaverit, ac perstrinxerit: nullibi autem carpit sententiam Abailardi de corporali Virginis in Cælum Assumptione, quam sic explicat Sermone *De Assumptione:* « Si diligenter, *inquit,* occursum Angelorum, et triumphalem pompam « Christo exhibitam hodiernæ comparemus festivitatis jucunditati, « videbimus plus aliquid in Assumptione Matris ei deferri, quam in « Ascensione Filii ipsi exhiberi; et hujus pompæ occursum illo non « mediocriter digniorem; soli quippe Angeli Ascendenti Christo occurrere potuerunt; ipse vero pariter cum tota superna Curia tam Angelorum, quam fidelium animarum ejus animam suscepit, quam « carnem antea susceperat; nec animam solum, verum etiam et corpus « ad Cælos hodie sustulisse creditur, ut animæ pariter et carnis glorificatione eam remuneraret, in qua, ut dictum est, simul animam « et carnem decrevit assumere. Cui quidem plurimum attestatur sepulcrum vacuum penitus repertum, sicut et antea fuerat Dominicum, « ut ipsa quoque Resurrectionis gloriam et genuinam stolam adepta « credatur ». — Bernardo æqualis fuit Hugo Victorinus, qui lib. 3. *De Eruditione Theologica,* c. 125. ita scribit: « Septimum (Privilegium « Deiparæ Virginis) est quod cum corpore suo, quantum credimus, in « Cælo vivit: licet enim B. Hieronymus (loquitur de Sermone Pseudo-« Hieronymi, de quo infra) hic opiniones ponat, non tamen factum « abnuit, sed rationi astutæ tota fidei nostræ colla submisit, in qua « dicimus non impossibile Deo esse, ut illud divinitatis habitaculum « singulare corruptioni non subjaceret, vel in omnibus. Qui enim trium « puerorum vestimenta in camino ignis illæsa servavit, corpus Matris « propriæ incorruptum servare potuit, et voluit ». — His accenseri potest Fulbertus Carnotensis, qui in Sermone *De Nat. B. Virginis* ita scribit: « Joannes ministravit ei post passionem et resurrectionem Domini in

« finem : fuit autem sanctissima in valle Josaphat, ubi est exædificata « Ecclesia in honorem ejus, et S. Joannes sepultus est Ephesi : post « vero cum religiosi Christiani reliquias Matris ejus, videlicet Domini, « respicere vellent, sepulcrum vacuum invenerunt, sed et in sepul- « cro B. Joannis respicientes non invenerunt, nisi manna. Credit « itaque Christiana pietas, quia Christus Deus Dei Filius Matrem suam « gloriose resuscitaverit, et exaltavit super Cælos ». — Hic non commemoro plurimos alios S. Bernardo æquales, qui eidem sententiæ subscribunt, puta Honorium Augustodinensem, Rupertum Tuitiensem, Adamum de S. Victore, etc. qui illo sæculo Assumptioni Deiparæ Virginis subscribebant. Non possum tamen silentio præterire sententiam illustrium Theologiæ principum, puta Alberti Magni, qui in quæstionibus super *Missus est*, q. 132, plurimis argumentis probat B. Virginem cum corpore et anima in Cælum esse assumptam. Eamdem sententiam tuetur Angelicus Doctor : nam ex festo Assumptionis corporalis tamquam indubitato principio colligit Virginem fuisse sanctificatam in utero materno, quod illius Nativitatis festum pariter Ecclesia celebret : sic enim scribit 3. p. q. 27. art. 1. *Respondeo dicendum, quod de sanctificatione B. Mariæ : quod scilicet fuerit sanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur, quæ etiam nec de ejus Nativitate mentionem facit. Sicut tamen Augustinus in sermone de Assumptione ipsius Virginis rationabiliter argumentatur, quod cum corpore sit assumpta in Cælum (quod tamen Scriptura non tradit), ita etiam rationabiliter argumentari possumus, quod fuerit sanctificata in utero.* Nec refert, quod in hujus veritatis assertionem proferat testimonium sermonis sancti Augustini, quem tamen posthac illius non esse, sed forte Fulberti Carnotensis probabimus : inde enim apparet nullam tempore S. Thomæ de corporea Virginis in Cælum receptione fuisse controversiam, quandoquidem nulla de isto sermone erat disceptatio. Eamdem veritatem tradit Opusc. 8. ubi ait : *Terræa* (supple maledictio) *fuit communis in mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur, et ab hac immunis fuit B. Virgo, quia cum corpore assumpta est in Cælo : credimus enim, quod post mortem resuscitata fuerit, et portata in Cælum.* Ei subscribit Doctor Seraph. in *Speculo B. Mariæ*, ubi hæc habet : *O quam longe ab isto incinerationis væ fuit* (ut credimus) *corpus Mariæ sanctissimum ! Hoc enim corpus est Arca sanctissima Dei, quam decuit non putrefieri, sed ad instar Filii sui ante omnem putrefactionem suscitari : unde tam de Filio, quam de Matre notabiliter ait Propheta : Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.* Eadem postmodum fuit Gersonis Cancellarii Parisiensis sententia, nam. 4. p. operum Serm. *De Conceptione :* « Spiritus sanctus, *inquit,* interdum « revelat Ecclesiæ, vel Doctoribus posterioribus aliquas veritates, vel « expositiones sacræ Scripturæ, quas non revelavit eorum prædeces- « soribus. Sic dicit Gregorius Danieli 12. Pertransibunt plurimi, et « multiplex erit scientia Domini. Ideo Moyses scivit plusquam Abraham, « Prophetæ, quam Moyses, Apostoli, quam Prophetæ, et Doctores addi- « derunt multas veritates ultra Apostolos. Quapropter dicere possumus « hanc veritatem, B. Mariam non fuisse conceptam in peccato origi- « nali, ex illis veritatibus, quæ noviter sunt revelatæ, vel declaratæ « tam per miracula, quæ leguntur, quam per majorem partem Eccle-

« siæ sanctæ, quæ hoc modo tenet. Fuit tempus aliquod, in quo non « tenebatur generaliter Mariam Virginem esse in Paradiso cum cor- « pore et anima, sicut modo tenetur, et similiter post institutionem « festi Nativitatis S. Joannis, Nativitas nostræ Dominæ ordinata fuit « per revelationem unius solius fœminæ, et multa similia ». — His, ut alios subinde quovis sæculo ad nos usque hujus compertissimæ veritatis, et ab Ecclesia receptissimæ Assertores prætermittam, unicum laudare placet S. Bernardinum, qui non solum B. Virginem in anima, et corpore assumptam in Cælum prædicat, sed etiam validissimis rationibus probat, quas in lectoris gratiam hic ascribendas duxi. Ait enim Sermone 12. qui est *De Assumptione B. Virginis*, art. 3. cap. 1. « Licet, inquit, de hoc (nempe Assumptione corporali) auctoritas sacræ Scripturæ non reperiatur expressa; non tamen Scripturæ repugnat sacræ, sed ei potius consonat et concordat, ac etiam multiplex ratio efficacissime persuadet; nam secundum Augustinum nullus dubitat, quod Jesus hoc potuit: minus profecto dubitare debet, quod ipse voluit, quia hoc filialem reverentiam decuit. Quod autem B. Virgo tam corpore, quam anima gloriosa regnet in Cælis, ostenditur septemplici ratione.

§ V. Probatur eadem veritas ratione a S. Bernardino. — *Primo* propter unitatem substantiæ carnis in matre, et prole. Cum enim ex carne matris decidatur naturaliter caro prolis, eadem utriusque est profecto substantia carnis. Ergo a generali sententia mortis, quamvis Christus Dei Filius non exemerit Matrem, quia ab illa nullus, nec ipse voluit esse alienus, ac per hoc mortuus est Filius, mortua et Mater; attamen sicut caro prolis corrupta non fuit: Ps. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, sic nec debuit corrumpi, seu incinerari, seu in pulverem redigi sanctissima caro Matris, unde caro Filii assumpta est. Ergo caro animæ est reunita, et B. Virgo Maria simul in anima et corpore est glorificata. — *Secundo* propter incorruptibilitatem. Multiplex quippe sententia lata fuit in mulierem. Prima contra alias mulieres. Unde Gen. 3. cap. Dominus ait: *Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos, in dolore paries filios, et sub viri potestate eris*. Maria quippe ærumnas multiplicavit: quando, ut dicitur Lucæ. 2. c. animam ejus in passione Filii doloris gladius pertransivit: sed conceptus non multiplicavit, nec sub viri potestate degnit, quæ integerrimis visceribus, et virginitatis integritate permanente de Spiritu S. concepit; quem quia sine peccati colluvione, et virilis admixtionis detrimento suscepit, sine dolore peperit, et sine integritatis violatione integro virginitatis pudore permansit. Quia vero potuit, et voluit Matrem ab integritatis corruptione, et pudoris violatione in conceptu et partu, ultra sententiam latam contra quaslibet mulieres servare immunem, potuit, et velle decuit servare a corruptione resolutionis et incinerationis, præter, imo ultra generalem conditionem humanæ naturæ. Sic ergo dicimus, Matrem Domini humanæ sortis moralitatem subiisse, ut tamen mortis nexibus non potuerit detineri, per quam sine corruptione Dominus voluit concipi atque nasci. — *Tertio*, propter honorabilitatem, hoc est, ut conservaret honorem Matris. Exodi idem 20. cap. scriptum est: *Honora Patrem tuum, et Matrem tuam*. Si ergo Christus *non venit solvere legem, sed adimplere*,

ut dicitur Matth. 5. quemadmodum, ut potuit. Patrem honoravit, sicut dicitur Joan. 8. c. *Ego honorifico Patrem meum:* ita debuit Matrem, quomodo potuit, honorare. Si ergo opprobrium humanæ conditionis, et vituperium est putredo et vermis, sicut ab isto opprobrio ipse extitit alienus, ita Matrem debuit conservare immunem, cum eadem sit caro matris, et prolis. Sicut igitur in vita eam gratia conceptus, et partus præ cæteris honoravit, ita indubitanter sentiendum est in morte eam speciali gratia honorasse. — *Quarto*, propter dignitatem et sanctitatem. Tanta enim fuit Mariæ dignitas atque sanctitas, ut mereretur esse Mater Sancti Sanctorum Dei: sicut autem Filius est Sanctus Sanctorum, ita constat, quod Mater, quæ ipsum portavit, est Sancta Sanctorum, in qua erat ille pretiosus thesaurus, tabernaculum Dei, thronus Dei, atque thalamus. Tantam autem sanctitatem, tantam dignitatem nulla corruptio putredinis debet sequi, nulla resolutionis incineratio. Nullo igitur modo dignum videtur, aut consonum rationi, quod illud sacratissimum corpus, de quo Christus carnem suscepit, et in quo personam divinam naturæ humanæ univit, ut Verbum caro fieret, et habitaret in nobis, ipsis vermibus fieret esca, et post vermes pulvis abjectus efficeretur. — *Quinto*, propter conformitatem scilicet matris, et prolis. Mater enim Filio suo perfecte conformis fuit, et præcipua imitatrix. Si ergo Joan. 12. cap. ipse ait: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit:* Maria quippe Christi præcipua imitatrix, non tantum gressibus pedum, sed etiam pro reverentia ipsum Dominum secuta est affectu pietatis, fidei, religionis, et amore ardentissimæ charitatis, ut numquam ab ejus fide, atque dilectione avelli potuerit, quem de Spiritu sancto, Angelo nuntiante, concepisse novit. Nam ipsum concepit, ipsum peperit, lactavit, bajulavit, a facie Herodis abscondit: ergo esse non debuit, nisi ubi est Christus. Et non tantum quomodo alii Sancti sunt, sed quadam speciali prærogativa. Quoniam, sicut Matth. 16. cap. scriptum est: *Ipse reddet unicuique juxta opera sua.* Si igitur omnium Sanctorum mors pretiosa est, mors Mariæ est pretiosissima, quam tanta concomitata est gratia. Si igitur in vita Maria præ omnibus donata est gratia, in morte profecto minuenda non est: sed ubi Christus Filius Dei regnat mente et corpore collocata est. *Rursus* si Maria Christo conformissima fuit tamquam Mater in puritate, et in nobilitate, seu in regia dignitate, profecto non debet Mater a Filio, Regina a Rege, non tantum mentaliter, sed nec corporaliter separari. Ergo Maria Christi Regina cæli, una cum ipso debuit glorificata in anima et corpore in cœlestibus collocari. — *Sexto*, propter æquitatem: ut enim Ambrosius ait: *Christus Dominus noster utriusque sexum sanaturus advenit.* Proinde virum suscepit, natum tamen ex muliere. Perfecta autem curatio, atque perfecta liberatio in resurrectione manifestatur: ergo resurrectio in utroque sexu manifestari debuit in testimonium perfectæ curationis. Sicut igitur quantum ad virilem sexum manifestata est et in Christo apparuit, ita et in fœmina debuit apparere. In nulla autem alia fœmina manifestari congruentius potuit, vel debuit, atque decuit, quam in dulcissima Matre Christi, quæ in vita libera extitit ab omni corruptione. Et hoc est, quod Propheta in persona Domini, ait: *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut Luna perfecta in æternum*

et testis in cælo fidelis. Thronus siquidem Dei Filii Mater illius est, quæ in conspectu ejus, sicut sol fulgens est, quantum ad gloriam animæ. Et sicut Luna perfecta in æternum, quantum ad gloriam corporis sine defectu, proinde gloriæ resurrectionis fidelis est testis. — *Septimo,* propter integritatem, hoc est propter beatitudinis complementum. Nam, ut ait Augustinus sup. *Genes. ad litteram*, et Bernard. *De diligendo Deo*, propter appetitum administrandi corpus animæ retardantur, ne totaliter ferantur in Deum, tamquam in summum bonum, excepta sola anima Christi, quæ unita erat Verbo unitate personæ, quæ propter personalem unionem in nullo retardabat, aut patiebatur gloriæ detrimentum. Cum igitur complementum gloriæ sit in reassumptione secundæ stolæ; inconveniens et indecens esse videtur, quod Mater Dei, Regina cæli aliquod detrimentum gloriæ patiebatur. Ergo necesse fuit ut corpus, licet propter conditionem carnis anima fuerit a corpore separata, tamen una cum corpore postmodum extitit glorificata. In eodem quoque libro adducit August. exempla Scripturæ sacræ; ait enim: *Nam divina voluntas inter crepitantes ignes non solum corpora trium puerorum illæsa, sed etiam vestimenta servavit inusta.* Dan. 3. Cur ergo non efficiat in Matre propria, quod fecit in aliena? *Servavit* Jonam in ventre Ceti incorruptum præter naturæ solitum cursum. Jonæ 2. cap. et Matrem præter naturam non servabit incorruptam? Servatus est Daniel in arctissimo, seu intemperatissimo lacu Leonum, Dan. 14. Cur ergo non est servanda Maria tantis dotata meritis dignitatum? — Quod autem S. Bernardinus ibi commemoret sententiam SS. Augustini, et Hieronymi, inde fit, quod existimaverit sermonem de Assumptione, qui nomine S. Augustini vulgabatur, revera sanctissimi hujus Doctoris genuinum esse fœtum, cujus tamen contrarium ibidem apparet, quippe in eo, non longe ab initio citatur S. Isidorus, qui Augustino posterior extitit. Idem ferendum judicium de sermone illo vulgato sub nomine S. Hieronymi, qui quoniam adversariorum est Achilles idcirco eum jam expendere placet.

§ VI. — Proponuntur ac solvuntur Objectiones. — Objiciunt itaque primo adversarii sermonem illum prænotatum nomine S. Hieronymi, qui incipit: *Cogitis me, o Paula, et Eustochium, etc.* Ubi larvatus ille Scriptor usurpato nomine, et ementito stylo S. Hieronymi, Ecclesiæ de Assumptione corporali Virginis doctrinam invadit, ac tanti viri auctoritate convellere nititur: nam inter cætera, cum dixisset Virginis Mausoleum in Vallis Josaphat medio vacuum ostendi, subdit: *Hæc idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant, utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an obierit, relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, aut a quibus personis sanctissimum corpus inde ablatum fuerit, vel ubi transpositum, utrumne resurrexerit nescitur.* Et infra: *Verumtamen quid horum verius censeatur ambigimus: melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam aliquid temere definire velimus auctoritate nostra, quod non probamus: sicuti et de iis, quos cum Domino teste Evangelio resurrexisse credimus, sed utrum redierint in terræ pulverem, certum non habemus.* Igitur tempore S. Hieronymi incertum omnino erat B. Virginem anima et corpore simul fuisse in cælum assumptam. — **Nego consequentiam**, et

ad *antecedens* dico cum Baronio ad annum Christi 18. n. 13. Sermonem istum non modo non esse Hieronymi, sed nec ullius sinceri ac veri Scriptoris, sed cujusdam alterius Auctoris, qui ad promerendam fidem, nomina Hieronymi, Paulæ et Eustochii veteratorie usurpavit. Quod utique gravissimis momentis facili negotio demonstratur. *Primo* namque falso supponit se Paulæ, et Eustochii precibus compulsum, hunc sermonem scribere, quo enim tempore scribebat, jam a 44. ad minimum annis, Paula e vita migraverat: siquidem in eo sermone adhortatur Paulam, ut caveat ab errore Nestorii et Eutychis. *Nestoriana* autem hæresis, ut scribit S. Prosper in Chronico, exorta est, et propalari cœpit anno Christi 428. *Eutychiana* vero consignatur anno 448. quemadmodum ex Actis Concilii Constantinopolitani in Chalcedonensi Concilio relatis colligitur. Paula autem diem extremum clausit anno Christi 404. nam S. Hieronymus in epitaphio ipsius Paulæ, ita scribit: *Dormivit sancta, et B. Paula 7. Kal. Feb. tertia Sabbati, post solis occubitum, sepulta est 5. Kal. earumdem, Honorio Augusto sexies, et Aristenio Consulibus* (Aristeneto restituendum est). Incidit autem hæc Epoca in annum Christi 404. *His adde*, quod iste larvatus Scriptor nomine S. Hieronymi hunc sermonem scribat circa an. 448. cum tamen ex Chronico S. Prosperi constet S. Hieronymum obiisse anno Christi 420. Quod autem utramque hæresim Nestorii et Eutychis ille perstringat, sufficienter constat his verbis: *Hinc etiam Theotocon eam recte confitemur, Dei scilicet genitricem: necnon et Christotocon: non quod Verbum carnem secum detulerit, neque olim præfatæ carni copulatum sit: sed tunc quando Verbum caro factum est ex carne Virginis. Divinitatis, atque humanitatis substantia in utero ita inconfuse unitur, ut ex persona sit Deus, et non Christus.* His, inquam, verbis, utramque hæresim impugnat, nempe Nestorii, qui negabat Virginem esse Theotocon: et Eutychis affirmantis duas in Christo naturas non permansisse inconfusas, et impermixtas post unionem. — « *Secundo*, inquit Baronius n. 18, quomodo, quæso, auctor ille, qui « Hieronymum esse mentitus est, dicit Dei Genitricis sepulcrum eo « tempore, quo vivebat Hieronymus, desuper terram omnibus fuisse « perspicuum? Qua enim ratione Epiphanius Jerosolymis sæpe ver- « satus (ut de eo tradit Hieronymus) se ambigere ait, an mortua fuerit, « si ejus sepulcrum ob oculos omnium positum, perspicuum omnibus « statum esset? Vel quomodo de eo mentionem facere Hieronymus « prætermisisset, qui relegens cuncta Palæstinæ loca, quæ S. Paula « Roma veniens invisit, et ut taceam de Christi sepulcro, alia cuncta, « quæ ibi erant memoria digna monumenta, recenset, ut 12. Patriar- « charum, Josue, Eleazari filii Aaron, Elisæi, Abdiæ, Michææ, Joannis « Baptistæ, Lazari, necnon et Mausoleum Helenæ Adiabenorum Re- « ginæ, quæ tempore Claudii populum fame laborantem pavit? Quis « adduci potest, ut credat unum tantum Dei Genitricis sepulcrum a « Paula spretum, ut non inviserit? vel Hieronymum ita mente ex- « cidisse, ut non meminerit? cum præsertim agens de Gethsemani « in libro *De Locis Hebraicis*, unam tantum illic erectam Ecclesiam, « ubi Dominus in horto oravit, affirmet, nec de contiguo eidem loco « Dei Genitricis sepulcro vel verbum faciat? Ex his igitur mani- « festior redditur hominis impostura, qui nomine ejusdem Hieronymi

« dictam epistolam scripsit ad Paulam, dum hæc ait: *Monstratur*
« *autem sepulcrum ejus cernentibus nobis usque ad præsens in vallis*
« *Josaphat medio, quæ vallis est inter montem Sion, et montem Oli-*
« *veti posita, quod tu, o Paula, oculis conspexisti, ubi in ejus honorem*
« *fabricata est Ecclesia miro lapide tabulata, in qua sepulta fuisse,*
« *ut scire potestis, ab omnibus prædicatur, sed nunc vacuum esse mau-*
« *soleum cernentibus ostenditur.* Hæc egregius ille mendaciorum con-
« cinnator, qui non ex his tantum quæ diximus arguitur patentis
« mendacii, sed etiam ex Eusebio lib. 3. *Vitæ Constantini*, cap. 24. et
« aliis, qui egerunt de locis sanctis Constantini temporibus repertis,
« et ædificiis illustratis, cum nullus eorum vel levem saltem de se-
« pulcro Virginis fecerit mentionem ». Hæc Baronius. Constat itaque sepulcrum Virginis diu latuisse, et forte dumtaxat circa tempora Juvenalis Jerosolymitani Antistitis innotuisse : quo factum est ut illius inventione per orbem evulgata, Marcianus Imperator, et Pulcheria moti fuerint ad accersendum ipsum Juvenalem, eumque deprecandum, quod si quas sacratissimæ Virginis reliquias haberet, ad eos transmitteret, reponendas in augustissimo templo, quod in honorem B. Virginis ædificari curaverant in Blachernis, ut dictum est pag. 866. — *Tertio*, Auctor ille, quisquis est, nugas ac fabulas comminiscitur longe a gravitate sermonis S. Hieronymi alienas ; affingit enim Paulæ ludicras ac fictitias visiones, quas palam evulgat, cum tamen a Paula sibi sub secreto consignatas asserat, puta cum ait, circa initium, Paulam alloquens : *Ad præsepe quoque, o Paula, te teste, nato puero, multitudinem Angelorum inter crepundia novi partus, et querelas nescii ploratus pro fescenninis, Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, cantantem audisti, et radiantem stellam vidisti. Pastoribus insuper evangelizantibus credidisti ; Magos præterea tria deferentes munera in visione beatis oculis conspexisti, ipsa eadem munera bene intelligendo, votis omnibus fide Deo obtulisti. Nam et cum eisdem Magis Deum puerum in præsepio adorasti. Sed forte conquesta, me delatorem, quod te prodiderim, clamabis. Ad quod ego, si celatum esse volebas teste conscientia, mihi narrare ante præsepium, ubi plurimum lacrimata es, non debueres : quod ut verum fatear, Christi præconia, etiamsi voluero adjuratus, neque tuas laudes omnino tacere queo. Idcirco te tuæ interrogent filiæ, quas lacte nutris : tu ea melius reserabis, quæ nescio speciem aliquam, aut certe in spiritu vidisti.* Quibus verbis auctor ille quisquis est, plurima profert, quæ ne capillo quidem gravem S. Hieronymi eloquentiam sapiant. Quis enim ferat Canticum Angeli cum fescenninis obscenis versibus assimilari ? Quis existimabit, S. Hieronymum christianæ humilitati imprimis studentem, S. Paulæ, cui maxime sui demissionem in auribus instillabat, voluisse inanis gloriæ stimulos subjicere, propalando, ipsa vivente, divinas revelationes ei factas ? Quis in animum inducet virum prudentissimum sibi commissa in aure secreta evulgare voluisse ? Nec certe minus apparent falsa, quæ subjicit, cum ait : *Omnia Salvatoris gesta, et B. Mariæ obsequia, necnon et actus vitæ ex Evangelio didicistis.* Vellem enim proferret ille, ex qua Evangelista actus vitæ B. Virginis deprompserit. *Verum*, ut interdum veritas suos etiam oppugnatores ad sui tutelam et patrocinium cogit, inde factum est, ut ipse Pseudo-Hieronymus,

qui impugnandæ corporalis Assumptionis partes acceperat, illius fuerit assertor; enimvero festum in honorem assumptæ Virginis ab Ecclesia celebrari solitum nomine *Assumptionis* testatur, cum ait circa initium: *De Assumptione tamen ejus qualiter assumpta est (quia vestra id deposcit intentio) præsentia absens scribere vobis curavi, quæ absentia præsens devotus obtuli: ut habeat sanctum Collegium vestrum in die tantæ solemnitatis munus Latini sermonis, in quo discat tenera infantia lactis experiri dulcedinem, et de exiguis eximia cogitare: qualiter, favente Deo, per singulos annos tota hæc dies expendatur in laudem, et cum gaudio celebretur:* subdit autem illam sententiam de corporali Assumptione etiam suo tempore apud plurimos inolevisse. *Quamvis*, inquit, *nonnulli adstruere velint eam jam resuscitatam, et beata cum Christo immortalitate in cœlestibus vestiri.*

Instant adversarii: Sermonem istum pro genuino S. Hieronymi fœtu dudum habuit Ecclesia, quæ partem illius in Breviarium induxit pro lectionibus recitandis illo ipso die festo Assumptionis; ut videre est in Breviariis antiquis non solum particularium Ecclesiarum, et Ordinum, sed etiam in Breviariis Romanis, in quibus ab eo tempore quo celebrari cœpit festum Assumptionis etiam cœperunt legi lectiones decerptæ ex illo sermone sub nomine S. Hieronymi. — *Deinde*, cum tempore Caroli Magni suborta fuisset aliqua de assumpto in cælum Virginis corpore controversia, et nonnulli negarent Virginem assumptam in corpore, freti auctoritate ipsius sermonis, qui vulgabatur sub nomine S. Hieronymi, cumque Monachus quidam Corbiensis cœpisset impugnare sermonem istum, ac demonstrare illum revera non esse S. Hieronymi, ipsi obstitit Hincmarus: scribit namque Flodoardus Rhemensis Hist. lib. 3. cap. 8. *Item scripsit pro libello historiæ de ortu sanctæ Mariæ, et hom. B. Hieronymi de Assumptione ipsius Genitricis, quæ quidam Monachus Corbiensis non esse recipienda contendebat. Ad quæ respondit idem Dominus præfatam historiam habere nos ad lectionem, non ad proferendam auctoritatem; homiliam vero eamdem asserit a Hieronymo catholice dictatam, sicut et stylus, et cautela sensus, et intellectus, et alia certa indicia demonstrant. Et certe personæ, per quas de partibus Orientalibus tempore certo delata ad Regiones nostras pervenit, fidem faciunt.* Nec Hincmarus dumtaxat, sed et plurimi alii prætatum sermonem esse S. Hieronymi testati sunt. Sic enim Odilo Cluniacensis Abbas in Sermone *De Assumptione Virginis* manuscripto, quem habet Cluniacensis Bibliotheca. *De ejus*, inquit, *meritis et gloriosissima hodierna ejus Assumptione divinæ legis Interpres S. Hieronymus, et alii egregii Doctores tanta et talia potuerunt, et voluerunt dicere, quibus nos non debemus aliquid adjicere.* — Similiter *Durandus Episcopus Mimatensis* lib. 7. *De Divinis Officiis*, cap. 24. sic scribit: Hieronymus dicit: Quemadmodum B. Virgo assumpta fuerit, sive in corpore, sive extra corpus nescio; Deus scit: « Augustinus vero dicit, quod in corpore. Veritas tamen est, quod « primo assumpta est in anima: utrum vero corpus remansit in terra, « incertum habemus: et melius est pie dubitare, quam aliquid temere « definire: pie tamen credendum est eam fuisse totaliter assumptam ». — His adstipulatur *Ado Viennensis* Episcopus, qui in libello *De festivitatibus* sub finem ad VII. Idus Septembris, ita scribit: « Cujus (San-

« ctissimæ Dei Genitricis) dormitionem XVIII. Kal. Septembris omnis « celebrat Ecclesia, cujus et sacrum corpus non invenitur supra terram, « sicut nec B. Moysis sepulcrum, quem sacra Scriptura dicit a Do- « mino sepultum : tamen pia mater Ecclesia, quæ suis observationibus « integerrima fide fundata consistit, ejus venerabilem memoriam sic fe- « stivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet, « ubi venerabilis Spiritus sancti templum illud, idest, caro ipsius bea- « tissimæ Virginis Mariæ divino nutu et consilio occultatum sit, magis « elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quam aliquid frivolum, « et apocryphum inde tenendo docere ». — Similia ferme habet *Usuardus*, quem Vosius lib. 2. *De Hist. Latinis*, dicit esse *Monachum cœnobii Fuldensis Ordinis D. Benedicti auditorem Alcuini*. Philippus vero Labbe, in Bibliotheca Chronologica, asserit fuisse Monachum Ordinis S. Benedicti, *et S. Salvatoris Vicecomitis Abbatem* in inferiori Normania : cæteri vero existimant eum fuisse *Monachum cœnobii S. Germani apud Parisios*, hoc nixi fundamento, quod in pervetusto Martyrologio Manuscripto a Petro Pithoeo S. Germani Monasterii Patribus donato, hæc in fine prologi legantur : *Explicit prologus Usuardi Monachi S. Germani Parisiensis*. Ille, inquam, in suo Martyrologio hæc habet : *Decimo octavo Kalend. Septembris. Dormitio sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus sacratissimum corpus, etsi non invenitur super terram, tamen pia mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quo autem venerabile illud Spiritus sancti templum nutu et consilio divino occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quam aliquid frivolum et apocryphum inde tenendo docere.* Igitur his omnibus momentis constat tum præfatum sermonem esse S. Hieronymi, tum Ecclesiam non habere pro certo B. Virginem in corpore simul, et anima esse receptam in cælo. — **Nego consequentiam**, et ad *primum* caput dico, non esse mirum, quod plurimi auctores hunc sermonem laudaverint, et aliquot Ecclesiæ lectiones ex eo in suis Breviariis inscripserint, cum diu existimatum fuerit hunc sermonem esse revera S. Hieronymi, et propterea plurima in eo in Deiparæ Virginis commendationem, et gloriam non solum eleganter, sed et pie scripta habeantur; unde non mirum, quod Ecclesia Romana aliquando ex eo sermone Lectiones deprompserit, nam, ut observat Pius V. in sua constitutione præfixa Breviario a se edito, et a pluribus nævis, quibus scatebat, repurgato, in antiquis Breviariis plurima erant aliena, et incerta, quæ omnino expuncta fuere : sicut et pridem jam rescissus fuit a Breviario Romano ille Pseudo-Hieronymi sermo; ac subinde ei nulla accersitur auctoritas, et commendatio, quod vel quædam illius pars aliquando fuerit inserta Breviariis, vel quod plurimos habuerit laudatores. Quibus curæ, ac cordi non fuit investigare, et perscrutari, an revera sermo ille, qui vulgabatur sub nomine S. Hieronymi, illius esset, necne; cum de eo nulla tunc moveretur controversia. Nam quod Hincmarus illius sermonis defensionem susceperit adversus Monachum Corbiensem, non ea ratione fecit, quasi ipse corporalem Deiparæ Virginis Assumptionem in dubium revocaret : qua fide enim id fuisset aggressus, cum paucis ante annis a Patribus Concilii Moguntini asserta fuisset Assumptio corporea, quod utique Hincmarum latere non

potuit? Nil igitur aliud præstitit Hincmarus, quam sermonem illum, quem existimabat esse S. Hieronymi, benigne interpretari, ne illius ratione S. Hieronymus apud Catholicos sinistre audiret; istud enim innuere videtur Flodoardus, cum ait: *Homiliam vero eamdem asserere* (Hincmarum) *ab Hieronymo catholice dictam, sicut et stylus, et cautela, sensus, et intellectus, et alia certa indicia demonstrant.* — Quantum autem spectat ad Adonem, et Usuardum, jure merito eos carpit Baronius ad an. 48. n. 15. his Verbis: « Usuardus, et Ado in suis Martyrologiis, putantes scriptionem illam de transitu B. Mariæ, Hieronymi esse germanam, rursumque id esse tantum in Ecclesia, quod « ille sensisset, existimantes; quasi ex sententia Ecclesiæ, hæc in hunc « modum descripta posuerint 18. Kal. Septemb. Dormitio sanctæ Dei « Genitricis Mariæ, cujus sacratissimum corpus, etsi non inveniatur « super terram, tamen pia mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non « dubitet. Quo autem venerabile illud Spiritus sancti templum nutu « et consilio divino collocatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ « cum pietate nescire, quam quid frivolum et apocryphum inde tenendo docere. Hæc ipsi. Sed dum se apocryphum vitare putant, in « deterius lapsi sunt. At unde tandem hæc ab eis accepta, unde deducta? Non aliunde certe, quam ex illo, non dicam tantum apocrypho « libro, sed impostura, Hieronymi nomine pervulgata, vel recens a « quibusdam, ut Erasmo, falso adscripta Sophronio: ibi enim hæc « eadem fere verba, vel quæ eamdem prorsus sententiam reddant, « habentur: propter cautelam, salva fide, pio magis desiderio opinari « oporteat, quam inconsulte definire quod sine periculo nescitur. Hæc « ibi, et alia plura in eamdem sententiam, ut illud supra: quid horum « verius censeatur, ambigimus, anima ne tantum, vel juncta corpori « sit in cælum recepta. Laudanda forte modestia, nisi esset labefactata mendacio. Si enim sententia Domini, qui a semetipso loquitur, « mendax est; quanto magis, qui falso, quo aliquam aucuparetur « fidem, sese Hieronymum simulavit; ut quem constat post Nestorii « vixisse tempora, tam familiariter Paulam, et Eustochium allocutus « videatur? Ex his itaque vides, quales sint ejus merces, quas non nisi « hisce offusas tenebris licuerit venditare, cum sincera veritas luce « gaudeat ». *Paulo post:* « Sed Usuardum, et Adonem ad institutam « semel orationem iterum revocemus. Unde, quæso, vobis ista nomenclatura noviter usurpata, ut Dormitionem, non Assumptionem dicatis, « cum præsertim pridie ejus diei ambo dixissetis, *Vigilia Assumptionis?* « Cur non potius vestra sententia, Vigilia dormitionis? Cur hæc inconstantia sermonis? Cogor equidem cum Apostolo dicere: *Currebatis « bene; quis vos impedivit?* An fortasse moti estis exemplo Græcorum, « qui item Dormitionem dixerunt? Sed nec vobis hujusmodi suffragatur exemplum: cum alioqui Joannes Damascenus, et alii qui dormitionem dixerunt, eam tamen una cum corpore in cælum esse assumptam aperte testati sint; nec, ut vos, id affirmare dubitaverint. « At sane (ut liquido apparet) nihil ad hæc vos impulit, nisi Hieronymi, quam putabatis, auctoritas. Hinc excusatione aliqua digni « essetis, quod Hieronymi nomine decepti estis, si Romanæ Ecclesiæ. « quod sequeremini, exemplum defuisset. An non præcedebant, quæ

« sectari debuissetis, Romani Martyrologii vestigia antiquissima, in « quo non Dormitio, sed Assumptio dicitur? Qua voce semper Romana « Ecclesia usa est, ut est videre in Ordine Romano, Sacramentario « Sancti Gregorii, aliisque antiquis Ritualibus, et Missalibus libris. « Ecquid, rogo vos, sibi vult, quod dum aliorum omnium recolit Ec- « clesia Sanctorum Nativitatis, nempe migrationis ex hac vita cele- « britatem, natalem diem nominare consuevit, vel migrationem, vel « aliquando dormitionem, hanc nec migrationem vocat, sed Assum- « ptionem appellat, nisi quoniam non solius animæ ad Deum tran- « situm, sed et corporis simul evectionem voluit significare? Sicut enim « cum Christi anima una cum carne cælos propria, non aliena virtute « conscendit, Ascensionem vocat; ita Dei Genitricis migrationem, quod « non suapte virtute, sed Filii gratia a mortuis resurrexerit, et in « cælum evecta fuerit, proprietate loquendi maluit Assumptionem Ec- « clesia appellare. Porro non hi tantum ea epistola commentitia, Hie- « ronymi nomine scripta, vel Sophronio falso attributa, sed et alii « complures eorumdem auctoritate decepti sunt, quod dixerint: *Plus « elegit sobrietas Ecclesiæ nescire cum pietate, quam aliquid frivolum « et apocryphum inde tenendo docere;* ut inter alios auctor ille ser- « monis, qui hactenus Augustini nomine latuit (est autem trigesimus « quintus de Sanctis), sed falso: cum enim citetur ab eo Isidorus, alium « ab Augustino esse auctorem, certum est: ille, inquam, eadem Hie- « ronymi auctoritate perculsus, nec verbum proferre de Assumptione « cum corpore ausus est. Sed dicant, velim, ubinam, aut quando, vel « quo saltem levi signo, id quod dicunt, Ecclesia professa sit se ne- « scire, cum alioqui licet nullum de ea re decretum edixerit, in ipsis « sacris Ecclesiasticis precibus, quas ea die publice recitare consuevit, « id affirmasse sæpius videatur, Versibus, Responsoriis, Antiphonis, « et Lectionibus; in quam sententiam cum Patres omnes, qui de ea « re egerunt, æque conspirent, et Scholasticorum classis, et procacis « sit animi indicium, Ecclesiæ universalis usui, et tot Patrum sen- « tentiis non acquiescere, maximamque omnium esse temeritatem his « omnibus contradicere, cum præsertim quæ Hieronymi, vel Sophronii « nomine scripta est epistola, quam refellimus, ac proinde Augustino « Sermones de Assumptione falso adscripti, quos merito Lovaniensis « Schola rejicit in angulum, vel quæ id genus sunt aliæ apocryphorum « quisquiliæ, quæ potius detrahant, quam probent veritatem, eadem « omnia alia adhuc confitemur ratione, ut manifestæ arguantur falsi- « tatis ». Hæc Baronius, quæ idcirco, quamquam paulo longiora, vo- luimus hic inserere, quoniam compendiose omnia fere perstringit, quæ fusius huc usque disseruimus.

Petes: *quo tempore existimetur concinnatus supra dictus sermo Pseudo-Hieronymi?* — **Respondeo** mihi non improbabile videri libellum istum fuisse editum et vulgatum post annum 680, quo celebrata est sexta Œcumenica Synodus, in qua damnata fuit Monothelitarum hæ- resis, quippe acriter pugnat pro duabus operationibus Christi, ait enim: *Constat igitur unum, eumdemque Christum secundum utrasque formas operatum, humanitatis scilicet, ac Divinitatis, ac per hoc duas exer- cuisse operationes: operata est enim utraque forma, vel natura cum*

alterius communione, id quod proprium habuit: Verbo siquidem operante, quod Verbi est, et carne quod proprium habuit. Quæ verba videntur mutuata ex sexta Synodo. *Adde quod* si libellus iste vulgatus fuisset sub nomine S. Hieronymi ante præfatam Synodum; haud dubie omnes sacri Præsules, et Doctores, qui acerrime congestis SS. Patrum Oraculis adversus Monothelitas pugnaverunt, eorum aliquis laudasset præfatum libellum S. Hieronymi: at nullus, quem viderim, illius ævi Scriptor ipsius mentionem facit; ac subinde non videtur iste libellus tunc temporis in lucem editus: igitur conjicere licet eum fuisse vulgatum circa finem sæculi septimi; cum videlicet Areulphus in Galliis reversus narrare cœpit ea, quæ audiverat a Monacho de sublato corpore Virginis: occasione namque illius narrationis aliquis novitate hujus sententiæ delectatus istum sermonem edidit, cui ut fidem aliquam conciliaret, sub nomine S. Hieronymi illum evulgavit.

§ VII. — Sententia sacræ Facultatis Parisiensis pro Assumptione corporea B. Virginis. — His omnibus accedit sacræ Facultatis Parisiensis de Assumptione corporali Virginis Deiparæ sententia, ac doctrina, quæ utique apertissime enituit circa annum Christi 1497, gravi edita censura adversus Fr. Joannem Morcellum Dominicanum, qui cum inter concionandum quatuor in Ecclesia S. Benedicto sacra propositiones de B. Maria Virgine insulse protulisset, id ubi ad sacram Parisiensem Facultatem relatum fuit, duo statim præstitit: *Primum*, Comitiis habitis die 23. mensis Augusti, jussit propositiones revocari ab eodem fratre Morcello, quem sibi eo consilio sisti voluit. *Deinde* habito consensu D. Joannis Simonis, qui tunc Parisiensi Ecclesiæ præerat Episcopus, mandavit eidem Morcello, ut in Concione, quam habiturus erat eadem in Basilica festo die Nativitatis S. Mariæ, tum propositiones a se temere editas revocaret, tum censuram coram populo legeret, qua sacra Facultas singulas ex illis propositionibus notaverat. Quod utrumque a Morcello præstitum. Hujus autem censuræ sacræ Facultatis Parisiensis tenor sequitur: « Anno Domini 1497. Au-
« gustini 26. qualificavit Facultas approbando novem Deputatorum sen-
« tentiam, propositiones Fratris Joannis Morcelli Prædicatoris modo,
« qui sequitur. *Prima propositio:* Deus potest producere creaturam
« puram in majori gloria, quam sit Virgo Maria de potentia absoluta,
« licet non de potentia ordinaria. *Censura:* Quoad primam partem, licet
« sit vera, tamen inepte, indiscrete, infructuose, et sine ædificatione
« populi taliter prædicanda. Quoad secundam partem, si comparare
« intendat Virginem ad humanitatem Christi, vel animam ejus quoad
« gloriam, falsa est, erronea in fide, et sic revocanda. — *Secunda*
« *propositio:* Problema est Virginem Mariam pulchriorem esse corpo-
« raliter Eva. *Censura:* Est temeraria, laudis et dignitatis Virginis
« detractiva, falsa, dictis Sanctorum dissona, Scripturæ sacræ verisi-
« militer contraria, de hæresi suspecta; ideo revocanda. — *Tertia pro-*
« *positio:* Christum occurisse Virgini Mariæ in sua Assumptione apo-
« cryphum est. *Censura:* Falsa est, contra scripta Doctorum, impie-
« tati favens, piarum aurium offensiva, retractiva populi a devotione,
« quam habet ad Virginem Dei Genitricem: ideo revocanda. — *Quarta*
« *propositio:* Nos non tenemur credere sub pœna peccati mortalis, quod
« Virgo fuit assumpta in corpore et anima, quia non est Articulus

« Fidei. *Censura:* Ut patet, temeraria, scandalosa, impia, devotionis « populi ad Virginem diminutiva, falsa et hæretica; ideo revocanda « publice. Revocatæ sunt 23. per Prædicatorem Fratrem Joannem Mor- « cellum, in præsentia Facultatis, revocabitque coram populo in die « Nativitatis Virginis Mariæ proxime ventura in Ecclesia S. Benedicti, « ubi propositiones prædicaverat in die Assumptionis, cujus revoca- « tionis copia, et schedulæ per Facultatem Theologiæ confectæ, de « consensu Reverendi in Christo Patris, et Domini Episcopi Pari- « siensis, datæ per prædictam Facultatem Fratri Joanni Morcello ad « pronunciandum in suo sermone, quem fecit in die Nativitatis B. Mariæ « in Ecclesia *S. Benedicti bene versi.* Parisiis anno, die, mense præ- « dictis ». Ex quibus apparet, quam religiosa sit sacra Facultas Parisiensis erga Deiparæ Virginis cultum et observantiam; quippe nedum immaculatam ejus Conceptionem, sed et corporalem in cælum Assumptionem strenuissime propugnat.

Repones, censuram illam videri supposititiam. *Primo* quia supponitur facta 7. Kal. Sept. an. 1417. at Robertus Guaguinus Ordinis SS. Trininatis de Redemptione Captivorum Minister generalis, ac Pontificii juris Interpres, qui eodem anno Kal. Octob. concertationem habuit de puritate Conceptionis Virginis Mariæ adversus Vincentium Castranovanum, in qua nomine Theologorum Parisiensium apparere voluit; in ea autem refert omnes Deiparæ Virginis gloriæ detractores, quos sacra Facultas suis censuris mulctaverat ac proscripserat: at ne verbum quidem in illa accusatoria narratione de damnato Joanne Morcello pronuntiat. Signum est igitur illam censuram supposititiam esse; nam si qua veritate niteretur, illam procul dubio, ut egregium suæ narrationis argumentum, non siluisset, ait enim: « quandoquidem tota « studii atque certaminis hæc disceptatio est, vestrum examen jure « subibit, quo permulti olim aut steterunt, aut ceciderunt: quod enim « vestro libratum est scrutinio, id sine dubietate verum, justumque « a fidelissimis quibusque suscipitur. Christianæ nempe religioni non « minus firmamento, quam arrogantiæ plurimorum formidini semper « fuistis. Nam Theologicæ sapientiæ, et laudis vestræ est Majorum « vestrorum gravis quondam in Joannem de Montesono definitio, cujus « defensorem Ebroicanum Pontificem Guillermum pœna similis com- « plexa est. Quos ad parem errorem secutus Joannes Thomas, vestro « examine damnationem accepit. Eodem exemplo Adam Suessionæus « plexus est, nec vestram Guafridus de sancto Martino censuram evasit. « Joannis Adæ temeritas erroris sui perfidiam vobis insequentibus ab- « negavit. Sed numquid Petrus de Canchero, Joannes Nicolai, Petrus « quoque de Cheriaco vestris disputationibus superari, publicæ retra- « ctationis diffamatione se insignes reddiderunt, et famosos? » *Secundo*, censura videtur nimis festinanter lata; siquidem intra prædicationem propositionum, et earumdem notationem dies tantum 11. intercedunt, quo sane modico tempore non potuerunt deputati censores investigare, ac revolvere Concilia, ac SS. Patres, ut juxta eorum placita de prædictis propositionibus sententiam ferrent. *Adde quod* propositiones revocatæ sunt per Fr. Joannem Morcellum die 23. Augusti, cum tamem supponantur notatæ, ac damnatæ, ac censura proscriptæ die 26. Augusti. *Tertio*, quarta propositio damnatur ut hæretica, cum tamen

fidei articulus non sit, Virginem in corpore et anima in cælum assumptam esse, ac proinde id negare non est hæreticum. — **Verum** quam futilia, quamque levia sint hæc momenta, quibus impetitur censura sacræ Facultatis, facile apparet. *Primum* quidem, quia Guaguinus significat sibi fuisse propositum in medium adducere, non quidem quod heri vel nudius tertius actum esset; sed quid olim, et a majoribus decretum a sacra Facultate adversus Novatores, ut apparet ex ejus verbis: ad quod certe institutum nil conferebat censura recens adversus Morcellum lata; quippe quæ adhuc omnium ore vulgabatur. *Ad secundum dico* non diu laborandum fuisse Facultati, ut deprehenderet quibus notis prætatas propositiones, maxime vero quartam, proscriberet, quippe cum receptissimum tunc temporis esset in Ecclesia, Deiparam Virginem corpore simul et anima in cælum esse assumptam. Quod utique fit vero similius, quia illæ propositiones F. Morcelli ita probos omnes offenderant, ut non expectata solemni Facultatis censura, quæ tantum 26. Augusti edita est, easdem ipse privatim die 23. ejusdem mensis coram Facultate revocare coactus fuerit, donec videlicet per Facultatem sigillatim notatas in publica Concione eas revocaret, et ejuraret. *Ad tertium dico*, quartam illam propositionem non idcirco damnari ut hæreticam, quod Morcellus negaret Mariam Virginem corpore in cælum evectam, sed quod doceret ideo nos non teneri sub pena peccati mortalis id credere, quia non est articulus fidei: plurima enim sunt, quæ inter articulos fidei non censentur, puta servandum esse quadragesimale jejunium, et similia innumera, quæ si quis negaret, mortalis peccati labem incurreret; ac proinde hæreticum est asserere, posse citra peccatum mortale negari, id quod inter Articulos fidei non censetur.

QUÆSTIO QUARTA.

DE CULTU ET INVOCATIONE DEIPARÆ VIRGINIS.

Notandum 1. Quod cum Virgo Deipara per eximiam vitæ suæ integritatem ac sanctimoniam, non solum caput, sed etiam corpus serpentis contriverit: hinc vaferrimus ille serpens omnes, quas potuit, movit artes, ut ei debitum cultum ac venerationem impendendam vel prohiberet, vel pessundaret. Nam præter quam quod aliquando extiterint hæretici, maxime vero mulierculæ quædam, ut narrat S. Epiphanius hæresi 78. et 79. quæ Virginem Deiparam velut Divinitatem aliquam venerabantur, et ei libationem et sacrificia deferebant; varii fuerunt quovis pene sæculo Mariani cultus osores et impugnatores hæretici: cum enim de beatissima Virgine merito canat Ecclesia: *Cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo*, nemini mirum videri debet, si omnes suborientes hæreses adversus ejus gloriam debacchari ac militare non cessent. Nam, ut alios taceam, Lutherani et Calvinistæ in B. Virginis cultores infensissimo odio exarserunt. Hinc est, quod Lutherus in postilla Nativitatis, et Annuntiationis Mariæ, non minus mendaciter, quam impudenter scribat, Papistas Mariam Deam fecisse, et plus recurrere ad illam, quam ad Christum, et plura ab ea petere, et expectare. Melancton in *Apologia confessionis*, ait: *Clarum esse apud Papistas Mariam successisse in locum Christi:* quia

plus fiduciæ ponunt in illa, quam in Christo, et plus illam, quam Christum, orant: quasi Christus esset solum Judex, et non Propitiator. Calvinus in harmonia cap. 2. Joannis, ait: *Nos onerasse Mariam spoliis Christi, et non putare illam satis honorari, nisi Dea fiat.*

Notandum 2. Impetrationem B. Virginis longe præstantiorem ac efficaciorem esse, quacumque interpellatione Sanctorum, idque multiplici de causa: *Primo* quidem, quia est Mater Dei, ac proinde illius apud Deum postulatio efficacissima est: unde Seraphicus Bonaventura *In speculo Mariæ* cap. 8. non minus devote, quam præclare ait: *Quia Dominus potentissimus tecum est, ideo et tu es potentissima secum, potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum:* ita ut vere dicere possit illud Eccles. 24. *In Jerusalem potestas mea.* Et cap. 5. ait, *abyssum invocare abyssum,* quando Mater Dei Filium pro nobis invocat: et refert ibidem Augustinum, de ea sic loquentem: *Sicut apud Deum es potentior, ita præ omnibus Sanctis es pro nobis sollicitior. Secundo,* quia est sanctior omnibus aliis Sanctis, non solum hominibus, sed etiam Angelis, ut docet S. Ephrem *De laudibus Virginis,* scribens: *Sanctior Cherubim, sanctior Seraphim, et nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosor.* Unde Petrus Damianus ser. *De Annuntiatione,* ait: *Attende Seraphim, et in illius superioris naturæ supervola dignitatem, vel videbis quidquid majus est, minus esse Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi. Tertio,* quia quamvis oret Deum per Christum, sicut et alii Sancti, tamen non est improbabile alios Sanctos Christum etiam orare mediante ipsa B. Virgine: unde S. Bernardus serm. *De Nativitate Mariæ* ait: *Ad Patrem verebaris accedere, ille tibi dedit Mediatorem, scilicet Christum: sed forsitan, et in ipso Majestatem vereare divinam, advocatum vis habere ad ipsum? ad Mariam recurre, etc.* Plures aliæ rationes ad eamdem veritatem asserendam collineare possunt, quibus compertum fiat beatissimam Virginem peculiari devotione merito jure a fidelibus celebrari, utpote quæ cum Deo longe præstantiorem quam cæteri Sancti affinitatem habeat.

Notandum 3. Quod cum plerique ex SS. Patribus scribant B. Virginem esse apud Deum omnipotentem, mediatricem, humani generis reparatricem, et alia ejusmodi; hæc ita sunt accipienda per sensum accomodationis, ita quod dicatur omnipotens *secundum quid,* seu per quamdam assistentiam divinam, qua nempe creatura potest aliqua operari propter peculiarem assistentiam, et concursum Dei operantis, et producentis ea, quæ ab ipsa creatura postulantur, et exorantur: quem utique omnipotentiæ modum nonnulli e SS. Patribus tribuunt B. Virgini; præsertim S. Anselmus lib. *De laudibus Virginis* cap. 12. *Te sic Deus exaltavit, ut omnia secum possibilia donaverit.* Et infra orans B. Virginem, *Tu velis,* inquit, *et nequaquam fieri non poterit.* Petrus Damianus ser. 2. *De Nativitate Mariæ: Fecit tibi magna, qui potens est, et data est tibi omnis potestas in cœlo, et in terra, et nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis relevare: quomodo enim nulla potestas potentiæ tuæ potuit obviare? etc.* Et statim post: *Accedis enim ad illud aureum reconciliationis altare, non solum rogans, sed etiam imperans, Domina, non ancilla.* Simili ratione dicitur mediatrix et reparatrix generis humani: non quidem

immediate, sed mediante Christo Domino, quia nempe ejus beneficio hunc potentissimum habuimus Mediatorem et Redemptorem.

" ✻ Notandum 1. Anno 373, Collyridianorum exortam esse hæresim in Arabia, qui Virginem Deiparam ut Deum colebant, et in ejus nomen collyridem panis per mulieres offerebant. Huic enim sexui secta illa sacerdotii munia deferebat: imo solæ fere mulieres hanc sectam conflabant. Illam S. Epiphanius confutat hæresi 79, ostendens primo nullam mulierem, ex quo mundus conditus est, sacerdotio functam esse: quod ubi ex Veteri Testamento probavit, hæc addit ex novo: *Si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam præstare in Ecclesia liceret, nulli potius quam Mariæ illud in Novo Testamento committi sacerdotis officium debuit: cui tantus honor est habitus, ut gremio sinuque suo Regem omnium ac cœlestem Deum, Deique Filium exciperet. Cujus uterum velut templum ac domicilium ad divini Verbi incarnationem singulari est benignitate Dei, magno ac stupendo mysterio præparatus. Verum longe Deo aliter est visum: ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta: cum alioqui ab illa tingi potius Christus quam a Joanne potuisset.* Ostendit deinde Beatam Virginem adorandam non esse: *Sanctum erat,* inquit, *Mariæ corpus, fateor, non tamen Deus illa fuit. Eadem et Virgo extitit: minime tamen nobis ad adorandum proposita, sed eum adorans ipsum qui e sua carne genitus, e cælo ac paterno sinu descenderat. Quare sanctum quoque nos Evangelium præmunire voluit, in quo ita Christus loquitur: « Quid mihi et tibi mulier? nondum venit hora mea ». Ubi idcirco mulierem appellavit, ne quis Beatam Virginem excellentioris alicujus esse naturæ crederet.* Et infra: *Quamquam enim selectum quoddam vas atque eximium sit, nihilominus mulier est, ejusdemque cum cæteris naturæ: licet animo atque sensu amplissimis honoribus affecta sit: perinde ac reliquorum sanctorum corpora, aut si quid ad gloriam ac splendorem illustrius attulere.* Addit inferius: *Illam Joachini et Annæ precibus concessam, ita tamen ut non aliam quam cæteri mortales nascendi conditionem habuerit, sed ut illi e virili satu ac matris utero prodierit.* Denique hanc statuit religiosi cultus regulam: *Honoretur sane Maria: Pater vero, Filius et Spiritus Sanctus adorentur: Mariam adorare nemo velit.* Et infra: *Maria in honore sit, Dominus adoretur.* Quibus S. Epiphanii verbis cultus religiosus Deiparæ Virginis asseritur, superstitiosus damnatur. Honor Mariæ judicium diligit. Quamobrem nec cum Deo componatur unquam, nec una cum Christo laude celebretur, nec ipsi tribuantur quæ Deo soli vel Homini-Deo conveniunt. *Valde honoranda est Mater Domini,* inquit S. Bernardus, *bene admonet, sed honor Reginæ judicium diligit. Virgo Regia falso non eget honore, veris cumulata titulis, infulis dignitatem. Honora sane integritatem carnis, vitæ sanctitatem. Mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare divinam. Extolle nescientem in concipiendo concupiscentiam vel in pariendo dolorem . . . Magnifica gratiæ inventricem, mediatricem salutis, restauratricem sæculorum. Exalta denique exaltatam super choros Angelorum ad cœlestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, et me eadem docuit decantare.* " ✻

His ita præmissis, duo supersunt determinanda: *Primum,* quod Virgo Deipara longe nobiliori cultu, quam omnes alii Sancti, sit ve-

neranda: *Secundum*, quod longe potentior et efficacior sit illius ad Deum interpellatio, quam aliorum Sanctorum, quæ duo hac unica Conclusione SS. Patrum auctoritate expendemus.

Conclusio ultima. — Beatissima Virgo est colenda cultu hyperdulliæ, et præ cæteris Sanctis interpellanda.

Probatur prima pars: adoratio, et cultus hyperdulîæ ille est, qui creaturæ rationali impenditur propter præcellentem ejus dignitatem et sanctitatem, divina quidem inferiorem, sed cæterarum creaturarum sanctitate sublimiorem: at talis est beatissimæ Virginis dignitas et sanctitas: nam, inquit S. Anselmus. *De Laudibus Mariæ*, cap. 9. *Pura enim sanctitas, et sanctissima puritas piissimi pectoris ejus omnem omnis creaturæ puritatem, sive sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut Reparatrix perditioribus benignissime fieret.* — Idem habet Germanus Constantinopolitanus Patriarcha in Epist. ad Joannem Episcopum Synadensem, quæ probata est in septima Synodo actione 4. ubi inter cætera scribit: « ipsam proprie, vereque Matrem veri Dei colimus et magnificamus, et universa visibili et invisibili creatura superiorem arbitramur ». — Similia scripsit Theodorus Hierosolymitanus Patriarcha in Epistola Synodica, quam probavit eadem septima Synodus actione 3. In ea namque Epistola dicit: *Quæ revera Dei Mater est, et tam ante, quam post partum Virgo permansit; atque omni tam intelligibili, quam sensibili natura facta est gloria et splendore præstantior.* — Hinc Basilius Seleuciensis, Orat. 33. ait: *Si de aliis Sanctis Paulus dixit, quibus dignus non erat mundus, quid de Dei Genitrice dicemus, quæ tanto splendidius Martyribus coruscat, quanto Sol stellas omnes fulgore vincit?* Quapropter merito in Collectaneis Anastasii Bibliothecarii p. 73. legimus hanc professionem: *Quisquis beatam super omnem creaturam, et naturam humanam, absque eo, qui genitus est ex ea, venerabilem, semperque Virginem, Matrem scilicet Domini nostri, non honorat, atque adorat, anathema sit.*

Probatur etiam secunda pars; nempe, quod non solum præ cæteris omnibus Sanctis venerandam, sed etiam interpellandam ac invocandam Deiparam Virginem sancti Patres certatim prædicant, cum eam misericordiæ Matrem, miserorum, afflictorumque spem ac solatium, necnon et salutis reparatricem, apud Deum mediatricem potentissimam appellant. Sic præ cæteris Basilius Seleuciensis, Oratione *in Annuntiatione, Ave gratia plena*, inquit, *mediatrix Deo, et hominibus, ut inimicitiæ maceria diruatur, et cœlestibus terrena jungantur.* — Idem scribit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in Sermone *De Dormitione B. Virginis*, ubi inter cætera ait: *Nemo Dei cognitione repletus, nisi per te, Sanctissima: nemo salvatus nisi per te, Dei genitrix: nemo a periculis liber nisi per te, dilecta Deo.* Demum subjicit: *Tu maternam vim apud Deum obtines, iis qui supra modum peccant, supra modum veniam conficis. Nec enim fieri potest ut non exaudiaris, quoniam tibi ad omnia, et per omnia, et in omnibus Deus, tamquam veræ et immaculatæ Matri suæ obedit. Unde, et afflictus merito ad te confugit; imbecillus tibi adhæret; qui bello petitur, te hostibus opponit. Indignationem, iram, et afflictionem, immissionem per Angelos malos*

tu commutas: tu justam comminationem, et sententiam æquæ condemnationis convertis, magnopere amans populum illum, qui nomine Filii tui vocatur. — His præclare adstipulatur Arnoldus Carnotensis, *De laudibus Virginis*, ubi inter cætera, in quibus maxime de Virginis mediatione et potentissima suffragatione disputat, hæc habet: *Dividunt coram Patre inter sese Mater et Filius pietatis officia, et miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium: et condunt inter se reconciliationis nostræ inviolabile testamentum. Maria Christo se spiritu immolat, et pro mundi salute obsecrat; Filius impetrat, Pater condonat.* — Hinc S. Augustinus, Sermone 18. *De Sanctis*, qui est *De Annuntiatione*, quem aliqui S. Fulgentio tribuunt, Deiparam Virginem sic interpellat: *Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus: redona quod rogamus; quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te, Beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum.* — His omnibus præclaram coronidem imponet Seraphicus Doctor *in Speculo B. Mariæ Virginis;* maxime vero lectione 5. ubi inter cætera hæc habet: « Quis immensitatem Mariæ « potest mensurare? Ecce quod dicitur in Ecclesiastico: *Altitudinem « cæli, latitudinem terræ, et profundum abyssi, quis dimensus est?* « Cælum est Maria, tum quia cælesti puritate, cælesti claritate, cæ- « lestibus aliis virtutibus, abundavit. Tum quia sedes Dei altissima « fuit, teste Propheta, qui dicit: *Dominus in cælo paravit sedem suam.* « Terra quoque Maria fuit, quæ fructum illum nobis protulit, de quo « idem Propheta ait: *Terra dedit fructus suos.* Abyssus etiam est Maria « in bonitate, et misericordia profundissima, Unde etiam dum profun- « dissimam misericordiam Filii sui pro nobis interpellat, quasi abyssus « abyssum invocat. Cælum ergo est Maria, terra est Maria, abyssus « est Maria. Quis hujus cæli altitudinem, quis hujus terræ latitudi- « nem, quis hujus abyssi profunditatem: quis, inquam, Mariæ im- « mensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solum in « gratia, et in gloria, sed etiam in misericordia, tam altissimam, tam « sanctissimam, tam profundam operatus est? Unde specialiter de hujus « misericordia ait B. Bernardus: quis misericordiæ tuæ, o benedicta, « longitudinem, et latitudinem, et sublimitatem, et profundum queat « investigare? Nam longitudo ejus usque ad novissimum diem invo- « cantibus eam subvenit universis: latitudo ejus replet orbem terra- « rum, ut sua quoque misericordia plena sit omnis terra: sed et su- « blimitas illius supernæ civitatis invenit restaurationem; et profundum « ejus sedentibus in tenebris, et umbra mortis obtinuit redemptionem ». *Et infra,* cum dixisset gratiam B. Virginis ipsi fuisse utilissimam, quia fuit ei delitiosa in animo, miraculosa in Filio, gloriosa in regno: deliciosa in mente spirituali, miraculosa in prole Virginali, gloriosa in diademate æternali; *subdit:* « sed certe, charissimi, gratia Mariæ « non solum utilissima fuit sibi ipsi, sed etiam nobis; imo toti humano « generi; gratia enim Mariæ colligit malos, impinguat bonos, liberat « universos: colligit a culpa, impinguat gratia, liberat a morte æterna. « Dico ergo, quod gratia Mariæ colligit ad misericordiam, colligit ad « Ecclesiam malos... O vere magna Mariæ gratia! qua multi ex eis

« ad misericordiam colliguntur, qui a Doctoribus, et Rectoribus tam-
« quam incorrigibiles relinquuntur; et ideo bene B. Bernardus ait:
« Maria tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu ample-
« cteris, foves, nec deseris, quousque horrendo Judici miserum recon-
« cilias.... Suffragante gratia Mariæ (boni) impinguantur unctionibus
« gratiæ, impinguantur, inquam, pinguedine Spiritus sancti, qua et
« ille impinguari cupiebat, qui dicebat: *Sicut adipe, et pinguedine re-*
« *pleatur anima mea.* O quis æstimare valeat, quam multæ animæ
« opitulante gratia Mariæ, sint per gratiam impinguatæ; immo certe
« quis æstimare valeat, quanta in ipsa Maria fuit impinguatio gratia-
« rum, cujus gratia impinguata sunt tot millia animarum?

« Item gratia Mariæ liberat a morte æterna universos, qui libe-
« rantur... Unde Anselmus ait: Quid, inquit, digne referam Genitrici
« Dei, et Domini mei? Per cujus fœcunditatem captivus sum redem-
« ptus, per cujus partum de morte æterna sum exemptus, per cujus
« prolem, perditus restitutus sum, et de exilio miseriæ ad patriam
« æternæ beatitudinis sum reductus? O ergo Mater gratiæ, fac nos
« filios gratiæ: fac, ut per gratiam tuam verissimam, colligamur ad
« veniam remissionis, impinguemur per gratiam devotionis, liberemur
« a morte damnationis. Per Dominum nostrum, etc. ».

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. *Magister.*

IMPRIMATUR:

Joseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myrensis, *Vicesgerens.*

INDEX

DISPUTATIONUM, ARTICULORUM, SECTIONUM, ET QUÆSTIONUM

Quæ in hoc Septimo Tomo continentur.

pag.

TRACTATUS PRIMUS.

De Incarnatione Verbi Divini. 7

QUÆSTIO PROŒMIALIS.

Quot, et quæ fuerint Hæreticorum erronea dogmata circa incarnati Verbi mysterium 8
Prima Classis Hæreticorum, qui Christi Domini Divinitatem impugnaverunt . . 9
Secunda Classis Hæreticorum, eorum scilicet qui circa Christi Domini Humanitatem erraverunt. 12
Errores circa corpus Christi. 13
Errores circa animam Christi. 14
Errores circa facultates animæ Christi. 16
Errores circa voluntatem Christi . . . . . ib.
Tertia Classis Hæreticorum, circa Unionem naturæ divinæ cum humana in Christo. 20
Nestoriani . . . . . ib.
Eutychiani 27
Errores circa filiationem Christi 31

DISPUTATIO PRIMA.

De existentia, natura, et causis Incarnationis 32
ARTICULUS I. De possibilitate, convenientia, et complemento seu peractione Mysterii Incarnationis . . 33
SECTIO I. De possibilitate Incarnationis 34
QUÆSTIO I. An unio divinæ naturæ cum humana in unitate personæ sit possibilis . . . . . ib.
QUÆSTIO II. An, et quo lumine cognosci possit, et suaderi Incarnationis Mysterium 43
SECTIO II. De convenientia Incarnationis Verbi . . . 52
QUÆSTIO I. An conveniens fuerit Deum incarnari . . ib.
QUÆSTIO II. An convenientius fuerit naturam humanam, quam Angelicam aut aliam, a Verbo assumi . . 63
QUÆSTIO III. Utrum convenientius fuerit, Filium, quam Patrem, aut Spiritum sanctum incarnari . . . 69
QUÆSTIO IV. An convenienti tempore facta fuerit Incarnatio 73
SECTIO III. De necessitate Incarnationis 77
QUÆSTIO I. An et qualiter necessaria fuerit Incarnatio. ib.
QUÆSTIO II. Utrum purus homo Deo satisfacere potuerit pro hominum offensis, eorumque ruinam restaurare 84
QUÆSTIO III. Utrum Christus Deo condignam satisfactionem exhibuerit 93
QUÆSTIO IV. Utrum Christus pro nobis satisfecerit ad juris apices, seu ex rigore justitiæ 104
QUÆSTIO V. Utrum revera peractum sit Incarnationis Mysterium, et Judæis promissus Messias advenerit. 115
ARTICULUS II. De Unione hypostatica 152
SECTIO I. De Unione hypostatica secundum se spectata. 153
QUÆSTIO I. Quid sit Unio hypostatica 154
QUÆSTIO II. An unio hypostatica facta fuerit in unitate naturæ, aut personæ,

pag.

idque per veram, et proprie dictam compositionem, an per utriusque commixtionem 167
Quæstio III. Quis sit terminus Unionis hypostaticæ. 181
Quæstio IV. Utrum Unio hypostatica sit immediata, et omnium unionum maxima. 184
Sectio II. De Persona assumente 188
Quæstio I. Qualiter, et per quid Verbum divinum naturam humanam terminarit, et assumpserit . . . ib.
Quæstio II. Utrum subsistentia Dei absoluta, et communis tribus personis possit naturam humanam assumere, illique immediate uniri 195
Quæstio III. Utrum plures personæ divinæ possent assumere eamdem humanitatem, et eadem persona plures humanitates 202
Quæstio IV. An persona creata possit alienam naturam terminare, et assumere. . 211
Sectio III. De Unione hypostatica ex parte naturæ assumptæ 216
Quæstio I. An natura tam Angelica quam irrationalis, sit assumptibilis a persona divina. 217
Quæstio II. An natura accidentis possit assumi a persona divina 223
Quæstio III. Qualiter, et quo ordine Verbum divinum humanitatem, et ejus partes assumpserit 225
ARTICULUS III. De causis Incarnationis 234
Sectio I. De causa efficiente Incarnationis . . . . . ib.
Quæstio I. Quæ fuerit vel esse potuerit causa efficiens, et instrumentaria Incarnationis . . . . . ib.
Quæstio II. An aliqua fuerit causa media, seu præparativa ad Incarnationem per modum effectionis, et dispositionis, seu præparationis. 238

pag.

Sectio II. De causa morali, et meritoria Incarnationis. 242
Quæstio I. An Christus per opera priora, vel subsequentia Unionem hypostaticam, ipsam potuerit promereri, tam secundum substantiam, quam secundum aliquas circumstantias . . ib.
Quæstio II. An, et qualiter beata Virgo meruerit esse Mater Dei 250
Quæstio III. Utrum sancti Patres meruerint, aut saltem mereri potuerint de congruo, Incarnationem, ejusque circumstantias . . 256
Sectio III. De causa finali, et motiva Incarnationis. . 260
Quæstio I. Utrum si Adamus non peccasset, Filius Dei non minus esset incarnandus . . . . . ib.
Quæstio II. Propter quod peccatum expiandum principaliter venerit 279

DISPUTATIO SECUNDA.

De Christi Domini entitate, præcellentiis, et operationibus 283
ARTICULUS I. De Christi Domini divinitate, et humanitate . . . . . ib.
Sectio I. De Christi Domini divinitate. 284
Quæstio I. An revera Christus sit idem unus Deus cum Patre, et eamdem indivisim cum eo naturam divinam habeat 285
Quæstio II. Utrum Christus in quantum homo, sit Filius Dei adoptivus aut naturalis. 306
Quæstio III. Utrum in Christo sint duæ filiationes, una æterna ad Patrem, alia temporalis ad Matrem . . . 320
Quæstio IV. Utrum Christus Dominus sit, et dici possit Dei servus, et æterno Patri subjectus. 329
Sectio II. De humanitate Christi. 337
Quæstio I. An Christus vere

pag.

integram humanitatem anima rationali, et humano corpore constantem habeat. ib.
Quæstio II. An Verbum divinum assumpserit hypostatice omnes humani corporis partes, maxime vero sanguinem, et alios humores. 353
Quæstio III. Utrum Verbum assumpserit animæ rationalis facultates; nempe Intellectum, et Voluntatem . . 362
Quæstio IV. Utrum natura humana in Christo propriam habuerit existentiam, et subsistentiam creatam substantialem 386
Sectio III. De modo loquendi in hoc Mysterio . . . 394
Quæstio I. Utrum per communicationem idiomatum omnia, quæ sunt Dei, de homine; et vicissim quæ sunt hominis, de Deo prædicentur 395
Quæstio II. Utrum tres illæ propositiones sint veræ; Deus est homo, Deus factus est homo, et Homo factus est Deus 401
Quæstio III. An hæc propositio sit vera: Christus est creatura 409
ARTICULUS II. De præcellentiis Christi Domini . . 419
Sectio I. De Gratia Christi. ib.
Quæstio I. Utrum humanitas Christi sanctificetur per gratiam unionis, an vero requirat aliquod donum ab ipsa unione distinctum . . 420
Quæstio II. Utrum in anima Christi fuerit gratia habitualis; et ad quid necessaria. 430
Quæstio III. Qualis fuerit gratia habitualis Christi . 438
Quæstio IV. Utrum gratiæ gratis datæ fuerint in Christo 452
Sectio II. De virtutibus Animæ Christi, et donis Spiritus sancti 457
Quæstio I. An Christus habuerit omnes virtutes Theologicas . . . . . ib.
Quæstio II. An, et qualiter virtutes morales fuerint in Christo 463
Quæstio III. Utrum Christus habuerit omnia dona Spiritus sancti 467
Sectio III. De scientia, ac sapientia Christi Domini . 472
Quæstio I. Utrum in Christo sit duplex scientia; creata simul et increata . . . . ib.
Quæstio II. Utrum, et qualiter scientia beatifica fuerit in Christo 478
Quæstio III. Utrum præter scientiam beatificam Christus habuerit scientiam infusam, qua res ipsas in propria earum natura cognosceret 489
Quæstio IV. Utrum præter scientiam beatificam, et infusam Christus habuerit etiam scientiam acquisitam. 504
ARTICULUS III. De defectibus, et passionibus corporis, et animæ a Christo Domino assumptis. . . . 519
Quæstio I. Utrum in Christo fuerint defectus, et passiones humani corporis. . . ib.
Quæstio II. Utrum in Christo fuerit aliqua ignorantia, aut aliquis error 530
Quæstio III. An Christus assumpserit defectus appetitus rationalis 536
Quæstio IV. An Christus Dominus assumpserit passiones animæ, seu appetitus rationalis tam secundum portionem superiorem, quam inferiorem 553

DISPUTATIO TERTIA.

De Dignitate, Ministerio, et Cultu Christi Domini . . 564
ARTICULUS I. De dignitatibus Christi . . . . . ib.
Sectio I. De dignitate Capitis. 565
Quæstio I. An et quid Christus ut homo, constituatur caput omnis Ecclesiæ . . . . . ib.
Quæstio II. An, et quomodo Christus sit caput omnium prorsus hominum . . . 570

pag.

Quæstio III. Utrum Christus dici possit caput Angelorum 575
Sectio II. De regia Christi dignitate, et potestate . . 581
Quæstio unica. Utrum Christus fuerit Rex spiritualis, an temporalis 582
Sectio III. De judiciaria Christi dignitate, et potestate. 588
Quæstio unica. Utrum, et quomodo judiciaria dignitas Christo tribuatur 589
ARTICULUS II. De Christi functionibus, et ministeriis. 593
Sectio I. De Christo Domino Mediatore 594
Quæstio I. Utrum, et qua ratione Christus censeatur Dei, et hominum Mediator. ib.
Quæstio II. Quam reconciliationem, et pacem nobis conciliaverit, et obtinuerit divinus ille Mediator . . 601
Sectio II. De Christo Domino Redemptore, et Salvatore. 607
Quæstio I. Utrum Christus Dominus verus fuerit hominum Redemptor . . . ib.
Quæstio II. Utrum necesse fuerit humanum genus per mortem Christi redimi . . 616
Quæstio III. Quæ est de merito Christi Redemptoris, an et quando Christus meruerit. 621
Quæstio IV. Per quos actus Christus meruerit. . . . 630
Quæstio V. Quid Christus sibi, Angelis, et hominibus meruerit 642
Quæstio ultima. Utrum, et qualiter Christi meritum fuerit infinitum 652
Sectio III. De Pontificatu, et Sacerdotio Christi. . . 659
Quæstio I. Utrum, et secundum quam naturam Christus Dominus vere, et proprie fuerit sacerdos . . . 660
Quæstio II. Quale fuerit Christi Domini sacrificium, et qua ratione nunc Pontificis vices impleat 663

pag.

ARTICULUS III. De cultu, et veneratione Christi Domini, ejusque sanctissimæ Genitricis, ac Sanctorum, eorumque imaginum, et reliquiarum 673
Sectio I. De cultu latriæ Christo Domino debito . . 674
Quæstio I. Utrum, et qualiter una adoratione sit adoranda divinitas Christi, et ejus humanitas. 675
Quæstio II. Utrum, et quo cultu Crux Christi Domini sit colenda 686
Sectio II. De Cultu Sanctorum, eorumque Imaginum, et Reliquiarum. 704
Quæstio I. An, et quis cultus, sacris imaginibus sit debitus 709
Quæstio II. Utrum, et quo cultu Sanctorum reliquiæ sint adorandæ 746
Quæstio III. Utrum Sancti sint invocandi 755
Sectio III. De eximia Deiparæ Virginis dignitate ac veneratione 766
Quæstio I. Utrum Virgo Deipara ab omni originalis peccati contagione, et macula immunis fuerit, ejusque Conceptio dicenda sit omnino immaculata . . . 767
Quæstio II. Utrum B. Virgo immunis fuerit ab omni peccato actuali. 819
Quæstio III. Utrum B. Virgo vere, et proprie dicenda sit Mater Christi 824
Quæstio IV. Utrum B. Maria Deipara semper Virgo steterit ante partum, in partu, et post partum. 832
Quæstio V. Utrum B. Virgo non solum in anima, sed et in corpore evecta fuerit in cælum 845
Quæstio VI. De cultu, et invocatione Deiparæ Virginis 884

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM, QUÆ IN HOC SEPTIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

pag.

A

Abailardus.

Quam erronee senserit Abailardus de Christo Domino. 607

Ejus fundamenta proponuntur, et evertuntur. . . . 610

Accidens.

Accidens potuit assumi a Verbo mediante natura . . . 223

Accidens duplicem habere potest habitudinem ad subjectum . . . . . ib.

Etsi Accidens non possit hypostatice terminari; attamen suppositum requirit, quo existat. . . . . ib.

Sola Accidentia realiter a subjectis separabilia assumi possunt 255

Duo Accidentia ejusdem speciei et solo numero distincta non possunt esse in eodem subjecto 516

Actio.

Actiones Christi possunt esse ipsi Christo Domino propriæ. 107

Actiones elicitæ a Christo possunt considerari secundum suum esse morale, vel physicum . . . . . ib.

Actio Christi Domini procedebat a principio *quo* finito . 654

Actio finita in entitate non potest habere valorem infinitum 655

Actiones Christi theandricæ sunt, quod a Persona simul Deo, et homine producantur, non quasi Verbum æque influat in actionem, ac influit humanitas. 658

Adamus.

De fide est posteros Adami ejus criminis reos esse . . 77

pag.

Adoptio.

Unde deductum sit Adoptionis nomen, et quid significet, quæve sit ejus definitio . . 307

Quadruplex discrimen inter Adoptionem divinam et creatam . . . . . ib.

Tres conditiones ad Adoptionem desiderantur. . . . 308

Christus ut homo non est filius Adoptivus. 309

Non est de fide Christum non posse aliqua ratione dici filium Dei Adoptivum. . . 315

Adoratio.

Discrimen inter adorare, et colere 673

Triplex genus Adorationis . 674

Duplex Adorationis cultus: exterior, et interior . . . ib.

Quid sit cultus Latriæ. . . ib.

Certum est Christum Dominum qua Verbum, esse Adorandum Latria. 675

An Latria sit adoranda ejus humanitas, disceptatur . . ib.

Duplex objectum adorationis, aliud motivum, aliud terminativum 676

Christi humanitas unita adoratione cum persona Verbi coli debet . . . . . ib.

Humanitas non movet ad adorationem, sed eam cum Verbo terminat 681

Humanitas Christi adorat, et adoratur . . . . . ib.

Si humanitas dimitteretur, non esset adoranda cultu Latriæ. 682

Humanitas Christi secundum se posset adorari hyperdulia 684

Potest humanitas Christi seorsim a Verbo adorari . . 685

pag.

Cur pullus asinæ, cui Christus insedit, non sit adorandus. 699
Os Judæ proditoris non est adorandum . . . . . ib.
Quomodo Christiani possint sui divini Parentis instrumentum supplicii adorare. 700

Agnoitæ.

Agnoitarum origo et error circa intellectum Christi . . 16

Angeli.

Angelorum ruina potuit per homines justos reparari. . 66
Angelos reparare non fuit absolute necesse 80

Apollinaristæ.

Apollinaris affirmavit Deum Christum carnem sine anima suscepisse; et erroris illius, hæresisque capita varia afferuntur 15
Apollinaristæ circa facultates animæ Christi erraverunt . 16

Appetitus.

Quid sit appetitus rationalis. 536

Arbitrium.

Christus Dominus non habuit liberum arbitrium flexibile ad malum in actu secundo, et extrinsece, sed ad summum intrinsece et in actu primo 540

Arius.

Arius, et ejus discipuli erraverunt circa animam Christi. 15
Novi Ariani in aliquibus nobiscum conveniunt . . . 285
Proponuntur diverticula novorum Arianorum, et præcluduntur 286
Quam futilis sit novorum Arianorum responsio ad oracula S. Pauli, Christi Divinitatem asserentis 291
Duplex interpolatio primi capitis sancti Joannis Evangelistæ a novis Arianis excogitata, ut Christi Divinitatem oracula comprobantia elevent 293
Eorum impium dogma aperte confutatur 296

Assumptio.

Assumptio non est actio . . 237

pag.

Assumptio fit vel per modum personationis, vel per modum sustentationis . . . 222
Nulla fuit necessario prærequisita dispositio ex parte animæ ad Assumptionem humanitatis. 240
Discrimen inter vocabula passio, depositio, dormitio, Assumptio 851
Assumptionis nomen interdum pro sola animæ in cœlum migratione accipitur . 852
Proferuntur omnia momenta, quibus B. Virginis mors potius dormitio, quam Assumptio appellatur . . . 853
Patres Græci explicantur, qui diebus distinctis mortem, et Assumptionem B. Virginis celebrabant . . . . . ib.
Traditione Ecclesiastica constat B. Virginem esse in anima et corpore assumptam 856
Assumptio corporea B. Virginis constat ex libro Sacrament. S. Gregorii, etc . . 867
Objiciur sermo nomine Sancti Hieronymi, sed non esse genuinum fœtum illius, demonstratur 875
Variis momentis probare nituntur Adversarii hunc sermonem de Assumptione esse S. Hieronymi 878
Fit satis omnibus hunc sermonem de Assumptione S. Hieronymo tribuentibus. 879
Quo tempore, et a quo concinnatus fuerit ille sermo S. Hieronymi de Assumptione B. Virginis . . . 881
Sacra facultas Parisiensis corpoream B. Virginis Assumptionem amorose, et religiosissime propugnat . . . 882

B

Beatitudo.

Quænam sit disparitas ex Seraph. Doctore inter Beatitudinem animæ, et corporis in Christo 649

pag.

C

Cajetanus.

Cajetanus duplicem in humano corpore sanguinem distinguit, nempe nutrimentalem et naturalem . . . 353

Calendarium.

Calendarium a Frontone editum revera censeri non potest Romanum 855

Carolini.

Carolini libri ab hæreticis in lucem fuerunt editi . . . 737

Libri Carolini non fuerunt Caroli Magni studio, nec imperio compositi. . . . ib.

Libri Carolini non fuerunt deportati ad Adrianum . . 739

Carolus.

Egregia Caroli Magni commendatio. 317

Carpocrates.

Carpocrates affirmavit Jesum ex Josephi et Mariæ conjugio cæterorum more progenitum esse 9

Causa.

Quid sit causa efficiens, et quotuplex. 234

Deus, ut Trinus est principalis causa Incarnationis . . ib.

Qualiter causa efficiens, et instrumentaria distinguantur. 235

Cerdon.

Cerdon, qui primus duos dixisse Deos fatetur, unum bonum, et alterum malum. . 13

Cereus.

Quo sensu Concilium Eliberitanum prohibuerit cereorum usum in cœmeteriis . . . 753

Cerinthus.

Cerinthus discipulus Carpocratis 9

Certitudo.

Tres sunt gradus certitudinis in materia fidei 845

Christus.

Christus ut homo sumitur, vel reduplicative, vel specificative. 110

In Christo est quidem aliud et aliud, non vero alius et alius 178

Corpus Christi non fuit prius tempore formatum, quam assumptum 239

Christi Corporis organizatio non fuit per varias alterationes 240

Christus venit in mundum, ut peccatores salvos faceret . 260

Christus prius a Deo decretus est, quam Creaturæ . . . 263

Christus est prædestinatorum exemplar. 266

Christus est redemptor vel præservativus, vel liberativus. 278

Christus venit, ut prorsus omnia peccata deleret . . . 279

Christus præcipue venit ut originale peccatum elueret. . 280

Christus venisset solo existente peccato originali, secus autem si sola actualia extitissent. 281

Christus est verus Dei, verus que Æterni Patris Filius . 286

Christus ratione generationis æternæ Patrem appellat, ratione vero generationis temporalis eum nominat Deum. 291

Christus, non solum recreator, sed etiam creator est . . . 297

Christus tamquam verus Deus fuit promissus SS. Patribus. 301

Christus, Angelus, Mariam, ac Josephum allocutus Deum verum affirmavit 302

Quamquam Christus sit mediator, non propterea inferior est Deo 303

Christus una cum Patre invocatur, et etiam Pater noster dicitur. 304

Christus quatenus Æterni Patris Filius est ei consubstantialis 306

Christus ut homo non est Filius adoptivus 309

Qua ratione Christus dicatur inferior Patre 312

Qualiter sit verum, quod Christus, ut homo sit Filius Dei naturalis 314

Christus D. dici potest Patri subjectus tripliciter . . . 330

Christus tenebatur obedire mandato Patris. . . . . ib.

Christus libere mortuus, quia

pag.
libere voluit implere præceptum Patris 331
Christus subjectus erat legi naturali, non vero legibus humanis, neque etiam legibus. ib.
Christus D. est vere servus Dei servitute naturali non vero legali 332
Christus D. hominem esse Scriptura Sacra significat . 337
Christi D. Corpus erat ejusdem materiæ cum nostro . . . 346
Corpus Christi non solum in Maria, sed etiam ex Maria fuit formatum 349
Qua ratione S. Paulus dixerit se cognoscere Christum secundum carnem 350
Christus duplicem habuit intellectum divinum, et humanum, duplicemque voluntatem 365
Non fuit in Christo pugna voluntatum 368
Proprie dici non debet quod Christus D. incepit esse nec quod sit homo deifer . . . 416
Non etiam est dicendus homo Dominicus 418
Triplici modo Christus D. differt ab Adamo 255
Pluribus titulis Christus insignitus, sed præcipue Capitis, Judicis, Regis . . . 561
Christus quatenus Deus est caput Ecclesiæ. 565
Quatuor conditiones ad rationem capitis mystici desideratæ . . . . . ib.
Christus etiam ut homo est caput Ecclesiæ. 566
Christus non est Ecclesiæ caput per gratiam personalem, aut sanctificantem, nec divisim, aut conjunctim sumptam 568
Sed per potestatem sibi a Deo in homines, et Angelos collatam . . . . . ib.
Superius tamen dictæ gratiæ requiruntur in Christo ad suum capitis munus rite obeundum 569
Non dicitur Christus cor Ecclesiæ, sed tantum caput . 570

pag.
Quamvis Christus multis de causis possit dici caput Ecclesiæ, sic tamen proprie nominatur, quia sicut caput corporis in membra, sic et Christus in Ecclesiam influit . . . . . ib
Influxus Christi in homines, vel Angelos dupliciter consideratur 571
Christus Dominus est actu caput Beatorum, et non damnatorum . . . . . ib.
Christus Dominus est actu caput omnium viatorum fidelium, licet enim ipsi ut capiti non uniantur per charitatem, uniuntur per fidem. 572
Est autem dumtaxat potentia caput infidelium . . . . ib.
Christus fuit caput hominum quantum ad animam, et corpus. 575
Christus dicitur caput aliquorum membrorum quatuor modis . . . . . ib.
Tribus modis influit gratiam corpori, et membris, per modum meriti, per modum exemplaris, per modum capitis 576
Christus Dominus meruit gratiam, et gloriam Angelis, et hominibus . . . . . ib.
Christus in quantum homo, est caput Angelorum secundum dignitatem, et influxum 577
Convenit Christus generice cum Angelis, ratione scilicet animæ. 578
Quamvis Christus sit caput Angelorum, non est necesse ut sit eorum sponsus . . ib.
Influit Christus in Angelos illuminationem, et beatitudinem accidentalem, necnon gratiam sanctificantem, et gloriam essentialem . . ib.
Christus est caput eorum, qui extiterunt in statu innocentiæ. 581
Christus est caput omnis creaturæ, etiam et dæmonum . ib.
Christus ad animorum concordiam stimulavit . . . 606

pag.
Christum esse hominum Redemptorem, negaverunt Judæi 607
Christus Dominus verus est hominum Redemptor . . 609
Christus ex duplici captivitate nos redemit 611
Christi Domini Redemptio tres ad veram Redemptionem characteres habet. . . . 613
Redemptio Christi longe præstantior est redemptione per Moysem . . . . . ib.
A quibusnam Christus nos liberavit 614
Quomodo Christus sua morte eluerit peccata crucifigentium 619
Christus Dominus nos per suam mortem redemit . . 620
Christus Dominus vere et proprie meruit nobis gratiam redemptionis, et reconciliationis cum Deo . . 623
Christus fuit conjunctus fini ultimo quantum ad affectum justitiæ, non commodi . . 624
Christus meruit in instanti suæ Conceptionis 626
Tribuendum Christo quidquid ad ejus gloriam spectat . ib.
Christus meruit toto tempore vitæ suæ. 627
Christus meruit tempore infantiæ suæ 628
Omnes operationes Christi fuerunt meritoriæ, ita quod nullæ sint indifferentes. . 629
Vulnus lateris Christi post mortem inflictum, meritorium erat ratione præviæ acceptationis a Christo adhuc vivente factæ 630
Christus fuit viator secundum partem inferiorem, comprehensor secundum superiorem. . . . . ib.
Christus meruit per actus portionis inferioris . . 631-632
Duplicis generis actus Christus Dominus exercuit, quorum alii præcepti videntur. 631
Christus meruit per actus charitatis 633
Tripliciter Christus potuit mereri. 635

pag.
Christus meruit per actus, quibus observavit præcepta sibi imposita 636
Christus non poterat cogi ad implendum præceptum, neque per amorem, neque per rationem 637
Christus servavit præcepta sibi imposita ex motivo et virtute obedientiæ 638
Per amorem beatificum Christus ad ea præcepta implenda moraliter determinatur. ib.
Plus gloriæ contulit Christo mors et passio, quam amor beatificus, utpote quæ subeunda difficilis nimium erat. ib.
Christus ita erat liber, ut illo eodem tempore, quo actus faciebat, poterat ipsos non facere 639
Verum mandatum Christo fuit impositum . . . . . ib.
Mandatum de morte fuit Christo impositum antecedenter ad ejus voluntatem, et acceptationem 640
Christus non ideo dicitur libere mortuus, quia poterat petere dispensationem mortis a Patre . . . . . ib.
Mors Christi fuit imperata, quantum ad substantiam, et circumstantias 641
Christus non potuit recusare mortem in sensu diviso, nec in sensu composito . . . 642
Christus de facto habuit ab instanti suæ Conceptionis gratiam sanctificantem, et gloriam essentialem animæ . ib.
Etsi Christus non habuisset gratiam sanctificantem, mereri potuisset . . . . . ib.
Christus non sibi solummodo meruit, sed etiam aliis, et tamquam caput membris profecit 643
De facto Christus sibi non meruit gratiam sanctificantem, et gloriam, nec potuisset mereri de potentia ordinaria, potuisset tamen de potentia extraordinaria, per conjunctionem scilicet animæ Christi cum Deo . . 644

pag.

Christus habuit unionem personalem cum Deo ab instanti Conceptionis, Angelus solum accidentalem . . . 646
Christus de facto meruit, et gloriam corporis sui, et exaltationem nominis 647
Indirecte tantum Christus meruit gloriam corporis sui . 649
Suis meritis Christus venit in mundum propter nostram salutem 650
Christus non meruit solum gratias omnes, sed liberationem a culpa, et fruitionem gloriæ cælestis . . . ib.
Christus meruit Angelis gratiam et gloriam 651
Christi Domini meritum fuit infinitum non intrinsece, sed extrinsece 652
Christus meruit pro infinitis hominibus, quantum ad sufficientiam non intrinsece, sed quia Deus ejus opera acceptavit pro illis omnibus. 659
Christus nullo officio Levitico functus est 665
Fabula est Christum ex Tribu Levi fuisse oriundum . . 666
Christus Dominus revera Patrem oravit 669
Christus orat nunc oratione expressiva pro nobis. . . 670
Qua ratione Christus fuerit semper exauditus. . . . 672
Non debet orari Christus, ut pro nobis oret . . . . . ib.
Christus recte dicitur super omnia diligendus 682
Qualiter Christus venerit B. Virginem quærere, et salvam facere 778

Cognitio.

Quid sit Cognitio comprehensiva. 478

Communicatio.

Communicatio Dei alia est ad intra, alia ad extra . . . 52
Quid sit Communicatio idiomatum. 395
In Christo est Communicatio vel naturarum, vel proprietatum, vel operationum . . ib.
Communicatio fit duobus modis . . . . . ib.

pag.

Est in Christo communicatio idiomatum 396
Quinque regulæ, quibus cognosci ac discerni possit idiomatum communicatio . 398
Per communicationem idiomatum attributa divina non conveniunt humanitati formaliter, nec humana divinitati 399
Christus D. per communicationem idiomatum absolute dici non posset Creatura . . . 404

Conceptio.

Triplex distingui potest Virginis Conceptio 767
Prima controversia circa Immaculatam Conceptionem videtur cœpisse tempore S. Bernardi . . . . . ib.
Secunda tempore Doctoris Subtilis, qui eam primum timide, demum animose propugnavit, maxime Parisiis, et Coloniæ 768
Pia opinio Immaculatæ Concept. opera Doctoris Subtilis plurimum invaluit, quæ primum dicta fuit Minorum . ib.
Quis sit verus et apertus quæstionis de Conceptione Virginis sensus. 769
Immaculata Conceptio probatur ex Scriptura. 770. 2. Ex Conciliis. 781. 1. Ex Summis Pontificibus. 786. Ex Ecclesiæ praxi. 792. Ex Confraternitatibus, ex gratiis sede Apostolica concessis, necnon ex officio divino in ejusdem Immaculatæ Conceptionis honorem approbato. 789. Objicitur Decretum Inquisitionis, et solvitur. 790. Ecclesia a pluribus sæculis festum Conceptionis celebrat. 792. Probatur etiam ex ejusdem festi ordinatione pro universo Seraphico Ordine tempore S. Bonaventuræ 794
Et ex Ecclesiis Ægypti, ex Novo Testamento Syriaco, ex S. Thesiphone, et ex Ecclesia Græca . . . 792-793
Objicitur Epistola Sancti Ber-

pag.

nardi ad Canonicos Lugdunenses, sed supposititia. . 794
Festum Conceptionis non celebratur tantum ob gratiarum actionem, neque per respectum ad sanctificationem. 797
Probatur etiam ex Ecclesiastica Traditione 798
Proponuntur et solvuntur objectiones adversus Conceptionem, ex Origene. 811-812
Ex S. Ambrosio, et S. Augustino 812-813
Ex S. Leone, et S. Ruperto. 814
Ex S. Anselmo, et S. Antonio Paduano, et ex S. Bernardino 816
Etsi Virginis Conceptio fuerit Immaculata, non minus opus habuit Christo ut Redemptore. 817

Concilia.

Rationes, quæ in Conciliis reperiuntur ad astruenda fidei dogmata, non semper sunt de fide. 519

Concretum.

Qualiter in divinis concreta de concretis, et abstracta de abstractis prædicentur . . . 396

Constantinus.

Quare Constantinus hæresis fuerit damnatus 359

Convenientia.

Convenientia duplex est, intrinseca et extrinseca . . 52

Creatio.

Creatio sumitur duobus modis, proprie vel improprie. . . 409
Christus non est dicendus proprie creatus 410

Creatura.

Creatura duobus modis comparari potest ad Creatorem, sicut Creator ad Creaturam. 70
Varia Creaturarum partitio . 216
Christus non est dicendus Creatura 414
Christus secundum se totum non est dicendus creatus, aut increatus . . . . . ib.

Crux.

Non omnes Iconoclastæ bellum Cruci dixerunt . . . 686
Primus Crucis impugnator fuit Claudius Taurinensis Episcopus. 687
Vera Crux est adoranda latria respectiva 688
Crux fuit veluti currus triumphalis Christi . . . . . ib.
In Cruce velut in Sacrario Christus nos Patri reconciliavit 690
In Cruce velut in Altari omnia consummavit . . . . ib.
Crux fuit scala mystica, per quam ad gloriæ thronum gradum fecit . . . . . ib.
Christi Crux proprio sanguine fuit uncta 693
Vera Crux per divisionen non minuebatur 696
Qualiter Crux a tempore Apostolorum in veneratione fuerit 697
Utrum veneranda sit propter contactum ad Christum, et quia fuit instrumentum reparatæ nostræ salutis . . 698
Recte Crucis effigies, ac religiose colitur. 700
Vetitum est ne reorum suppliciis Crucis effigies adhiberetur 701
Vetitum est ne in terra formaretur Crucis effigies . . ib.
Signum Crucis semper a fidelibus frequentatum . . . 702
Signum Crucis est tutissimum præsidium contra Dæmones. ib.
Quare figura lanceæ, et clavorum non sit veneranda sicut figura Crucis . . . 703

Cyrillus.

Cyrillus quomodo generose restiterit Nestorio. 23

D

Dæmon.

Dæmones Christum esse verum Messiam ex oraculis potuerunt agnoscere . . . 47

Damascenus.

Sanctus Damascenus narrat quomodo B. Virgo obierit, aut resurrexit 857

Damnati.

In damnatis remanent characteres Baptismi, et Ordinis

pag.

ad tormentum et ignominiam 572

Defectus.

Tres præcipue defectus, nempe ignorantia in intellectu, pravitas in voluntate, morbi morsque in corpore . . . 519

Duplicis generis hominum defectus, privati, et communes . . . . . ib.

Non debuit Christus pœnas damnatorum pati 520

Repugnat infirmitas naturæ Divinæ, non humanæ assumptæ 523

Christus assumpsit defectus humanos ex more, non ex necessitate . . . . . ib.

Christus D. non assumpsit privatos hominum defectus . 528

Deformitas.

Christus non habuit deformitates, eximia enim pulchritudine donatus erat . . . 529

Deus.

Nomen Dei accipitur vel essentialiter, vel hypostatice.

Aliter nomen Dei tribuitur Creaturis, et aliter Christo. 304

Deus non est infinite participabilis a Creatura determinata 305

Potuit Deus aliis mediis, quam per redemptionem, homines salvare 418

Passionem Christi Deus ordinavit, non ex necessitate, sed ex amore 617

Quare Deus voluerit nos redimi potius per ejus passionem, quam per ejus actionem 619

Diabolus.

Diabolus non detinet peccatores in captivitate, nisi ex ordinatione divina . . . 615

Dignitas.

Summa operationis Christi Dignitas desumenda est ex unione hypostatica . . . 657

Dona Spiritus Sancti.

Quot, et quæ sint Dona Spiritus Sancti 467

Non distinguuntur a virtutibus . . . . . ib.

Christus D. habuit omnia Dona Spiritus Sancti non solum quoad habitum, sed etiam quoad actum 469

Donum Consilii non semper importat dubitationem . . 470

Donum timoris in Christo negaverat Abailardus, sed ejuravit . . . . . ib.

Quid sit præcisè Donum timoris, et ad quam virtutem spectet. 471

Non repugnat cum statu beatifico Christi. . . . . ib.

E

Ebion.

Ebion Cerynthi Discipulus . 10

Elxai.

Elxai Judæus sectam mediam Judæos inter, et Christianos instituit . . . . . ib.

Error.

Errores, quos plerique in Christi filiationem evomuerunt, annotantur 31

Quinam præcipui fuerint Nestorii, et Eutychis errores . 167

Duplex distinguitur error . . 531

Esse.

Triplex est esse, essentiæ, existentiæ, et subsistentiæ . . 386

Christus D. habet unicum esse personale. . . . . ib.

Eutychiani.

Eutychianorum hæresis expositio 27

Tria sunt præcipue eorum dogmata . . . . . ib.

Non sibi constabat Eutyches . 28

Qualiter fuerit damnatus . . ib.

Existentia.

Duplex in Christo existentia, divina et humana. . . . 387

Testimonia quædam adversus hanc Christi existentiam . 389

Eo præcise B. Virgo est Mater Dei, quia illud existens, quod genuit, fuit completum, et terminatum per subsistentiam Verbi 390

F

Facultas.

Facultates animæ non sunt realiter ab ea distinctæ . . 362

pag.

Felix.

Felix et Elipandus idcirco damnati in Concilio Francofordiensi, quod Nestorianam haresim instaurarent . 315

Fides.

Fides variis modis accipitur. 453

Fides, et spes duobus modis considerantur 457

Duo ad fidei motus requiruntur 458

Fides Theologica neque quoad actum neque quoad habitum, fuit in Christo . . . ib.

Quare Christus D. potius habuerit magnificentiam quam fidem 459

Non erat in Christo pia motio voluntatis ad assensum fidei . . . . . ib.

Quid sit credere aliquid pia fide, et credere fide Catholica. 845

Filiatio.

Variæ Auctorum sententiæ de Filiatione Christi 320

Filiatio fundari potest non solum in persona, sed etiam in natura. . . . . ib.

Filiatio æterna et temporalis Christi sunt reales. . . . 322

Duæ Filiationes ejusdem generis possunt esse in eodem subjecto 324

Filiatio non subjectatur necessario et immediate in supposito sed in natura. . . 325

Filiatio divina dici potest immediate esse in natura divina 326

Etsi Christus D. duas habeat Filiationes, nullum tamen inde sequitur absurdum. . ib.

Christus post Resurrectionem eadem Filiatione fuit Filius hominis, qua antea . . . 328

Femur.

Quid significet, *nec dux de femore ejus* 134

Forma.

Forma infinita in potentia potest esse actu 148

Frater.

Quo sensu aliqui dicti sint Fratres Domini 842

Nomen Fratris quadrifariam in Scriptura accipitur . . ib.

pag.

G

Generatio.

Sunt duæ generationes in Christo, non solum active, sed etiam passive. . . . 324

Gentiles.

Plurimi Gentiles cognoverunt futurum esse Deum hominem 18

Gloria.

Gloriosius est habere gloriam infusione, quam acquisitione. 645

Græci.

Quamdiu Græcorum imperium steterit, non ita certum est 140

Græcis non est infrequens acta Conciliorum interpolare 382

Gratia.

Quomodo Gratiæ, quam habebat Adamus innocens, correspondebat aliquis gloriæ gradus. 270

Quadruplex in Christo Domino gratia distinguitur . . 419

Gratia habitualis est Divinæ naturæ imitatio, non vero realis communicatio . . . 428

Quid sit gratia habitualis, et ob quos fines concedatur . 430

Christus Dominus habuit gratiam habitualem 431

Qualiter sint intelligenda hæc Verba, *plenum gratiæ* . . 432

Filiatio adoptiva est tantum secundarius effectus gratiæ habitualis 433

Christus Dominus potuit esse Deus per participationem ratione gratiæ 434

Licet Gratia unionis eminenter contineat gratiam habitualem, tamen non potest illius effectus supplere . . ib.

Quamquam Christus D. sit summe Deo gratus per gratiam unionis, tamen potuit etiam esse gratus per gratiam habitualem 435

Gratia habitualis fuit Christo necessaria ad Sanctitatem formalem. . . . . ib.

Christus D. opus habuit gra-

pag.

tia habituali ad eliciendos actus supernaturales connaturaliter, et meritorios . . 136
Gratia habitualis saltem secundario ordinatur ad operationem 137
Frustranea Vasquesii, et Suarii contentio de ampliori significatione Christi D. per gratiam habitualem . . . 138
Gratia Christi D. potest concipi esse infinita variis modis 139
Potest dici summa simpliciter, positive scilicet, et negative . . . . . ib.
Christi D. Gratia non fuit de facto infinita. 140
Gratia unionis ex se non est infinita 141
Christus D. habuit summam Gratiam 143
Quare potius fieri debuerit summa Gratia, quam summa natura 147
Gratia Christi Domini non potest augeri in infinitum. . ib.
Christi D. Gratia fuit summa, etiam positive 150
Qualiter Christus Dominus dicatur profecisse in Gratia . 149
Gratia actualis fuit in Christo. 151

Gratia gratis data.

Quid sit gratia gratis data, et quotuplex 152
Discrimen inter Gratias gratis datas, et gratum facientes 153
Christus Dominus habuit omnes Gratias gratis datas . ib.

H

Hæresis.

Hæretici, qui Divinæ Naturæ cum humana in unitate Personæ unionem impugnarunt, omnium nequissimi fuerunt Nestoriani, et Eutychiani 20
Distributio Hæresum Verbi Incarnationem impugnantium 8
Quot et qui Hæretici Christi Divinitatem impugnaverint his temporibus. Hæreticorum diverticulum præclu-

pag.

ditur dicentium Verbum idcirco appellari Deum, quod Dei vices impleverit. . . 297
Hæretici, qui animam rationalem Christo denegaverunt 338
Quinam Hæretici erraverint circa Christi Domini cognitionem. 531
Varii Hæretici circa veram Christi humanitatem erraverunt. 519

Hebdomades Danielis.

Quare 70. hebdomades Danielis tres in partes distribuantur 139
Anni quibus hebdomades constant sunt solares, non lunares 142
Quare 70. hebdomades dicantur *abbreviatæ* . . . . . ib.
Varia et multiplex auctorum sententia circa initium illarum hebdomadarum . . ib.
Nostra sententia circa hebdomadarum initium. . . . 144
Refellitur sententia eorum, qui volunt hebdomadas esse incipiendas a vaticinio Isaiæ 145
Nec valet eorum, qui numerant ab edicto Cyri . . . ib.
Non etiam potest stare eorum sententia, qui volunt hebdomadas illas auspicandas esse ab edicto Darii Hisdaspis 146
Clara explicatio nostræ sententiæ circa initium hebdomadum 147
Omnes Danielis oraculi particulæ de hebdomadibus recte conveniunt Christo Domino 148

Herodes.

Herodes potuit origine fuisse Judæus 135
Herodes dicitur Idumæus. . 137

Hilarius.

Objicitur gravis sententia Sancti Hilarii pro asserenda impassibilitate Corporis Christi 523
Ejus mens vere catholica demonstratur a Magistro Sententiarum, et aliis. . . . 524

pag.
Demonstratur eum sententiam retractasse 527

Homo.

Homo purus quid sit . . . 84
Homo purus non potuit condigne satisfacere pro peccatis omnium hominum . . 85
Potuisset absolute satisfacere Deo ad æqualitatem pro peccatis hominum. . . . 87
Nulla est contradictio, quod homo purus potuerit satisfacere de condigno, nec adversantur SS. Patres . . 91
Homo majorem similitudinem habet quam Angelus cum Deo. 63
Idem homo potest esse debitor, et creditor. 98
Homo prædicatur de Deo, ut est quid absolutum . . . 101
Hæc propositio, *Deus est homo*, est proprie dicta . . 103
Prædicatio, *Deus est homo*, non est in materiali. . . 105
Item hæ propositiones, Deus *factus est homo*, et homo *factus est Deus*, veræ sunt. 106
Sed quia hac parcius utendum est, eam optime explicat Seraphicus Doctor . . 109

Honorius.

Honorius duplicem epistolam ad Sergium scripsit . . . 372
Aliqui Catholici docent Honorium patrocinatum fuisse errori Monothelitarum . . 371
Honorius non est culpandus, quod ad Sergium scripserit. 372
Nec etiam arguendus erroris propter doctrinam in suis ad Sergium litteris expressam. 371
Honorius solius pacis servandæ causa voluit, quod taceretur assertio unius, aut duarum voluntatum in Christo, et ne novitatis arguerctur, vel ne si duas admitteret, Nestorio, si unicam, Eutycheti favere videretur. 375
Honorius non magis est hæresis arguendus, quam Sophronius 376
Honorius diserte prohibet dici unicam operationem in Christo, sicut vetat dici duas . 377

pag.
Honorius in 6. Synodo non fuit hæreticis annumeratus. 377
Sanctus Maximus Honorium ab hæresi vindicavit. . . 380
Hæreticorum dolo Honorii nomen insertum est inter patronos erroris Monothelitarum 381
Cur Honorius, et Sergius anathemate percussi fuerint in septima Synodo 384
Falsum est, quod Honorius ab Agathone damnatus fuerit. ib.
Epistola Leonis Secundi, quæ ad finem sextæ Synodi, in qua damnatur Honorius, est spuria, et falsa. . . . . ib.

Humanitas.

Qua ratione humanitas Christi dicatur templum illius Divinitatis 177
Verbum Divinum non assumit, nec terminat humanitatem per substantiam absolutam 190
Humanitas non terminatur per substantiam absolutam, ut modificatam per Verbi personalitatem 192
Verbum terminat humanitatem non quia illam continet virtualiter, sed quia est independens 193
Si tantum esset unica in Deo persona posset humanam naturam assumere 195
Aliqui SS. Patres Christi D. humanitatem instrumentum appellant. 368
Christi humanitas non est ubique. 399
Præcipuæ humanitatis Christi dotes sunt gratiæ, virtutes, et scientiæ 419
Christi Humanitas considerari potest tribus modis. . 675
Humanitati Christi aliqua ratione sacrificatur 681
Qualiter Humanitas Christi concipi possit seorsim a Verbo 685
Potest Humanitas Christi seorsim a Verbo adorari . . . ib.

pag.

I

Jacobus.

Summus Pontifex pio affectu B. Jacobum de Marchia alloquitur 357

Iconoclastæ.

Iconoclastarum parentes fuerunt Manichæi 701

Jesus.

Vere Jesus Christus erat Messias 150

Jesus erat pauperrimus . . 151

Jesus traditus est in mortem pro triginta argenteis . . ib.

Jesus resurrexit, in Cœlum ascendit, et misit Spiritum S. ib.

Ignorantia.

Diversæ ignorantiæ species . 520

Nulla omnino ignorantia Christus laboravit, etiam quatenus homo. 532

Christus interrogat, non quasi aliquid ignoret, sed ut communi hominum loquendi modo se conformet . . . ib.

Imago.

Imaginis nomen est generi-cum conveniens veræ, et falsæ Imagini 710

Discrimen inter Imaginem, idolum, et simulacrum . . 709

Unde exorta fuerit inanis, et falsa existimatio Gentilium circa numen Imaginum. . 711

Periti, et Philosophi hanc inanem existimationem de Imaginibus non habuerunt . . ib.

Triplex de Imaginibus venerandis sententia 712

Triplex Imago Christi ejus tempore formata 713

Idem usus Imaginum frequens fuit apud fideles nascentis Ecclesiæ 714

Quare minus frequens in primitiva Ecclesia usus Imaginum. 715

Imagines licite in templis collocantur 716

Qua ratione Deus prohibuerit Imagines in templo fieri a Judæis 720

Expenditur Canon Concilii Eliberitani de non pingendis Imaginibus. 721

pag.

Quare S. Irenæus hæreticos culpet, quod coluerint Imagines 722

An et qua ratione S. Augustinus dixerit Christum, et Apostolos in Imaginibus, non esse quærendos . . . 724

Imagines in templis non præbent ansam idololatrandi . 725

Imaginum deportatio in processionibus miraculo fuit comprobata . . . . . ib.

Imagines sacræ sunt venerandæ 726

Qua ratione sculptilium cultus in sacra Scriptura prohibeatur. 730

Objicitur Canon secundi Concilii Francofordiensis. . . 732

Cui respondetur . . . . . ib.

Licitum est, et pium Imaginibus Deum repræsentare, et illum in eis colere . . 743

Quid de sacrarum Imaginum cultu senserit Jonas Aurelianensis Antistes. . . . 742

Imagines fieri possunt motivo triplici. 743

Quare homo, licet Imago Dei, non sit adorandus. . . . 744

Probabilius est Imagines tantum esse terminum *quo* adorationis . . . . . ib.

Incarnatio.

Incarnatio variis vocabulis exponitur 32

Non potest naturaliter evinci Incarnationis possibilitas . 37

Incarnatio potius dicitur a carne, quam ab anima . . . 33

Quantum Dæmon laboraverit, ut Incarnationis veritatem pessundaret . . . . . ib.

Incarnationis explicatio, et qualis sit illa denominatio. *Deus est homo* 35

Utrum Incarnatio cognosci possit, vel ut possibilis, vel ut proxima, vel ut peracta. ib.

Nullus intellectus creatus potest naturaliter cognoscere mysterium Incarnationis . 36

Divina revelatione supposita, potest Incarnatio suaderi . 50

Incarnatio Verbi extitit Deo conveniens 53

pag.

In Mysterio Incarnationis quinque præ cæteris prope infinitis fulgent præcellentiæ, scilicet, bonitas, omnipotentia, sapientia, justitia, et misericordia. 54
Incarnatio novam mirabilem Trinitatem exhibet . . . 55
Deum humiliari decet ratione sui, non vero ratione sibi uniti. 58
Incarnatio Verbi convenientissima fuit humanæ naturæ. 60
Incarnatio Verbi conveniens fuit toti universo 63
Deus potuit incarnari variis modis 64
Quare conveniens fuerit Christum nasci ex Virgine . . 69
Qualiter Divinis Personis aliquid peculiare attribuatur . 70
Conveniens fuit Filium potius incarnari, quam Patrem, aut Spiritum sanctum. 71
Incarnatio potest considerari, vel effective, vel formaliter. 72
Magis decebat Filium subjici Patri ratione humanitatis assumptæ, quam Patrem Filio. 73
Incarnatio appropriatur effective Spiritui S. at formaliter soli Verbo . . . . . ib.
Tres assignantur differentiæ temporis, in quibus fieri potuit Incarnatio . . . . . ib.
Variæ exceptiones temporis, quo peracta est Incarnatio. 74
Non decuit Incarnationem fieri initio mundi. 75
Incarnatio non debuit differri ad finem mundi 76
Incarnatio congruentius facta est in medio temporum. . ib.
Incarnatio Christi non fuit absolute necessaria 79
Si qua Deus impulsus necessitate fuerit, maxime consequentiæ . . . . . ib.
Incarnatio non fuit absolute necessaria, etsi Deus hominem lapsum reparare voluerit 81
Sancti Patres docent Deum potuisse hominem salvare absque incarnatione Verbi. 82
Potuit Deus irrogatam sibi ab

pag.

hominibus injuriam gratis condonare 82
Proferuntur rationes SS. Patrum, qui dicunt Incarnationem fuisse absolute necessariam, sed intelligendi sunt de necessitate consequente ex decreto Dei . . 83
Incarnatio est omnium unionum perfectissima, non autem strictissima 175
Incarnatio juxta diversam sui habitudinem diversas sortitur appellationes 181
Incarnationis terminus potest dici aliquid creatum, et increatum 182
Revera solus Filius ex Divinis Personis est incarnatus . . 188
Incarnatio diversimode spectata, diversos habet terminos formales. 183
Non fuit iterata Incarnatio in Resurrectione 230
B. Virgo non fuit instrumentum physice concurrens ad Incarnationem 236
Deus ut Trinus non est principalis causa efficiens Incarnationis 234
Duplex excogitari potest dispositio ad Incarnationem, una ex parte corporis, alia ex parte animæ 238
Quatuor in Incarnatione spectari possunt 239
Christus suam Incarnationem non meruit per opera antecedentia prioritate temporis, nec prioritate naturæ . . 243
Incarnatio fuit mere gratuitum Dei beneficium. 244
Christus non meruit suam Incarnationem per opera illam consequentia 246
Gratia, qua SS. Patres veteris Testamenti meruerunt Incarnationis circumstantias, fuit eis collata ob merita Christi prævisa. 248
Christus D. potuit mereri quasdam circumstantias sequentes Incarnationem, non vero præcedentes, et concomitantes 249
Etiamsi nullum fuisset homi-

pag.

nis peccatum, tamen revera Deus potuisset incarnari . 260
Patres veteris Testamenti non meruerunt de condigno Incarnationem 257
Nec etiam de congruo quoad substantiam neque quoad circumstantias intrinsecas, sed dumtaxat quoad extrinsecas aliquas . . . . . ib.
Non potuerunt mereri omnes effectus Incarnationis . . 260
Varia fuere motiva Incarnationis 261
Varia sunt instantia distinguenda in decreto futuræ Incarnationis . . . . . ib.
Deus ordinate volens prius vult Incarnationem, quam velit omnes creaturas . . 268
Quo sensu Sacra Scriptura, et SS. Patres asserant Incarnationem fuisse peractam propter peccata elicienda . 274
Quo ordine Deus Incarnationem decreverit 276
Quo sensu Verbum fuisset incarnandum ex vi præsentis decreti in carne passibili, si nullum fuisset peccatum. 277

Institutio.

Institutio Senatus Sanhedrin, et quid significet 130

Irremediabile.

Irremediabile exprimitur tripliciter 68

Israëlitæ.

Quotquot post captivitatem fuerunt superstites Israëlitæ, dicti sunt Judæi. . . 133

Judæi.

Aliqui Judæi duos Christos admiserunt, unum pauperem, et alterum divitem . 124
Sceptrum Judaicum non fuit ablatum tempore captivitatis Babylonicæ. 125
Urgetur recentium Judæorum objectio contra adventum veri Messiæ. 126
Nonnulli contendunt Judaicum sceptrum, nondum defecisse, at fabulas narrant. 123
Nomine Judæ non intelligitur tota Hebræorum natio. 129
Ablatio sceptri ac regiæ et judiciariæ potestatis Judaicæ extinctio paulatim fuit completa 135

Judex.

Quatuor maxime conditiones in Judice requiruntur, scilicet morum pietas, mentis integritas, judicandæ rei perfecta notitia, et animi fortitudo 589
Christus erat Judex principaliter, qua Deus est . 590-591
Duo requiruntur ad completam judiciariam potestatem. 592
Christus non venit, ut judicet mundum in primo adventu, sed in secundo ad id est venturus 593
Christus judicaturus est non in forma Deitatis, sed humanitatis . . . . . ib.

Jus.

Quid sit jus in ordine ad rem, et in ordine ad personam . 94
Christum Regem fuisse de Jure, potest tripliciter intelligi, nimirum jure successionis, electionis, et unionis 583

Justificatio.

Ad justificationem tria requiruntur. 420

Justitia.

Sicut duplex meritum, morale, et legale, ita duplex est justitia 93

L

Lex.

Execratio Legis duplex est, activa, et passiva. . . . 615

Liberatio.

Duplex est Liberatio, proprie, et improprie dicta . . . 609

Lumen.

Lumen triplex, fidei, demonstrationis, et suasionis . . 13
Etiamsi lumen gloriæ esset infinitum, tamen Deus non comprehenderetur a Beatis. 141

M

Machabæi.

Machabæi non erant ex Tribu Juda secundum lineam pa-

pag.

ternam, neque secundum lineam maternam 127
Machabæi non regnarunt jure hæreditario, nec per usurpationem 128
Machabæi dici possunt ex Tribu Juda, et nomine ejus tribus sceptrum tenuisse . . 134
Licet regnaverint Machabæi super Israëlitas, non propterea quidquam dignitatis, et excellentiæ Tribui Judæ excidit. . . . . ib.

Manes.

Manes, sive Manichæus affirmabat cum suis discipulis Christum fuisse Serpentem. 14

Marcellus.

Marcellus Ancyranus fuit Sabellii fautor. 12

Marcion.

Marcion, qui ut negaret Christi nativitatem, negavit et carnem 14

Maternitas.

B. Virgo potuit mereri divinam Maternitatem, nec tamen inde sequitur, quod Christus etiam potuerit mereri. 250
Divina Maternitas spectanda est præcipue ex circumstantiis Incarnationis. . . ib.
Triplex sententia de modo, quo B. Virgo eam meruerit . . ib.
B. Virgo varias habebat dispositiones ad Divinam Maternitatem 251
B. Virgo non meruit de condigno, ut fieret Mater Dei. ib.
Quamquam B. Virgo meruerit aliquid præstantius Maternitate, inde tamen non sequitur, quod illam meruerit. 252
Non potuit B. Virgo mereri, ut præelegeretur ad Maternitatem Dei, sed tantum ut illa sui electio executioni mandaretur 256

Mediator.

Christus Dominus est Mediator, Salvator, et Pontifex. 293
Christus Dominus in Scriptura sacra Mediator appellatur. 294
Quinam hæretici erraverint

pag.

circa Christum, ut Mediatorem 294

Medium.

Medium est duplex: *ut quod*, et *ut quo*. 226
Partes fuerunt medium *quo* assumptionis humanitatis . 229
Christus revera Mediator est inter Deum, et homines. . 596
Quinam præcipui Patres de Christo, ut Mediatore locuti sunt 597
Christus Dominus fuit Dei et hominum Mediator, non solum statu, sed officio ratione naturæ subsistentis in supposito divino 599
Discrimen inter medium, et Mediatorem a Seraphico Doctore 600
Christus Dominus est Medius inter Deum, et homines ratione naturæ D. personatæ. 601
Primum Mediatoris munus est inter se dissidentes pacificare . . . . . ib.

Melchisedech.

In quibusnam Melchisedech Christi regnum præsignabat 587

Meritum.

Quid significent hæc Vocabula, Meritum, Satisfactio, Redemptio, et Mediatio, et qualiter ad invicem discrepent 621
Duplex est Meritum: de condigno, et congruo. . . . 622
Ad actionem meritoriam non est necessaria prioritas temporis, sed sufficit prioritas naturæ 626
Multiplex fuit Christi meritum 629
Meritum non solum respicit actum elicitum, sed et personam elicientem. . . . 635
Confirmati in gratia possunt mereri. 636
Ad merendum præmium debet meritum saltem natura præcedere præmium. . . 645
Meritum non consistit in motu successivo, sed actione, et mutatione instantanea . . 647
Nemo potest beatitudinem me-

pag.

reri sine spe eam consequendi de potentia absoluta. 647
Christi meritum extrinsece tantum est infinitum, nempe ex triplici circumstantia, objecti, personæ, divinæ acceptationis 656
Christi merita non erant imperfecta, cum ipsi dari non possint majora 658

Messias.

Quid significet Messiæ nomen. 115
Qui sint Messiæ characteres. ib.
Christianis constantissimum esse debet, Messiam venisse. 116
Messiæ adventus dupliciter colligitur ex veteri Testamento . . . . . ib.
Messiam venisse colligitur ex Jacobi Vaticinio . . . . ib.
Abias Silonites non fuit Messias 121
Nabuchodonosor non fuit Messias . . . . . ib.
Præcluduntur alia Judæorum diverticula, quibus utuntur contra adventum Messiæ . 122
Dicunt aliqui Messiam promissum fuisse, sub conditione, quæ non fuit posita . . . 124
Vere Jesus Christus erat Messias 150
Quam futilia sint, quæ adversus adventum Messiæ Judæi obtrudunt 151

Modus.

Modus finitus operandi personæ infinitæ impedit communicationem dignitatis meritoriæ infinitæ. . . . 656

Monothelitæ.

Monothelitarum hæresis circa voluntatem Christi . . . 16
Quis fuerit Monothelitarum error 363
Monophysitæ fuerunt erroris Monothelitarum primi assertores, et varie ab eis dissentiebant 264
Monothelitæ confictis, aut interpolatis SS. Patrum, aut Pontificum operibus suam hæresim tuebantur . . . 367
Quidam Patres Monothelitis favere videntur. . . . . ib.

pag.

Monothelitæ falsitatis accusati 370
Referuntur Summi Pontifices Honorii successores, qui Monothelitis obstiterunt. . 372

Monumentum.

Quo sensu Christus D. Judæos damnaverit, quod Judæi ædificarent Monumenta Prophetarum. 751

Mors.

Reconciliati sumus Patri per mortem Filii. 600

N

Natura.

Deus humanam assumendo naturam, non illam in se recipit, sed tantum illi se communicat. 40
Verbum divinum dependentiam naturæ humanæ terminat ratione personæ; at natura humana personam Verbi divini tamquam intrinsecum sui complementum in se recipit . . . . ib.
Natura tum Angelica, tum humana, ex se indigna erat, quæ divinitati uniretur. . 64
Natura humana debuit potius reparari quam Angelica . ib.
Decebat magis ut natura humana ex Adami propagine assumeretur, quam alia. . 68
Nominis Naturæ propria significatio 168
Quælibet persona divina potuit humanam assumere naturam 69
Una natura in unione hypostatica non est mutata in aliam 170
Duæ Naturæ divina et humana, distinctæ in Christo perseverant 169
Natura divina secundum se potest aliquo modo humanitatem assumere. . . . 189
Repugnat Naturam creatam esse infinitam 204
Scotus non negat Naturam divinam posse terminare naturam creatam 199
Tres Divinæ Personæ possunt

pag.

simul eamdem Naturam terminare 202
Tres Divinæ Personæ non possunt eamdem Naturam simul assumere immediate . 203
Natura semel personata, non potest ulterius personari . 204
Natura non potest a pluribus simul dependere 205
Discrimen inter personam subsistentem, in Natura divina humana 206
Tres divinæ personæ non possunt omnem suam vim exercere, ut eamdem naturam assumant. 207
Natura assumpta ab una persona, non habet amplius potentiam obedientialem ad aliam personam, ut simul ab ea assumatur . . . . ib.
Natura assumpta non habet actualem inclinationem, ut terminetur ab alia persona. 208
Una natura non potest terminari a diversis suppositis . 209
Natura cogitari potest dupliciter a persona creata assumi, effective scilicet, et terminative 211
Verbum divinum potuit plures naturas assumere absque ulla contradictione, et hominum multiplicatione . . . 209
Persona creata non potest ex se naturam alienam assumere, neque eam unire cum proprio, aut alieno supposito. 212
Angelus non potest alienam naturam assumere ex se . 213
Persona creata potest alienam naturam assumere per extraordinariam Dei potentiam . . . . . ib.
Non est absolute necessarium, quod suppositum terminans naturam sit independens . 214
Cur potius persona possit terminare plures naturas, quam natura terminari a pluribus personis 215
Natura terminata per personam creatam haberet terminum positivum. 216
Dupliciter natura aliqua est assumptibilis 217
Natura humana potius, quam Angelica, assumi debuit a Christo . . . . . ib.
Natura Angelica potuit assumi a Deo 218
Utrum quælibet natura, etiam irrationalis assumi potuerit. 219
Natura irrationalis si fuisset assumpta a Deo, non diceretur Persona 220
Partes reales possunt etiam assumi a Deo seorsim, sive sint separatæ, sive unitæ . 221
Natura jam affecta sua subsistentia potest assumi, non quidem asservata, sed pereunte illa personalitate, et subsistentia 231
Natura personata non potest assumi, remanente propria personalitate . . . . . ib.
Natura humana non debet dici filia Virginis 325
Non est inconveniens, quod Christus Dominus plures naturas partiales assumpserit 356
Duæ perfectæ fuerunt in Christo naturæ 366
Licet Christus duas habeat naturas non tamen potest dici duo. 393

Necessitas.

Necessitas quotuplex . . . 78
Necessitas duplex 81
Omne quod est, quando est, necesse est esse 267

Nestorius.

Nestorii impii dogmatis assertor, quis fuerit, qua arte Catholicos luserit, qui fuerunt illius errores. . . . 20
Quæ fuerit prima illius hæresis propalatio. 22
Quid pro suo tuendo errore molitus fuerit Nestorius. . 23
Dire in Catholicos sævit . . 24
Convocatio Concilii Ephesini adversus Nestorium . . . ib.
Quam audaci fronte cum suis fautoribus Concilio interesse detrectet . . . . . ib.
Ab universali Concilio damnatur 25
Quanta lætitia populus Ephe-

pag.

sinus hanc Nestorii damnationem exceperit 25
Quas artes perfide tentaverit Nestorius, ut Concilii sententiam cum suis assentatoribus elevaret maxime apud Imperatorem . . . 26

O

Objectum.

Qualiter objectum creatum videatur in Verbo. . . . 478

Offensa.

Offensa Dei crescit secundum proportionem Geometricam, non autem Arithmeticam. 89
Offensa Dei non est infinita. ib.
Offensa Dei non ponitur infinita pœna . . . . . ib.
Offensæ gravitas crescit juxta perfectionem personæ læsæ secundum proportionem, non secundum gradum. . 659

Omnis.

Particula *omnis* plerumque idem significat, ac multi. 781

Operatio.

Fuerunt in Christo duplicis generis operationes naturales, et supernaturales . . 368

Oratio.

Duplex est oratio: expressiva, et interpretativa 664

Ordo.

Ordo duplex est in divina operatione, alius secundum intentionem, alius secundum executionem. . . . 262

Organizatio.

Christi Corporis organizatio non fuit per varias alterationes 240

P

Partes.

Partium substantialium varia, et multiplex divisio . . . 218
Partes possunt comparari, vel in ordine ad se, vel in ordine ad humanitatem . . 226

Passibilitas.

Duplex distingui potest passibilitas 276

Passio.

Undecim passiones appetitus sensitivi solito numerantur. 553

pag.

Quas passiones habuerit Christus Dominus 553
Qualiter Christus Dominus habuerit tristitiam, et gaudium 554
Tristitia formaliter residet in voluntate, quamvis non sit actio voluntatis 555
Fuerunt in Christo passiones, non tamen cum ea imperfectione, qua sunt in hominibus . . . . . ib.
Has passiones, propassiones vocat S. Hieronymus . . 556
Duplicem possumus habere nolitionem rei, quam refugimus, unam conditionatam, aliam absolutam; quam Christus habuerit, incertum videtur 558
Summum gaudium excludit omnem tristitiam directe, non autem indirecte. . . 559
Discrimen inter corpus gloriosum, et beatum Christi. 560
Quid sit tristitia . . . . . ib.
Isaias excludit tantum a Christo tristitiam perturbantem. ib.
Christus habuit timorem . . 561
Quomodo timor includat incertitudinem objecti . . . ib.
Vere fuit in Christi voluntate timor mortis. 562
Sex species timoris ex Sancto Damasceno 563
Christus habuit motum iræ . ib.
Duplex ira 564

Patres.

Sancti Patres præclare explicant quid significetur per, *ante Luciferum genui te* . 288

Paulus.

Paulus Samosatenus unicam in Deo personam admisit, duplexque Verbum distinxit. 11

Pax.

Pax est tranquillitas ordinis, ex S. Augustino 601
Christus D. dedit nobis suam pacem internam 604
Christus D. dedit pacem cum proximo suo 605
In Nativitate Christi mundus erat in pace compositus . 606

Peccatum.

Peccatum non habet plus ma-

pag.

litiæ, quam opus meritorium habere possit bonitatis. 88
Peccata sunt quatruplicis generis 279
Peccatum originale est minus grave intensive, quam actuale, sed eo gravius extensive 280
Christus nullo unquam originali peccato fuit inquinatus 536
Impia Hæreticorum blasphemia de Christi Domini impeccabilitate. 537
Quatuor modis potest considerari Christi impeccabilitas . . . . . ib.
Discrimen est inter habere *potentiam peccandi*, et habere *potentiam qua peccatur* . . . . . ib.
Christus ne levissime quidem peccavit 538
Nec ullatenus peccare potuit. 540
Christus non fuit præcise impeccabilis ratione unionis hypostaticæ, quamvis id asserere videantur aliqui Sancti Patres . . . . . ib.
Si Christus posset peccare connaturaliter, sicut cæteri homines, non esset Christus. 545
Quod fit solum per absolutum Dei concursum extraordinarium soli Deo tribuitur, non vero quod fit per indifferentem 546
Si peccaret humanitas, Verbum tamen peccati causa non esset. 547
Natura humana secundum se est causa sufficiens suæ actionis peccaminosæ . . 550
Etiamsi suppositum concurreret partialiter effective ad actionem peccaminosam, non esset tamen causa actionis peccaminosæ . . . ib.
Nulla datur gratia tantæ perfectionis, cum qua non posset de potentia Dei absoluta stare peccatum. . . . . ib.
Recte infertur Christi impeccabilitas ex unione hypostatica, non per locum intrinsecum, sed extrinsecum. 551

pag.

Nullatenus in Christo fuit peccati fomes, quæ sublata est per virtutes, quas habuit Christus in perfectissimo gradu 552
Peccatum triplex in mundum bellum intulit 602
Homines per peccatum esse Diaboli captivos, optime probat S. Bernardus. . . 607
Peccatum actuale duplex est: mortale, et veniale . . . 819
Peccatum veniale est triplex. ib.
B. Virgo non peccavit actualiter 820
Perperam B. Virgini affingunt peccata hæretici . . 821

Personalitas.

Quid sit personalitas, et quas communicationes neget. . 211
Personalitas creata per se, et immediate non potest assumi 230

Photinus.

Photinus fuit Marcelli discipulus 12

Portio.

Duplex animæ portio, superior et inferior, et qualiter distinguantur 553

Possibile.

Possibile duplex est. . . . 34
Inter possibile et impossibile nihil mediat. 35

Potentia.

Potentia Dei ad agendum tam ad intra, quam ad extra, licet non esset trinus . . 197

Præmium.

Præmii congruitas duobus modis spectari potest . . 257
Præmium est excellentius merito substantiali quidem, non accidentali 649

Principium.

Principium meriti non potest cadere sub merito . . . 245

Propositio.

Propositiones quomodo, et in quibus fiant. 401
Qualiter usurpanda sit hæc propositio factam esse, vel fieri. 402
Propositionis falsitas non tollitur per illius reduplica-

pag.

tionem, sed per specificationem. 110
Propositiones universales in Scriptura sacra, plerumque patiuntur exceptionem . . 779

Proprietas.

Proprietates necessario, naturam divinam et humanam consequentes sunt in Christo 314

Q

Qualitas.

Qualiter fiat argumentum qualitatis 139

R

Redemptio.

Eo magis ob Redemptionem nostram per mortem Christi devincimur Deo, quod aliter poterat nos redimere . 91

Relatio.

Relatio dependentiæ humanitatis a Verbo reduci non potest ad causam efficientem 161
Unde sit petenda relationum distinctio. 320
In Christo sunt duæ Relationes, una æterna ad Patrem, altera temporalis ad Matrem 321
Multiplicatio termini, et fundamenti partialis non semper infert multiplicationem relationis. 322
Relationis varia divisio . . 155
Quomodo per Relationem aliquid prius alteri se habeat in ordine ad aliud quam ad se 162
Duplex in Christo est relatio ad S. Trinitatem . . . . ib.

Religio.

Quæ sit Angelorum Religio, quam Apostolus prohibet. 752

Reliquiæ.

Quinam hæretici fuerint sacrarum Reliquiarum impugnatores 746
De modo Reliquias colendi magna apud Catholicos controversia 747
Quid intelligatur per sacras Reliquias . . . . . ib.

pag.

Sanctæ Reliquiæ dignæ sunt veneratione 747
Sacrarum Reliquiarum cultus in idolatriam non inducit. 751
Colendæ sunt sacræ Reliquiæ cultu respectivo . . . . ib.

Res.

Res dicuntur supernaturales, vel quoad substantiam, vel quoad modum 43

Restitutio.

Restitutio fieri nequit ex bonis, quæ sunt sub dominio creditoris, bene vero satisfactio 107
Discrimen inter restitutionem, et satisfactionem . . . . ib.

Regnum Persarum.

Valde incerta Regni Persarum duratio 141

Rex.

Circa numerum Regum Persarum diversi diversa sentiunt 143
Nostra sententia circa numerum Regum Persarum . . ib.
Christus in Scriptura passim Rex proclamatur 581
Quid sit Regia dignitas: duplex distinguitur, temporalis, et spiritualis . . . 582
Christus fuit Rex temporalis secundum Divinitatem, non fuit de facto secundum humanitatem 583
Varia Theologorum opinio de regia Christi dignitate . . ib.
Christus vere fuit Rex spiritualis 584
Spiritualis Regia dignitas præcellit temporali in fine, amplitudine, duratione, et objecto 585
Christus ut Rex spiritualis potuit leges condere, et de facto condidit . . . . . ib.
Christus non fuit Rex temporalis Judæorum jure successionis . . . . . ib.
Christus in nullo unquam Regno terrestri regnavit . . 586
Nato Christo, extinctum fuit Regnum temporale Davidis. 587
Explicantur SS. Patres, qui videntur asserere Christum fuisse Regem temporalem. ib.

pag.

Dignitas Regia differt a Sacerdotali, quod hæc offerat sacrificium pro nobis, illa vero salvare nos possit . . 588
Christus non est Rex ratione unionis hypostaticæ, sed ratione potestatis sibi ab æterno Patre in universum orbem collatæ . . . . . ib.
Melchisedech erat figura Christi venturi, ut Regis, et Judicis, sicut et Rex Salomon. ib.

S

Sabellius.

Sabellius unicam in Deo Personam agnovit, negavitque Verbum divinum fuisse incarnatum. 11

Sacerdos.

In Christo simul fuit Sacerdos, victima, et sacrificium . . 662
Christus non fuit Sacerdos Aaronicus 665
Christus D. est Sacerdos secundum utramque naturam. 663

Sacerdotium.

Sacerdotium est mediatio inter Deum, et homines . . 659
Magna hæreticos inter, et Catholicos de Christi D. Sacerdotio controversia. . . 660
Sacerdotium, et sacrificium necessario sunt conjuncta. ib.
Duplex est Sacerdotis munus. ib.
Christus D. fuit Sacerdos proprie dictus 661
Duplex est munus Sacerdotale. . . . . ib.

Sacrificium.

Offerens non semper debet per se victimam mactare in vero sacrificio 662
Quare martyrium non dicatur verum Sacrificium . . . . ib.
Longe præstantius fuit Sacrificium Christi sacrificiis legis naturæ, et Mosaicæ. . 663
Christi D. Sacrificium ut expiatorium non ei profuit . 666
Christi D. Sacrificium ei prodesse potuit, ut Eucharisticum, impetratorium, et honorarium 667

pag.

Sancti.

Quinam hæretici negarint Sanctos esse invocandos . 755
Sancti sunt nostri mediatores apud Deum 756
Divinam benevolentiam duplici medio Sancti nobis conciliant . . . . . ib.
Sanctorum invocatio fuit semper a fidelibus frequentata. ib.
Invocatio Sanctorum non detrahit quidpiam dignitati mediatoris . . . . . 760.
Sancti preces nostras agnoscunt 761
Sancti possunt nobis opitulari, idque volunt, et cupiunt 762
Sancti sunt invocandi triplici de causa . . . . . ib.
Solvuntur Scripturæ auctoritates, quæ ab hæreticis contra Sanctorum invocationem solent objici. 763
Sanctorum invocatio non derogat efficacitati orationis Christi. 765

Sanctificatio.

Duplex est Sanctificatio, una a statu contrario, alia a statu privativo 420

Sanctitas.

Quid sit Sanctitas 421
Triplex est in Deo Sanctitas. ib.
Multiplex auctorum sententia circa Sanctitatem humanitatis Christi . . . . . ib.
Christus D. revera erat Sanctus Sanctitate Personali. 422
Non est consequens, quod si Christus licet sit Sanctus substantialiter, pari ratione sit impeccabilis . . . 423
Cur Christo potius tribuatur divina Sanctitas, quam alia attributa . . . . . ib.
Quænam Sanctitas naturæ rationali assumptæ tribueretur 425
Substantialis Sanctitas, non petitur præcise ab unione hypostatica . . . . . ib.
Sanctitas personalis Christi non est petenda præcise a divinitate, nec a persona-

pag.
litate Verbi seorsim, sed conjunctim 126
Qualiter formalis Sanctitas a personali differat 130
Personalitas divina non est sancta formaliter, sed tantum realiter. 128
Continentia eminentialis omnis Sanctitatis non sufficit ad satisfactionem formalem. 136

Sanguis.

Sanguis non est animatus . 323
Gravis controversia exorta de adoratione Christi Sanguinis in triduo 354
Omnis sanguis humanitatis fuit a Verbo assumptus. . 355
Non est de fide omnem humanitatis Christi sanguinem fuisse assumptum. . . . 357
An particulæ sanguinis Christi ab ejus corpore separatæ in terra existant 360

Sanhedrin.

Institutio Senatus Sanhendrin, et quid significet. . 130
Quænam fuerit illius auctoritas . . . . . ib.
Ex qua potissimum tribu Judices illius seligerentur. . 131
Quamdiu steterit, et esse desierit . . . . . ib.

Satisfactio.

Poterat Deus a quolibet homine debitam satisfactionem repetere 83
Si voluisset Deus, potuisset unus homo pro aliis satisfacere . . . . . ib.
Satisfactio quid sit 85
Varia potest esse satisfactio. ib.
Vilitas personæ non semper minuit satisfactionem . . 90
Gratuita acceptatio nihil detrahit justæ satisfactioni . 92
Christus Deo satisfecit pro peccatis hominum ex particulari motivo justitiæ legalis 95
Quæ sit satisfactio ex justitia legali 97
Qualiter Christi D. satisfactio etiam sibi, ut Deo exhibita sit ad alterum . . . . . ib.
Christi satisfactio fuit superabundans 99

pag.
Christi satisfactio fuit condigna. 101
Ut Christi satisfactio esset undequaque completa egebat Dei acceptatione. . . 102
Christus satisfecit ut Deus homo . . . . . ib.
Satisfactio Christi fuit summa, licet non fuerit infinita intrinsece . . . . . ib.
Deus poterat satisfactionem Christi acceptare . . . . ib.
Alia est ratio satisfactionis ex condigno alia ex rigorosa justitia 104
Conditiones satisfactionis ex rigorosa justitia . . . . ib.
Satisfactio Christi habuit omnes conditiones ad satisfactionem ex rigore justitiæ. 105
Christus satisfecit per actiones creatas prout erant a persona Verbi 106
Licet opera Christi fuerint sub alio dominio Dei, tamen per ea potuit ex stricta justitia pro nobis satisfacere 108
Ad satisfactionem non est necesse, quod aliquid incipiat esse sub dominio creditoris. 109
Satisfactio Christi fuit ex bonis propriis 110
Satisfactio Christi facta est ex alias indebitis 111
Licet Christo sua opera Deo debuisset titulo gratitudinis; tamen poterat condigne satisfacere 112
Satisfactio Christi revera erat ad alterum 113
Alteritas secundum naturam sufficit ad satisfactionem . 114
Qualiter Christus Dominus sibi ipsi satisfecerit . . . ib.
Satisfactio Christi non potuit a Deo Patre non acceptari. 115
Christus sibi ipsi satisfacere potuit, et pro aliis persolvere 601

Saturnilus.

Saturnilus, seu Saturninus hæresim præceptoris propagavit, et Christum revera natura non fuisse docuit, sed tantum putative. . . 13

pag.

Saul.

Saul habetur pro Messia, sed falso 120

Scientia, et Sapientia Christi.

Quadruplex in Christo Scientia esse dicitur. 472
In Christo Domino duplex est Scientia creata, et increata . . . . . ib.
Christus de facto habuit Scientiam creatam 473
Ad quid Scientia creata in Christo deserviret, cum per increatam omnia novisset . 475
Christi Domini intellectus humanus etiam de potentia absoluta non potuit fieri sapiens sapientia increata . ib.
Christus Dominus adhuc mortalis videbat Deum intuitive, idque ab instanti suæ conceptionis 479
Christi Domini cognitio est perfecta, non tamen comprehensiva 481
Anima Christi Domini forte non videt omnia possibilia. 483
Cognitio, quæ actu versatur circa infinita objecta debet esse infinita, secus vero si versetur dumtaxat potestate. 486
Qua ratione Doctor Subtilis velit intellectum creatum posse accipere infinitas numero cognitiones non vero producere 487
Intellectus Christi non videt omnia, quæ Deus cognoscit scientia visionis 488
Qualiter intelligendus sit Doctor, cum ait Christum omnia videre habitualiter in Verbo . . . . . ib.
Christus triplici Scientia novit Creaturas. 489
Qualiter Scientia beatifica differat ab infusa, et acquisita. 490
Christus Dominus habuit scientiam infusam cum beata. . 491
Sex modos scientiæ distinguit Alensis in Christo. . . . ib.
Quamquam scientia et opinio, non possint simul subsistere, tamen subsistere possunt scientia beata, et infusa . 492

pag.

Christus Dominus novit etiam per scientiam infusam omnia mysteria fidei . . . 493
Novit etiam omnia entia per se supernaturalia 495
Novit etiam cogitationes cordium, necnon et futura etiam contingentia. . . . 497
Quibus modis futura contingentia cognoscantur . . . 499
Quo sensu Doctor Subtilis dicat futurum contingens non posse cognosci 501
Illa scientia, per quam Christus novit futura contingentia, erat habitualis . . . ib.
Multiplices erant illius scientiæ secundum diversitatem objectorum 502
Scientia infusa præstantior est scientia Angelorum . . . 503
Quid nomine scientiæ acquisitæ intelligatur 504
Scientia acquisita, et infusa per se non distinguuntur . ib.
Scientia experimentalis a scientifica differt 505
Christus Dominus habuit scientiam acquisitam . . 506
Novit essentias rerum naturalium ab instanti conceptionis suæ per habitum sibi infusum 509
Indiget homo sensibus, et phantasmatibus ad scientiam comparandam . . . 510
Christus profecit in experientia non in scientia . . . 511
Perfectius est habere scientias per infusionem, quam per acquisitionem. . . . 515
Christus novit omnia individua per scientiam sibi infusam 516
Nihil unquam Christus Dominus didicit ab Angelis, aut hominibus 517
Major est perfectio discere a sensibilibus, quam ab hominibus . . . . . ib.

Servitus.

Servitus quadruplex . . . 329
Servitus non importat necessario negationem communicationis in Anima . . . 330

pag.

Simon.

Simon Magus 13

Species.

Quare una species non possit plura objecta repræsentare. 190

Spes.

Christus Dominus non habuit spem circa objectum primarium, neque circa secundarium 460

Duplex est inevitabilitas, et certitudo respectu rei sperandæ 462

Spiritus sanctus.

Licet Spiritus sanctus dicatur nobis conferre omnem vitam spiritualem, non tamen est proprie caput. . . . 568

Stancarus.

Quænam fuerit controversia inter Stancarum, et Oziandrum hæreticos 595

Status.

Duplex in Christo fuit Status. 178

Subsistentia.

Duplex generatim subsistentia in Deo, absoluta, et relativa 195

Quid sit subsistentia absoluta, et communis . . . . . ib.

Duplex est munus subsistentiæ creatæ 196

Natura Divina per subsistentiam absolutam posset humanitatem assumere . . . ib.

Natura divina habet virtutem independentem ac subsistentem . . . . . ib.

Subsistentia divina absoluta, et existentia divina distinguuntur tantum ratione . 198

Natura assumpta per subsistentiam absolutam non posset dici persona . . . ib.

Subsistentia generatim sumpta, non debet esse ultimus naturæ subsistentis terminus. . . . . ib.

Sunt in Christo tres subsistentiæ substantiales. . . 391

Suppositum.

Quid sit suppositum, et qualiter a natura distinguatur . 169

Idem suppositum terminare non potest duplicem generationem 178

pag.

T

Terminus.

Terminus actionis productivæ duplex est, totalis, et formalis 181

Christus, ut Deus homo est terminus totalis incarnationis, sed de termino formali magna est controversia. . ib.

Theodorus.

Theodorus Patriarcha Constantinopolitanus videtur Honorii nomen cum damnatis Hæreticorum patronis inseruisse. 383

Theodotus.

Theodotus Romæ prædicavit Christum non esse Deum, sed nudum hominem . . 10

Theologus.

Theologus debet esse instructissimus 34

Timor.

Triplex est timor, naturalis, mundanus, et divinus . . 468

Timor divinus triplex est, servilis, initialis, et filialis, qui etiam dicitur castus, et reverentialis. . . . . ib.

Tribus.

Ita Tribus Benjamin, et Levi post divisionem Regni Israelitici adhæserunt Tribui Judæ, ut unicam Tribum instituerint. 132

Trinitas.

Opera trinitatis ad extra sunt indivisa 550

V

Valentinus.

Valentinus docuit Christum habuisse corpus cæleste non terrenum 13

Valor.

Juxta duplex jus, duplex etiam statuitur valor . . 94

Qualiter valor operum Christi ex persona Verbi processerit 107

Verbum.

Qualiter Verbum uniatur intrinsece humanitati, cum nihil intrinsece recipiat. . 164

Dependentia humanitatis a

pag.

Verbo, et in genere causæ materialis. 165
Licet Verbum dicatur *caro factum*, non propterea est mutatum in carnem . . . 172
Qualiter sit intelligendum, quod Verbum divinum hominem assumpserit . . . 179
Utrum Verbum terminet assumptionem humanitatis per aliquid personale, vel per aliquid essentiale. . . . 188
Verbum divinum Animam rationalem, et corpus humanum vere assumpsit, et omnes eorum facultates eadem simultate temporis . . . 225
Verbum dimisit totum humanitatis in triduo mortis. . 220
Verbum divinum non habuit aliquam efficientiam erga suam humanitatem . . . 237
Verbum maxime est incarnatum ad expianda hominum peccata 262
Ex vi præsentis decreti Verbum fuisset incarnatum, etiamsi Adamus non peccasset 263
Verbum divinum assumpsit verum corpus, et veram animam 339
Verbum non assumpsit hypostatice capillos, ungues, nec partes excrementitias . . 359
Quare de Verbo dici non possit, quod sit humanatum, nec quod sit Deificatum . 405
Verbum divinum nullam sibi specialem habet causalitatem erga humanitatem . . 653
Verbum divinum non habebat peculiarem influxum physicum in actus Christi Domini 655
Conveniebant Nestoriani Verbum transisse per Virginem, non vero ab ea fuisse genitum 825

Vigilius.

Vigilius Romanus Pontifex non fuit Monothelita . . 369

Virgo.

B. Virgo habuit debitum contrahendi peccatum originale, non quidem positive, sed negative. 817
B. Virgo est vere dicenda Deipara 826
Quo sensu Beata Virgo dicatur genuisse Deum. 828
Christi D. corpus ex carne Virginis fuit formatum . . 830
Probabilius est corpus Christi D. ex sanguine Virgineo concinnatum esse. . . . 831
Quot et qui hæretici B. Virginis puritatem impugnaverint 832
Quid sit Virginitas, et quot ad illius integritatem conditiones requirantur. . . . ib.
De Virginitatis sigillo gravis controversia. 833
Deipara erat Virgo ante partum. 834
Virginitas apud Judæos erat commendata. 836
Maria Virgo fuit in partu . 837
Sancti Patres docent Virginis uterum in partu non fuisse reseratum 838
Qualiter sint intelligendi, qui contrarium videntur asserere 839
Maria fuit Virgo post partum. 840
Sanctus Joseph Virgo extitit. ib.
Solvuntur Scripturæ textus, qui hæreticis videntur patrocinari de partu Virginis. 841
Certum est B. Virginem æterna beatitudine donari. 845
Unde suborta fuerit in Gallia controversia de Assumptione B. Virginis . . . 849
Expenduntur ea, quæ in narratione obitus, ac sepulturæ B. Virginis minus cohærere videntur 861
Opponuntur varia monumenta de morte B. Virginis . . 863
Quare S. Lucas non meminerit mortis, et sepulturæ B. Virginis . . . . . ib.
Aliqui auctores Virginis mortem in dubium revocant . 864
Proscribitur liber de transitu B. Virginis . . . . . ib.
B. Virgo non obiit Ephesi, sed Hierosolymis 865
Quæ narrantur a S. Juvenale,

pag.

non pugnant contra mortem B. Virginis 865
Quare tanto impetu omnes hæretici, præsertim recentiores, in B. Virginem insurgant 884
B. Virgo speciali cultu supra alios Sanctos est colenda, et præ aliis invocanda. . 887

Virtus.

Virtus moralis generatim vel se ipsam, vel alium respicit. 93
Triplex est Virtutum genus. 457
Quid, et quotuplex sit Virtus Theologica . . . . . ib.
Non omnis Virtus est admittenda in Christo 459
Christus non habuit Virtutem pœnitentiæ 463
Quid sit Virtus moralis . . ib.
Virtutes morales possunt spectari in triplici statu. . . ib.
Possunt infundi 464
Omnes Virtutes morales, quæ nullam imperfectionem includunt, et connotant, revera fuerunt in Christo. . ib.
Quomodo Virtutes morales in Beatis perseverent. . . . 465
Christus D. hubuit Virtutes morales in gradu heroico, idque per infusionem ab instanti suæ conceptionis. . 466
Sicut Virtutes morales conferunt ad perfectionem voluntatis, ita et intellectuales ad perfectionem intellectus. 513

Visio.

Visio beatifica conferri potest, absque eo quod gratia sanctificans præcesserit . . . 241

Vis.

Triplex animæ vis in corpus: naturalis, vitalis, animalis. 569

Unio.

Quam variæ fuerint hæreticorum sententiæ circa Unionem hypostaticam. . . . 152
Varia nomina, quibus appellari solet Unio hypostatica. 153
Variæ species Unionis. . . 154
Actio Unitiva extremorum est triplex. 155
Triplex Auctorum sententia circa Unionem hypostaticam. . . . . ib.

pag.

Unio hypostatica est ens reale creatum realiter ab extremis distinctum 156
Unio hypostatica non solum est actio unitiva extremorum, sed etiam productiva termini 157
Terminus Unionis hypostaticæ non est alius formaliter, quam ipsa formalis Unio. ib.
Quomodo humanitas dependeat formaliter ab Unione. ib.
Unio humanitatis cum Verbo non est simplex in distantia ab eo. 158
Sicut corpus et anima rationalis non uniuntur seipsis immediate, ita nec humanitas et Verbum . . . . ib.
Quænam Unio mediet inter humanitatem, et Verbum. 159
Unio hypostatica est relatio extrinsecus adveniens . . 160
Quamquam Unio hypostatica spectet ad complementum substantiale humanitatis, non tamen est substantiale. 161
Unio hypostatica dicitur substantialis, licet sit accidens. 162
Unio hypostatica reduci potest ad prædicamentum Passionis . . . . . ib.
Unio hypostatica est relatio non mutua, est etiam relatio disquisparantiæ. . . 163
Tres distinctæ actiones reperiuntur in Unione hypostatica. 165
Quomodo Unio animæ cum corpore adumbret Unionem humanitatis cum Verbo. . 173
Refelluntur omnes modi Unionis, quos Nestorius excogitaverat. 176
Quot modis Unio dici possit immediata . . . . . ib.
In Christo vel Unio est nulla, vel parva, vel maxima. . 184
Duo uniri possunt in tertio duobus modis 185
Unio hypostatica est intrinsece immediata. . . . . ib.
Quare Unio materiæ cum forma requirat mediam dispositionem, non vero hypostatica. . . . . ib.

pag.

Discrimen inter unionem beatificam, et hypostaticam. . 186
Unio hypostatica non est omnium maxima ex parte extremorum . . . . . ib.
Unio hypostatica censeri potest omnium maxima ratione personæ 187
Distantia naturarum non impedit Unionem maximam. ib.
Proponitur sententia Durandi de Unione humanitatis cum Verbo, et refellitur . . . 191
Etsi humanitas primario terminetur a Verbo, et secundario a natura divina, non tamen sequitur diversa Unio 194
Unio naturæ divinæ cum humana per subsistentiam absolutam, non esset in unitate naturæ vel personæ, sed dumtaxat Unionis naturæ divinæ cum humana. 198
Unio corporis, et animæ Christi in Resurrectione non fuit eadem omnino, quæ fuerat in ejus formatione. 249
Unio hypostatica secundum entitatem, est minus perfecta, quam gratia . . . 126
Possibilitas naturæ humanæ cum Verbo 36

Unus.

Filius non est unus cum Patre, sed Unum 599

Vocabulum.

Vocabulum, *factum,* non semper significat mutationem substantialem 172

Voluntas.

Duæ erant in Christi voluntates directrices, sed humana subjiciebatur divinæ. 316
Voluntas non debet præsupponi tempore, sed natura ad meritum. 627
Voluntas Christi erat in termino secundum affectionem justitiæ, non secundum affectionem commodi . . . 633